
SANCTI
BONAVENTURÆ
OPERUM
SUPPLEMENTUM
In tria Volumina diſtributum.



Petrus Bombelli sculp. *Romæ 1770. Sup. lic.*

S. Bonaventura Doctor Seraphicus

SANCTI BONAVENTURÆ

EX ORDINE MINORUM

S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS ALBANENSIS

OPERUM

SIXTI V. PONT. MAX. D. ORD.

JUSSU EDITORUM

SUPPLEMENTUM

IN TRIA VOLUMINA DISTRIBUTUM

SUB AUSPICIIS

CLEMENTIS XIV. P. M. EJUSD. ORD.

VOLUMEN PRIMUM.



TRIDENTI MDCCLXXII.

EX TYPOGRAPHIA EPISCOPALI JOANNIS BAPTISTÆ MONAUNI,

SUPERIORUM PERMISSU.

Ardentia verba proferens, non minus affectum legentis in Christi amore accendit, quam intellectum doctrinis sanctis illuminat. Omnes enim sui temporis Doctores utilitate Operum facile præcellit, si spiritum Divini amoris, & Christianæ devotionis in eo loquentem attendas. Profundus est, non verbosus: subtilis, non curiosus: disertus, non vanus: flammantia, non inflantia verba proferens. Unde & securius legitur, facilius ab amante intelligitur, utilius frequentatur, dulcius & fructuosius retinetur. Multi doctrinam proferunt, devotionem prædicant multi, pauci scribendo libros docuerunt utramque. BONAVENTURA autem & multos superavit, & paucos; dum ejus doctrina devotionem, devotio instruit doctrinam &c.

Trithemius Lib. de Ecclesiast. Script.



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

Fr. Paschalis a Varisio Minister Generalis.

BONAVENTURAM Franciscanæ Familiæ lumen, columenque Ecclesiæ celeberrimum pluribus jam Typis in omni prope regione, ac lingua excultum, quaque longe omnibus præstat Va-

ticana Editione clariſſimum, nova hac ſuorum quorumdam Operum nunc demum ſolerti exquiſitaque diligentia detectorum, pretioſa ſupellectili noviſque Commentariis adornatum, & auctum, Tibi ſiſto, Beatiſſime Pater, nova, atque illuſtriori Tuis ſub auſpiciis immortalitate donandum. Mirum profecto erat vehementerque dolendum, quod aurea iſthæc Seraphici Doctoris noſtri Monumenta partim ſeverioris intemperantis Critices judicio Eidem ſurrepta hinc inde diſtrahi, propriique Auctoris honore privari; partim etiam ignorata penitus, & neglecta in angulis, latebriſque Bibliothecarum ſqualere tamdiu ſinerentur. Quamobrem nos ipſi de nobis ſæpiſſime conquerebamur, ingenuo juſtoque pudore ſuccenſi, probe intelligentes, quod noſtra potiſſimum intereſſe jamdiu debuiſſet, ea ab omni, ſive temporum ſive hominum injuria vindicare. Verum pudorem omnem, doloremque nobis adimit feliciſſimus tandem hujus Editionis eventus. Adimit, dico? immo in argumentum vertit honoris, atque lætitiæ, quod in hoc demum tempus inciderit, quo Tuæ, Pater Beatiſſime, Divino prope conſilio, ac quodam quaſi præludio ſimul pararetur, atque occurreret dignitati; cujus favorem, atque præſidium quotquot evulganda ſupererant BONAVENTURÆ Opera præſtolari, ac veluti hæreditario jure expoſcere videbantur. Nimirum his quoque conveniebat præclarum illud domeſtici pariter, ac ſupremi patroci-

nii

nii ſpecimen, de quo alia ejuſdem Opera Immortalis Sixti Quinti nomine inſignita jamdiu gloriantur: atque decebat, ut Magni illius Franciſcani Pontificis vota, ac ſtudia, pro abſoluta, atque integra omnium BONAVENTURÆ Operum Editione in altero ejuſdem Franciſcanæ Familiæ Pontifice complerentur. Quin potius hæc gloria debebatur Seraphicæ Religionis Doctori, ac Parenti optimo, cujus etiam Sanctitatis ea fuit conditio, & fortuna, ut ſupremos honores ſuos, a ſuimet Ordinis Pontifice (Sixto nimirum Quarto) conſequeretur: plane ut is videatur fuiſſe a Deo illius honoribus veluti cumulus conſtitutus, quod cum Sanctitatis, tum doctrinæ ſuæ patronos, ac vindices haberet ex eadem ſua Religione divinitus aſſumptos ſapientiſſimos, ſanctiſſimoſque Pontifices; qui eximia utriuſque decora non modo teſtata ſuis oraculis facerent, ſed ſuis etiam meritis exornarent, augerentque ipſa etiam amplitudine maximæ dignitatis. Hinc Te prorſus ſpectabant hujuſmodi Supplementa BONAVENTURIANÆ Doctrinæ, CLEMENS Pontifex Optime, noſtrorum temporum, ac Cœtuum decus, & ornamentum; adeoque nec ſine Numine aliquo, inſtinctuque Divino, eodem illa tempore properabant ad lucem, quo Te ad Supremi Pontificatus faſtigium Divina Providentia diſponebat. Quo ſane mirabili Editionis hujus cum Tua Dignitate concurſu iidem illi ad triumphandum excitari mihi vi-

dentur

dentur eximii, maximique Prædecessores Tui, auctam splendore Tuo sui Nominis gloriam sentientes: hucque adesse, & collatis invicem suis in communem Parentem, atque Ordinem studiis, & officiis, conspirare ad tam præclaræ conjunctionis lætitiam amplificandam, atque hoc ipsum munus (quod sibi etiam jucundissimum, optatissimumque fuisset) Successori suo tam egregio, tamque intimo consecrandum, illudque Te dignum quamquod maxime perficiendum iis omnibus amplissimis laudibus, honoribus, privilegiis, quibus uterque mirificam Doctoris hujus Sapientiam & Virtutem his quoque Libris contentam certatim veluti cumulavit. At longe magnificentius profecto exultat BONAVENTURA ipse, atque triumphat in hoc suorum Operum, & decorum complemento: quodve Viro Sanctissimo uberiorem affert jucunditatis, & gloriæ segetem, Tua est, Beatissime Pater, non tam Ordinis cum eo communio, quam similitudo Virtutis, qua expressam in Te propemodum videat, Tecumque in Supremo Ecclesiæ Solio collocatam imaginem Suæ ipsius, & Seraphicæ disciplinæ, & Pontificiæ Dignitatis. Huic porro egregio Exemplari omnis perfectæ doctrinæ, absolutissimæque Virtutis, eadem ipsa Te effingere visa est supremi Numinis Providentia, quæ in æternis consiliis suis illud de Te, in Tuis etiam oculis mirabile factum decreverat, quod summo hoc afflictæ perculsæque Christianæ Reipublicæ tempore

erat

erat optandum maxime, quodve ad illius dolorem, luctumque ſedandum unice pertinebat. Eluxit ſane eluxit in omnibus Vitæ, ſtudiorum, & graduum tuorum curſibus, & officiis cum Tuo Divinæ illius imaginis ſtudio, Divinæ quoque Providentiæ cura, ut ad normam tanti Præſulis Te conſtitueret Catholici Gregis Paſtorem, & Formam. Ipſa Tibi donavit imprimis ſimilem pietatis, & continentiæ indolem, quam nulla inflecteret deterioris exempli vis, & illecebra, ſimilemque ingenii aciem, & contentionem ad omnes Scientias feliciſſimam, quam nulla rerum difficultas deterreret, nulla diſciplinæ moleſtia, nullum vitæ incommodum retardaret. Ipſa ad eumdem Ordinem Te adduxit, iiſdem certe legibus, ac virtutibus imbuendum, eoque conſilio, ut cum in ejus gremio complexuque parata, atque collecta ex ipſo BONAVENTURA haberes omnia Religionis præſidia, quibus Chriſtiana Reſpublica nititur & ſuſtentatur, tum his apprime inſtructus, ad illam optime regendam, tuendamque in ſumma rerum opportunitate exiſtens, ac novo luculentiſſimo facto, tuoque experimento Chriſti oraculum confirmares, eum eſſe Divinitus conditum ad Eccleſiam in maximis periculis reparandam. Ipſa ad egregiam æmulationem in Te undique confovendam Moderatores Tibi ſtudiorum dedit, morumque Inſtitutores integritate, doctrina, prudentia ſpectatiſſimos; qui jam pene in ſe ipſis BONAVENTURÆ decora, virtuteſque referrent, qui altiſſima Dei

de

de Te grandia molientis consilia, Divino afflatu prospicientes, mirum! quanta Te excolerent diligentia, quanta solertia, & industria expolirent: tamquam qui natum destinatumque Principem ad Regni, & Patriæ gloriam felicitatemque erudiunt. Ipsa demum ad insigne Romanum Collegium a Sixto Quinto erectum, ac BONAVENTURÆ Nomini, Sapientiæque dicatum, illustratumque perpetua Clarissimorum Virorum serie, Te semel, atque iterum evocavit, primo ad tirocinium, deinde ad Magisterium Theologicæ Facultatis, ut eodem ipso Duce, præceptore, & auspice, Seraphicæ illius doctrinæ, quæ ibidem ex instituto mirifice colitur, & triumphat, vim omnem in Te transferres, totumque spiritum absorberes, quem postea ad Ecclesiæ utilitatem, ædificationemque transfundere debuisses. Cujus rei exemplum, omenque clarissimum prodidisti, & in publicis, ac celeberrimis Æmiliæ atque Insubriæ Academiis miro splendore tuæ omnigenæ Sapientiæ illustratis; & in domesticis Scholis Seraphico illius ardore repletis, ut quos ad scientiam erudires, eosdem etiam ad sanctimoniam inflammares; & in vehementissimo illo tuendæ, propagandæque in Partibus Infidelium Sanctissimæ Religionis studio, quo novum Romæ Collegium pro delecta ad id muneris Tui Ordinis Juventute excolenda exercendaque instituisti. Quis proinde miretur tam eximiam, & excelsam Virtutem tuam ante Summorum Pontificum ora, conspectumque

tradu-

traductam in graviſſimis Fidei, & Sacrarum quarumcumque rerum negotiis, conſiliiſque ſpectatam, & cognitam per medias laudes, albis quaſi quadrigis, ad ſupremam Eccleſiæ ſpeculam evolaſſe? Illud mihi videtur mirandum magis (quod etiam magis Divinam mentem declarat, magiſque attingit propoſitam Tibi divinitus ad imitandam Seraphici noſtri Doctoris in promerendis Eccleſiaſticis honoribus dignitatem,) illud, inquam, mirandum magis, quod ultro Tibi apertam initio ad honores viam, inclytam dico Bonaventuriani Collegii Præfecturam, quam quiſque avide exoptaſſet, Tu illam refugere, ac deſerere pro tua humiliter de Te ſentiendi conſtantia cogitares, ut ad eam ineundam Divino prope nutu, atque imperio cogi compellique debueris: quod inter tot egregia, atque ſublimia Sapientiæ teſtimonia, & ornamenta Virtutis, ad Te quodam quaſi ambitu convolantia, nullius umquam cupiditate abripi, nullius fulgore perſtringi, nullo denique plauſu commoveri ad faſtum, pompamque potueris: quod in Purpuratorum Patrum Senatum cooptatus, nec a loco, nec ab Inſtituto religioſæ Vitæ receſſeris, nec de tuo precandi, commentandique ſtudio quidquam remiſeris: quod demum in ipſo Imperii culmine eandem ſerves demiſſionem Animi, atque modeſtiam, eandem in omni vitæ ratione religioſiſſimam diſciplinam, quam etiam in Pontificio Stemmate ad exemplum præferre, ac prælucere omnibus voluiſti, eandemque ad

om-

omnes humanissimam comitatem, facilitatemque, ut unus Ipse in communi obsequio, ac triumpho Tuæ nescius Amplitudinis videaris. Nonne magis quam collatæ Dignitatis fastigium, fidem nostram percellit tanta hæc in tam sublimi honore, virtutis & continentiæ magnitudo? Nonne absolutissimum cuique objicit, ac veluti oculis repræsentat Sanctissimi BONAVENTURÆ simulacrum, in quo de summa Sapientia, summisque honoribus, summa semper, maximeque miranda humilitas triumphavit? Hæc porro tam excellens Bonaventurianæ Virtutis imago, quæ in Te semper eluxit, hæc illa est, quæ oculos repente præstrinxit Eminentissimorum Ecclesiæ Patrum, ut omnium in Te vota, animique concurrerent, quemadmodum in illum olim distracta diu, atque discordia conversa fuere comitia: ac sicut hæc ejus exquisito consilio, tamquam Divino oraculo in Pontificem ab Eo propositum, veluti a supremo Numine præsentatum mirifice consensere, ita Te tamquam a Domino præparatum jam præsignatumque in sacris ipsis felicissimæ illius diei Mysteriis Jesu Christi in Terris Vicarium, nemine discrepante, cunctis immo plaudentibus declararent. Quot superi! vestræ in optimo hoc excitando, honestandoque Pastore vigilantiæ, atque industriæ testimonia! Quot illius absolutissimæ Dignitatis judicia! Quot auspicia optatissimæ, cumulatissimæque felicitatis! Quæ inde in cunctis lætitia! Quæ omnium Populorum, & Principum exultatio!

Qui

Qui utique æſtus impetuſque geſtientium animorum ſibi, Eccleſiæ, Reipublicæ fauſta omnia a Nomine, a Religione, a Virtute, a Dignitate Tua ominantium! Quæ cum nobis potiſſimum, noſtroque Ordini univerſo jucundiſſima acciderunt, tum ego præ ceteris in altiorem tantæ Tuæ gloriæ admirationem erectus, illud quam maxime lætatus ſum, quod opportunam hanc, atque præclaram haberem occaſionem, ac facultatem Divinitus prope mihi oblatam peculiaris meæ ferventiſſimæque lætitiæ, ac ſtudioſiſſimæ obſervantiæ, quam verbis non poſſum exprimere, nec ullo potuiſſem externæ voluntatis indicio ſignificare, eo Tibi perenni teſtimonio comprobandæ, quo nihil eſſe poſſet Tua dignius Religione, Sapientia & Dignitate. Hoc ſcilicet a Te etiam optatiſſimo, tuis ſæpe laudibus celebrato, tua quoque opera, ac diligentia illuſtrato, & aucto Doctrinæ Seraphicæ complemento, cujus aſſiduo ſtudio, ac magiſterio, familiarique uſu perveneris ad ſublimem illam humanarum, Divinarumque rerum ſcientiam, earumque Virtutum omnium celſitatem, quæ Te ad honoris, & gloriæ verticem evexerunt. Quo proinde perſpicuum omnibus fit hanc Tibi prorſus convenire Doctrinam, itaque veluti annulo gemmam congruere, ut plane liqueat neque Te expertem eſſe debuiſſe illius fulgoris, neque illam Tui. Hinc eſt, quod cum Te initio ſuſcepti Divinitus Pontificatus horum Operum dedicatione interpellaverim, hanc promptiſſimo, lætiſſimoque Animo excepiſti, ut accep-

tatio judicium fecerit Dignitatis, ipſa vero acceptandi facilitas, & delectatio ardentem oſtenderit, eorumdem amore, & ſtudio voluntatem; nihil ut ſibi gratius, jucundius nihil offerri potuiſſe certiſſime commonſtraret. Jam vero ad Te demum veniunt egregia, & optatiſſima hæc Commentaria, ſimulque noſtra in Te confluunt flagrantiſſima ſtudia, retardata quidem lentis, quibus eorum editio intercepta eſt, moris, ſed aucta temporis diuturnitate, tuaque virtute, & felicitate vehementius inflammata, Cui in ampliſſima, difficillimaque adminiſtratione utriuſque Imperii tot undique motibus perturbati, ac pene convulſi, mirabiliter hucuſque perſpectæ, & cognitæ jam eorum plurima gratulamur experti, quæ in Tua Divina exaltatione ſperantes communi expectationi gratulabamur. Fuerit tum ad voluptatem eximium omnium in Te vota videre converſa: Sed quanto nunc ad utilitatem præſtantius tuum in omnes amorem effuſum perſpicere, Tuæque Paternæ vigilantiæ, & caritatis beneficia experiri? Vectigalia remiſſa, Annonæ pretium imminutum, copiam auctam, ærarium incredibili parſimonia tua ditatum, proſcriptas aleas, vitia profligata, intermiſſa negotia reſtituta, ſedatos tumultus, fluctuſque, quibus, Celſiſſima Tua Sedes ſæpiſſime antea concutiebatur compoſitos, Luſitaniæ Regnum ad veterem amicitiam revocatum, vetereſque aliorum Populorum, ac Principum Catholicorum ſublatas offenſiones, atque diſcordias, ut pene jam pacatam, ac quietam

uni-

universſam Rempublicam habeamus; nec dubitandum ſit, quin mox perfecta ubique pax, & tranquillitas ſit ſecutura. Quod Tua certe in id præſertim ſummeque intenta Paſtorali ſollicitudine: Tua agendi, tacendique prudentiſſima ratione, ac dexteritate, qua omnia feliciſſime proſpicis, conſulis, moderaris: Tua illa, qua cunctos Tibi devincis, mirabili morum, ſermonumque ſuavitate: Tua demum, atque potiſſimum efficaciſſima confidentia in Dei opem Tibi in opportunitatibus præſentiſſimam, & Seraphici Parentis mediationem jugiter interpoſitam, quamprimum, & quam maxime futurum ego quidem, noſque omnes firmiſſime expectamus: ejus etiam confiſi exemplo, præſidioque Doctoris, qui in Lugdunenſi Concilio de Græcorum ſchiſmate longe graviori, ſublatis omnibus diſcordiarum ſeminibus, triumphavit, totumque Orientis Imperium ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam, unitatem, communionemque reduxit. Atque hujus ſpei noſtræ, expectationiſque firmiſſimæ hæc Tibi ſint pignora, quæ illius ſunt monumenta virtutis, cujus egregia æmulatio hunc Tibi honorem in Terris maximum comparavit, qui illius eſt, qui meæ, qui noſtrum omnium perpetuæ lætitiæ, felicitatis, & gloriæ argumentum.

Prolixior fortaſſe ad graviſſimis totius Chriſtiani Orbis negotiis, curiſque occupatiſſimum Pontificem videri poteſt Præfatio. Sed, præterquam quod non uni ſcribitur, ut olim aje-

bat

bat Eraſmus, nihilque vetat, quominus ex intervallo legatur; ad BONAVENTURÆ tamen præſtantiam, ad Dignitatem Tuam, ad felicitatem noſtram, noſtrumque demum obſequium eſt certe breviſſima. Quod quidem obſequium, Beatiſſime Pater, Humanitatem Tuam precor, non ut ex verbis meis, ſed ex meo, noſtrumque omnium animo, hunc ex debito, hoc demum ex Te ipſo, quantus ſis, quamque nobis conjunctus, atque propitius, æſtimare digneris; veliſque proinde me, totumque meum Ordinem Tuis Sanctiſſimis Pedibus provolutum, Tuæque incolumitatis, quam quiſque maxime poſſit eſſe, ſollicitum, pro ea, qua Tecum nos gloriamur communione, Fraterna caritate reſpicere, pro Tua vero Apoſtolica Celſitudine, qua Te non modo Eccleſiæ Principem (quod commune omnibus eſt,) ſed Parentem noſtrum, ac Dominum veneramur, a quo omnis noſtri ratio Inſtituti, officia, ſtudia, omnia demum noſtra dependent, paterna benignitate complecti, fovere, regere, benedicere, ac ſuſtentare.

PRÆ-

PRÆFATIO
GENERALIS.

I. SI ullo unquam tempore operosum valde fuit, aleaque plenum, MSS. Codices atro in tabulariis squalentes pulvere pervestigare, inventosque germanis Auctoribus asserere, ac ita assertos publica luce donare; hoc equidem esse, in quo vivimus, diffitebitur nemo, qui fuerit vel mediocriter in Arte Critica exercitatus. Hæc enim Ars tempestate nostra, usque adeo invaluit, vigetque, ut ipsa jam edita ad severum examen revocare, eorumque plurima modo ad supposititia, modo vero ad apocrypha ablegare, omniaque summa libertate notare consueverit. Quare jure ac merito Cl. Joannes Aloysius Mingarellius Græcæ linguæ in Bononiensi „ Archigymnasio Professor conqueritur ajens " Incredibilis nostris temporibus „ omnia fere negandi, aut in dubium saltem revocandi cupido multos, & „ quædam quasi prurigo invasit. „ (a)

II. Id, ne longius exempla petam, contigisse nuper Venetiis Seraphici Doctoris Operibus, iisque etiam ipsis communi constantique Eruditorum consensu receptis, quis ignorat? Jure an injuria adeo censoriam virgam subierint, heic nihil attinet dicere. Quotusquisque ergo fuerit, qui audeat nova ejusdem in lucem proferre, postea quam vetera jam emissa, tam immani censuræ obnoxia fuere? An melior arridebit fortuna novis potius quam veteribus? Aut unus ego, in id incumbens, mihi potero polliceri feliciorem sortem, quam quæ summis obtigit Viris, qui multum operæ & studii in adornanda omnium celeberrima Sixtina Editione Operum ejusdem Doctoris Seraphici contulere?

III. Hos nominasse, laudasse est; nempe Constantium Sarnanum S. R. E. Card. O. M. Convent., Angelum cognomento Roccam, patria Camertem, Sacrarii Apostolici Præfectum, ac Episcopum Tagastensem Ord. August., Franciscum Lamatam Theologicæ Facultatis Doctorem, & Petrum Galesinium Protonotarium, ut vocant, Apostolicum, egregios omnes laudatæ Editionis curatores: qui sane ceteros inter plures Operum D. Bonaventuræ Editores tantum extulere caput,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi (b).

Jam si cum tanti nominis Viris summo jure actum est, ac censoria virga nequaquam illis pepercit; mitius mecum acturam sperare nullo pacto licuit: quinimo longe deteriora mihi obventura non potui non vereri, quum illis comparatus, ceu

(a) Epistola ad Ægydium Mingarellium Fratrem. (b) Virg. 1. Ecl. v. 26.

ceu *Davus*, ad *Oedipos*, (*a*) non immerito videri queam. Idque mihi metuendum ab illis præsertim ætate nostra morosioribus Criticis, qui ad scrupulosiorem trutinam omnia exigentes, malunt aliena carpere, quam de suo meliora depromere.

IV. Neque vero id unum me deterruit, sed & post repertos, ac penitius exploratos Codices, non parum me sollicitum habuit deprehendere incredibilem mendorum copiam, quæ cum in MSS. tum in editis Codicibus passim offendi; frequentissimos Divinarum Scripturarum textus Librariorum inscitia aut mutilatos, aut corruptos, integros etiam textus a Vulgata Editione dissidentes; crebra Patrum testimonia sine ulla, aut cum falsa loci designatione adhibita, textusque vitiatos. Unde omnia castigare, supplere, suis locis ac primævæ puritati restituere, accuratam limatamque Editionem elaborare; laborem esse, quem Herculeo comparat Erasmus (*b*), adeoque majus quiddam, quam quantum ingenium, ac vires meæ ferre possent, certo arbitrabar.

V. Præterea dici vix potest, quantum me perterrefecerit labor in vestiganda Bonaventuriana doctrina, stilique consonantia necessario subeundus. Nisi enim perpetuam doctrinæ consensionem, ac stili similitudinem, ut Artis Criticæ Periti apud Cl. V. P. Leoni Mag. O. M. C. (*c*) præcipiunt, liquido demonstres; solum nomen ineditis, aut etiam editis Codicibus inscriptum, sive ad calcem positum, certam fidem facere nullo modo potest hominibus emunctæ naris, quibus experientia multiplici compertissimum est, ad hoc *ut supposititia a genuinis, interpolata a sinceris maturo secernantur judicio, non minori versandum esse cautela, quam in numis; quorum multi sub larva antiquitatis inducunt in fraudem, vix a paucis oculatioribus agnoscendam*, quemadmodum lego apud Clarifs. Godefridum Henschenium & Danielem Papebrochium. (*d*) Exploratissimum quoque, Codices bene multos præferre nomen illorum, a quorum doctrina ac stilo ita prorsus abludunt, ut longe alios sui agnoscant legitimos verosque parentes. Hinc ubique notæ, hinc animadversiones faciendæ, hinc difficultates pro re nata enodandæ. In quibus omnibus non famam eruditionis aucupari consilium mihi fuit; sed edendis Operibus fidem facere, ac illorum lectorum, qui recentes a Theologiæ Scholis ad perlegenda Doctoris nostri Seraphici monumenta se comparant, utilitati consulere.

VI. Hæc itaque non modo Editionem hujusce Supplementi, multorum votis expetitam, tamdiu retardarunt, quæ & tempus, & diligentiam plane singularem deposcebant; sed etiam innumeris implicita difficultatibus usque adeo me parvis præditum viribus exanimarunt, ut sæpius fuerim vehementer veritus, ne mihi diceretur, quod *subula leonem exceperim*, (*e*) neve ingereretur

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus: & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri; &c. (*f*)

adeoque parum abfuerit, quin penitus despondens animum, de abjiciendo prorsus suscepto onere cogitarem, cujus magnitudinem gravitatemque, antequam id aggrederer, non satis perspectam habueram. Sed plura labantem animum confirmarunt erexeruntque exempla; quæ mea heic interest commemorare, ne videar in hoc novarum Editionum genere omnino præcursoribus caruisse.

VII. Primum, ac omnium recentissimum mihi occurrit exemplum laudati Mingarellii, qui D. Gregorii Thaumaturgi Sermonem in omnes Sanctos ab se Latine ex Græco redditum, primus vulgavit, una fultus vetusti quidem Codicis; sed quam mendosissime a Librario descripti, auctoritate. Dein ævi nostri alterum, videlicet Cl. V. Azzoguidii O. M. C. in patrio Bononiensi Cœnobio Bibliothecæ Præfecti, qui ope fretus unius MS. Codicis prænotati: *Expositio S. Antonii Patavini in Psalmos, ipsius etiam manu exarata*, publici juris eam facere minime dubitavit, professus ingenue, alia luculentiora argumenta non sibi suppetere. Insuper alia duo sæculi proxime elapsi exempla mihi se se stiterunt, nempe & Cl. V. nostri Joannis De la Haye, qui ad unici Codicis, ejusque oppido vitiati, fidem, pri-

(*a*) Terent. Andr. Act. 1. Sce. 2. (*b*) In Epist. ad Waramum Cantuar. Archiep. n. 7.
(*c*) In Epist. ad P. Sylvest. Ruzzin. S. J. ad fin. Par. 3. Oper. S. Irenæi pag. 83. col. 2.
(*d*) In Præfat. ad To. 2. April. Propylæi Antiquarii.
(*e*) Seneca Epist. 82. al. 83. in fine. (*f*) Horat. L. de Arte Poet. v. 38. ac seqq.

primus S. Bernardini Senensis Commentarium in Apocalypsim, ad Bonaventuriani normam sparsim exscriptum, edidit; & præstantissimi inter nostrates Lucæ VVaddingi, qui præter Opuscula S. P. Francisci ab se collecta, ac posteritati data, non pauca detexit Seraphici nostri Doctoris, quæ Sixti V, eorumque, qui ejus cudendis Operibus præfuere, notitiam subterfugerunt. Illud quoque mihi præ oculis fuit Reverendiss. P. Francisci Zamoræ nostri Ord. Generalis Ministri, (a) qui Seraphici ejusdem Doctoris Opuscula quanquam mendis quamplurimis ob temporum injuriam undique scatentia, nedum purgari, sed & in unum redigi, ac locupletiora typis tradi mandavit, ad id, cum Tridentino interesset Concilio, ipsum vehementer urgente eximio Præsule Bernardo Fresneda Conchensi Episcopo. Missa facio exempla alia doctissimorum Virorum, quorum studio auctiora Patrum Opera prodiere. Non est ergo cur ego hominum judicia pertimescam, qui nedum celebrium Virorum prævia exempla sequor; sed & probatorum Codicum, & gravium Scriptorum testimonio, & multis aliis, ut suo loco videbitur, adminiculis nitor. Maxime quia de auctiori castigatiorique Editione Operum ejusdem Doctoris Seraphici a laud. VVaddingo parata, (b), sed quam morte præreptus perficere haud potuit, loquens Cl. V. Philippus Labbeus dixit: *Utinam aliquis in VVaddingi locum subrogetur, qui hoc munus præstet!* (c).

VIII. Neque ad id habui unum Labbeum hortatorem, sed & (præter laudatos in Præfatione Prodromi Peregregios Viros, Joannem Mariam Comitem Mazzuchellium, Reverendissimum Petrum Joannetium de Molina tunc iterato nostri Ordinis Generalem Ministrum, Eusebium Amortium Pollinganum Canonicum Regularem, Felicem Æfelium Electoralis Bibliothecæ Bavaricæ Præfectum) plures quoque alios novissimos incitatores. Ad viam enim quam inieram, alacrius costantiusque persequendam, celebres præclarique SS. Theologiæ Magistri O. M. C., in Bonaventuriana palæstra apprime versati, Franciscus & Bonaventura Staidelii, ambo germani Fratres, me non minus auxilio, quam consilio animarunt, & impulerunt. Animum quoque auxit siquis alius in cœtu nostro eruditissimus P. Corbinianus Luydl, vel ipse de Bonaventuriana promovenda, vindicanda, illustrandaque doctrina optime meritus. Me quoque plurimum, ut periclitarer, excivit, utque bono animo essem, fortiter extimulavit, qua literis, qua librorum subsidiis, honestatis amplitudinisque gratia nominandus Illustriss. D. Albertus Canonicorum Regularium S. Augustini Præpositus Griezensis, eidem doctrinæ Seraphici Doctoris addictissimus. Sed hi omnes, ut omnino mactus essem animo, efficere nequiverunt, ni adhuc me nutantem, trepidantemque, omni penitus metu, & *pavida cunctamine mentis* (d), exemisset humanissima Clementis XIV. P. M. ad me nuper data Epistola; is enim Supplementi hujus *Mecœnas, præsidium* (e), *grande decus, columenque* (f), atque etiam cultor eximius D. Bonaventuræ, quem olim summa ingenii, eruditionis, ac doctrinæ laude est interpretatus, morumque etiam integritate imitatus, gravissimis verbis me commovit, ut suscepta difficili provincia studiose intrepideque defungerer. Faxint vero Superi, ut tanti Pontificis expectationi pro qualicumque mea virili portione probe respondeam; tuncque ardelionum vitilitigatorumque omnium vituperationem nihil morabor. Quinimo nequidem Sapientiorum reprehensionem reformidabo, utpote cum a S. Augustino (g), tum ab ipsomet S. Bonaventura (h) edoctus, ut *magis optem a quolibet reprehendi, quam sive ab errante, sive ab adulante laudari.*

IX. En igitur, quam in Prodromo dedi, fidem tandem libero, dum Supplementum ad Collectiones omnium S. Bonaventuræ Operum hactenus editas in lucem effero, quod tribus Voluminibus continebitur. Priora duo haud alia quam illa, quæ ad Divinas Literas utriusque Testamenti pertinent, complectuntur; tertium vero ea, quæ ad variam eruditionem, etiam ad concionandi Artem, sacrasque

(a) In Epist. ejusdem data Tridenti Kalen. Augus. 1563.
(b) In Syll. Scriptor. O. M.
(c) Apud Bellarm. de Scriptor. Eccl. in Differt. S. Bona.
(d) S. Paulin. Poem. 26. de S. Felice Natal. Carm. 9. v. 416.
(e) Horat. Carm. Lib. 1. Od. 1. (f) Carm. Lib. 2. Od. 17. ab init.
(g) Lib. 2. de Trin. cap. 1. (h) In Prol. 1. sent. Dub. 9.

Conciones spectant, quæve majoris frugis sunt. Unde ea prætermittenda duxi, velut minoris momenti, quæ de Grammaticis, Logicis, Topicis, Meteorologicis, aliisque Philosophicis agunt. Quæ etiam videbantur supposititia, aut dubia, a Supplemento abesse volui, veritatis, quam Operis amplificandi, studiosior. Quod si nonnulla in hoc Supplemento lector non repererit, indicata in Prodromo velut certa; nolim de indiligentia mecum expostulet, sed doleat potius vicem meam, quod ea frustra quæsierim.

X. In his porro non MSS. Codicum modum, sed recentium Editionum gratiorem commodioremque formam servare, mihi visum est. Sicut enim illorum forma lectori est injucunda, ita si ad novam redigerem, hanc eidem acceptiorem fore certa mihi spes fuit. Ita autem omnia ordinabo, ut bona fide verba reddam, nec dicam *nova*, sed *nove* (a). Prolixiores proin Commentarii in capita, ipsa vero capita in versus distribuentur, præmisso Vulgatæ textu: breviores autem in paragraphos, seu numeros. Scimus etenim lectoris animum facile defatigari, nisi subinde variis quasi stationibus requiescat. Sic longum conficiens iter, aliquanta requie, ad ultra progrediendum, identidem indiget.

XI. Quo vero, non quidem *arida pumice expolitum* (b), omnibusque numeris absolutum (quod longe vires nostras excedit) sed, quoad fieri posset, elaboratum prælo prodiret Supplementum; danda fuit opera Indicibus conficiendis, erratis typographicis emendandis, atque lectionibus Divinæ Scripturæ a Vulgata, ut nunc emendatior post Romanas correctiones habetur, discordantibus recensendis. Sed cum tantum laboris a me in reliquorum omnium cura occupato, ætateque prægravato, sustineri non posse cognoscerem, socium adscivi R. P. Lect. Theol. & Ex-Definit. Franciscum Antonium Acquistapace Ausugiensem, qui ut valens est, laborisque patiens, in id naviter incumberet. Ipse autem, ut nemo majorem ab eo diligentiam desideraret, vel minutiora ipsa non negligere operæ pretium existimavit.

XII. Nolim tamen quis forte putet laborem hunc frustra fuisse susceptum, ut quibusdam non obscuri nominis Criticis Barzano, Morino, Frickio, Pritio, Pfaffio, aliisque placere video, quibus ea insedit opinio, a Patribus Scripturæ loca memoriter, arbitrario, tumultuarieque sæpissime recitari, adeoque in illis variantium lectionum nullam habendam rationem. Hos enim vocat *intemperantiores Criticos* Cl. P. Ansaldus O. P. quos & ita revicit, ut videatur mihi illos omnino ad incitas redegisse duobus Libris ad Benedictum XIV. P. M. inter cetera inquiens: „ Quamquam (c) concedere velimus Patres interdum ex Scripturis testimonium non dicentes, ipsis tamen uti Scripturæ verbis, eaque ad suum accommodare sensum: secus tamen ubi testimonium dicunt ex Scripturis; ubi se Scripturarum verba adducere ostendunt; ubi diversa lectio, non solum verba, sed maxime sensum mutat. Quare eos tunc memoriter descripsisse, dictiones dictionibus permutasse, Regulæ instar generalis, ac effati, in testimoniis quæ referunt dignoscendis, certissime usurpandi, nulla dicendum ratione esse demonstremus, ceu periculosum, uti innuebam, systema, veritati una solidissimisque Artis Criticæ Canonibus, saniorum menti Scriptorum, Theologorum æque ac Interpretum methodo, Patrum denique sapientiæ, eorum sacras erga Scripturas studio, ac Traditioni contrarium prorsus, ac omnino oppositum principium. " Ansaldo astipulatur Cl. Blanchinius, qui meritas inter laudes, quas sibi comparavit vir scientissimus P. Sabatier O. B. e doctissima S. Mauri Congregatione, eam esse potissimam statuit, quod Bibliorum sacrorum Veteris Testamenti Latinas Versiones, in Codd. MSS. & Antiquorum Libris ab se repertas, in lucem emiserit (d).

XIII. At consilii mei potius videtur reddenda ratio, cur varias lectiones subjectis ad calcem notis confirmare studuerim. Absit, ut propterea auctoritati Vulgatæ Editionis, quam non modo Catholici, sed etiam inter doctiores Heterodoxos Du Bois, Vualtonus, Le Dieu, Grotius, Fragius &c. maximo in honore

---

(a) Vincent. Lirinen. in Commonitor. n. 22. (b) Catull. Carm. 1.
(c) De authenticis sacrarum Scripturarum apud SS. Patres lectionibus L. 1. c. 1. in fine.
(d) In Epist. ad Eminentiss. Ang. Quirin. S. R. E. Biblioth. & Episc. Brixian.

nore ac pretio habent, quicquam detractum velim; sed ne perperam, aut temere ab Interprete nostro adhibitæ censeantur, ea præsertim tempestate, in qua, cum nondum Ecclesia Vulgatam decreto comprobasset suo, cuique integrum erat MS. uti Codice, quem ad manum haberet. Quare eodem jure usus est Bonaventura, quo Patres Ecclesiæ. Si lubet, adi laudatum Ansaldum (a).

XIV. Ceterum Bonaventuram quoque Vulgatam usurpasse, dubitare non sinit Sacr. Bibl. Præfatio ad Lectorem, in qua *Viros* inter *doctissimos*, qui eam secuti sunt, *Bonaventura* annumeratur. Quid quod ne nunc quidem variarum lectionum usum improbandum supra memoratus Cl. P. Luydl palam docet? Nanque ait „ Licitum est (b) in Expositionibus, ac Disputationibus, defendere „ quamdam lectionem variantem a Vulgata diversam; non sane ut per ipsam „ Vulgata corrigatur in iis, quæ ad Fidei, ac Morum doctrinam pertinent: sed „ tueri licet tamquam probabilem &c. “ Verum in re certa ac perspicua me piget diutius immorari.

XV. Jam superatis, quas commemoravi, difficultatibus, exibitaque ratione in hoc Supplemento tenenda; etiam quæ pretium, ac dignitatem edendorum Operum quoque pacto minuere posse videntur, quam brevissime potero, attingam. Non dubito fore aliquos, quibus Bonaventuriana interpretandi ratio non satis probabitur; propterea quod in mystico sensu sæpe versetur, ac Mysticæ Theologiæ, quam Dionysianam appellant, ac reapse Dionysianam vindicat Annatus (c), multum indulgeat, inque numeris ipsis includi tetigique magna mysteria arbitretur. Atqui hoc interpretandi genus & præclarum, & fructuosum, præstantissimi SS. Literararum Interpretes tradiderunt; ac de Richardo Victorino, Scriptore haud dubie gravi, multumque commendato, inquit D. ipsemet Bonaventura: *Richardus sequitur Dionysium*. (d) Nunquid ergo vitio vertendum, quod idipsum egerit Interpres noster? Minime gentium; immo cum Galesinio (e) fatendum: *Sensui mystico adhæsisse eruditissime*; & cum Cl. P. Berti O. E. S. Aug. Theologo (f) impense laudandæ ejus *sublimes Interpretationes, & eruditi Commentarii in Canonicos Divinos Libros*. Et quid ni ita quoque alii de Interprete nostro senserint, cum in hoc etiam habuisse videatur, vel quoad numerorum mysteria, ceteros inter Patres, & Ducem, & Magistrum, grande Ecclesiæ lumen S. Ambrosium, ab ipso sæpe laudatum, quem fuisse *in mystico intellectu enucleando tam multum, quam brevem in historico*, testantur præclarissimi Maurini Editores (g)?

XVI. Neque dubitandum, pulcherrima religionis mysteria sub literæ involucro latere, vel in iis, in quibus aliud nihil, quam simplex rei factive narratio contineri videtur. Testis est Epistola S. Pauli ad Romanos, ubi dicitur: *Major serviet minori* (h); secundum enim sensum literalem de hæreditate temporali, ad quam electus fuit Jacob, rejecto fratre suo Esau, inibi sermo quidem est: non ita tamen, quin mysticus intelligatur sensus prædestinationis gratuitæ ad gratiam, ac etiam ad gloriam. Unde & Interpres noster (i) asseruit: *Esau mundanos & reprobos significavit, sed Jacob electos*. Testis ipsiusmet Epistola prima, & secunda ad Corinthios. Prima quidem, in qua spiritualiter exponitur literalissimum illud: *Non alligabis os bovi trituranti* (k), ac disertissime dicitur: *Omnia in figuris contingebant illis* (l). Et secunda, in qua pronuntiatur: *Litera occidit, Spiritus autem vivificat* (m). Testis ejus insuper Epistola ad Galatas, in qua ex Abraham duos filios habente, unum de ancilla, & unum de libera, mystica duorum Testamentorum elicitur intelligentia (n). Testis quoque Epistola ad Hebræos, in qua Apostolus allegat de Christo quod ad literam dictum est de Salomone, videlicet: *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium* (o); & ibi accipit de ipsomet Chri-

(a) Cit. Lib. 1. cap. 7.
(b) Instit. Theol. Par. 1. Differt. 1. de sac. Scrip. c. 6. §. 2. Q. 9. Resp. 5.
(c) In Apparatu L. 4. de SS. Eccl. PP. Art. 8. (d) In Opusc. de reduct. Art. ad Theolog.
(e) In Vit. S. Bona. c. 11. (f) In Orat. de laudibus Civitat. Balneoreg.
(g) In Præfat. To. 1. Omn. Oper. S. Ambr. (h) Ad Rom. cap. 9. v. 13.
(i) In Joan. Evang. c. 15. n. 1043. (k) 1. Cor. cap. 9. v. 9.
(l) Ibi cap. 10. v. 11. (m) 2. Cor. 3. 6. (n) Ad Gal. cap. 4. v. 22. ac seqq.
(o) Ad Hebr. cap. 1. v. 5.

Christo, Apostolis, ejusque Discipulis (a), quod apud Isaiam ad literam intelligitur de seipso, & filiis suis, nempe: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus* (b); nec non ab eodem dicitur *lex umbram habens futurorum bonorum* (c); & ita inibi mystica veterum hostiarum explicatio mirifice elucet, ut non ex rebus solum gestis, sed & ex ipso Moysi silentio sublimia ab eodem Apostolo mysteria edisserantur (d). Quid plura? Testis Evangelista Joannes, qui illud Exodi (e), ac Numerorum (f) de Agno paschali secundum sensum literalem edictum: *Os non comminuetis ex eo* (g), Divino afflatus spiritu, de Christo vero Dei Agno secundum sensum mysticum intellexit. Et ab eodem edocta Spiritu sancta mater Ecclesia illud Ps. 103. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ* (h), reddens literalem sensum, quod Deus possit restituere spiritum vitæ, quibus abstulerit; in sensu mystico de spirituali animarum per gratiam, & missionem, donumque Spiritus sancti, cui justificatio & sanctificatio nostra attribuitur, in Officio de Pentecoste, & de Spiritu sancto, interpretatur, accedente satis communi Enarratorum, Patrumque consensu. Humi proin repere Interpretes illos rectissime dixeris, qui literali sensui serviliter judaiceque adhærentes, altius se se nusquam attollunt. Et quid tantum ajo humi repere? Nanque etiam in absurda quandoque delabi probat regnum Christi mille annorum cum Sanctis, in Apocalypsi memoratum (i), quod ad *literam* acceptum *inexplicabiles absurditates* peperisse (k) Illustrissimus Bossuetus testatur. Quodve Millenariorum commentum ortum duxerit ex Apocalypsis verbis *juxta literæ corticem, non juxta mysticum sensum*, perperam intellectis, noster quoque Alphonsus de Castro illustris Tridentini Concilii Theologus animadvertit (l). Quapropter ipsemet D. Bonaventura consultissime admonuit: *Noli morari in superficie literæ* (m). Et iterum: (n) *Judæis, & Hæreticis, occultatur medulla tritici, & hordei, id est, utriusque Testamenti, quia totaliter adhærent cortici; sed Christianis fidelibus manifesta est medulla utriusque Testamenti, velut tritici, & hordei. Et ideo ab eis tam Judæi, quam Hæretici, faciliter possunt deprehendi, & devinci.* Non tamen in horum censum venit Philo *Judæorum disertissimus* (o), quem allegoricis interpretationibus indulgentem laudatus S. Ambrosius satis frequenter est imitatus (p); ut nos quoque discamus eorum exemplo, a superficie literæ in mysticos sensus conscendere, atque ad instar aquilæ nedum in altum assurgere, sed & transvolare ad editiora, medullamque cedri degustare (q). Unde Vir Religiosus nescio quis, Theologiæ Doctor exquisitam reconditamque Divinarum Literarum cognitionem in S. P. Francisco suspiciens, in hæc verba apud eundem S. Bonaventuram erupisse fertur: *Vere Theologia S. Patris istius, puritate ac contemplatione, tamquam alis, in altum subvecta est aquila volans: nostra vero scientia ventre graditur super terram* (r). Præclare igitur idem Interpres noster egit, dum sæpenumero extulit se super literæ sensum: tum ut procul esset ab illa *miserabili animæ servitute, qua supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non potest* (s): tum ut vel sic insisteret, non dicam vestigiis, sed volatui tanti Parentis, cujus Divinas virtutes æmulari, ac penitus exprimere etiam atque etiam contendit.

XVII. Porro ne videatur naturalem sensum adspernatus, cujus usum ultro ego quoque fateor non esse nisi laudabilem; percontari libet, quanta prudentia, & judicio usus fuerit in exsculpendo nunc historico, nunc mystico sensu: nec enim semper uniusmodi esse debet. Id autem facile perspici potest ex solo Breviloquii Procemio, ubi præclaris præceptis sacros Interpretes ad intelligentiam Divinorum Librorum informat. Illius doctrinam heic in medium præstabit adducere, eamque inibi prolixiorem ad compendium conferre. Primum itaque præ-

(a) Ibi cap. 2. v. 13. (b) Isa. cap. 8. v. 18. (c) Ad Hebr. cap. 10. v. 1.
(d) Ibi cap. 7. v. 3. 14. ac seqq. (e) Exo. cap. 12. v. 46.
(f) Num. cap. 9. v. 12. (g) Joann. cap. 19. v. 36. (h) Ibi v. 30.
(i) Ibi cap. 20. v. 6. (k) Exposit. ad fin. ejusd. cap.
(l) Lib. 3. adver. Hær. verbo *Beatitudo*. (m) Comment. in cap. 4. Apocal. v. 1.
(n) Ibi cap. 6. v. 6. (o) Serm. sive Collat. 6. in Hexaem.
(p) In supra d. Præfat. Oper. S. Ambr. (q) Ezech. 17. 3.
(r) In Legen. ma. S. Franc. c. 11. (s) Aug. de Doctr. Christ. L. 3. cap. 5.

præcipit, ut unus Scripturæ locus per alium planiorem edisseratur; quod factu non erit possibile, nisi in lectione fueris valde versatus, sacrumque Codicem memoriæ mandaveris, quod nedum faciendum Lætæ commendavit, factumque a Paula laudavit Hieronymus (a); sed & ab ipsomet Bonaventura factum accepimus, qui illum propterea semel atque iterum suapte manu descripsit (b). Unde sicut qui prima literarum elementa, ex quibus dictio coalescit, renuit discere, nec dictionum significatum, neque rectam constructionum legem scire unquam poterit; ita qui sacræ Scripturæ literam non callet, negat posse ad spiritualem arcanumque ejus intellectum quomodocunque pervenire. Dein monet, non ubique allegoriam quæri oportere, aut omnia mystice exponi. Hinc scite animadvertit, quatuor esse sacræ Scripturæ partes. Prima, in qua agitur de rerum creatione, per quam humani generis reparatio adumbratur. Secunda, in qua facta & perfectiones Israelitici populi referuntur haud sine reparationis nostræ prædictione. Tertia, in qua nudis verbis traduntur, quæ ad fidem moresque conformandos spectant. Quarta, in qua salutis nostræ mysteria verbis partim nudis apertisque, partim ænigmaticis atque obscuris prænunciantur. Quæ cum ita sint, negat esse Interpreti liberum omnia eodem modo explanare. Longum foret reliqua persequi, quæ illic disserens *De modo exponendi sacram Scripturam* secundum triplicem regulam ex D. Augustino depromptam in hanc rem solide tradidit (c); quæve secundum D. Gregorium alibi docuit (d).

XVIII. Sicut autem verbo admonuit, ita, hosce Sanctos Patres, aliosque secutus, opere implevit. Num volupe tibi fuerit aliquod exemplum audire, quam probe noverit Interpres noster plures Divinæ Scripturæ sensus indagare? Inter plura in ejus Commentario Evangelii S. Joannis nunc primum vulgando contenta, unum instar omnium habeto exemplum vulgatissimi illius Evangelici textus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* (e) Quandoquidem post sensum illum: *Tu es Petrus, & super hanc petram, a qua scilicet tu nomen accepisti, hoc est, super me, ædificabo Ecclesiam meam*; e vestigio subnectit (f) alium literæ, Sancto Leoni (g), aliisque Patribus, nec non Evangeliis Syriaco, Armeno, Arabico, Æthiopico, Ægyptio sive Coptico, ac Persico, conformiorem, ajens: *Vel super te petram; tu enim vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus &c.* An cupis aliud exemplum afferri, quo tibi plenius innotescat, quam idemmet Interpres noster inter multiplices ejusdem Divini textus interpretationes rite discreverit? Audi inter cetera multa, non unum, sed tria in Commentario Apocalypsis. Quippe exponens *Civitatem sanctam*, cujus inibi mentio fit, ait: *Est Jerusalem Metropolis Regia in sensu historico: fidelis anima in sensu tropologico: militans Ecclesia in sensu allegorico: cælestis patria in sensu anagogico* (h). Nec non loquens ibi quoque de *Muliere amicta sole*, inquit: *Istud potest exponi de militante Ecclesia; vel de fideli anima; vel de Virgine beata: de Ecclesia hic accipitur ad literam* (i). Item *Meretricem magnam* interpretatur *vanitatem mundanam, Civitatem Romanam, peccatricem animam, falaciam Antichristianam* (k); ac *Babylonem magnam* dicit iterum *Civitatem Romanam*, ac etiam *malorum congregationem pessimam &c.* (l). Sed de multiplici ejusdem Divinæ Scripturæ sensu, literali, ac mystico, & hoc allegorico, tropologico, ac anagogico, plura docebit aureus Liber *De optima legendorum Ecclesiæ Patrum methodo* (m), de quo rursum infra, uti quoque de prædicta *Civitatis Romanæ* in sensu catholico interpretatione, sermo redibit. Ita plane commendatur *infinita Divinæ Scripturæ fœcunditas, quæ non semper* (auctore Illustrissimo Bossueto) *uno sensu exhauritur*; sed secundum Alcazar ab eodem una cum omnibus Theologis laudatum, sic

---

(a) Epist. ad Læt. 107. al. 7. n. 12. ac Epist. ad Eustoch. 108. al. 27. n. 26.
(b) Galesin. in Vit. S. Bona. c. 7.
(c) In cit. Brevilcq. Procem. ibi ex August. L. 2. de Doct. Christ. c. 7.
(d) De Sandal. Apostolor. ex Gregor. Epist. ad Leand. in princ. Moral. c. 3.
(e) Matth. 16. 18. (f) Comment. in c. 1. Joan. n. 8.
(g) Serm. 3. in anniver. Assumpt. suæ post init. ac Epist. 10, al. 89. ad Epist. Provinc. Viennen.
(h) Comment. in c. 11. n. 731. (i) Ibi in c. 12. n. 817.
(k) Ibi c. 17. n. 1222. ac 1228. (l) Ibi c. 18. n. 1294. ac 1296.
(m) Par. 3. c. 5.

sic *admittenda est una interpretatio etiam literalis Apocalypsis, aliarumque Prophetiarum, ut optime conjungi possit cum aliis* (a).

XIX. Ex his satis opinor ego pronum est intelligere, quantum sibi gloriæ, ac nobis utilitatis S. Doctor pepererit, qui id sibi negotii dedit, ut pro rei opportunitate multiplicem sacræ Scripturæ sensum consectaretur, atque in eo perquirendo nusquam a recto Majorum tramite deflecteret, nec transversum unguem ab eodem discederet, vocaretque *Hæreticos* illos, *qui sequuntur sensum proprium, & non expositionem Sanctorum* (b). Hinc *maluit*, pro sua incomparabili modestia, *aliena discere, quam sua impudenter ingerere* (c), ac antiquiorum se præbere discipulum, quam aliorum magistrum profiteri; ne similis videretur eorum, qui *eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli* (d). In quo quidem præeuntem secutus est Hugonem Victorinum, quem hoc ipso nomine laudat, quod *omnes sequitur*, nempe *Dionysium*, *Augustinum*, *Gregorium*, *Anselmum*, *Bernardum &c.* (e) Et ita sane in exponendo S. Joannis Evangelio ad imitandum delegit præcipue ex Græcis S. Joannem Chrysostomum, & ex Latinis S. Augustinum; cujus etiam tres regulas *De Concordia* sive *Consensu Evangelistarum adhibuit* (f): aliasque etiam Tichonii ab eodem expositas alibi præ oculis habuisse videtur, *quibus quasi clavibus Divinarum Scripturarum aperiuntur occulta* (g). Sic tamen Doctoris nostri Seraphici interpretandi ratio regulis Patrum, eorumque sententiis inhæsit, ut tamen propria ejus esse sentiatur (unde vel ipse singulari Tractatu *De Scripturarum clavibus* egit) (h) ac ita verbis ac succo sacræ Scripturæ, ejusque multiplici sensu referta est, ut jure meritoque cum S. Bernardo ipse concludere queat „ Non sane a prudente de diversitate sen„ suum judicabor, dummodo veritas utrobique nobis patrocinetur; & caritas, „ cui Scripturam servire oportet, eo ædificet plures, quo plures ex eis in opus „ suum eruerit intellectus. Cur enim hoc displiceat in sensibus Scripturarum, „ quod in usibus rerum assidue experimur? In quantos (verbi caussa) sola „ aqua nostrorum assumitur corporum usus? Ita unus quilibet Divinus sermo „ non erit abs re, si diversos pariat intellectus, diversis animarum necessitatibus „ & usibus accommodandos. " (i)

XX. Non deerunt quidem qui ipsimet Bernardo vitio dabunt, quædam Scripturæ loca in sensum minime literalem, sed improprium detorsisse, adeo ut ludere potius in verbis, quam verba ipsa exponere videatur: idque multo magis caussabuntur in Bonaventura ejusdem Bernardi imitatore. At iis ita respondit celebratissimus Editor Operum ipsiusmet Bernardi Joannes Mabillonius, ut & ejus responsum omnino quadret pro Bonaventuræ vindiciis. Ait enim „ Id sa„ ne ea ratione excusare licet, quod in Scriptura multiplicem sensum, qui ad „ mores informandos conducat, accommode erui posse crediderit vir sanctus (*nem„ pe Bernardus, ego dixerim, Bonaventura*), præsertim ubi non de fide agitur, sed „ de pio quodam argumento exornando, ad excitandam scilicet auditorum at„ tentionem ac delectationem. " (k)

XXI. Si cui autem in votis sit intelligere caussam, quare Auctori nostro placuerit crebris, cumulatisque Literarum sacrarum sententiis Divinos sensus contexere, locaque Libri explicare, quem Commentario interpretatur, id quod Galesinio *ejus proprium quodam modo esse videtur*; (l) noverit, Scripturam inter se collatam atque compositam, esse optimam sui ipsius interpretem; ac S. Hieronymum in notitia Scripturarum nulli secundum, earum admonuisse lectorem, ut *consideret priora, media, & sequentia, & nectat sibi universa, quæ scripta sunt* (m). Sciverit

---

(a) Præfat. in Apocal. n. 15. (b) Comment. in c. 8. Apocal. n. 571.
(c) Hieronym. ad Paulin. Epist. 53. al. 103. n. 1.
(d) In Apol. Pauperum resp. 3. c. 3. ex Hieron. ad Demetriad. Epist. 8. nunc 130. n. 17.
(e) De reduct. art. ad Theolog.
(f) In cap. Joan. c. 12. n. 848. ex August. de Consen. Evang. L. 2. c. 72. n. 153. ac seqq.
(g) Commen. singul. in c. 5. Apocal, v. 1. secundum regulas Tichon. apud August. L. 3. de Doctr. Christ. c. 30. n. 42. ac seqq.
(h) Tract. de Arte concionandi, Vol. 3. hujus Supplem. (i) Ser. 51. in Cant. n. 4.
(k) In Præf. Gen. Oper. S. Ber. §. 2. n. 24. (l) In Vit. c. 11. (m) Comment. in c. 25. Matth.

verit etiam, Doctori nostro visam esse Divinam Scripturam instar citharæ plurium chordarum tactu ac sonitu aures oblectantis, unius e contrario chordæ pulsu nullum harmonicum concentum reddentis. Audiat non me, sed ipsummet S. Bonaventuram „ Tota (inquit) Scriptura est quasi una Cithara: & sicut chor„ da per se non facit harmoniam, sed cum aliis; similiter unus locus Scriptu„ ræ dependet ab alio, immo unum locum respiciunt mille loca. (a) "

XXII. Satis jam a me vindicata Auctoris nostri Seraphici interpretandi ratione, nulla mora properandum mihi est ad ejus doctrinæ vindicias, in quibus haud latius excurram, quam patiantur hujus Præfationis angustiæ: unde & ejus tantum pauca quædam delibabo. Siquis ergo fuerit, cui recentiora tantum salivam moveant, antiquiora e contrario nauseam, atque nonnulla, quæ sub D. Bonaventuræ nomine recens ex vetustis MSS. Codicibus vulgabuntur, velut obsoleta, & antiquata, ipsi fastidium creent; puta illa quæ dicuntur in Commentario Evangelii S. Joannis (b) de Contritione justificante ante Sacramentalem absolutionem necessario requisita, deque potestate clavium quoad justificatum a Deo, & jam a culpa absolutum, nec non de Sacramentali Eucharistiæ manducatione solo Ecclesiastico præcepto, spirituali autem Communione etiam Divino jussa &c. (c) animadvertat velim, unumquodque sæculum suas fovisse opiniones, quæ primum fuere communiores, probatioresque, dein vero minus probatæ, minusque communes, ac demum in desuetudinem abierunt. Id enim in Scriptorum placitis, quod & in re vestiaria, escaria, aliisque id genus moribus, usuvenire novimus, ut mutatis temporibus vel ipsa immutentur. Quo pertinet & illud vetus adagium: *Scenæ* (nimirum tempori, rebusque præsentibus) *serviendum est* (d). Sicut ergo nemo qui sapiat Priscorum vestes, aut cibos, similesque innocuos mores, quamvis a gustu posteræ ætatis discrepantes, contemptui habet; ita plane idem de quibusdam Scriptorum antiquorum placitis sentiendum est, in iis videlicet rebus, in quibus unicuique integrum aliquando fuit in suo sensu abundare, atque pro libito utrimque opinari. Equidem Doctor noster non aliud tradere potuit, quam quod Sæculo XIII., in quo floruit, doctissimis sapientissimisque placebat, quodve tunc communior ferebat opinio; quum nusquam ipsum tenuerit *insanabile* nova *scribendi cacoethes* (e), neque unquam videri voluerit opiniosissimus, sed potius vulgatioris ævo suo doctrinæ sectator. Præterea, si ipsi Ecclesiæ antiquiores Patres suis non caruere nævis, nec ipsorum officit spectabili auctoritati, eorum aliquos in quibusdam errasse, ante Ecclesiæ scita; prioribus enim Ecclesiæ sæculis quædam docebantur innoxie, quæ secutis temporibus diligentius ad libellam veritatis expensa, aut hæreseos, aut erroris, aut falsitatis ab Ecclesia damnari meruerunt: oberitne, sodes, D. Bonaventuræ auctoritati, quod ei aliquid, non dicam luti, sed unice pulveris sui sæculi adhæserit?

XXIII. Cave tamen, nec in eo quicquam Pelagiani, aut Semipelagiani pulveris suspiceris, ob duriuscula & subobscura quædam ab ipso tradita (f), quæ videntur naturæ viribus nimis in speciem favere. Sane ab omni hujusmodi inquinamento fateantur necessum est prorsus immunem Bonaventuræ doctrinam quot quot universam ejus complexionem inspexerint, riteque perpenderint. Neque abs re fuerit heic meminisse, inter Canones ad recte intelligendos Sanctos Patres illum esse præcipuum, qui docet, omnem postulare æquitatem, ut quum in iisdem occurrunt aliqua loca subobscura, alia vero perspicua, circa rem eamdem, non ex obscuris clara, sed ex claris obscura exponantur. Et quis sibi persuaserit, ulla hujusmodi erroris fœce labefactatam Seraphici nostri Scriptoris doctrinam, ad Crucifixi lucernam literis consignatam, unde omne veritatis lumen ac gratia omnis emanat? Senseritne, si Superis placet, ipse aliter ac S. Augustinus inter acerrimos Pelagianorum Semipelagianorumque insectatores facile princeps, quem alias impense laudat, ac fere ubique sequitur? Plane Augustinia-

---

(a) Serm. sive Collat. 19. in Hexaem.
(b) Comment. in Joan. Evang. cap. 20. num. 1324.
(c) Ibi in cap. ejusd. 6. num. 466. (d) Cic. ad Brut. Ep. 9.
(e) Juven. Sat. 1. v. 21.
(f) Comment. cit. in cap. 1. num 52. ac etiam alibi.

num ex asse est quod scribit „ Merita intueri (*a*) contingit dupliciter: vel attribuendo „ sibi, vel attribuendo gratiæ Divinæ. Intueri autem merita attribuendo sibi, „ hoc est superbiæ, & vanitatis; & sic intuentur superbi, qui dicunt: *Manus „ nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia* (*b*). Contra quos dicitur: *Ne „ dicas in corde tuo: Propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc „ possiderem* (*c*). Intueri autem merita referendo ad Divinam gratiam, hoc est „ humilitatis, & veritatis; & hoc modo motus spei ex intuitu meritorum habet „ oriri: per quem modum intuebatur Paulus merita sua: *Abundantius* (*d*) *omnibus laboravi: non autem ego, sed gratia Dei mecum.* " Vide sis nostrum haud infimi subsellii Germanum Theologum Gasparem Schatzgerum, de quo infra sermo redibit, ex S. Bonaventura orthodoxos de Gratia & Libero Arbitrio articulos naviter colligentem (*e*).

XXIV. Apage itidem omnem ab ejusdem doctrina sinistram suspicionem, quod excesserit in commendatione paupertatis Christi, veluti hic fere semper fuerit paupertatem sectatus, eamque extremam coluerit, ceu præcipuum Ecclesiæ suæ fundamentum (*f*); quasi vero inde exculpi possit, eo Doctorem nostrum in paupertatis laudibus fuisse abreptum, ut Ecclesiasticorum divitias omnino improbarit. Non eo quidem inficias vel in editis ipsis dixisse „ Audiant reverenter Clerici (*g*), & Prælati, qui se discipulos Christi gloriantur, unde Christiana doctrina sumat exordium. Audiant diligenter Religiosi, sive Evangelii professores, quale sit Evangelicæ perfectionis fundamentum. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu* (*h*). Et propter hoc paupertas, quæ ab omnibus sæculariter viventibus cum timore fugitur, a viris perfectis cum honore, vel amore debet suscipi; eo quod tanquam primarium fundamentum Evangelicæ doctrinæ in præsenti perficit & consummat. Propter quod dicit: *Beati pauperes spiritu*; & tanquam perfectum complementum Christianæ vitæ in futuro magnificat, ideo subdit: *Quoniam ipsorum est regnum cælorum*. O sacratissima virtus, & omni laude dignissima paupertas! Quis tibi valeat dignas gratiarum laudes impendere, quæ solo tuo commercio terrenos & miseros homines ad tantam honoris excellentiam extollis, ut eos hæredes regni cœlorum instituas? &c. " Et alibi quoque loquens de temporibus Apostolorum „ Tunc (*i*) rete paupertatis attraxit ad amorem, & laudem Dei, quando eorum exemplo destructa Mundi cupiditate, quæ est radix omnium malorum, inferebatur cordibus fidelium Christi paupertas, quæ est primarium fundamentum omnis boni. Non enim aliter fundaverunt Apostoli Ecclesiam, nisi per spiritum paupertatis: quia non exercitu equorum, & robore divitiarum, Mundum converterunt: immo pro auro, & redditibus, salus viluit. " Hactenus quidem ille, tanquam Christi Apostolorumque paupertatis amator, ac vindex egregius, justusque laudator. Ast audi, non me, sed ipsummet attende, quid, ut ab se longe amoliretur omnem vitiosi excessus suspicionem, e vestigio subdiderit „ Sed ne „ forte (k) commendatio paupertatis videatur resultare in condemnationem temporalium Ecclesiæ; ideo bonum est dicere, quod temporalia Ecclesiæ bona sunt pro tempore toleranda, & etiam quoquomodo affectanda propter multiplicem caussam. Videlicet propter Sponsi honorem, Sponsæ decorem, viatorum sustentationem, pauperum provisionem, infirmorum consolationem, & fidelium devotionem, & etiam propter usum communitatis. Et cum propter istas caussas tolerantur, non diminuunt in Prælatis perfectionem; sed si bene dispensentur, meritum augent, & si male, occasionem damnationis præstant. " Non ergo divitiarum Ecclesiasticarum usum sublatum voluit, sed abusum; neque aliud exegit, quam *quod parva vis sit facienda in divitiis Ecclesiarum*,

(*a*) In 3. Dist. 26. Art. 2. Q. 2. ad ult. secundum D. August. Lib. de Grat. & Libe. Arbitr. cap. 5. num. 12. ac cap. 7. num. 10. nec non de Prædest. Sanctor. cap. 5. num. 9. ac seq.
(*b*) Deut. 32. 27. (*c*) Deut. 9. 4.
(*d*) 1. Cor. 15. 10. (*e*) Conatus de Grat. & Libe. Arbitr, Indag. 10.
(*f*) Comment. in Apocal. cap. 2. num. 126. ac in Joan. Evang. cap. 12. n. 849.
(*g*) Serm. 1. Dom. 22. post. Pentec. (*h*) Matth. 5. 3.
(*i*) Serm. 4. Dom. 4. post Pentec. (*k*) Ibi.

rum, ſed magna in theſauro animarum (a). Lege ſis quæ in hanc rem alibi quoque ſcribit, quæve addit ex S. Hieronymo ad immortalem S. Exuperii Toloſani Epiſcopi laudem (b).

XXV. Procul inſuper a Bonaventuriana interpretatione in Commentario Apocalypſis de *Babylone meretrice magna*, id eſt, *Civitate Romana* (c), alia ſuſpicio teterrimi erroris illorum Hæreticorum, qui eam obtorto collo ad Romanam Eccleſiam una cum ſummo Pontifice violentiſſime trahunt; non enim Interpres noſter adeo tranſverſo & abhorrenti illorum interpretamento vel minimum favet, ſed refragatur: cum diſerte loquatur de *Civitate Romana*, neutiquam de Romana Eccleſia, neque ſecus ſentiat ac poſtea plerique alii orthodoxi Divinarum Scripturarum Interpretes, eidem Romanæ Eccleſiæ nedum adhærentes, ſed & pro ejus vindiciis, ceu pro aris fociſque pugnantes, qui per *Babylonem* interpretantur *Romam*, non quidem Chriſtianam, qualis nunc eſt; ſed Infidelem & Paganam, qualis fuit tempore S. Joannis, ac Ethnicorum Imperatorum dire crudeliterque in Chriſtianum nomen ſævientium: qualiſque rurſum luctuoſiſſimo Antichriſti tempore, ejuſque Præcurſorum eſt evaſura. Et in hanc ſententiam manibus pedibuſque poſt Riberam ivit inter præclariores ſodalitii noſtri Theologos P. Mathias Hauzeur (d), nec immerito; antequam enim Roma nomen Chriſto daret, hercle Babyloni ſimilis erat, potentia, ſuperbia, tyrannide, ſcortatione, idololatria, crudelitate, ceteriſque id genus vitiis, uti videre eſt apud doctiſſimum Petrum Franciſcum Fogginium (e). Quocunque autem ſenſu Roma, ſive Ethnica quæ fuit, quæve olim jus Imperii per orbem terra marique protulerat, ſive Ethnica quæ erit, *Babylon* nuncupetur; eam a Romana Eccleſia prorſus diſtinctam jamdiu indicavit Venerabilis Moneta (f) a Clariſs. P. Th. Auguſtino Ricchinio perbelle illuſtratus, ac laudati Interpretes una cum Illuſtriſs. Boſſueto toto cœlo diverſam apodicticis argumentis demonſtrant.

XXVI. Abſit præterea, ut in eodem Apocalypſis Commentario Interpreti noſtro dicam impingas, eo quod pleroſque Dæmones cenſeat poſt eorum lapſum *in iſtum aerem caliginoſum terræ vicinum detruſos* (g); quaſi vero inde elici poſſit, eum putaſſe aliquid illorum ſupplicii, quod *eſſentiale* in Scholis vocatur, in diem uſque extremi judicii dilatum iri. Quiſquis ita ſentias, ut in hoc Doctorem noſtrum a fidei veritate aberraſſe credas, vide, quæſo, ne ipſe potius cum nonnullis aliis, quorum nomini parcendum duco, vehementer fallaris. Sicut enim Patres rati Dœmones poſt diem judicii igne gehennæ cruciandos, puta SS. Juſtinus, Irenæus, Hilarius, nec non Lactantius, Euſebius &c., judice Cornelio a Lapide (h) *explicandi ſunt de pœna accidentali, quæ Dæmonibus accreſcet in die judicii*; ita plane non video, quin ita intelligi queat & Interpres noſter Seraphicus. Præcipue quia alibi diſſerens de Dœmonibus judicio condemnationis tunc judicandis; loquitur quidem de *conſummatione pœnæ*, ſed nullo facto verbo *pœnæ eſſentialis* (i). Quinimo ſicut inibi ait, quod tunc *in Angelis bonis conſummabitur gloria ſaltem quantum ad accidentale præmium* (k); pariter de malorum Angelorum *pœna accidentali* videtur accipiendus, de qua etiam Lyranus diſerte loquitur (l). Age vero Interpres noſter locutus fuerit non de pœna Dœmonum adventitia, ſed præcipua, cujuſmodi eſt ab igne torqueri; ergone nigrum theta tali opinioni præfixeris? Abſterreat te ab hoc ferendo judicio longa ſeries Patrum idipſum apud Cl. Petavium ſentientium (m), ac diſcito ab eodem, hujuſmodi Veterum opinionem nuſquam fuiſſe damnatam „ Quæ Veterum opinio (inquit) etſi hoc „ tem-

(a) In ſupra cit. Comment. Evang. S. Joan. cap. 12. num. 849.
(b) In Apolog. Paup. tert. reſponſ. partic. 2. Art. 1.
(c) Jam cit. Comment. in Apocal. cap. 17. num. 1222.
(d) In Anatom. tot. Auguſtin. Doctrin. To. 2. in Lib. de unit. Eccl. colum. m. 870. ac ſeq.
(e) De Romano D. Petri itin. & Epiſcop. Exercit. 10. per tot.
(f) Adverſus Cathar. & Valden. Lib. 5. cap. 1. §. 2. pag. 399.
(g) In cap. 9. Apocal. num. 597. (h) Comment. in Epiſt. 2. S. Petri cap. 2. ſub v. 4.
(i) In 4. Diſt. 47. Art. 1. Q. 4. in concl. (k) Ibi ad 4.
(l) Comment. in d. S. Petri Epiſt. ibi.
(m) Theol. Dogm. de Angelis Lib. 3. cap. 4.

„ tempore recepta non est; quia Dœmones damnationis suæ pœnas omnes ex„ pendere, quæ quidem *essentiales* vocantur, Theologi fere sentiunt: non est ta„ men erroris, nedum hæresis accusandus qui asserat, Diabolum & ejus An„ gelos nondum extremo ac summo supplicio cruciari, sive ignis efficientiam „ illam experiri, in qua damnationis illorum, quoad sensum, & perpessionem „ attinet, summa consistit. " (a) Et ante Petavium Cl. noster Fevardentius *damnatam* negavit *vel a Concilio vel a quoquam Veterum* (b). Et sane Doctor Angelicus nullam illi erroris notam inussit (c). Quid quod idemmet Doctor noster non diffitetur in d. Apocal. Comment. *Luciferum, & aliquos alios in carcerem inferni detrusos* (d); neque aliter inibi, ac alibi quoque, circa hoc ipsum in certissimis ejus Operibus (e) docuit? Sileant ergo qui hac super re contra ipsum obloquuntur, ac *videant hi qui facile de hæresi pronuntiant, quam facile etiam ipsi errent, & intelligant non esse tam leviter de hæresi censendum, præcipue cum non sit pejus crimen quod viro Christiano possit impingi* (f); discantque quod *non sit minus hæresis asserere aliquid esse de Fide, quod nullatenus de Fide est, quam negare aliquid esse de Fide, quod est de Fide* (g). Me non fugit Doctorem nostrum vel circa aliqua alia similia male apud nonnullos audire; ast etiam probe scio, præsto fuisse Mastrium (h) minime vulgarem Scholæ Theologum, qui ipsum ab omni criminatione defenderet. Sed in vindicanda Bonaventurianæ doctrinæ orthodoxia quid moror? Consule si lubet circa locum, in quem dejecti sunt Dœmones Richardum de Media Villa (i), Cajetanum (k), ac Maldonatum (l). Circa vero alia plura Prodromum nostrum, ut pateat quam eadem Bonaventuriana doctrina Viris summis in pretio fuerit, ac in deliciis, velut gravis, devota, fructuosa, alteriusque prorsus indolis ab exsucca illa, quæ *rixatur de lana sæpe caprina* (m).

XXVII. Jam cum de interpretandi ratione, ac de puritate doctrinæ S. Bonaventuræ satis dixerim; nunc gradum faciam ad ejusdem stilum, de quo non erit ab hoc loco alienum perpauca dicere. Quandoquidem nonnullos tam Scholæ stilus; tum vocum haud satis Latinarum usus offendet. At Illustrissimus Huetius (n) jam ostendit, quantum sacri Interpretes neglexerint accuratum dicendi genus, ac vel ipsas Grammaticæ leges. In hanc rem apud famigeratissimos Maurinos Editores Omnium Operum S. Gregorii Magni legi possunt verba, cum ejusdem Gregorii, tum Sulpicii Severi (qui alias propter facundiam jure vocatur Sallustius Christianus) pluraque alia ad confutandos stili censores certe appositissima (o). Heic uno ero contentus exemplo S. Cypriani Episcopi, & Martyris, qui adeo præstitit nitore sermonis, *ut discernere nequeas* (auctore Lactantio) *utrum ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit* (p); nihilo tamen secius, teste S. Hieronymo (q), quotidiana delectabatur lectione Tertulliani, qui erat ex eodem Lactantio *in loquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obscurus* (r). Non ergo verborum species, & flosculorum ubertas; sed rerum, & sententiarum copia, & gravitas adamanda. *Illa puerilem, hæc senilem, aut canescentem decet ætatem*, judice magno Augustino (s); cujus etiam est illud effatum: *Non timeamus ferulas Grammaticorum* (t). Veritas quoque ipsa quanto nudior ac simplicior, absque fuco phalerisque verborum, tanto apparet suapte natura nitidor, candidior, atque venustior. Tertulliano datur venia, in quo familiaria Africanis Scriptoribus loquendi vitia inerant, quamquam illius stilus omnium Auctorum stilo foret durior, incomptior, & obscurior; an non potiori jure parcendum Bonaventuræ stilo, qui unus ea ætate

in

(a) Ibi num. 10. (b) In Scholiis ad S. Irenæum Lib. 5. cap. 26.
(c) In 1. Par. Q. 64. Art. 4. ad 3. (d) In cit. cap. 9. Apocal. num. 597.
(e) In 2. Dist. 6. Art. 2. Q. 1. & 2. ac Breviloq. par. 2. cap. 7.
(f) Alphonsus de Castro adversus Hæreses Lib. 3. verbo *Beatitudo*.
(g) Joannes Major in 3. Dist. 37. Q. 36. (h) 2. Disp. 3. Q. 6. Ar. 4. n. 145.
(i) In 2. Dist. 6. Art. 2. Q. 1. (k) Comment. in 2. Petri cap. 2.
(l) Comment. in cap. 8. Matth. (m) Horat. Epistolar. Lib. 1. ad Lollium post init.
(n) Lib. de optimo genere interpretandi num. 42.
(o) In Præfat. genera. To. 1. (p) Instit. Lib. 5. cap. 1.
(q) In Catal. Scriptor. Ecclesiastic. (r) Instit. Lib. 3. cap. 2.
(s) Lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 6. (t) In Joan. Evang. cap. 1. Tract. 2. num. 14.

in Gymnasiis, Exedris, Pulpitisque vigebat? Quid mirum, sequioris sæculi Scriptorem nostrum plerasque voces, quæ longe a Latio abesse videntur, sæpe usurpasse? Immo mirum esset potius, si more Latinorum aureæ, aut argenteæ ætatis fuisset sua tempestate locutus. Non ergo ab ipso alius exigatur stilus, quam quem sua ferebat ætas. Et hic profecto in plerisque conspicitur stilo aliorum ævi ejusdem ornatior, cui etiam sententiarum pondus minime deest. Hinc Venerab. Ludovicus Granatensis O. P. prudentissimum de eo hoc tulit judicium. „ Sanctissimi Bonaventuræ oratio quamvis non adeo leniter fluat, sen„ tentiarum tamen pondere non minus grata sanis ingeniis esse debet, quam „ quæ elegantia & nitore sermonis exornata est (a). Haud absimilia de eo perhibet in ejus Vita Galesinius (b). Sed de Bonaventuriano stilo plura in nostro Prodromo, quæ heic repetere minime vacat.

XXVIII. Itidem de varietate Bonaventuriani stili, cum satis in eodem Prodromo me disseruisse crediderim, nihil attinet in præsentia verba facere; nisi tantam haud esse, ut ex illo Bonaventuram, ceu ex ungue leonem, non possis facile agnoscere. Siquidem repetenda videtur hujusmodi diversitas a varietate argumenti, quod pertractabat, sive finis, quem sibi propositum habuit; aut ab angustiis temporis, sive a negotiorum multitudine, quibus distinebatur supremus Franciscanæ Familiæ Moderator; aut ab ætate, sive a diversa qualitate auditorum, illorumve ad quos scribebat; aut demum ab alienis dictionibus, phrasibus, atque sententiis, quæ in MSS. D. Bonaventuræ Codicibus aliquando absque Auctorum nomine occurrunt: eamque vel in editis ipsis, iisque certioribus, nemo negaverit relucere, nisi eorum lectioni omnino novus. Quare præclare monuit Vir summus, Artisque Criticæ peritissimus Mabillonius „ Unicus & „ ejusdem Auctoris stilus multifarius quandoque dignoscitur; in aliquo nanque „ interdum Opere, qua elegantior, quave negligentior apparet: quemadmodum „ in Patrum Homiliis sæpe notatur. Præterea unus idemque Auctor jam ætate „ confectus videtur sibi ipsi, cum adhuc junior esset, plerumque dissimilis (c).“ Sed & Cornelius a Lapide inter Divinarum Scripturarum Interpretes suapte fama notissimus, certo statuens, Apocalypsis auctorem esse Joannem Apostolum, non alterum Presbyterum, animadvertit „ Nec obstat quod hic liber stilo differ„ rat ab Evangelio, & Epistolis S. Joannis: quia prorsus alia hic est materia, „ scilicet prophetia, quæ alio stilo scribenda est, quam Historia, vel Ethi„ ca. “ (d) Idque magis magisque confirmat famigeratus & ipse inter eosdem Interpretes P. Calmet ajens „ Si stili diversitas Opus aliquod ab Authore aliquo „ certo abjudicaret, Apocalypsis Joanni utique adscribenda non esset. Plurima „ vero, ætas nempe, temporum circumstantiæ, animi comparatio, res, de qua „ agitur, ad stili varietatem quam maxime conferunt. Tria Salomonis Opuscu„ la, singula peculiarem præferunt elocutionem: gravem & sententiis refertam „ Proverbia; fortem & argumentis evincentem Ecclesiastes; suavem, accuratam, „ vividam Cantica Canticorum &c. “ (e)

XXIX. Quid vero dixerim de nostri Interpretis peracerbo stilo in supra memorato Commentario Apocalypsis? Heic paullum vereor, ne ipsi sacrorum Præsulum, & Cleri vitia usque adeo reprehendenti, aut dica scribatur, quod sale multo eorum vulnera defricuerit; aut omnino negetur, genuinum esse illius fœtum, qui morum suavitate, ac lenitatis humanitatisque laude sic præstitit, ut ab Adæ noxa videretur immunis, sive ut ore loquar testis longe locupletissimi Alexandri Alensis eximii Magistri sui, *in eo Adam non peccasse* (f). Verum quot quot ita disputant næ isti vehementer falluntur, erroremque in quo versantur, dedoceri, siquidem velint, nullo negotio possunt. Ecquis Christo mitior, ac benignior, qui nobis mansuetudinis benignitatisque formam cum verbis, tum factis dedit? Quis porro in nefaria Pharisæorum atque Scribarum, ex quibus tamen erant

(a) Eccles. Rhetor. L. 5. c. 8. (b) In cit. Vit. c. 12.
(c) Tract. de Stud. Monast. To. 2. cap. 13.
(d) In Prolegom. Apocal. Quæst. 1. Procem.
(e) In Apocal. Prolegom. Art. 4.
(f) In Prodr. L. 1. c. 2.

Sacerdotes, Sanhedriique Patres (a), objurganda vita acrior & concitatior? Quoties Prophetæ in Pastores Israel acerbe invehuntur, maxime Ezechiel, ut ut pastus melleo volumine (b)? An Joannes, de cujus mira mansuetudine benignitateque gravissimum est apud Eusebium testimonium (c), in Apocalypsi septem Episcoporum vitia tacitus præterivit? S. Antonius Patavinus, cujus præclaras virtutes ipsemet S. Bonaventura oratione commendavit (d), incredibili animi ardore, Apostolicaque libertate, Antistitum, & Clericorum a via recta aberrationes exprobrat (e): atque hinc intelligimus, per id tempus Ecclesiasticam disciplinam ab antiqua descivisse, ac valde fuisse collapsam. Quid igitur mirum, si Bonaventura, vir alioquin siquis alius mitissimus, sancto quodam ardore correptus, stilum exacuerit, ac vitiorum luem longe lateque grassantem dicendo objurgandoque omnium ordinum homines intrepide fortiterque represserit? Annon ab ipso sæpius laudatus (f) *Seneca egregius vitiorum insectator* (g)? Quanto illius pectus arderet amore Divinæ gloriæ, odioque scelerum, ille testatur Sermo, in quo exclamat „ O Deus! Utinam essent hodie multi Mathatiæ, multi Joannes Baptistæ, & multi Pauli Apostoli, qui non tacerent veritatem Principibus, & „ præcipue Prælatis. Nullorum enim vita magis nocet, quam Principum, & „ Prælatorum. " Quod gravissimis S. Gregorii magni verbis confirmat (h); sicut & alibi adversus *malos Prælatos* multas etiam aliorum SS. Patrum sententias, easque plane formidabiles, congerit (i), signate S. Bernardi, qui tamen *Mellifluus* audit. Unde vel ipse fuit similis api illi, de qua Bernardus ipsemet inquit: *Apis quæ mel & aculeum non ignorat* (k). Quare cum Bernardum imitandum sibi proposuerit Bonaventura, huic jure aptari potest elogium illius apud Mabillonium „ Pungit „ & stimulat, non ut irritet, sed ut moveat. Corripit, increpat, non ut detra- „ hat, sed ut attrahat. Arguit, minatur, terret: sed amando, non indignando. " (l). Et talem plane exhibuit se se etiam in Apologia adversus Gyraldum, sive Gerardum de Abbatis Villa, Vatinianum hostem Minoriticæ paupertatis. Ibi enim ait: *Oportuisse ejus erectam cervicem dura increpatione ferire, non quidem amari cordis odio; sed tranquillæ mentis æmulatoria caritate*. Cujus quoque inibi in hanc rem verba sunt albo signanda capillo: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula* (m). Caute tamen provideque monet Fratres suos, ne *coram laicis prædicando in Ecclesia contra Prælatos, ipsorum acta sugillando consurgant*; hoc enim aliud non foret, *nisi scandala, jurgia, & odia seminare* (n). Idque iterum inculcat inquiens: *Ne Prælatorum vitam coram populo carpant, sed potius reverentiam exhibeant, non tantum bonis, & modestis, verum etiam discolis; quia etiam hoc exigit sacrum mysterium Christiferæ unctionis* (o). Unde Sermones illos, quibus declamat contra Cleri vitia, non fuisse ab ipso recitatos, sed ipsi Clero ad legendum datos, aut remotis laicis coram habitos, suspicari licet.

XXX. Sicut autem in stilo, ita in Scholastica D. Bonaventuræ methodo nihil est quod merito carpas; ni tantum tibi sumpseris, ut plus sapias, quam Præsul sapientissimus Bossuetus, qui de methodi Scholasticæ osoribus ita sentit: „ Testatur experientia, eos, qui aliam viam inivere, & omnem studiorum suo- „ rum conatum in sola Critice collocarunt, quum in Theologicis versarentur, „ plurium errorum periculo fuisse obnoxios. Superiori sæculo Erasmus, præ- „ senti vero Grotius & Simonius luculento nobis sunt exemplo. " (p) Nec non de recto ejus usu sic pronuntiat „ Differendi methodus, quæ in contentiosa, & „ dialectica disputandi ratione continetur, sua non carebit utilitate, dummodo „ ingeniosa altercandi libido hujus scientiæ finis non sit; sed tamquam medium „ ad

(a) Greg. Naz. Orat. 20. de Machab. Calmet Differt. de Pharisæis &c. & in Dict. sacr. Script. Verbo *Pharisæi*.
(b) Ezech. 3. 3. (c) Hist. Eccl. L. 1. c. 23.
(d) Serm. 1. ac 2. inter Sermon. de Sanctis.
(e) In Sermonibus super Psalmos ab Azzoguidio vulgatis. (f) In Pharetra, & alibi.
(g) Quintil. L. 10. c. 1. ad fin. (h) Serm. 4. Rom. Edit. in Dom. 4. post Pentec.
(i) L. 1. Phar. c. 12. (k) In Adven. Dom. Ser. 2. n. 3.
(l) In Præfat. gen. Oper. S. Ber. § 1.
(m) In d. Apol. Pauperum Prol. (n) In Epist. ad quemdam Prov. Ministr.
(o) Ibi. (p) Lib. 11. Vindic. Tradit. & Patr. c. 20.

„ ad promovendum discipulorum profectum adhibeatur." (a) Talem, & non alium, ejus usum apud Doctorem nostrum obtinuisse, nempe ad aliorum profectum, absque altercandi libidine, nemo unus inficiari poterit, nisi qui fuerit in lectione ejus Operum peregrinus atque hospes, eaque nec a limine salutaverit. Num forte improbandum existimas ejusdem methodi usum in interpretatione Divinarum Literarum, uti legere est apud ipsummet Doctorem nostrum, speciatim tam Expositione jam edita in Ecclesiasten, quam edendo Commentario in Joannis Evangelium? At similem adhibuit quoque super idem Joannis Evangelium Doctor Angelicus. Quod ergo vitio non vertis uni, culpabis in altero? Aut amborum ut ovum ovo simillimam methodum, ex temporis etiam, quo vixere, ruditate, vituperare audeas? Longe absit hoc a te, quia de ipsa loquens Sixtus V. P. M. statuit: *Maximum Ecclesiæ adjumentum afferre ad Scripturas ipsas vere & sane intelligendas, & interpretandas* (b). Quin etiam ex Heterodoxis ipsis non pauci doctrina illustres apud Leibnitium (c) pro retinenda Scholastica methodo non segniter militarunt. Facessant ergo hujusce methodi vituperatores, discantque a sapientioribus, sin minus eam laudare, saltem non despicari.

XXXI. Hæc omnia tamen quæ de difficultatibus prima fronte mihi occurrentibus, de modo in hoc Supplemento tenendo, de interpretandi ratione, ac doctrina Scriptoris nostri Seraphici, de stilo ejus, ac methodo, hactenus dixi; adhuc satis fore non puto ad lectoris animum rite comparandum, nisi heic aliam præoccupaverim difficultatem, eamque ab ejus mente pepulerim. Hanc enim video ita quibusdam ætatis nostræ Criticis fucum fecisse, ut majorem Bonaventurianorum Operum partem ad incerta, aut falsa amandandam, nec alia in eorum locum sufficienda crediderint. Difficultas autem hæc est, quam jure dixeris præjudicium, quo pacto Vir sanctus, tot curis negotiisque non modo domesticis (quæ profecto nec levia, nec pauca erant, in numerosissimo, cui præerat, ac per totum qua late patet orbem disperso Religiosorum Cœtu) sed etiam publicis distentus, par fuerit aut tot libris legendis, aut tot scriptis elaborandis, quot inter edita, & edenda comparent. Quapropter lectorem monitum velim, ne hac difficultate permotus intempestivum præcepsque ferat judicium; sed prius serio perpendat in Bonaventura, non vulgare ingenium, sed prorsus singulare: non hominem, cui primævum peccatum spissas crassasque offuderit tenebras, sed hominem errori quidem vel ipsum obnoxium, sed a Domino *præventum in benedictionibus dulcedinis* (d), ac ita illuminatum, ut videretur, sicut supra dixi, *in eo Adam non peccasse*: non indolem hominis, sed Angeli: non male feriatum ac inertem, sed ipsa concubia nocte nunc orationibus, nunc lectioni scriptionique librorum vacantem ac post brevem somnum, dum hic jam fessis ejus membris obreperet, sacras vigilias avidius repetentem, ita ut *in lege Domini meditaretur die ac nocte* (e): adeoque in eo non scientiam solum humanitus partam, sed & Divinitus orationis studio acquisitam, neque ita ab aliis libris, sicut a *libro scripto intus & foris* (f), scilicet a Christo, derivatam & haustam. Insuper cogitet ejus Pharetram, quatuor Libris digestam, in ipso *conversionis suæ primordio* (g) ab eodem editam, ac copiosissimis sanctorum Patrum sententiis ubique velut telis instructam; moxque intelliget, per illum præcocem junioris ætatis fructum, multo uberiorem, ingentemque in maturiori similium fructuum copiam certo orituram portendi. Demum ipse secum reputet, nefas fore, ut quis Virum summum suo modulo, curtoque pede, metiri præsumat. Omnia hæc si pensiculatius lector expenderit, continuo evanescet ab eo prædictæ difficultatis præjudicium, nihilque oberit, quo minus una mecum dignius de nostro Doctore Seraphico judicet, consentiatque *tanta scripsisse, ac si muneribus vacuus in summo otio vixisset*, quo quidem præconio nostrum Gasparem Schatzgerum, cujus supra memini, itidem virum occupatissimum juxta ac studiosissimum Joannes Eckius ornavit (h). Ceterum

ne

(a) Ibi, & apud Luydl Instit. Theol. Moral. Christ. & Evang. Part. 4. Dissert. 7. Cap. 1. Q. 4. §. 18. (b) In Bulla incip. Triumphantis Jerusalem.
(c) In Theodicæa cum notis Gottschedii Edit. German. Hannover. & Lips. 1744.
(d) Ps. 20. 4. (e) Ps. 1. 2. (f) Apocal. 5. 1. & Breviloq. Par. 2. cap. 11.
(g) Init. ejus Prol. (h) In Præfat. Oper. d. Schatzg. ad Christ. Lect.

ne fingere putarer, & cornicem Æsopi alienis coloribus adornare, aut esse adeo pinguis minervæ, ut prorsus nescirem pretiosum a vili separare, vel tanta fuisse quoquomodo amplificandæ Doctoris nostri gloriæ prurigine abreptum, ut promiscue omnia, quæ cum edita, tum inedita, incerte, vel false, ejus nomen gerunt, nullo adhibito delectu, neque criterio, tanquam vera, ac certa jactarem; pleraque ex eis, tam vulgata, quam vulganda, aut non certo eidem asserenda, aut obelo omnino notanda, in Prodromo existimavi. Sed de his hactenus.

XXXII. Quibus præmissis, reliquum nihil est, nisi ut nunc ad ea gradum accelerem, quæ me adhuc propius attingunt. Nequa igitur lectori suspicio indiligentiæ oboriri possit, certiorem faciendum reor, in hoc Supplemento Operum S. Bonaventuræ nihil a me temere positum, sed ad fidem probatorum Codicum; nihil ab ejusdem ingenio, stilo, sæculo, ac veræ pietatis, & Catholicæ Religionis regula abhorrens; nihil etiam non diligenter conlatum cum germanis ejus Libris, congruisque veritatis, cui unice litandum, indiciis non comprobatum, ac Scriptore gravi, & Seraphico dignum. Nequa etiam ipsi in mentem incidat ob admodum frequentes notas suspicio superfluitatis, noverit, opus fuisse mihi eas passim adjicere, modo ad ostendendam stili similitudinem, illiusque consonantiam doctrinæ, ob quam Bonaventura fuit Seraphici Doctoris nomen adeptus; modo ad obscura in meliori collocanda lumine; modo ad dubia firmanda, diluendasque difficultates; modo ad ea quæ dicuntur magis magisque constabilienda; modo etiam ut nemo foret qui me velut Sycophantam nigro carbone notaret, quasi vero adulterinos nummos pro bonis, ac noctilucas pro laternis heic venditare præsumpserim. A qua quidem fraude ut mihi caverem, nihil non egi. Utque alia quoque vitia devitarem, cum primis præ oculis habui Clarissimos Operum Sanctorum Patrum Maurinos Editores, quos utinam vel MSS. Codicum copia imitari potuissem, aut saltem a longe sectari. Neque etiam ad id operis negligenda duxi, quæ de Manuscriptis, deque aliis necessariis ad rite legendos, intelligendosque Ecclesiæ Patres, ac moliendas novas eorum Editiones, erudite sapienterque perscripsere Arte Critica exculti Scriptores, ac eos inter P. Natalis Argon Carthusianus Parisiensis, ac Petrus Belhestrus, Franciscanorum Parisiensium Bibliothecæ Præfectus, in quatuor Partibus supra commemorati Libri *De optima legendorum Ecclesiæ Patrum methodo*, primo Gallice scripto, dein Italice, postremo Latine redditi, atque a quodam Sacræ Theologiæ Doctore adnotationibus locupletati. Verbo nulli labori, assiduitati, curæ pepercisse, omnemque adhibuisse nisum, ut quæ mei erant muneris adimplerem, sanctissime affirmo. An autem conatui meo exitus probe responderit, dicere minime ausim; malim enim in omnibus, quæ mea sunt, me aliorum judicio (correctioni præsertim atque censuræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ) subjicere, quam in reprehensionem ostentationis incurrere, viderique alienum a modestia nostri Doctoris, qui quo sapiebat altius, eo de se demissius sentiebat.

XXXIII. Sic eo magis de me sentire cogor, non solum ut *secundas habeam partes modestiæ, qui primas habere non potui sapientiæ* (a); verum etiam ne videar montes aureos spopondisse, neve me pungat feriatque Grajum illud tritumque Atheniensium sermone proverbium: *Charetis pollicitationes*. (b) Ita quoque affulget spes fore, ut, si errore aliquo me labi contigerit, & *non valuerim omnia non pœnitenda diligenter dixisse* (c); hoc tribuatur non voluntati, sed tarditati, ac tenuitati meæ, veniaque mihi a viris cordatis non gravate indulgeatur. Idque vel ex eo sperare mihi fas est, cum non ultro tam arduæ provinciæ me ingesserim, neque mea sponte difficillimum spartæ hujus ornandæ munus obierim; sed ut ei morem gererem, cujus voluntas imperium, cujus potestas suprema, cui fasces submittere necessitas, cuique vel in hac ipsa re non obsequendum dicere religio est. Loquor de nunc feliciter regnante summo Ecclesiæ Hierarcha a me supra laudato, ac nusquam satis laudando, erga quem omnis a me efflagitat ratio, ut si debita in me desit eruditio ac doctrina, nihil tamen in me pietatis & officii desiderandum relinquam, malimque ineruditus & indoctus, quam inofficiosus & inobsequens ipsi videri. Unde mihi liceat, illum iisdem versibus alloqui, quibus Ausonius Poeta haud ignobilis affatus est Augustum, a quo carmen suum pangere jussus erat. „

„ Scri-

(a) S. August. Epist. 143. al. 7. ad Marcellin. n. 3. (b) De quo Suid. (c) Idem S. Aug. ibi.

„ Scribere me Augustus jubet, & mea carmina poscit:
„ Pene rogans: blando vis latet imperio.
„ Non habeo ingenium; Cæsar sed jussit: habebo:
„ Cur me posse negem, posse quod ille putat?
„ Invalidas vires ipse excitat: & juvat idem,
„ Qui jubet: obsequium sufficit esse meum.
„ Tu modo te jussisse, Pater Romane, memento:
„ Inque meis culpis da tibi tu veniam." (a)

XXXIII. Satis multa verba fecisse videor, ut quisquis hoc Supplementum legerit, conatum meum æqui bonique consulat. Unde non superest aliud, nisi ut mihi præsto sit ille, qui *emittat manum suam de alto* (b), meque vertam ad Te, o Bonaventura sanctissime, ac in genua provolutus coram Te, qui excelso illustrique sedes in Cœli loco (utpote laboribus pro Ecclesia in Lugdunensi Concilio ad concordiam revocanda quam felicissime exantlatis, ingenii monumentis ad propagandam Dei gloriam, accendendumque in humanis cordibus Divinum amorem editis, magnitudine copiaque recte factorum, commerito) supplex tuam opem vehementer implorem: tum pro longe maximo hujus Supplementi Mecænate, qui Tui expressam vivamque præfert imaginem, quatenus sicut auspicato cœpit hactenus motos in Ecclesia, cui sanctissime præest, fluctus componere, ita deinceps perficiat perpetuam pacem, ubique Sacerdotium inter & Imperium penitus conciliandam: tum pro me quoque omnium minimo, qui ut nominis tui gloria manet in dies latius, doctrinaque tua Seraphica obtineat in Scholis (non secus ac Angelica D. Thomæ in illis invaluit) utque Dei cultus cum primis amplificetur, in quo nunquam non evigilarunt omnes curæ & cogitationes tuæ; ad collectionem Supplementi hujus meum appuli animum, quoscumque Aristarchos, genuino me forte rosuros, nihil veritus. Eja ergo tuum sit subvenire inopiæ, imbecillitatique meæ, ac in re tam ardua ac salebrosa, quam tui caussa suscepi, Divinum auxilium, numenque mihi impetrare. Obtine, obsecro, eam mihi mentem, ac vires, ut hoc difficillimo tempore, Christianæ Reipublicæ, decumanis errorum fluctibus tantopere exagitatæ, pro meo modulo prodesse queam: tum explosis profanis libris, qui terrarum orbem proh dolor! nimis inficiunt, injice cunctis cupiditatem ediscendæ doctrinæ tuæ, quam si adsequi non ipsi valeant, saltem exoptent sequi. Doctrina enim tua, ob quam jure prius vocitari cœpisti DOCTOR DEVOTUS (c), admodum devota ac pia est, altius se se erigens, ac universa ad Deum bonorum omnium fontem referens, docensque, *non sufficere lectionem sine unctione, speculationem sine devotione, industriam sine pietate, diligentiam sine humilitate, studium absque Divina gratia*, ac opus quoque esse *gemitu orationis* (d). Doctrina tua, ob quam Gersoni visus es DOCTOR CHERUBICUS (e), reapse Cherubica est, omnem humanæ mentis aciem dirigens ad contuendam sempiternam Dei lucem, atque sapientiam, tradensque nobis *gradus per quos ascendamus ab imis ad summa, ab exterioribus ad intima, a temporalibus ad æterna, & trascendamus ad æternum spiritualissimum, & super nos, aspiciendo ad primum principium*, ac ita *lætemur in Dei notitia & reverentia majestatis* (f). Doctrina tua, ob quam demum nedum a Gersone, sed & passim a plerisque omnibus appellari meruisti DOCTOR SERAPHICUS, omnino Seraphica est, Deo rerum omnium principio ac fini firmiter adhærescens, ac Divinæ dilectionis ardoribus ubique flagrans, nosque instituens, nihil prodesse *scientiam sine caritate* (g), ac talem exigi caritatem, ut *apex affectus totus transferatur, & transformetur in Deum* (h): quæve, ut verbo dicam, ubique Deum, ac cælestia spiret. Esto igitur, o DOCTOR DEVOTE, CHERUBICE, atque SERAPHICE, enixissime Te rogo, exoro, obtestorque, esto, inquam, apud Deum Optimum Maximum pro me orator, atque sequester, ut ad qualem qualem tuarum virtutum similitudinem, quarum ornamenta in Te Altissimus ipse benignissime contulit, mihi quoque devotionis spiritum, veritatis lumen, caritatisque ignem largiri dignetur; mihique oneri impari, ac opis indigo, prorsusque imbecillo, in hoc ineundo itinere, tenebris obsito, & anfractibus pleno, sit semper:

Principium, vector, dux, semita, terminus idem. (i)

Di-

(a) In Præfatione prima, cui titulus: *Theodosio Augusto Ausonius*. Edit. Amsteloda. 1671.
(b) Ps. 143. 7. (c) Vide Prodrom. col. 134. 378. (d) Prol. Itiner. ment. in Deum.
(e) Epist. de laud. S. Bonav. (f) Cap. 1. d. Itiner. (g) In d. Prol. Itiner.
(h) Cap. 7. ejusd. Itinerar. (i) Boet. de Consolat. Philosoph. L. 9. Met. 9. in fine.

Dilecto Filio BENEDICTO BONELLI a Cavalesio
Ordinis Minorum Obser. Ref.

CLEMENS PP. XIV.

Dilecte Fili Salutem & Apostolicam Benedictionem. Consilium tuum ac laborem a te susceptum in adornanda nova collectione Operum S. Bonaventuræ, *prout in Prodromo ad Nos misso, atque in Epistola tua Nobis significasti, etiamsi nullæ aliæ rationes insuper accederent, ob singularem tamen Nostram erga Sanctum Doctorem devotionem, ipsiusque doctrinæ promovendæ studium, magnopere probaremus. Cum autem Nostro Nomini inscribere egregium illud Opus velis; & hoc tuæ in Nos, ac S. Sedem observantiæ testimonium, & Nostram etiam erga tantum Doctorem pietatem palam omnibus per te fieri Nobis erit acceptissimum. Pergrato itaque animo excipiemus in tribus Collectionibus Nobis dicandis & Dilecti Filii Ministri Generalis, & tuæ in Nos voluntatis tam præclarum pignus, atque eximium id munus eo pluris a Nobis æstimari profitemur; quo uberius de te ac præstante tua doctrina, ac in tam ingenti Opere perficiendo industria ac diligentia judicium facimus. Et quoniam laborem hunc tuum profuturum speramus, non solum ad Sancti Doctoris honorem, sed ad Divinarum rerum studium, Deique gloriam amplificandam, Deum ipsum precamur, ut in eo quamprimum ad exitum perducendo pares tibi vires, gratiæque suæ præsidia suppeditet. Interim tibi Divini hujus doni Auspicem Apostolicam Benedictionem in Nostræ etiam erga te Caritatis argumentum peramanter impertimur.*

Datum Romæ sub Annulo Piscatoris die VI. Januarii MDCCLXX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

BENEDICTUS STAY.

APPROBATIO.

INcredibilem cepi voluptatem, ubi primum demandata mihi est cura recognoscendi *Supplementum Omnium Operum S. Bonaventuræ*, quod prælo committet excellentis ingenii, indefessæ diligentiæ, vastissimæ eruditionis laude ornatissimus Adm. Rev. P. *Benedictus Bonellus* Ord. Min. Reform. almæ Provinciæ *D. Vigilii*. Etenim mihi ab ineunte adolescentia cooptato in Romanum S. Bonaventuræ Collegium ab immortali Sixto V. Pontifice Maximo fundatum, atque ejusdem placitis præceptisque instituto, nihil gratius aut jucundius accidere poterat, quam devexa jam ætate præclaros tanti Magistri Commentarios in varias tum veteris tum novi Instrumenti partes nusquam antea impressos oculis animoque lustrare. Equidem Auctori eximio summopere gratulor, id sibi dedisse negotii, ut opus præstantissimum juxta ac laboriosissimum aggrederetur strenue, urgeret impigre, ac demum Superis bene juvantibus perficeret felicissime. Quod quidem opportune admodum contigisse video, ut quoniam in nuperrima Editione Librorum S. Bonaventuræ Censores Veneti tantum sibi permisere, ut multos veluti supposititios partus a Bonaventuræ familia submoverent, Cl Auctor improbo labore, studio solertiaque summa non modo plerosque natalibus suis restituerit, sed insigni quadam accessione copiose auxerit; unde plus boni quam mali illatum gaudemus. Hic mihi temperare nequaquam possum a coarguenda Franciscanæ Familiæ incuria, quæ docta ex Scoti disciplina, tamdiu sivit aurea Seraphici Præceptoris scripta in tenebris squalescere, ac pene oblivione deleri. Verum enim vero Divini Consilii vim suspicere licet; quemmadmodum enim singularis ejus Sanctitas atque Angelica morum innocentia sero quidem, sed gloriosius tandem toti terrarum orbi innotuit; quippe ab Sixto IV. Sum. Pontifice nostro post duo ferme sæcula ingenti omnium lætitia ac plausu in Sanctorum album relatus est: ita excellentis Doctrinæ ac prope Divini ingenii fama longe, lateque permanavit, ubi ab Sixto V. Seraphici Doctoris nomine est insignitus; nuncque personabit clarius, dum sub felicissimis auspiciis Clementis XIV. quondam in memorato Collegio nostro Professoris præstantissimi, omnium fere quos lucubraverat Librorum copia in lucem prodit ingenti Christianæ Reipublicæ bono. Hinc enim sanctissima regendæ vitæ præcepta, hinc Fidei divina dogmata: hinc Mysticæ Theologiæ arcana ubertim licebit depromere, sacrarumque rerum dignitatem intimo quodam amoris potius sensu quam cogitatione complecti. Equidem ita lectione hujusce *Supplementi* sum captus, ut pietatis igniculos (quod Bonaventurianæ Doctrinæ proprium esse Summi Viri literis prodidere) in animo meo excitari senserim, ac propterea mihi haud fuit difficile auctorem suum confestim agnoscere. Ceterum graviora suppetunt, quæ nullo pacto nos sinunt dubitare. Primum fides optimorum Codicum; deinde stili similitudo, verborumque usus Bonaventuræ familiaris: demum mirifica & constans cum illa quæ certis ejus exploratisque Voluminibus continetur, doctrinæ consensio. Perfrequentes notæ, quas Editor solertissimus apponere studuit, utrumque plenissime confirmant. Ne quid porro dissimulem, in Enarratione Evangelii S. Joannis, quæ illustris pars est novissimæ accessionis, scrupulus nescio quis male me habuit, videntem identidem quæstiunculas interseri; quod minime præstitit S. Bonaventura suo in Lucam Commentario, & me diu solicitum lux recreavit. Cum enim B. Joanni sublimissima Religionis mysteria, quæ omnem mentis nostræ aciem fugiunt, persequi in animo fuerit, Seraphicus Enarrator ad uberiorem & faciliorem Sacri textus rerumque gravissimarum intelligentiam dubia percrebro proponere ac enodare operę pretium duxit; eandem doctrinam ac modum secutus quem tenuerat in quatuor Libris Sententiarum, ubi recitato Petri Lombardi textu, dubia in medium afferre ac paucis solvere solet, quo Magistri, quem illustrandum susceperat, sententia sit in promptu. Unde novum puto argumentum pro Enarratione Evangelii S. Joannis asserenda Divo Bonaventuræ. Sed de his hactenus. Jam faxit Deus, ut quod olim Gersonius vehementer optabat, Seraphici Doctoris Libri nobis in deliciis sint, quo vere docti simulque probi fiamus, hac periculosa præsertim ætate, qua heu quantum! & fides elanguit, & pietas decrevit, & caritas refrixit. Nos enim amplissima quum humanarum, tum Divinarum cognitione imbuet, & quod caput est, virtutis amore succendet, ut perfecti simus, Pauli verbis utor, ad omne opus bonum instructi. Itaque laudatum *Supplementum* ut prælo prodeat quam celeriter, percupio, ne diutius Orbis literatus tam præclaris monumentis defraudetur.

Dabam Tridenti ex Cœnobio S. Francisci Idibus Februarii Anno MDCCLXXI.

Fr. Franciscus Staidelius Ord. Min. Conv.
S. Theologiæ Magister.

ATTENTA APPROBATIONE

IMPRIMATUR

Signatum Calendis Martii 1771.

FRANCISCUS ANTONIUS REDOLFI
PROVICARIUS GENERALIS.

ELEN:

ELENCHUS

Eorum, quæ in hoc primo Supplementi Volumine continentur.

SE-

SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
EX ORDINE MINORUM
S. R. E. CARDINALIS
EPISCOPI ALBANENSIS
COMMENTARIOLUM

ADMONITIO.

IN hocce Commentariolo agit præcipue noster Interpres, secundum mysticum sensum, de Paradiso Animæ contemplativæ, quam ita describit, ut nil terrestre remorari eam possit, quo minus ad cœlestia erigatur. Illo superno lumine eamdem perfundit, ut, instar Pauli ad tertium usque cœlum rapti, in ecstaticum Dei amorem feratur. Quo ipsa ad hujusmodi Paradisum recto tramite secure perveniat, indicat Verbum incarnatum, & cruci suffixum, in quo idem piissimus Scriptor suas delicias unice posuerat. Sic pedetentim eam ab imis ad summa perducit, ut tandem, mundanorum omnium pertæsa, in solo Deo conquiescat. Ad fidem pervetusti Codicis Tudertini *nunc primum, quod ego sciam, præsens Opella producitur, quam* Sancto Bonaventuræ *adserendam jam Prodromus noster col. 726. & seq. ostendit, subjiciendæque pro re nata ad calcem notæ amplius demonstrabunt. Ceterum per* Paradisum *recte intelligi posse* Animam *censet* S. Ambrosius Lib. uno de Paradiso cap. 1. num. 6. *ubi inquit*: Si Paradisus est, in quo erant exorta virgulta, videtur Paradisus Anima esse, quæ multiplicat semen acceptum, in qua virtus unaquæque plantatur, in qua etiam erat lignum vitæ, hoc est, sapientiæ &c. *Et rursum ibi* cap. 3. num. 12. Est ergo Paradisus terra quædam fertilis, hoc est, Anima fœcunda, in Eden plantata, hoc est, in voluptate quadam vel exercitata terra, in qua Animæ sit delectatio. *Unde &* Gillebertus Abbas, *qui* Sermones in Can-

 ticum

ticum Salomonis; *ubi* B. Bernardus *desiit, continuavit, loquens de ejusdem* Cantici *Sponso, ac Sponsa, quæ certe Anima contemplativa est, ut suo loco videbitur; ait* Serm. 35. num. 1. Ipse talem *(id est, Sponsus Sponsam)* parat, ipse plantat sibi Paradisum voluptatis, ipse qui talem eam parat, ipse comparat Paradiso deliciarum. *Sed præstat audire ipsummet* S. Bonaventuram Exposit. in cap. 23. S. Luc.: Paradisus dicitur Anima timorata: Timor Domini sicut Paradisus benedictionis. (Ecclesiastici 40. 28.) *Item* Serm. *sive* Collat. 17. in Hexaem. Est autem Paradisus Anima, in qua plantata est Scriptura, & habet innumerabiles suavitates, & decores. Unde scriptum est: Hortus conclusus soror mea Sponsa. (Cant. 4. 12.) Hortus in quo sunt sacramentalia mysteria, & spirituales intelligentiæ &c. *Me quidem minime latet, hunc esse sensum unice tropologicum; sed talem quoque probe scio, quem probat etiam inter Divinarum Scripturarum Interpretes suo sat nomine ac fama notissimus* Cornelius a Lapide Comment. in Gen. Cap. 2. sub ver. 8. *inquiens*: Tropolog. Paradisus est Anima, omni arborum, id est, virtutum varietate ornata. *Si cui autem in hoc Opusculo, ad alia quæ sequuntur comparato, nonnulla stili diversitas negotium facessat; obsecro, ne mox præcipitem contra ipsum ferat sententiam, serioque potius perpendat, quam identidem prodit,* Devoti ac Seraphici S. Bonaventuræ doctrinam, *quodve pluries stilus ipse Ejusdem patescat. Quando vero nec tanta dissimilitudo fuerit stili, ut ab illo Auctoris, cui tribuitur; prorsus abluserit, neque spectabilis antiquitatis Codex præferens ejusdem Auctoris nomen desideretur, habeaturque insuper plenus doctrinæ ipsiusmet Auctoris concentus, uti hæc omnia ad hoc Commentariolum nunc sub* S. Bonaventuræ *nomine publicandum plane conveniunt; sola ars critica intemperantior illud, ceu spurium, respuerit, legitimum e contrario moderatior agnoverit. Jam ab hoc primi Voluminis hujus Supplementi exordium sumamus.*

INCI-

INCIPIT COMMENT.

§. I.

Gen. 2. 8.

Invisibilia Dei per visibilia, mysticasque figuras dantur intelligi.

Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. (*a*) Sicut in Christum pie intendentibus aspectus carnis, qui patebat, via erat ad agnitionem Divinitatis, quæ latebat; sic ad intelligendam divinæ sapientiæ veritatem, ænigmaticis ac mysticis figuris, intelligentiæ rationalis manuducitur oculus. Aliter enim nobis innotescere non potuit invisibilis Dei Sapientia (*b*), nisi se his, quæ novimus, visibilium rerum formis ad similitudinem conformaret, ut per eas nobis sua invisibilia, quæ non novimus, significando exprimeret. Sicut etiam contestatur Apostolus ad Romanos: Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*c*). Ad Rom. 1. 20. Et beatus Dionysius (*d*) in libro de Angelica Hierarchia: Neque possibile, inquit, aliter supersplendere (*e*) thearchicum radium (*f*), nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum, (*g*) & his, quæ secundum nos, providentia paterna connaturaliter & familiariter præparatum. Sacra autem velamina sunt mysticæ in sacro eloquio descriptiones, (*h*) quibus divinus radius circumvelatur & obumbratur, ut nostris contemperetur aspectibus; (*i*) quatenus ipsa

Dionys. Lib. de Ang. Hier. c. 1.

(*a*) Ita exorditur etiam *Lignum vitæ* Sancti Laurentii Justiniani, sed longe aliter prosequitur.

(*b*) Prædictum textum videre licet expositum apud nostrum Interpretem de *æterna Sapientia*, quæ *animæ hortum diligit*, cit. Serm. sive Collat. 17. in Hexaem.; deque *Christo*, qui est Dei Sapientia in utero Virginis incarnata, in Opusculo de Eccl. Hierar. part. 4. cap. 7. ad finem.

(*c*) *Ita quod* (addit ad hunc Apostoli textum ad fin. Cap. 2. Itiner. ment. in Deum) *qui nolunt ista advertere, & Deum in his omnibus cognoscere, benedicere, & amare, inexcusabiles sint, dum nolunt transferri de tenebris in admirabile lumen Dei &c.* Vid. quoque in eumdem Textum Exposit. ejus in cap. 18. S. Luc. versus finem.

(*d*) De hoc *Dionysio* sæpe a S. Bona. allegato videsis in Prodromo col. 521.

(*e*) *Supersplendentem* quoque dicit una cum aliis similibus pluribus in Opusc. de sept. grad. Contemplat. Vid. infra §. 3. in not.

(*f*) Ibi adhibet quoque adjectivum *thearcici* pro adjectivo *Divini*. Sed & *Divinum radium* secundum eumdem Dionys. de Angel. Hierarch. vocat in fine Serm. sive Collat. 3. in Hexaem. ubi *thearchicum radium* ita declarat. „ Ille thearchicus radius descendens in Cœlestem Hierarchiam, illam illuminat, & per illam Ecclesiasticam, vel subcœlestem; totum tamen facit radius, quia Angeli ibi nihil faciunt nisi occasionaliter. Sicut si aliquis vellet, quod radius illuminaret multas domos, aperiret fenestras; & tamen radius omnes partes domus illuminaret: & sicut siquis præpararet multa specula ad recipiendum lumen. Deinde ordine resolutorio ille radius nos reducit in contemplationem Cœlestium, deinde Supercœlestium ".

(*g*) Hunc Dionysii textum ipsissimis verbis laudatum, una cum textu Apostoli, legere est apud Doctorem nostrum Seraphicum part. 1. cap. 1. de Eccl. Hier. De Serm. vero sive Collat. 3. in Hexaem. jam dixi; & de Serm. sive Collat. 20. in idem Hexaem. mox dicam. Vid. quoque infra Tract. de sacr. Scriptur. myster. §. 58.

(*h*) De his Serm. sive Collat. 13. & seqq. in Hexaem. nec non Serm. 4. Dom. 12. post Pentec. Item in Prologo Breviloquii, ubi de profunditate sacræ Scripturæ.

(*i*) Textus Dionysii, interprete Ambrosio Florentino Abbate Generali Ord. Camaldulen. cap. 1. de Cœlesti Hierarch. Edit. Parisien. 1565., sic sonat. pag. 2. „ Neque aliter fas erat, infirmitati nostræ lucere Divinum illum radium, nisi sacrorum varietate velaminum (quibus ad superiora ferremur) opertum, & his quæ nobis familiaria sunt, providentia paterna naturæ mortalium se se accommodante, vestitum ". Dicit autem secundum antiquiorem versionem *divinum radium circumvelari, & obumbrari, ut nostris contemperetur aspectibus*; quia eodem auctore cit. Serm. sive Collat. 20. Hexaem. Sicut „ Lunam videre possumus, non solem, quia radius solis contemperatur nobis per Lunam; sic radius æternus non potest aspici in se, sed si nos aspicimus illum radium, ut est in Ecclesia velatus per sacramenta & figuras, possumus quidem aspicere ipsum, qui nobis ostendit, quæ sunt facta, & fienda, & quæ in æternitate. Quæ sunt facta per allegoriam: quæ sunt facienda per tropologiam: quæ in æternitate per anagogiam ". Item secundum ipsum in 2. Dist. 23. Art. 2. Q. 3. ad 6. Etsi concedatur „ Quod oculi aspectus in Deum „ figi

ipsa obumbratio nostra sit illuminatio (*a*), & sua circumvelatio nostra sit elevatio, ac supermundialium (*b*) revelatio arcanorum. (*c*)

§. II. Inter hæc autem sacra velamina, & similitudinaria symbola (*d*) circa primordia sacræ Scripturæ, Plantatio Paradisi nobis consideranda proponitur. Sicut enim in machina mundiali (*e*) duæ sunt partes, cœlum videlicet & terra; sic & duplex ejus mansio, duplex etiam hortus (*f*) Hierarchicus, (*g*) duplex nihilominus Paradisus, cœlestis [Duplex Paradisus ad literam sumptus.] videlicet & terrestris. (*h*) De cœlesti quidem dicit Apostolus: Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, [2. Cor. 12. 2, & seqq.] sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. (*i*) De Paradiso vero terrestri (*k*) oportet intelligi, quod in Ecclesiastico dicitur: [Eccli 44. 16.] Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, ut det gentibus sapientiam. (*l*).

§. III. Juxta duplicem hanc literalem intelligentiam Paradisi, duplex est [Duplex Paradisus mystice acceptus.] etiam ipsius, secundum moralitatem, spiritualis & tropologicus intellectus; ut videlicet cœlestis Paradisus in anima dicatur sublimis contemplationis excessiva satietas, terrestris vero humilis devotionis refocillativa suavitas. (*m*) Ratione quorum duorum ad animam devotam dicitur a sponso in Cant. Canticorum: [Anima devota Hortus Cantici Canticorum.] Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. (*n*) [Cant. 4. 12. & 13.]

Veri-

„ figi potest, ita quod ad nihil aliud aspiciat: „ attamen non perspiciet, vel videbit ipsius „ lucis claritatem: imo potius elevabitur in „ caliginem, & ad hanc cognitionem elevabi- „ tur per omnium oblivionem, sicut Dionysius „ dicit in Libro de Mystica Theologia, & vo- „ cat cognitionem istam doctam ignorantiam. „ Hæc est enim, in qua mirabiliter inflamma- „ tur affectio, sicut eis patet, qui aliquoties „ consueverunt ad anogogicos elevari excessus." De hoc Deum cognoscendi modo subdit continuo: „ Arbitror cuiquam viro justo esse quærendum: quod si Deus aliquid ultra faciet, „ hoc privilegium est speciale, non legis com- „ munis ".

(*a*) Hanc quidem *nocturnam*, sed *deliciosam illuminationem* vocat Breviloq. Par. 5. cap. 6. ad finem, secundum illud Ps. 138. 11. *& nox illuminatio mea in deliciis meis*. Sic Moyses a Deo illuminatus *introductus dicitur fuisse in caliginem*; quandoquidem Deus *posuit tenebras latibulum suum* Ps. 17. 12. ut cum supra laud. Dionys. loquitur ipsemet D. Bona. in 2. Dist. 23. Art. 2. cit. Q. 3. in Conclus. Vid. infra Exposit. in Cant. Canticor. cap. 1. §. 13.

(*b*) De adiect. *mundialium* a S. Bona. sæpius adhibito in Prodromo col. 591. ac col. 607. *Supermundanum* quoque alibi usurpat, ibi col. 560. Frequens pariter apud ipsummet ly *super* aliis vocabulis præmittere, & adnectere majoris significationis gratia, ibi col. 534.

(*c*) Id amplius declaratum vide in 2. ibi in Conclus. seu Resol. nedum ejusdem Dionysii verbis, & exemplo Moysis; sed etiam Apostoli, divique Gregorii testimoniis.

(*d*) *Transumptionem symbolicam* vocat in Principio sacræ Scripturæ circa init., ac Serm. sive Collat. 20. in Hexaem. *refulgentiam obscuram*, *sive symbolicam*, nimirum *in figuris & ænigmatibus*. In *figuris*, inquam, etiam *humilibus*, adeo ut *sicut Christus fuit panniculis involutus*, *ita sapientia Dei in Scriptura figuris quibusdam humilibus involveretur*, Proem. in Breviloq. de profund. sacr. Scriptur.

(*e*) Phrasim *mundialis machinæ* alibi quoque fuisse adhibitam a S. Bona. cernere est in Prodromo col. 607. Videsis Breviloq. par. 2. Cap. 1. ab init. nec non 3. par. Centiloq. Sect. 10. itidem ab init. &c.

(*f*) Al. *ornatus*.

(*g*) Sive in *Hierarchia Angelica*, *& Ecclesiastica*, in Proem. Breviloq. de Sublimit. sacr. Script.

(*h*) In 3. dist. 18. art. 2. q. 3. in conclus. Exposit. in Psalter. Ps. 1. & Exposit. in cap. 23. S. Luc. &c.

(*i*) In Prol. Itiner. mentis in Deum, nec non Opusc. de septem gradibus Contemplat.

(*k*) De hoc Serm. 4. Dom. 12. post Pentec.

(*l*) Vulg. *pœnitentiam*; sed *sapientiam* legere quoque est in pluribus sacror. Biblior. Editionibus Biblioth. nostræ Bernardin. nempe Veneta an. 1476. Lugdunensibus 1524. 1549. & 1568. aliaque grandiori sine loco, anno, & Typographi nomine. Item in quatuor eorumdem Biblior. Editionibus Biblioth. Gentilott. quas scilicet precario in rem meam adhibendas, pro singulari sua erga me humanitate, ac largitate, concessit Illustrissimus Baro Jo. Bapt. Gentilott, videlicet in Nurbergen. 1478. Venet. 1484. Basileen. 1509. & Colonien. 1527. Insuper in alia Venet. 1481. quam similiter mihi indulsit Illustrissimus ac Reverendissimus Albertus Præpositus Can. Reg. S. Aug. in Griez prope Bulsanum vir siquis alius S. Bonaventuræ addictissimus, ac de me optime meritus. Habetque præterea *sapientiam* MS. Cod. membr. sign. A. I. 40. præfatæ nostræ Biblioth. Bernardin. Porro de *Paradiso Henoch* loquitur S. Bona. 2. Sent. Dist. 19. Art. 2. Q. 2.

(*m*) De *suavitate*, & *satietate*, quæ in anima a solo Deo est, cap. 1. Soliloq.

(*n*) Hec intelligi *de anima*, cujus *devotionem* ante commendaverat, adseverat Interpres noster etiam in Comment. super Cant. Canticorum. Hæc ipsa interpretatur de *terrestri Paradiso animæ* Serm. sive Collat. 17. in Hexaem.,

ac de

Veritatis siquidem Spiritus, qui nihil in Scriptura ponit superfluum, id ipsum iterando bis replicat, ut manifeste declaret, quod anima, quæ Sponsa vocari meretur, similiter & terrestris Paradisi designatur nomine, ac cœlestis. Terrestris quidem, propter sapientialium (a) imaginationum exuberantiam, ac fœcundarum pullulationum viriditatem, suavium pariter & pulchrarum: cœlestis vero ratione supersplendentium illuminationum, ac supermentalium & arcanorum excessuum. (b) Ratione quorum Apostolus primo se dicit raptum usque ad tertium Cœlum, & deinde raptum in Paradisum; quia prius erigitur animus ad contuendam cœlestium luminum claritatem, quam in suavissimæ refectionis rapiatur excessum. (c)

Illuminationem sequitur affectus, fructus, & gustus.

§. IV. Et quoniam veritatis lumina splendida, præambula (d) sunt ad caritatis solatia excessiva, ideo mens contemplativa, (e) cœlestium luminum adornata fulgoribus, per illam designatur

Mulierem perfulgidam, de qua in proposito magnus ille contemplator Joannes signantissime loquitur. Signum, inquit, magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona duodecim stellarum. Hæc, inquam, Mulier, mens scilicet charismatibus repleta divinis, sacrisque fœcundata virtutibus, amicta dicitur sole propter contemplationem beatissimæ Trinitatis (f) vigentis, splendentis, & calentis, (g) ipsamque se contemplantem animam (ejus vigorando memoriam, illustrando intelligentiam, inflammando voluntatem) in se rapientis, & transformantis, ac per hoc vestientis, & adornantis. Et sic Soli æterno effecta consimilis, veraciter sub solari specie describitur, (h) Ecclesiastico attestante, qui ait: Sicut Sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ. (i) Hæc, inquam, Mulier Lunam describitur habere sub pedi-

Mens contemplativa Mulier amicta Sole.

Apoc. 12. 1.

Eccli 26. 21.

ac de *anima contemplativa* Serm. 2. sive Collat. 23. in idem Hexaem. Item de anima B.M.V. Part. 4 de Eccl. Hierarch. cap. 7. & Exposit. in cap. 23. S. Luc.

(a) Hoc adject. est in Procem. Breviloq. de latit. sacr. Scriptur. nec non apud Tertullian. de anim. cap. 15.

(b) Non insolita, neque affectationem sapiens, vox illa *supersplendentium*, uti patet tam ex cap. 7. Itiner. mentis in Deum, quam ex Opusc. de gradibus contemplat. ut supra monui §. 1. in not. a. ubi & vox *superintellectualis* perquam affinis alteri *supermentalium*. De *illuminationibus* autem *intellectualibus in Paradiso anima humana* cit. Serm. sive Collat. 17. in Hexaem. Item de *illuminationibus, quibus anima quasi quibusdam gradibus & itineribus disponitur, ut transeat ad pacem, per ecstaticos excessus Sapientiæ Christianæ*, in Prol. cit. Itiner. ment. in Deum, ubi & de *Pauli ad tertium cœlum raptu*.

(c) Serm. sive Collat. 18. in Hexaem. *Intellectus illustratur per has theorias, ut ultra procedatur ad gustandum ejus fructum.* Et iterum: *His illustrationibus est refici, ut homo nihil quærat, nisi intellectum veritatis, affectum pietatis, delectationem suavitatis, & solatium contemplationis.* Ac tertio: *Sicut intellectus ordinatur ad affectum, & fides est via ad caritatem; sic istæ illustrationes transire debent in affectum.* In quam rem adducit fructus, animam affatim reficientes, quorum meminit Canticum Canticorum.

(d) Itidem apud S. Bona. ut animadvertimus in Prodromo col. 607.

(e) Recte heic agens noster Interpres *de Plantatione Paradisi* memorat *mentem contemplativam*: ait namque cap. 1. præfati Itinerarii mentis in Deum: „ Secundum primam naturæ institutionem, creatus fuit homo habilis ad contemplationis quietem, & ideo posuit eum „ Deus in Paradiso deliciarum. " Quodve in eo statu si nunc homo esset, cognosceretur ab eo Deus *per contemplationem*, docet etiam in 2. Dist. 23. Art. 2. Q. 3. in Concl.

(f) Prædicta verba intelligit *de anima contemplativa* etiam Serm. sive Collat. 20. ac seqq. in Hexaem. Item in Comment. super Apocal. ibi, *de fideli anima amicta sole, scilicet splendore veritatis, ardore caritatis, decore puritatis.* Nec non in Soliloq. c. 4. de *anima beata*, cujus gaudia debet contemplari *anima devota*. Et de anima B. M. V. Par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 7. De contemplatione, sive de *plenissima notitia, & excellentissimo, & excessivo amore beatissimæ Trinitatis*, in Procem. Breviloq.

(g) Serm. sive Collat. 21. in Hexaem. ab ipso initio: *Sol æternus Pater, & Filius; & Spiritus Sanctus. Pater scilicet summe vigens, Filius summe fulgens, Spiritus Sanctus summe calens.* Item Serm. 22. *Sol vigens, fulgens, calens.* Nec non Serm. 23. *Sol vigens, splendens, calens, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Quonam pacto in perfectissima Trinitate, ubi Deus lux inaccessibilis est, ipsamet *lux, tamquam parens, generet splendorem, lux autem & splendor producant calorem, ita quod calor procedat ab utroque, licet non per modum prolis;* videsis Cap. 3. Incend. amoris prope finem.

(h) De *anima Sunamite* eo pacto *amicta sole*, eo quod *habet contemplationem*, atque ita in Deum rapta & transformata, inquit Serm. sive Collat. 3. in Hexaem. *Hic raptus facit animam simillimam Deo, quantum esse potest in statu viæ.*

(i) Vulg. *ejus;* sed *suæ* etiam Serm. sive Collat. 20. in Hexaem. ubi subdit noster Interpres: *Hæc convenit æternæ Sapientiæ, & menti æterna sapientia illustratæ* sive *animæ contemplativæ.* Item *suæ* ipsemet Interpres Comment. in Apocal. cap. 12. num. 824. Item *domus suæ* habet Tigurina. Prædicta verba attribuit etiam animæ B. M. V. part. 4. de Ecclesiast. Hierarch. Cap. 7.

Lunam habens sub pedibus. pedibus, propterea quia mundanam atque animalem sapientiam, (a) velut vanam & stultam, despicit & conculcat. (b) Quæ recte designatur per Lunam, propter sui mutabilitatem, admixtamque caliginem, juxta illud Ecclesiastici: Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol; nam stultus ut Luna mutatur. (c) *Eccli 27. 12.*

Redimita corona stellarum duodecim. §. V. Recte autem hujusmodi mens corona stellarum duodecim adornata signatur; quia licet sit ei summe delectabile atque desiderabile, intellectualibus oculis Solem illum æternum incessanter conspicere; quamdiu tamen carni corruptibiliter jungitur, ratione scilicet alternantium affectionum atque phantasmatum, (d) temporalibus transmutationibus omnino carere non potest. Ideo sicut Sol iste visibilis non semper est in eodem signo stellarum, sed in circulo anni duodecim signa stellifera circulariter peragrat; sic necesse est hujusmodi animæ contemplanti, ne a splendoribus lucis æternæ procul abscedat, universitatis luminum creatorum circumlustrari fulgoribus. Quæ instar stellarum duodecim ad duodenarium reducuntur, & quasi coronam efficiunt; (e) ut sic revelata facie gloriam Dei contemplans & speculans, a claritate in claritatem transformetur, tamquam a Domini spiritu. (f)

§. VI. Et quasi sit prima stella, clara consideratio corporalium naturarum. Secunda vero, spiritualium substantiarum. Tertia, intellectualium scientiarum. Quarta, affectualium virtutum. Quinta, institutarum divinitus legum. Sexta, infusarum cœlitus (g) gratiarum. Septima, irreprehensibilium (h) judiciorum. Octava incomprehensibilium misericordiarum. Nona, remunerabilium meritorum. Decima, remunerantium (i) præmiorum. Undecima, militantium Ordinum. (k) Duodecima, triumphantium Exercituum, tam Angelorum, quam Hominum beatorum. (l) Sicque tam varia luminum multiformitate (m) facta, mirabiliter a filialibus Jerusalem non immerito commendatur, in quarum persona dicit Spiritus Sanctus in Cant. Canticorum: Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? (n) *2. Cor. 3. 18.* *Expositio stellarum duodecim.* *Cant. 6. 9.*

§. VII.

(a) Alludit ad illud Jacobi 3. 15. *Non est ista Sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica*, quem textum allegans Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. subdit: *In quantum est cum affluentia temporalium, terrena est: in quantum est cum delectatione nepharia, animalis est: in quantum est cum ambitione superba, Diabolica est.*

(b) Ibi ex 1. ad Corinth. 1. 20. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?*

(c) Hæc ipsa Ecclesiastici verba adhibet in Comment. super Apocal. cap. 12. num. 819. ut etiam ostendat, quod *debet hæc luna esse sub pedibus, ut sustentetur necessitas, conculcetur carnalitas, contemnatur prosperitas.* Sed & alio quoque sensu de eadem *Luna* loquitur in prædictis Sermonibus sive Collationibus in Hexaem. Vulg. *sicut luna*; sed *ut luna* legunt quoque Cornel. a Lap. ac Menoch. de qua lectione vid. Comm. super Apocal. loc. cit.

(d) Quippe est *oculus mentis nostræ assuefactus ad tenebras entium, & phantasmata sensibilium, cum ipsam lucem summi esse intuetur*, Cap. 5. Itinerat. mentis in Deum. Vide infra §. XIV.

(e) Ita fere Serm. sive Collat. 22. in Hexaem. ubi ait: „ Sic est anima mulier amicta sole, „ & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus „ corona duodecim stellarum, quia est plena „ luminibus, & numquam oculum divertit a „ lumine. Ideo anima habet duodecim materias, sicut duodecim lumina, circa quæ „ semper moveatur velut in quodam circulo; „ sicut sol percurrit duodecim constellationes, „ scilicet per duodecim signa, & numquam „ exit. " Et paulo infra: „ Debet anima „ contemplativa versari semper in aliquo istorum luminum, sicut sol semper est in aliquo signorum. "

(f) In Opusculo de Gradibus Contemplationis in hunc textum.

(g) Cit. Serm. sive Collat. 22. in Hexaem., ubi ipsissima habentur, pro *cœlitus* est *divinitus*.

(h) Ibi *irrevocabilium*.

(i) Ibi *præmiantium*.

(k) Ibi *temporalium decursuum*;

(l) Ibi *æternalium rationum*.

(m) *Multiformitatis* voce utitur quoque S. Bona. in Breviloq. ut notavimus in Prodromo col. 525. nec non in Leg. Ma. S. Franc. ibi col. 592. ac in Apol. Paup. ibi col. 607.

(n) *Per hoc* enim (ait idem Interpres Comment. in Cant. Cantic. ad hunc textum) *significatur gradatim accessus illuminationum sponsæ*. Nec non cap. 4. Itinerar. ment. in Deum: *Fit anima sicut Aurora, Luna, & Sol, secundum processum illuminationum suspendentium animam ad admirandum Sponsum consideratum*. In hujusmodi autem *illuminationibus* eo usque progreditur, quod nedum *Filia Jerusalem*, sed & ipsi *Angeli admirabuntur de ejus gloria, dicentes: quæ est ista &c.*, teste eodem Interprete in Soliloq. cap. 4., ubi etiam *de ejus gloria in cœlo* sic loquitur: „ Hæc „ bene dicitur amicta sole, quia decorata splendore claritatis deificæ, coronata dignitate „ felicitatis æternæ. In qua felicitate ob specialem decorem sunt duodecim gaudia, per „ duodecim stellas figurata, per quæ decoratur & ornatur felicitas superna. " Item ibi „ Mulier ista, ut æstimo, est anima beata, „ æterni Regis Filia, Sponsa, & Regina. Filia per naturæ creationem, Sponsa per gratiæ adoptionem, Regina per gloriæ collationem. " Eadem verba quoque aptat B. M. V. par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 7.

Procul ſit oportet ab anima contemplativa præſumptio.

§. VII. Cavendum tamen ſummopere animæ ſic fulgenti, ne in hujuſmodi circulationibus luminum, mundanæ ſapientiæ obſcurans opacitas, per curioſitatem inſtar lunæ in Zodiaco vagans, & ſe gyrans in capite & cauda Draconis, (hoc eſt in præſumptionis elationem, (a) quæ ſpiritualis Draconis eſt caput, & in erroris fraudem, quæ ipſius eſt cauda, degenerans) inter Solis æterni præfulgidos radios, ac mentalis aciei perſpicaces interponatur obtutus. Sic enim ſpiritualem eclypſim rationalis intelligentia patitur, & ad modum prævaricantis Luciferi a cœleſti luce in infernales tenebras corruit, dum ab æternitate in tempus, a veritate in mendacium, a caritate in amorem privatum, ac per hoc a ſapientia in inſipientiam cadit. (b) Quemadmodum illis, alias ſapientibus, (c) accidit, de quibus ſcribit Apoſtolus ad Romanos: Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: qui commutaverunt veritatem in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius, quam Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen. (d)

Ad Rom. 1. 21. & ſeqq.

Scriptoris modeſtia,

§. VIII. Quoniam autem præſentis eſt Operis non ſapientes & prudentes inſtruere, ſed tantum eis occaſionem cogitandi præbere; præcipue vero adfertur intentio, ut detur parvulis intellectus, vel potius ut in eis excitetur affectus: (e) ideo ab illuſtrationibus Cœli deſcendendum eſt ad plantulas Paradiſi. Sicut enim contemplationis ſublimitas ſuaviter delectans reddit animam Paradiſo cœleſti conformem; ſic & Paradiſo terreſtri devotionis humilitas ſalubriter refocillans. Et quemadmodum cœleſtium luminarium influentiæ (f) multiformes cauſſæ ſunt pullulationum terreſtrium; ſic & ſpiritualiter a cœleſti Hierarchia in ſubcœleſtem, (g) & notitiarum ſplendores, & deliciarum ſuavitates miro modo deſcendunt, (h) non ſolum per miniſterium An-

Atque devotio.

Divinæ influentiæ a cœleſti Hierarchia in ſubcœleſtem manantes

(a) De hac Lib. 1. Sent. Dub. 1. in Prologo, ubi dicitur *præſumptio ſuperbiæ, quæ eſt de proprio ingenio*, adeoque *reprehenſibilis, quia ſuperbiæ*. Et Serm. ſive Collat. 1. in Hexaem. paucis poſt init. *Contra conſonantiam Divinæ laudis ſpiritus præſumptionis, & curioſitatis, ita quod præſumptuoſus Deum non magnificat, ſed ſe laudat: curioſus autem devotionem non habet. Unde multi ſunt tales, qui vacui ſunt laude, & devotione; etſi habeant ſplendores ſcientiarum.*

(b) Simillima prædictis videri poſſunt in fine Serm. 22. in Hexaem., ubi concluditur: „ Debet ergo contemplativus eſſe humilis & circumſpectus, ut non ad caput draconis veniat per præſumptionem, vel in caudam involvatur per errorem. " Haud diſſimilia quoque legere eſt cum in Poſtilla Apocal. c. 12. ſub ver. 5. tum Par. 4. de Eccl. Hierarch. c. 4. nec non in Collat. de ſept. don. Spir. Sanct. ubi de tert. dono Scient. Unde in Opuſc. de perfect. vit. ad Soror. cap. 2. „ Hæc ſuperbia excluſit a gloria cœli Luciferum. Non conſiderabat ſe Lucifer de nihilo factum, ſed potius aſpiciebat ſuum decorem, ſuam pulchritudinem, qualiter omnis lapis pretioſus operimentum ejus; & extulit eum ſuperbia cordis ſui: & quia ſuperbiam ſequitur humilitas, ideo ſtatim ejectus eſt de ſede nobilitatis ſuæ in locum extremæ vilitatis; & qui fuerat inter Angelos excellentiſſimus, factus eſt inter Dæmones miſerrimus. O quanti ſunt hodie Luciferiani, & imitatores Luciferi, filii & filiæ ſuperbiæ, quos patienter tolerat Dominus! " Item Serm. ſive Collat. 2. in Hexaem. „ Humilis omnia bona attribuit ſuo originali principio, ſuperbus attribuit ſibi. Humilis continuatur cum ſua origine; ſuperbus diſcontinuatur. Lucifer recedens a ſuo originali principio tenebriter factus eſt; Chriſtum, qui ſemper ſe reduxit per humilitatem in ſuum originale principium, clarificavit Pater &c.

(c) De his Serm. ſive Collat. 4. in Hexaem. ab init. „ Multi Philoſophi dum ſe voluerunt dividere a tenebris erroris, magis ſe erroribus immiſcuerunt: dicentes enim ſe eſſe Sapientes, ſtulti facti ſunt, ſuperbientes de ſua ſcientia Luciferiani facti. " Vid. ſupra §. 4. col. 9. not. *a*.

(d) Vid. quæ contra prædictos ſæculi Sapientes, inaneſque Philoſophos, ex S. Bernardo producit in Phar. Lib. 1. cap. 2. quæve contra eoſdem ipſemet docet Serm. ſive Collat. 7. in Hexaem.

(e) Intentio plane digna Doctore Devoto atque Seraphico, cujus quoque ſimilis ſcribendi modeſtia in aliis etiam ejuſdem Scriptis paſſim elucet, ut dictum in Prodromo col. 138. Porro hoc Opuſculum directum eſt, *ut detur parvulis intellectus*, ſicut Opuſculum de Eccleſiaſtica Hierarchia, *ut parvulis in Chriſto lac petentibus non ſit infructuoſum*, ibi part. 1. cap. 1. poſt init. Item *ut in eis excitetur affectus*, quo quidem pacto hujuſmodi ſpeculatio ſit *intellectualis & affectualis pia inveſtigatio*, Opuſc. de ſeptem grad. Contemplat.

(f) Hujus quoque vocis uſus apud S. Bona. 2. Diſt. 23. Art. 2. Q. 3. in concl. ac Serm. ſive Collat. 22. in Hexaem. quinimo apud Julium Firmicum Lib. 1. Matheſ.

(g) Centiloq. Par. 3. Sect. 17. *Alia cœleſtis, id eſt, Angelica, alia ſubcœleſtis, id eſt, Eccleſiaſtica, vel humana.* Vid. ſupra §. 1. ubi *de radio thearchico* in not. *f*. col. 3.

(h) Cit. Serm. ſive Collat. 22. in Hexaem. *Sicut luna eſt filia ſolis, & recipit lumen ab eo;*

ſimili-

per ministerium Angelorum, Verbum incarnatum, crucifixum, & increatum.

Angelorum, verum etiam per Verbum incarnatum, *(a)* & ligno crucis affixum. *(b)* Quod cum sit, Verbum increatum *(c)* & Patri consubstantiale, fons sapientiæ in excelsis; est tamen, ut carni unitum, & natum de Virgine, in ipsum veraciter credentibus, sperantibus, & amantibus Lignum vitæ. *(d)* Ipsumque in nobis plantat, & nos illi complantat Verbum inspiratum *(e)*, sive Spiritus veritatis & gratiæ, juxta illud Ecclesiastici: Ego quasi fluvius Dorix, *(f)* & quasi aquæductus exivi de Paradiso: dixi: rigabo hortum plantationum mearum *(g)*, & inebriabo prati mei fructum. *(h)* Spiritus enim sanctus primo quidem nos rigat per gratiam, *(i)* deinde inebriabit per gloriam. Et sicut nunc per gratiæ donum sic per donum gloriæ transplantabit, secundum illud Apostoli: Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus. *(k)*

Eccli 1. 5.

Lignum vitæ Verbum incarnatum credentibus, sperantibus, & amantibus. Verbum inspiratum.

Eccli 24. 41. & 42.

Ad Rom. 6. 5.

IX. Prima igitur atque præcipua planta in Paradiso mentis humanæ Verbum est incarnatum ac crucifixum, Jesus Christus videlicet filius Dei vivi, qui latroni sibi complantato, utpote in ipsum credenti, ipsum confitenti, ipsi etiam in cruce commorienti, liberaliter dixit: Hodie mecum eris in Paradiso. *(l)* In cujus mysticam designationem, post verbum prius propositum, signanter adjungitur: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignum quoque scientiæ boni & mali.* Licet enim hujus Ligni vitæ fructus vivificus principaliter proponeretur homini ad edendum, tamquam restaurativus radicalis humoris; *(m)* nihilominus tamen ad ipsius solatium producta sunt, & alia ligna in circuitu Ligni vitæ. Et hoc quatenus varietate fructuum, multiformium pulchritudinum & saporum, vitaret homo fastidium, *(n)* quod accidere solet per conversionem ad unum; & haberet oblecta-

Verbum incarnatum prima planta in Paradiso animæ.

Lucæ 23. 43.

Gen. 2. 9.

---

similiter militans Ecclesia a superna Jerusalem. Unde dicit eam Apostolus matrem nostram; quia est mater influentiarum, quibus efficimur filii Dei &c. Quo quid *deliciosius* atque *suavius?* Item in Procem Breviloq. ubi de sublimit. sacr. Script. *Per ipsum (Hierarcham Jesum Christum) a summo capite Deo descendit unctionis gratia, non solum in barbam, verum etiam in oram vestimenti: quia non tantum in Jerusalem supernam, verum etiam in Ecclesiam militantem.* Sicut autem *notitiarum splendores, & deliciarum suavitates miro modo descendunt* inde in primam; ita data proportione in secundam.

(a) *Per Verbum incarnatum* dicit quoque Breviloq. Par. 4. cap. 1. & Serm. sive Collat. 3. in Hexaem.

(b) *Per Verbum incarnatum, crucifixum*, Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. Unde in Prol. Itiner. ment. in Deum: *Ad Deum nemo intrat recte, nisi per Crucifixum.* Et postea: *Per contemplationem ingredi non potest Jerusalem supernam, nisi per sanguinem Agni intret tamquam per portam, sive per Christum crucifixum &c.*

(c) *Per Verbum increatum* cit. Par. 4. Breviloq. cap. 1. atque cit. Serm. sive Collat. 3. in Hexaem.

(d) In Principio sacræ Scripturæ, ac Serm. 1. in Hexaem. Quod *amantibus* sit *lignum vitæ*, serio perpendenti præfationem *Ligni vitæ* Seraphici ejusdem Doctoris, facile patebit. Quod *credentibus, sperantibus, & amantibus*, constat etiam ex citati *Ligni vitæ* fine, ubi ait devotissimus Doctor: „ In te igitur, ut finem omnium, credens, sperans, & amans ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex omni virtute, ferar desiderate Jesu. “

(e) *Verbum incarnatum, crucifixum, & inspiratum*, Serm. sive Collat. 2. *Intellectus Verbi increati, per quod omnia creantur: Intellectus Verbi incarnati, per quod omnia reparantur: Intellectus Verbi inspirati, per quod omnia revelantur*, Serm. sive Collat. 3. in Hexaem. Nedum de *Verbo increato, & Verbo incarnato*; sed etiam de *Verbo inspirato*, cit. Par. 4. Breviloq. cap. 1. Inibi enim dicit: *Congruentissima fuit nostræ reparationi incarnatio Verbi, ut sicut genus humanum in esse exierat per Verbum increatum, & in culpam ceciderat deserendo Verbum inspiratum; sic a culpa resurgeret per Verbum incarnatum.* Ita ibi secundum Editionem antiquissimam An. 1475. *per Antonium Sorg in Augusta* Biblioth. Griezen. prope Bulsanum; & hoc ad emendandum gravissimum errorem, qui irrepsit in alias Editiones, tam antiquas, quam recentiores, etiam in novissimam Venetam, in qua, pro *in culpam ceciderat deserendo Verbum inspiratum*, legitur: *in culpam ceciderat per Verbum inspiratum*, quod absit D. Bonaventuram scripsisse, ne Verbum inspiratum fiat caussa peccati.

(f) Vulg. *ego quasi fluvii Dioryx*; sed ut supra duo nostri membr. Codd. Bernardiniani, nec non antiquæ Sacrorum Bilior. Editiones tam nostræ Bernardin. Biblioth. quam Gentilott, & Griezen. Item ipsemet S. Bona. Procem. in Lib. 1. Sent. nec non Serm. sive Collat. 17. in Hexaem. &c.

(g) Vulg. *hortum meum plantationum*, sed *hortum plantationum mearum* legit etiam ipsemet S. Bona. Exposit. in Cap. 15. Sapien. *Hæ vero plantationes non terrenæ, sed cœlestes, & spirituales sunt insertiones*, Par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 7.

(h) Lege sis textum hunc eodem sensu allatum Serm. sive Collat. 17. in Hexaem., ubi itidem agitur *de terrestri Paradiso animæ*.

(i) Cit. Serm. sive Collat. *rigat affluentia Spiritus Sancti manantis ab ipso.* Vide ejus Exposit. in Psalter. Psalm. 1.

(k) In 3. dist. 19. art. 1. q. 1. in conclus.

(l) Itinerar. mentis in Deum Cap. 7.

(m) In 2. Sent. dist. 19. art. 2. q. 2.

(n) De hujusmodi *vitando fastidio*, paulo infra rursum.

Oblectamentum ex varietate consurgit. stamentum, quod ex varietate atque innovatione consurgit in spiritualium notitia sensuum per experientiam multiformium objectorum. Per hunc etiam modum licet animæ devotæ sufficere possit Christus Jesus, & hic crucifixus, secundum duodecim fructus, quos illud beatissimum Lignum vitæ jugiter affert, sicut ex præcedentibus liquet; (a) ad vitandum tamen fastidium, & dandum solatium hujusmodi animæ, proposuit Deus & alias meditationum materias. Proposuit, inquam, tamquam arbores fructuosas, quibus refocilletur humanæ mentis devotio, & his multis multiformiter exerceatur; ut tandem in illo uno illius ligni fructu finaliter conquiescat, & eo feliciter perfruatur. (b)

Duodecim fructus Ligni vitæ.

Quies ac fruitio animæ in fructu Ligni vitæ.

X. Propterea quicumque devotus es animus, si non vales velut vir Angelicus (c) atque Hierarchicus, (d) more contemplantis, supradictarum irradiationum irreverberatis oculis contueri fulgores; saltem sicut adhuc animalis & parvulus, pedetentim recogitando mediteris, meditando mastices, masticando degustes (e) sapores varios fructuum ex his lignis procedentium, quæ Dei Sapientia multiformis in corde tuo plantavit, tamquam in hortulo Paradisi, ut merito tibi illud sponsæ possit aptari: Hortus conclusus, soror mea sponsa, emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Attende, inquam, quoniam ipsa Dei Sapientia multiformis circumquaque irradians, quasi duodecim distinctionibus spiritualium illustrationum, duodecim in te plantat radices arborum, hoc est duodecim materias salutarium considerationum, illustrans te ab intra per interna spectacula, illustrans te ab extra externa per vestigia, illustrans te a supra superna per promissa, illustrans te ab infra æterna per tormenta, illustrans te antrorsum directa per præcepta, illustrans te retrorsum districta per judicia, illustrans te dextrorsum benigna per solatia, illustrans sinistrorsum severa per flagella, illustrans e vicino per civium præsidia, illustrans te e longinquo per hostium certamina, illustrans te in propatulo per gratiarum dona, illustrans te in occulto per figurarum signa. (f)

Cant. 4. 12. & seq.

Illustrationes duodecim.

Mysticus voluptatis hortus quonam pacto efficiatur.

§. XI. Quæ omnia si cum fide recogites, & cum devotione pertractes, & rumines; (g) vere efficieris hortus voluptatis, multiformium pullulationum germinationibus jugiter vernans, ab ipsa videlicet Dei Sapientia plantatus pariter & rigatus. (h) Si etiam cum his omnibus anteponatur fructus Ligni vitæ, & caveatur esus Ligni scientiæ boni & mali; hoc est curiositas agnoscendi cum ambitione excellendi, (i) & appetentia oblectandi, quæ suggestione ser-

---

(a) *Ex præcedentibus* in hoc Commentariolo id unice liquet, supra mentionem fuisse factam de *duodecim stellis mulieris amictæ sole*. Sed de *duodecim fructibus Ligni vitæ* disertissime Auctor loquitur in Præfatione ad suum Opusculum inscriptum *Lignum vitæ*. Item de *duodenario fructuum spiritus, quibus fruitur & delectatur anima sancta*, quando scilicet *est homo ad contemplationem idoneus, & ad aspectus & ad amplexus sponsi & sponsæ*, in Breviloquio part. 5. cap. 6. Item Comment. in Cap. 22. Apocal. &c.

(b) In allegata Præf. Ligni vitæ, ubi instar Arboris floridæ fructuosæque describitur, dicitur de ejus flore, quod „ Flos ejus sit omnis „ coloris formositate decorus, omnisque odo„ris suavitate resperfus, qui desiderantium an„xia corda refocillet, & attrahat. “ Et de ejusdem fructu, quod „ Hic quidem fructus „ est, qui de virginali utero traxit originem, „ & in ligno crucis ad maturitatem saporo„sam, per æterni Solis calorem meridianum, „ Christi videlicet caritatem, pervenit, & in „ horto Paradisi cœlestis, in Ecclesia videlicet „ Dei, desiderantibus ipsum proponitur degu„standus. “ Quodve *multiformiter ad vitandum fastidium* sit propositus, inibi quoque asseritur: „ Fructus tandem sit duodenus, habens in se „ omne delectamentum, & omnem saporis sua„vitatem: qui sic domesticis Dei ad degustan„dum proponitur, ut semper eo satientur eden„tes, & tamen nunquam fastidiant. “

(c) *Angelificatus* dicitur in Opusc. de septem grad. contemplat.

(d) *Efficitur spiritus noster Hierarchicus ad conscendendum sursum, secundum conformitatem ad illam Jerusalem supernam, in quam nemo intrat, nisi prius per gratiam ipsa in cor descendat, sicut vidit Joannes in Apocalypsi sua*. Et post: *Efficitur spiritus noster Hierarchicus, scilicet purgatus, illuminatus, & perfectus*, Cap. 4. Itiner. ment. in Deum.

(e) Serm. sive Collat. 19. in Hexaem.

(f) Ita Serm. sive Collat. 17. in Hexaem. paucis tamen mutatis, pluribusque additis, ubi & de *Arboribus*, ac *Illuminationibus duodecim*. Vide quoque Serm. sive Collat. 18.

(g) Quo pacto hujusmodi *ruminatio* fiat, habetur Serm. sive Collat. 19. in Hexaem.

(h) Supra §. 8.

(i) Supra §. 7. Item Serm. sive Collat. 18. in Hexaem. ait „ Quod circa ista incidit pe„riculum Ligni scientiæ boni & mali, ut di„misso Ligno vitæ, scilicet suavitate affectus, „ anima evagetur circa Scientias alias, & in „ tan-

Vitanda curiositas sciendi cum ambitione excellendi.

ne serpentis antiqui, inter prædictas speculationes, per inferiorem rationis portionem, superiori, quasi per mulierem viro, (a) jungitur, studiosius evitetur. (b) Nam si serpenti promittenti divinam scientiam assentiat quis incaute, ut in his magis appetat scire, quam sapere, magis reputari, quam refici, magisque fastu gloriari, quam fructu gaudere; statim innascitur libido verenda deordinans, & denudans, per quam sententia mortis incurritur, & divinæ similitudinis amisso decore, prævaricatrix anima bestialis effecta, tamquam indigna Ligni vitæ fructu salvifico (c) refici, a paradisi deliciis propulsatur. (d)

Inferior rationis portio Superiori, quasi Mulier Viro, comparata.

§. XII. Nec cuiquam videatur absurdum, quod considerationem infernalium tormentorum, & pugnarum hostilium inter Ligna Paradisi prædiximus collocanda; quasi quis infernum, aut infernales cives introducat inter limites Paradisi. Licet enim nec malum culpæ, neque pœnæ, ullatenus nec in cœlo, neque in terra, Paradisi status admittat; considerationes tamen eorum, ad degustandam ineffabilium miserationum dulcedinem, & inscrutabilium judiciorum suavitatem, non modicum conferunt, tam viatoribus, quam beatis. (e) Judicia enim Domini vera, & justificata in semetipsa, desiderabilia sunt super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum. Quid est autem quod animabus devotis magis faciat sapere Christum Jesum, & hunc crucifixum, nisi quia per eum liberatas se credunt, & secernunt ab immanium tyrannide hostium, & infernalium æternitate pœnarum? Juxta quod Propheta decantat: Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomentuum in æternum: quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Consideratio Inferni adhibenda.

Psal. 18. 10. & seqq.

Quid animabus devotis faciat sapere Christum, & hunc Crucifixum.

Psal. 85. 12. & seqq.

§. XIII. Harum igitur considerationum duodecim per quædam antitheta, (f) seu contrapositiones dispositarum, sex sunt principales, quibus scilicet anima convertitur ad interiora, superiora, anteriora, dextra, propinqua pariter, & aperta; ut videlicet primo cognoscat semetipsam, deinde gloriam ad quam facta est, tertio viam per quam ad illam perveniat, quarto solatia per quæ fovetur, quinto præsidia per quæ defenditur, sexto charismata per quæ adornatur. Inter quas primam inter omnes ponimus considerationem sui ipsius; (g) nam

Sex considerationes principales.

„ tantum elongetur, ne redire possit, & ex„ cludatur a deliciis Paradisi, & non gustet de „ Ligno vitæ. Edere de Ligno vitæ, his illu„ strationibus est refici, ut homo nihil quærat, „ nisi intellectum veritatis, affectum pietatis, „ delectationem suavitatis, & solatium contem„ plationis. Sed quando homo horum oblivi„ scitur, & delectatur in studio curiositatis, „ vult scire tantum, & ex hoc nascitur super„ cilium vanitatis &c. “.

(a) In 2. Dist. 24. parc. 1. art. 2. q. 2. in concl. nec Breviloq. par. 3. cap. 8. Item in eod. 2. Dist. 16. Art. 2. Q. 2. prope fin. *Vir accipitur metaphorice pro superiori parte rationis, & mulier pro inferiori, sicut exponit Augustinus de Trinitate*. (Lib. 11. cap. 13.)

(b) Haud absimilia in fine Præfationis Ligni vitæ, ubi ad hoc ut ejusdem Ligni vitæ *fructus sua maxima suavitate delectent, & virtuositate confortent animam meditantem in his, & diligentius singula pertractantem*; idemmet requirit, *ut abhorreat exemplum prævaricantis Adæ, qui Lignum scientiæ boni & mali prætulit Ligno vitæ*. Unde etiam continuo subnectit: *Quod quidem vitare non potest, nisi rationi fidem, investigationi devotionem, curiositati simplicitatem, tandemque carnali sensui omni, seu prudentiæ carnis, sacram præferat Christi Crucem, per quam Sancti Spiritus caritas in cordibus devotis nutritur, & septiformi gratia diffunditur*.

(c) *Crux* vocatur *frutex*, sive *fructus*, *salvificus* etiam in Prologo Ligni vitæ nostri Auctoris.

(d) Quo ad prædicta simili modo differit & Serm. sive Collat. 19. in Hexaem. ubi loquitur in hæc verba „ Postquam (Adam) deseruerat „ Lignum vitæ, abscondit se. Vidit enim se „ nudum ab omnibus habitibus bonis, propter „ quod abjectus est de Paradiso. “ Et infra ex Bernar. de grad. Humililit. & superb. gradu 1. „ Beatus Bernardus dicit de gradibus „ superbiæ, quod primum vitium est curiosi„ tas, per quod Lucifer cecidit: per hoc etiam „ Adam cecidit. Appetitus ergo sciendi mo„ dificandus est, præferenda est ei sapientia, „ & sanctitas. “

(e) Sicut horum est contemplari Lignum vitæ, nempe Crucem, ita & Infernum; eodem enim Bonaventura auctore in Incendio sive Incentivo amoris Cap. 3. *Infernus horribilis manifestatus est nobis per Crucem*. Hinc etiam cap. 3. Soliloq. considerationem Inferni proponit.

(f) Hocce vocabulum ab ipsomet Auctore adhibitum legere quoque est Serm. sive Collat. 2. in Hexaem.

(g) *Quomodo* scilicet *anima per mentale exercitium debet radium contemplationis reflectere ad interiora sua, ut videat qualiter est formata per naturam, deformata per culpam, & reformata per gratiam*, edifferit Auctor cap. 1. Soliloquii. Consulatur quoque cap. 1. Incendii amoris. Ad id etiam quod primo ponit *considerationem sui ipsius* spectat illud, quod tradit cap. 1. de perfect.

nam intellectualis oculus *(a)* primo natus est inspicere semetipsum. Quod insinuat Sponsus in Cant., cum animam volentem contemplari sublimia, increpat, & reflectit considerationem ipsius in semetipsam. Nam cum desiderio inquirenti: Indica mihi, quem

Cant. 1. 6. & seqq.

diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, cum increpatione respondet: Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum. Quasi diceret: Si vis cognoscere me, prius incipias a temetipsa, quæ facta es ad

Recolenda in nobis Trinitatis imago, ut ad Divina erigamur.

imaginem & similitudinem Trinitatis.*(b)* Sicque a consideratione sui erigitur ad Divina, *(c)* & per promissa præmia inducitur ad præcepta, a quibus ne declinet, ostenduntur ei solatia, præsidia, & dona sibi cœlitus inspiranda.

§. XIV. Verum quia mens frequenter a phantasmatibus aliisque præpedita *(d)* non valet in his mentales oculos pro voto jugiter figere; ideo proponun-

Sex considerationes aliæ.

tur sex considerationes aliæ ex adverso, ut qui non potest interius commorari, ad exteriora se conferat: & qui non valet ad superiora conscendere, descendat ad ima: & qui non se valet in anteriora protendere, posteriora formidet: & cui solatia divina non sapiunt, saltem flagella pavescat: & qui civium non attendit præsidia, hostium perpendat insultus: & qui charismata spiritualia contueri tamquam animalis non potest, saltem horum speculetur sensibilia signa tamquam exterius sibi proposita sacramenta. *(e)* Sicque fiant vicissitudines luminarium matutinorum, & vespertinorum in hemisphærio mentis nostræ, *(f)* quatenus sicut Deus sex diebus Mundum hunc sensibilem condidit, & ornavit, sic spiritum rationalem senis vicissitudinibus illustrationum illuminet, & adornet; *(g)* ut post sextam diem collocetur in Paradiso, in quo per contemplationem quiescens, & dormiens, *(h)* ad spiritualis connubii perducatur arcanum, *(i)* ubi vere abscon-

---

fect. vit. ad Soror. ubi agens de *cognitione sui ipsius*, adeo necessariam existimat, ut ita illud incipiat: *Ad perfectionis vitæ fastigium Sponsæ Christi conscendere cupienti, primum necesse est, ut a seipsa incipiat &c.*; & ita concludat: *Omnibus ergo postpositis, tui ipsius habe memoriam, & notitiam. Hoc etiam B. Bernardus orabat, dicens: Deus det mihi non aliud facere, & scire, quam ut me ipsum cognoscam*. Refert quoque Ser. sive Col. 19. in Hexaem. velut *in fronte Apollinis scriptum: Recognosce te ipsum, quia sine hoc impossibile est devenire ad sapientiam*. Idipsum impossibile censet Richardus Vict. de Archa Myst. sive de Contempl. L. 3. c. 6.

(a) Oculum rationis vocat cap. 3. Itinerarii mentis in Deum, & cum Hugone de S. Victore iterum *oculum rationis* 2. Part. Breviloq. c. 12., *oculum*, inquam, *rationis, quo homo videret animum, & ea quæ sunt in animo*, sive *ea quæ sunt intra se*.

(b) Ad nos reintremus, inquit cit. cap. 3. Itin., *in mentem scilicet nostram, in qua Divina relucet imago*. Et cap. 1. Soliloquii: „ Adhuc *si forte ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum*, id est irrationabilium creaturarum, quæ sunt vestigium creatoris tui, tu vero speculum beatissimæ Trinitatis. Ergo omnibus dignior & excellentior comprobaris: *Et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum*, id est converte cogitationes tuas ad choros Angelorum, quibus quodammodo similis es in natura, & concivis eris in gloria. “ Loquitur autem de ejus *nobilitate tam naturali, quam gratuita, per quam est pulcherrima inter mulieres, id est super ceteras animas*, ut habet ejus in Cant. Canticor. ad hunc ipsum textum Exposit. de qua infra.

(c) Oculo videlicet *contemplationis, quo videt homo ea, quæ sunt supra se*, adeoque *Deum, & ea quæ sunt in Deo* cit. par. 2. Breviloq. c. 12. Namque *aspectus veritatis debet esse erectus ad incomprehensibilia, & hæc sunt mysteria summæ Trinitatis, ad quæ erigimur contemplando ea*, Cap. 3. Incen. amor. versus finem. Vide sis Ser. 2. in Hexaem. ubi de *aspectu ad æterna, & invisibilia, qui dicitur intellectus, vel intelligentia*. Ad id autem ita opus est sui cognitione, ut dicatur cit. Cap. 1. de perfect. Vit. ad Soror. „ Nihil recte æstimat qui seipsum ignorat, qui conditionem suæ dignitatis non pensat. Nescit omnino, nescit de Spiritu, quid de Angelico, quid de Divino sentire debeat, qui Spiritum suum primo non cogitat. Si nondum idonea es redire ad te ipsam, si nondum digna es intrare tabernaculum primum, qua fronte præsumes ingredi tabernaculum secundum? Si cupis elevari ad secundum & tertium Cœlum, sit tibi transitus per primum, id est, cor tuum &c. “

(d) Hæc quæ sequuntur ad id recensentur impedimenta cap. 1. modo allegato. „ Quia mens sollicitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam; quia phantasmatibus est obnubilata, non redit ad se per intelligentiam; quia concupiscentiis illicitis illecta, ad se nequaquam revertitur per desiderium suavitatis internæ, & lætitiæ spiritualis: ideo totaliter in his sensibilibus jacens, non potest ad se tamquam ad Dei imaginem intrare &c. “

(e) Cap. 2. Itiner. ment. in Deum.

(f) Hanc ipsissimam metaphoram usurpavit D. Bona. in Prol. Apolog. Pauperum, atque Serm. sive Collat. 20. in Hexaem.

(g) Cap. 7. cit. Itinerar.

(h) Ibi Cap. 1. 6. & 7. nec non in Procem. Breviloq. de longit. sac. Scriptur. atque cap. 2. Incendii sive Incentivi amoris.

(i) Cap. 7. dicti Itinerarii vocat *mysticum, & secretissimum*, cap. 3. autem Incendii sive Incentivi

fconduntur, tamquam thesauri sapientiæ & scientiæ, copiæ multiformes, atque spirituales & inæstimabiles deliciæ Paradisi. (*a*)

Quies in Jesu Christo secura.

§. XV. Porro ut in intimis Christi Jesu crucifixi conquiescat securius, (*b*) supradictæ illuminationes duodecim (*c*) non solum proponuntur sicut Arbores obumbrantes, (*d*) verum etiam sicut Armaturæ defensantes ac munientes lectulum pacifici Salomonis. (*e*) Nam si prædictæ illuminationes duodecim per quinque sensus spirituales ducantur, ad sexagenarium perveniunt numerum. (*f*) Quo quidem numero fortium circumcingi oportet cubiculum animæ contemplantis, (*g*) quæ jam post inventionem
Cant. 3. 4. sponsi cum ipso in intimis conquiescit, juxta illud Cant. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Adjuro vos filiæ Jerusalem per Ibi 5.
capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. (*h*) Et quoniam animi tranquillitatem concomitatur gaudii suavitas (*i*); ideo subditur: Quæ est Ibi 6.
ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii? Insuper quia hanc animi tranquillitatem, & gaudii suavitatem concomitari debet custodiæ firma securitas, propterea sequitur: En lectulum Salo- Ibi 7. & 8.
monis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.

Abjectis itaque operibus tenebrarum, Ad Rom. 13. 12. & 13.
induamur arma lucis, ut sicut in die honeste ambulemus, & in noctibus (*k*) internarum quietudinum (*l*) suaviter & secure pausare (*m*) possimus. Amen.

SERA-

---

tivi amor. *copulam, osculum, & amplexum dilecti & amantissimi*. De prædicto *spirituali connubio* etiam infra Exposit. in Canticum Canticor.

(*a*) Ut scilicet vel heic sentiat & prægustet *quantum possibile est secundum statum viæ, quod in cruce dictum est latroni cohærenti Christo: Hodie mecum eris in paradiso*, cit. cap. 7. Itiner. Et cap. 1. ejusdem Itiner. *secundum primam naturæ institutionem, creatus fuit homo habilis ad contemplationis quietem, & ideo posuit eum Deus in Paradiso deliciarum*. De hujusmodi *deliciis paradisi* ait in 2. Sent. dist. 23. art. 2. q. 3. „ Sicut „ volunt Sancti communiter, Adam non solum „ fuit constitutus in Paradiso corporali, verum „ etiam in Paradiso spirituali, quantum ad „ delicias mentis. “ In quam rem laudat Au„ gustinum, & Damascenum.

(*b*) Cap. 7. Itiner. ment. in Deum.

(*c*) In fine Serm. sive Collat. 17 in Hexaem.

(*d*) Similia instar Arborum proponere, familiare Doctori nostro nemo negaverit.

(*e*) Exposit. sive Postil. in Cant. Canticor. Cap. 3. §. 153. ac seqq.

(*f*) De hoc numero in d. Exposit. sive Postil. ibi §. 551. ac seq. quo quidem numero perfectio designatur, auctore S. Greg. in Ezech. Lib. 2. Hom. 5. num. 12.

(*g*) Idem S. Greg. Moral. Lib. 7. Cap. 21. num. 24.

(*h*) *Dormiat in pace, & requiescat, Sponso adjuvante, quod non excitetur, donec de ejus voluntate procedat*, Cap. 4. Itiner. ment. in Deum.

(*i*) Cap. 3. Incendii sive Incentivi amoris, ubi memorat continuo post *complacentiam quietantem propter Sponsi pulchritudinem, lætitiam delectantem propter Sponsi plenitudinem*.

(*k*) Sive *nocte*, de qua Breviloq. part. 5. cap. 6. ad finem. Sive *Divinis tenebris*, de quibus cap. 7. Itinerar. ment. in Deum.

(*l*) De hac voce Gloss. & supplementum antiquarii Jani Laurembergi. Voce quoque *quietationis* utitur S. Bona. 1. Dist. 1. Ant. 3. q. 1. *Inquietudinis*, unde *quietudo*, Seneca 2. Benefic. Lib. 2. cap. 8. & S. Greg. Moral. lib. 18. cap. 43. num. 68. ac idemmet S. Bona. cum voce *inquietudinis* cap. 4. de perfect. vit. ad Sorortum *quietudinis* par. 5. Breviloq. cap. 1.

(*m*) Haud mirum a Bonaventura nedum heic, sed etiam cap. 13. Legen. ma. S. Fran. fuisse hoc verbum adhibitum, quum a Richardo Victorino Exposit. in Cant. par. 2. cap. 10. pluribusque aliis S. Bona. antiquioribus, & in Rubr. Miss. Rom. in Passio, nec non a Plauto ipso in Trinummo usurpatum legatur. Circa hocce vocabulum vide Prodromum col. 62. n. 3. circa vero hujusmodi quietem, qua gaudent puræ sanctorum contemplativorum animæ, in Opusc. De septem grad. Contemplat.

SERAPHICI DOCTORIS SANCTI BONAVENTURÆ

TRACTATUS IN PSALMUM XLV.

DE STUDIO DIVINARUM LITERARUM SEU DE CONTEMPLATIONE, ET SCIENTIA DEI.

ADMONITIO.

Hunc Tractatum, quem Vir Cl. Pater Lucas VVadingus, *cum aliis pluribus edendum paraverat, nunc primo exibemus ad fidem manuscripti Codicis Veneti, recentioris quidem Vaticano, sed ex vetustiore descripti, non tamen absque multis mendis, quibus antiquiora ipsa scatere consueverunt, quæve nos improbo sane labore, at bona fide, ita depurgare curavimus, ut a lectore deinceps valeat inoffenso pede percurri. Porro in nostram sententiam, quod reapse* D. Bonaventuræ *sit, facile concessuros speramus, quot quot ipsum ea qua par est attentione ac pietate perlegerint, iis non prætermissis, quæ ad eumdem Seraphico nostro Doctori adserendum in Prodromo col. 727. ac seqq. patefecimus. Certe quisquis recte perpenderit quod* §. *29. noster inquit Auctor de* Sapientia Christiana, *quod scilicet* potius consistit in spirituali gustu, quam in rationali aspectu, sive actu, & ideo potius est rimanda & addiscenda per gustum devotionis, quam per industriam humanæ actionis, *atque hæc diligenter contulerit cum illis, quæ de eadem* Sapientia *traduntur apud* D. Bonaventuram in 3. Sent. dist. 35. art. 1. q. 1. *diversus Auctor non apparebit. Idem esto judicium de similibus aliis. Hoc igitur Tractatu lector edoctus discet rectum ordinem in Studiis tenere, absque detrimento devotionis in iisdem proficere, vitia eorum declinare, quæstionibus inutilibus, & similibus aranearum telis, in quibus nihil præter subtilitatem est, prorsus relictis, solido studio Divinarum Literarum potissimum incumbere, ac requisita ad ejus perfectionem implere; ad Divinam sapientiam comparandam haud minus orationem, quam rationem adhibere, scientiæ caritatem conjungere, nihilque in suis studiis, ut Deo accepta, & Ecclesiæ utilia sint, desiderandum relinquere. Quapropter neminem fore spero lectorem cordatum, qui utilem non habeat hujusmodi Tractatum, vel post literaria dissidia* Viri Cl. P. D. Jo. Mabillon ex inclyta Congregatione S. Mauri O. B. *parte ex una, &* Reverendiss. P. Armandi Jo. Buthilierii de Rancè Abbatis Trappæ *ex altera parte, circa studia Monastica, evulgatosque ab iisdem egregios Tractatus. Equidem Tractatus iste* Mabillonio *quidem favet, dum studia literaria debito modo, methodo, ac tempore facta ab iis, qui pietatem imprimis colunt, impense commendat; sed suffragatur quoque* Buthilierio, *dum e contrario improbat illos, qui præpostero fine, modo, ac via student, aut plus sapere appetunt, quam oportet sapere, neque sapiunt ad sobrietatem, Namque ut scite loquitur* Eminentiss. Card. de Aguirre in Epist. ad D. J. Mabillon: Ex his capitibus peccatur frequentissime, ab iis etiam, qui Monasticam vitam professi, plus justo, ac incongruo modo exercitationibus literariis se dedunt; non tam in Dei obsequium, utilitatem publicam & privatam salutis propriæ laborantes, quam ob curiositatem, ambitionem, aut illiberalem quæstum. *E re ergo fuerit, ut tandem Tractatus iste publica luce donetur.*

INCIPIT TRACTATUS.

§. I.

Psal. 45. 11.

Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus. Sicut inter omnia nihil Deo altius & melius; sic inter omnes speculationes rerum, & scientias, nulla desiderabilior & felicior, quam Contemplatio & Scientia Dei. Propter quod Deus ipse per Psalmistam in verbo proposito nos invitat & hortatur dicens: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* (a)

Contemplatio Dei omnium speculationum Scientiarumque optima.

§. 2. Et primo nos invitat ad Contemplationis actum dispositivum & praeambulum, (b) qui est perfecta intermissio & abdicatio impedimentorum distrahentium a clara Contemplatione, (c) & hoc facit dicens: *Vacate.* (d) Et secundo invitat ad actum substantialem, & intrinsecum, atque specificum dicens: *Videte.* (e) Tertio invitando specificat ejus objectum principalissimum & gloriosissimum, subdens: *quoniam ego sum Deus.* (f)

Deus ipse nos invitat ad hujusmodi Contemplationem tripliciter.

§. 3. Ut autem hujus invitationis fructus & ratio clarius elucescat, sciendum, quod septiformis ratio dicitur nos movere, & quidem fortiter. Necessitatis vehementia primum est, quo movemur: (g) secundum utilitas divinae notitiae: tertium caritatis ardor ex notitia Divinorum: quartum sapientialis jucunditatis dulcor ad notitiam Dei: quintum naturalis ordo: sextum solemnis sanctarum Scripturarum editio: septimum exemplaris omnium Hierarchiarum perfectio, & evitatio errorum, & vitiorum, & suppliciorum, & omnium Divinorum judiciorum; & directio tam in credendis, quam in contemplandis, quam in agendis, & dijudicandis, & perventio ad gratiam & gloriam Dei, scilicet ad finalem terminum omnium desideriorum.

Septuplex ratio ad eamdem nos movens.

§. 4. Quod autem praedicta necessitas insit nobis, non solum ratio dictat, sed & Scriptura clamat. Unde Osee quarto dicitur: Quia tu scientiam repulisti, repellam & ego (h) te, ne sacerdotio fungaris mihi. Et quia (i) oblita es legis Dei tui, & ego obliviscar filiorum tuorum. Et Isaiae quinto: Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Et capite primo exprobrative dicitur: Cognovit bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui, Israel autem me non cognovit. Et Psalmista hoc vituperans dicit: Noluit intelligere, ut bene ageret. Et 1. ad Corinth. XIV. dicit Apostolus: Si quis autem ignorat, ignorabitur. Et 2. ad Thessalon. 2. Eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Propter quod merito Christus dicit, quod Regina Austri venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis.

Prima ratio necessitatis vehementia. *Osee. 4. 6.*
Isa. 5. 13.
Ibi c. 1. 3.
Psal. 35. 4.
1. Cor. 14. 38.
2. Thess. 2. 10.
Matth. 12. 42. & Luca 11. 31.

§. 5. Secundo debet ad hoc movere utilitas Divinae notitiae. Est enim utilis ad omnia; primo credenda; secundo contemplanda; tertio agenda, quarto discernenda; quinto speranda; sexto diligen-

Secunda ratio Divinae notitiae utilitas.

(a) Hunc textum inexplicatum reliquit Auctor in sua Expositione Psalterii, quem quidem defectum heic supplere videtur.

(b) Vid. supra de plant. Parad. §. 4. not. *d.*

(c) Ut scilicet eodem auctore cap. 7. Itinerarii mentis in Deum, *imponamus silentium sollicitudinibus, concupiscentiis, & phantasmatibus.*

(d) *Hoc quidem fit vacando, & sabbatizando ei per sanctas mediationes &c.*, Cap. 2. Incend. sive Incenti. amor.

(e) Ut nimirum *transeamus* (idem in d. Itin. ibi) *cum Christo crucifixo ex hoc mundo ad Patrem, ut ostenso nobis Patre dicamus cum Philippo: Sufficit nobis.*

(f) Ut videlicet *speculemur* (idem ibi) *in principio primo, & summo, & mediatore Dei & hominum Jesu Christo, ea, quorum similia in creaturis nullatenus reperiri possunt, & quae omnem perspicacitatem humani intellectus excedunt.*

(g) Quod *meditatio Legis summe necessaria sit*, probat Serm. sive Collat. 17. in Hexaem.

(h) Deest in Vulg. *& ego*; sed habetur in Cod. nostro sacror. Bibliorum A. 1. 40. nec non in eorumdem Edit. Numbergen. 1478. Item *& ego* habet Arab. ac Concil. Nicaen. II. Can. 2. To. 8. Concilior. Omn. Labb. & Cossart. col. 1543. Edit. Venet. habeturque insuper Dist. 38. Cap. Omnes. Hoc ipsomet textu ad id ipsum comprobandum Auctor noster utitur quoque in Collat. de sept. don. Spir. Sanct. ubi de tert. dono Scient.

(i) *Quia* in Vulg. similiter deest; sed extat in praed. Cod. nostro.

diligenda (*a*). Quod Psalmista bene ostendit dicens: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Et quando ait: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Et quando ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum. (*b*) Et: Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis.

Psal. 33. 6. — *Psal. 118. 130.* — *Ibi 105.* — *Psal. 18. 8.*

Tertia ratio Caritatis ardor ex notitia Divinorum.

§. 6. Tertio debet movere caritatis ardor. Notitia enim Divinorum administrat caritati multum fomentum ardoris. (*c*) Administrat enim rationes objectivas, sine quibus caritas non potest subsistere: directivas, sine quibus caritas non potest recte incedere: incitativas, sine quibus caritas non potest faciliter ebullire, & inardescere: inabyssativas, tradendo videlicet ipsi sui Dilecti rationes immensas & innumeras, trascendentes, ecstaticas, & anagogicas, ut quando ait: Speciosus forma præ filiis hominum. Et Cant. Dilectus meus candidus & rubicundus &c. Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis. Propter quod merito Apostolus 1. ad Timoth. 1. dicit: Finis præcepti est caritas. Et Christus Matthæi vigesimo secundo dicit, quod in duobus mandatis caritatis universa lex pendet, & Prophetæ.

Psal. 44. 3. — *Cant. 5. 10. ac 16.* — *1. Tim. 1. 5.* — *Matth. 22. 40.*

Quarta ratio sapientialis jucunditatis dulcor ad notitiam Dei.

§. 7. Quarto debet movere sapientialis jucunditatis dulcor ad notitiam Dei. (*d*) Quanto enim Dei notitia est major in homine, tanto magis Deum potest contemplari intellectualius & clarius, principalius seu immediatius, universalius seu diffusius, & multiplicius, intensius & tranquillius, ac per consequens dulcius & suavius. Unde Psalmista: Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. (*e*) Et: Satiabor, inquit, quum apparuerit gloria tua. Et quemadmodum desiderat certus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. (*f*) Et Job: Videbit faciem ejus in jubilo. Et iterum Psalmista: Beatus vir, inquit, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. Et alibi ait: Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi. Et ideo dicit Deus: In hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.

Psal. 33. 9. — *Psal. 16. 15.* — *Psal. 41. 2.* — *Job. 33. 26.* — *Psal. 1. 1. & 2.* — *Psal. 118. 99. & 100.* — *Jer. 9. 24.*

Quinta ratio ordo naturæ instituentis, consummantis & finientis. *Ad Rom. 1. 20.* *Natura inclinamur ad scire.* *Aristoteles Metaph. L. c. 1.*

§. 8. Quinto debet movere ordo naturæ instituentis (*g*), consummantis, & finientis. Ad hoc enim omnia sunt facta, ut per ea quæ facta sunt, conspiciantur invisibilia Dei. (*h*) Si enim naturaliter inclinamur ad scire, (*i*) multo magis ad scientiam summi Boni, & summi Entis repræsentantis & manudu-

(*a*) Ipsemet D. Bona. Serm. 1. Dom. 22. post Pentec. expendens illud Matth. 22. *Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, ita subdit „ Christus commendatur ab „ utilitate dicti, propter quam sinceriter est „ diligendus ratione utilitatis istius documenti, „ propter triplicem rationem: eo quod docet „ primo veraciter respectu credendorum: se- „ cundo delectabiliter respectu promissorum: „ tertio efficaciter respectu agendorum, vel „ operandorum &c. “

(*b*) De hujusmodi *lucerna* Ser. sive Collat. 17. in Hexaem. & de eadem *quantum ad credenda*, & *quantum ad agenda*, Exposit. in Cap. 11. S. Luc.

(*c*) In 1. Sent. Quæst. 3. Procem. in conclus. quod *Theologia est scientia affectiva*: nec non in 3. dist. 35. art. 1. q. 1. in conclus. quod *donum sapientiæ habet actum præcipuum in affectione consistentem*. Idipsum adseverat de notitia divinæ Scripturæ part. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 4., ubi ait: „ Scriptura tota ignea est, illuminans „ per Sapientiam intellectum, & ad amorem „ inflammans affectum. “

(*d*) De hoc D. ipse Bona. Serm. 2. de Adven. ubi ad ipsum percipiendum sic monet „ Ad „ hoc ut anima degustet dulcedinem Divinæ „ Sapientiæ, requiritur, ut purgetur a pecca- „ to, & resolvatur in aquam devotionis, ab- „ strahatur ab amore mundano, ut non sit „ dispersa ad exteriora: immo recolligat se to- „ taliter ad interiora, ne interponatur aliqua „ caligo; ut immediate recipiat stillicidium Di- „ vinæ influentiæ, & degustet dulcorem æternæ „ suavitatis. “ De *spirituali jucunditate, qua adepta promptus est animus ut sursum tendat* Cap. 1. Incend. sive Incenti. amor. Item de *jucunditate* Serm. sive Collat. 21. in Hexaem. De *Sapientiali oblectatione* Serm. 1. Dom. in Sexages. in fine.

(*e*) In Opusculo de septem gradibus Contemplationis, ubi de *Gustu*, nec non Serm. 20. in Hexaem. post init., & cap. 2. Incend. sive Incenti. amoris, ubi de *primo gradu suavitatis*. Item in Exposit. super Lib. Sapient. cap. 1.

(*f*) Cit. Serm. 2. de Adventu: Hunc dulcorem aliqualiter sentiens David Propheta dicebat: *Quemadmodum desiderat cervus &c.* Vide quoque cap. 3. Incend. sive Incenti. amor.

(*g*) Sive *secundum primam naturæ institutionem*, quando scilicet *creatus fuit homo habilis ad contemplationis quietem*, cap. 1. Itiner. ment. in Deum. Sive ut loquitur in 2. Dist. 30. Art. 1. Q. 1. in concl. *naturæ institutæ a primordio suæ conditionis*.

(*h*) Vid. supra De Plantat. Parad. §. 1.

(*i*) Serm. 5. de plurib. SS. Martyr. versus fin. nec non Serm 4. de una S. Virg. ab init. nec non in 2. dist. 22. dub. 3.

centis. (*a*) Omnia enim suis speciebus & refulgentiis (*b*) Deum repræsentant, juxta illud Sapientiæ tertiodecimo: A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. (*c*) Item ordo naturæ consummantis & finientis. Semper enim natura intendit unamquamque rem conjungere suo proprio fini. Constat autem, quod ultimus finis creaturæ intellectualis est præcipue ipse Deus, & prima conjunctio, qua Deo unitur, est ipsa cognitio Dei. (*d*)

Sap. 13. 5.

Natura intendit rem omnem suo fini conjungere.

Sexta ratio Scripturarum sanctarum solemnis editio.

§. 9. Sexto autem debet movere Scripturarum sanctarum solemnis editio. Si enim notitia non esset optanda & acquirenda, non tantopere, nec tanta auctoritate, Deus ab initio in Scripturis sacris suam notitiam tradidisset. Quæ utique principaliter, & quasi universaliter, agunt de Deo, & ejus cultu, & de sua providentia, quæ mundum regit. Quod quidem patet, si Scripturas sacras inspicias in suis quatuor partibus, in quibus tota ejus litera continetur, scilicet in suis Legalibus, Historialibus, Sapientialibus, Prophetalibus, (*e*) in quibus literalia, moralia, allegorica, anagogica itidem invenies, & suspicies eis correspondentes sensus literalem, moralem, allegoricum, anagogicum. (*f*) Hæc enim sunt quatuor animalia plena oculis. (*g*) Hac etiam sunt duo testamenta, quasi duo luminaria magna; (*h*) & duo Cherubim, quod interpretatur plenitudo scientiæ (*i*). Propter quod Joannis quinto admonet Judæos ipsam perscrutari dicens: Scrutamini Scripturas, in quibus vos (*k*) putatis vitam æternam habere: illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Hæc etiam ratio fuit Apostolo scribendi Epistolas suas 1. Timoth. 3. Hæc scribo tibi, fili Timothee, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, & columna, & firmamentum veritatis. (*l*) Et capite quarto: Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Et in Epistola secunda capite tertio: Tu vero permane in his, quæ didicisti, sciens a quo didiceris; & quia ab infantia sacras literas noscis, quæ te possunt instruere ad salutem, scilicet si pie legantur, & intelligantur, non male ut Hæretici. (*m*) Omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia. Ad docendum scilicet rudes, ad arguendum scilicet negligentes, ad corripiendum scilicet profanantes & contumaces, ad erudiendum in justitia scilicet provectos; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Hinc etiam ad Titum primo dicit, quod oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.

Scripturarum quatuor partes.

Earum sensus quatuor.

Testamenta duo, quasi duo luminaria magna.

Cherubim interpretatur plenitudo scientiæ.

Jo. 5. 39.

1. Tim. 3. 14. & 15.

Cap. 4. 13. 2. Tim. 3. 14. & seqq.

Sacra Scriptura pie legenda, & intelligenda.

Ad Tit. 1. 9.

§. 10. Septimo debet movere omnium Hierarchiarum perfectio, videlicet Hierarchiæ legalis, fidelis, finalis, cœlestis. In prima quidem traditus fuit principalis cultus & notitia unius Dei. In secunda Trinitatis, in ratione perceptibilis seu credibilis. (*n*) In tertia, in qua consummata est perfectio Evangelica & vita contemplativa, traditur

Septima ratio Hierarchica perfectio.

Dei

(*a*) De *summo ente*, ac *summo bono*, cap. 5. d. Itinerar. Quo pacto nos *in Divina manuducimur*, ibi cap. 4.

(*b*) Hac voce utitur quoque Serm. sive Collat 20. in Hexaem.

(*c*) Exposit. in cap. 13. Sap. ad hunc text. Par. 1. de Eccl. Hierarch. cap. 1. nec non in 1. Dist. 3. Par. Art. 1. Q. 2. in Fundam.

(*d*) In eod. 1. Dist. 1. Art. 3. Q. 1. & 2.

(*e*) In Prœm. Breviloq. de latit. sacr. Script.

(*f*) Ibi de profundit. sacr. Scriptur.

(*g*) Serm 13. in Hexaem. ac Comment. in Cap. 11. Apocal.

(*h*) Eod. Serm. 13. in Hexaem.

(*i*) Sive *plenitudo sapientiæ*, de Eccl. Hierar. part. 1. c. 3. & *plenitudo scientiæ dicitur*, 2. dist. 6. Art. 1. Q. 1. ad 1.

(*k*) Sic etiam MS. Codex 40. hujus nostræ Bibl. Bernardinianæ, sicque pariter idem Auctor Comm. in Evang. Jo. cap. 5. ver. 39. ubi vide.

(*l*) Totam præcedentem lectionem servat noster Interpres etiam Serm. 1. in Hexaem. paucis post initium, nec non in Collat. de septem donis Spir. Sanct. num. 41. ubi vide.

(*m*) Sic Exposit. in Cap. 1. Sap. post init. ubi disserit de Scriptura sacra pie legenda, & intelligenda. Ibi enim expendens illud: *Sentite de Domino in bonitate*, ait „ *Sentite*, scilicet „ recte æstimando; *de Domino in bonitate*, id „ est, bene, non male, ut Hæretici. Monet „ autem ad bene sentiendum, & sensu exte„ riori pie Divinas Scripturas legendo; & sen„ su interiori pie intelligendo. Unde Glossa: „ Scripturam pie legite, & intelligite: pie „ scilicet, devote approbando, & exequendo, „ quod intelligitis; & non redarguendo, vel „ condemnando, quod non intelligitis. “

(*n*) Quippe *cognitio Trinitatis est cognitio fidei*; 1. dist. 3. par. 1. art. 1. q. 4. in Fundam.

Dei ſapientia experimentalis, (*a*) & ſuperintellectualis, & cultus ejus ecſtaticus, vel elevatus, (*b*) ut ſint omnes docibiles Dei, & terra ſic repleta ſcientia Domini, quaſi aquæ maris operientes, juxta quod promittunt & prædicunt Jeremias & Iſaias. (*c*) In quarta vero videbimus Deum facie ad faciem ſecundum Apoſtolum, & ſecundum Joannem videbimus eum ſicuti eſt. Teſte eodem Chriſto, vita æterna eſt cognoſcere Deum, & quem miſit Jeſum Chriſtum.

Jo. 6. 45. *Jeremias. Iſaias.* *1. Cor. 13. 12.* *1. Jo. 3. 2.* *Jo. 17. 3.*

Proponuntur objecta quadruplicia.

§. 11. Sed fortaſſe dicetur a multis, quod a Dei notitia acquirenda retrahit ipſos quadruplex cauſſa, videlicet impoſſibilitas, vel difficultas obtinendi propoſiti, contrarietas, ſeu repugnantia imitabilis exmpli, impedimentum melioris boni, periculum multiplicis mali, ſeu damni.

Prima objectio.

§. 12. Primum quidem patet, quia impoſſibile eſt, aut valde difficile videtur, pertingere ad ſufficientem ſcientiam Divinorum. Unde paucos videmus, aut nullos, ad hoc pertigiſſe, aut pertingere poſſe.

Secunda objectio.

§. 13. Contrarietas vero exempli, quia tam Apoſtoli, quam Anachoritæ, & fere omnes altiores Sancti, Deique cultores, Divinarum literarum ſtudio aut nihil, aut modicum vacaſſe leguntur. (*d*) Et de Capite Chriſto dicitur Joannis Septimo, quod literas non didicit.

Jo. 7. 15.

Tertia objectio.

§. 14. Tertium patet, quia ſtudium etiam divinarum literarum videtur impedire opus ſuperfervidæ (*e*) orationis, & opera miſericordiæ ad proximum, & fere omnia opera vitæ activæ.

Quarta objectio.

§. 15. Periculum vero multiplicis mali, quia videtur ex hoc imminere periculum præſumptionis; tum quia ſecundum Apoſtolum 1. Cor. 8. ſcientia inflat: tum quia præſumptuoſum videtur perſcrutari divinæ majeſtatis ſecreta; unde Proverbiorum vigeſimoquinto dicitur: Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum, ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis opprimetur a gloria. (*f*) Secundo videtur ex hoc imminere periculum erroris. Si enim hæretici non intromiſiſſent ſe quo ad ſubtilem inquiſitionem Divinorum, non ita erraſſent. Tertio videtur ex hoc imminere periculum curioſitatis, & vanitatis. (*g*) Velle enim multa perſcrutari valde reddit hominem vanum, & curioſum, & ſupervacuum, ſive vagum. Inanis enim gloria cito concipitur ex admiratione, & honore, in quo periti & literati videntur ſe habere. Quarto videtur ex hoc imminere periculum indignationis, & contentionis, (*h*) juxta illud Eccleſiaſtes primo: Eo quod in multa ſapientia multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam, (ad ſcientiam) addit & dolorem. (*i*) Studioſi etiam de facili (*k*) multos habent detractores, quos difficile eſt tranquille portare. Unde etiam Martha mota eſt contra ſororem ſuam audientem verbum Domini. Et Hieronymus ſecundo Prologo ſuper Job: Si aut

1. Cor. 8. 1. *Prov. 25. 27.* *Curioſitas ſciendi nimia periculo plena.* *Eccle. 1. 18.* *Luc. 10. 40.* *Hieronymus. Prol. 2. ſuper Job.*

(*a*) De *cognitione Dei experimentali, cujus actus conſiſtit in deguſtando divinam ſuavitatem*, vide ſis in 3. Sent. diſt. 35. art. 1. q. 1. in concluſ. De hoc ipſo infra §. 29.

(*b*) Opuſc. de ſept. grad. contemplat. Al. *excitatus*.

(*c*) Iſaias cap. 54. ℣. 13. dicit: *Univerſos filios tuos doctos a Domino*. Et cap. 11. ℣. 9. *Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes*. Et Jeremias cap. 3. ℣. 15. *Et dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina*.

(*d*) Ut de ceteris omittam, de S. Patriarcha Benedicto, cujus nomen indignus gero, refert Auctor noſter Ser. ſive Collat. 20. in Hexaem. *Non multum ſtuduerat ipſe, nec libros habebat, quia ipſe decimotertio anno mundum dimiſerat, & latitabat cum beſtiis, ſicut una fera. Unde etiam paſtores crediderunt eum feram*. In hanc rem videri poteſt Reſponſio Jo. Buthilierii de Rancè Abbat. Trapp. ad Tract. de ſtud. Monaſ. Jo. Mabillonii.

(*e*) Tam bene potuit heic S. Bona. uti hoc adjectivo *ſuperfervidæ*, quam in Opuſc. de ſept. grad. contempl. adverbio *ſuperfervide*. Vide infra Præfat. in Cant. Canticor. §. 11.

(*f*) Infra §. 26. in not.

(*g*) De hoc periculo cap. 1. de perfect. vit. ad Soror. ſic „ O quam magni periculi res „ eſt in homine religioſo multa velle ſcire, „ & ſeipſum neſcire! O quam prope ille re- „ ligioſus eſt perditioni, & interitui, qui in „ cognoſcendis rebus eſt curioſus, in judican- „ dis aliorum conſcientiis ſollicitus, ſeipſum „ autem ignorat & neſcit! O Deus meus! „ unde in religioſo eſt tanta cœcitas! &c. " Item in Epiſt. ad Magiſtr. Innominat. *ſupponis, Quod Regula vetat curioſitatem; ſuppono & ego*. Et infra: *Fateor, diſplicent tibi curioſitates, diſplicent & mihi, & diſplicent Fratribus bonis, & diſplicent Deo & Angelis*.

(*h*) Serm. ſive Collat. 18. paucis poſt init. „ Quando homo delectatur in ſtudio curioſita- „ tis, vult ſcire tantum, & ex hoc naſcitur „ ſupercilium vanitatis cum alios deſpicit: ex „ quo ſequitur litigium contentionis; quia re- „ putat ſe deſpectum quandoquis reſpondet ei: „ & ſemper eſt paratus contra illos qui reſi- „ ſtunt ei. "

(*i*) Vulg. *laborem*; ſed *dolorem* ipſemet S. Bona. Expoſit. in cap. 1. Eccleſiaſtes, nec non Serm. 2. de uno Martyr.

(*k*) Vid. Prodromum col. 543. ac ſeq. ac col. 607.

Si aut fiscellam junco texerem, aut palmarum folia copularem, (a) ut in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus soluta mente tractarem, (b) nullus morderet, nullus reprehenderet: sicut autem (c) juxta sententiam Salvatoris volo operari cibum, qui non perit, & antiquam divinorum voluminum viam sentibus virgultisque purgare, error mihi geminus infligitur: corrector vitiorum, falsarius vocor, (d) & errores non auferre, sed serere. Item multiplici experimento probamus, in Collationibus seu Disputationibus injurias, & contentiones garrulas, maledictas, superbas, & iracundas. (e)

Aliæ quatuor objectiones.

§. 16. Ulterius quatuor rationes videntur posse trahi, ex quibus aperte concludi videtur, in nostris studiis esse multiplex vitium, sive damnum, quarum duæ primæ ex caussa finali, quæ in moralibus tenet principatum, (f) videntur demonstrative procedere: duæ vero ultimæ experimento sunt certitudinaliter (g) comprobatæ.

Prima objectio ex caussa finali.

§. 17. Prima ratio est, quia constat, quod quicumque diligit aliquid solum propter aliquem finem, quanto plus diligit illum finem, & ferventer inhiat ad illum, eo ipso convincitur, illum finem diligere super illud aliud, quod solum diligit propter illum finem. (h) Verbi gratia: Qui ferventer cupit medicinam amarissimam, in qua utique nihil nisi sanitas potest amari, constat, quod eo ipso cupit ferventer sanitatem; cum enim in amara medicina nihil videatur diligibile, planum est, quod non diligit eam, nisi in quantum sanitatem diligit. Secus tamen est, si quis potum de se sapidum plus cupit, quam sanitatem; patet enim, quod delectatio illius potus movet appetitum propter se, & non propter sanitatem. Sed nos videmus, quod multi studentes nostri temporis ferventissimi sunt ad studium, valde autem tepidi ad caritatem Dei, & proximi, & acquisitionem virtutis, quæ utique sunt, & esse debent finis boni studii. (i) Ergo &c.

Finis diligitur super illud quod diligitur propter finem.

Finis boni studii inquisitio virtutis, ac caritas Dei, & proximi.

Secunda objectio ex caussa finali.

§. 18. Secunda ratio est, quod quicumque vult aliquid propter aliquem unum finem, paratus est dimittere illud pro tempore, pro quo videt non expedire illud habere, vel exercere pro tali fine; alias convincitur amare illud propter aliquid aliud. Sed multi nostrum, quando est tempus orandi, aut serviendi infirmis, aut hospitibus, aut explendi obedientias Prælatorum, tunc ferventius inhiant ad studium, & illius occasione multa tunc amplius agenda relinquunt. Ergo &c.

Tertia objectio experimentalis.

§. 19. Tertia ratio est, quia videmus, quod Frater non longo tempore eleemosynas quærens, serviens leprosis, aut infirmis, aut in coquina scutellas lavans &c.; sæpius crescit ex hoc in simplicitate, & humilitate, & pietate, & austeritate. (k) E converso videmus multos ex studio literarum fieri superbos, & arrogantes, tepidos, indevotos, & car-

(a) In editis, & MS. Trident. *complicarem*.
(b) *Sollicita mente pertractarem*.
(c) *Nunc autem quia*.
(d) *Dicor*.
(e) In Procemio Libri 1. Sent. quæst. 2. in conclus. commemorat *garrulos ratiocinatores, elatiores magis, quam capaciores*.
(f) *In omnibus agendis, & imitandis, debet homo, uti consilio finis*, Serm. sive Collat. 3. in Hexaem. Item ibi: *Regula est circumspectionum moralium, ut homo cum desiderio cordis, & prosecutione operis, consideret quid vitandum; quia omne bonum; quid expectandum, quia summum bonum*. Vid. infra Præfat. in Cant. §. 25. in fine.
(g) Hoc circa adverbium alibi quoque a D. Bona. adhibitum, vid. Prodr. col. 552. ac col. 592.
(h) 2. Dist. 1. par. 2. Ar. 2. Q. 2. in Fundam. ex Arist. 1. Ethic. *In omni genere nobilius est illud propter quod est alterum, sicut finis, eo quod est ad finem*. Et ibi ad opp. *In omni genere quod tenet rationem finis illud est melius*. Sicut autem bonum est, quod omnia appetunt, ita nobilius & melius magis appetitur.
(i) Maxime *studii Divinarum Literarum*, quæ ubique prædicant *caritatem Dei & proximi*. Namque ut ait D. Bona. in Princip. sac. Scriptur. loquens cum S. Augustino. *Non præcipit Scriptura nisi caritatem*. Illam, inquam, *caritatem*, per quam appetimus *summum bonum, quod est summi boni caussa & principium*, Serm. 7. de SS. Apost. ab initio Vid. infra §. 23.
(k) Hæc confirmantur pluribus exemplis, quæ in Minorum Chronicis referuntur. Profecto prædicta fuisse suorum Fratrum humilia exercitia ipsemet adseverat in Epistola ad Magistrum Innominatum inquiens, quod eorum sit *eleemosynas quærere, coquinam facere, infirmis servire, scutellas lavare, & in omnibus humilitatis exercitiis laborare*; illud etiam addens, quod talia *humilitatis exercitia dulciora Fratribus sunt, quam multa officia dignitatis*. Cujus quidem humilitatis luculentissimum exemplum præbuit ipsemet D. Bonaventura, dum in Conventu Nemoris de Mugello, non procul a Florentia, deferentibus sibi Galerum, responsum dare noluit, nisi post ab se lota culinæ vasa, ajens ad Fratres: *Postquam Fratris Minoris explevimus munia, experiamur ista graviora; salutaria hac, & salubria mihi credite Fratres: illa vero magnagnarum dignitatum ponderosa, & periculosa*. Vid. Prodrom. col. 56.

carnales, *(a)* & garrulos, *(b)* & procaces, & negotiatores librorum, *(c)* & quæſtores grandium pecuniarum pro multiplicatione librorum. *(d)* Igitur &c.

Quarta objecto experimentalis.

§. 20. Quarta ratio eſt, quia videmus, quod prædicti, qui humilitatis & pietatis officia longo tempore pro Chriſto fecerunt, in hora mortis libentiſſime recolunt illa, & maximam ſpem vitæ æternæ concipiunt ex recordatione illorum. E contra vero videmus multos eorum, qui longo tempore ſtuduerunt, ſuum ſtudium in hora mortis perhorreſcere, & de tanta occupatione ſui in illo vehementer ingemiſcere & dolere. Ergo &c.

Tria expenduntur ad prædictas objectiones diluendas.

§. 21. Ad diſſolutionem prædictarum objectionum tria ſunt per ordinem attendenda. Primo quis ſit rectus & verus modus ſtudendi. Secundo qua cauſſa per ſe, vel per accidens, proveniunt præfata ſtudentium vitia vel pericula. Tertio quod Chriſtus & Sancti præallegati, qui literarum ſtudio modicum inſtiterunt, non ſunt totaliter a viris idoneis ſequendi, ſi velint proficere ſibi, & Eccleſiæ per ſtudium literarum. *(e)*

Septem ad ſtudii perfectionem requiſita.

§. 22. Pro quo autem ſciendum, quod ad perfectionem ſtudii ſeptem exiguntur. Primum eſt ſcientialis & doctrinalis veritatis *(f)* utilitas *(g)*, vel alia fructuoſa conditio, una vel plures. Nam in prærerneceſſariis, & infructuoſis, non eſt cuiquam pro perfectione, aut profectu ſtudendum.

Primum doctrinalis veritatis utilitas.

Secundum recta intentio.

§. 23. Secundum eſt rectus finis, ſive recta intentio, ut ſcilicet ſit ad Dei honorem, & ad ſui, & aliorum utilitatem, & ad ædificationem, *(h)* non autem propter quæſtum cupiditatis, nec propter ambitionem gloriæ inanis, aut dignitatis, vel cujuſcumque temporalis lucri, ſive favoris *(i)*; vel propter ipſum ſcire, ut ſcilicet in hoc finis conſtituatur, quia hoc ſecundum Bernardum curioſitatis, & vanitatis eſt *(k)*, & indubitanter multum abducit, & elongat ab incendio & ſtudio caritatis, cui tamen, ne erret, ſcientia adjungenda *(l)*.

Bernar. Serm. 36. in Cant. n 3.

Tertium ordinata affectio.

§. 24. Tertium eſt ordinata affectio ad ſcientiale illud ſtudium, ut ſcilicet amplius & perfectius ametur, & ferventius quæratur, quod eſt melius, & fructuoſius, & amabilius, & magis neceſſarium caritati, & ſpirituali ſaluti, & divino cultui. *(m)* Qui autem fervet in minus bonis, minuſque utilibus, tepet

(a) *Tepidos, & indevotos, & ſecundum carnem ſapientes*, etiam carpit in Epiſt. ad Miniſtros Provinciales & Cuſtodes De reformandis Fratribus ſui Ordinis.

(b) Vide ſupra in fine §. 15. in not. *e*.

(c) Unde in ſupra cit. Epiſt. ad Min. & Cuſt. inquit: *Excitetur ergo cordis noſtri devotio, & fervor ad zelum, & ejectis negotiatoribus de domo Patris cæleſtis, Fratres omnes ad orationis & devotionis ſtudium accendatis.*

(d) In alia Epiſt. ad quemdam Provincialem Miniſtrum inter cetera plura ipſi mandavit, ut *Librorum ſumptuoſitatem amputare ſtuderet*, ſicut & *diſcurſuum cauſſam & quæſtuum*. Et ſicut heic vetat *librorum ſumptuoſitatem*; ita in Epiſt. ad Magiſtrum Innominatum *proprietates librorum*, non vero uſum pauperibus convenientem.

(e) Videlicet ſecundum illud quod canitur in Feſto S. P. Franc. 4. Octobr. Antiph. 1. ad Laud. *Non ſibi ſoli vivere, ſed aliis proficere vult Dei zelo ductus.*

(f) De illa *triplici veritate* loquitur, quam & docuit Magiſter *omnis veritatis*, nempe *fugienda mala, propter Divinæ reverentiæ timorem; operanda bona, propter amorem juſtitiæ; & appetenda cæleſtia, propter fruitionem ſapientiæ: & per hæc ordinetur homo ad ſeipſum; ad proximum; & ad Deum.* Ita D. Bona. Serm. 3. Dom. 3. poſt Oct. Paſch. prope fin.

(g) *His nihil utilius eſt homini ad conſummationem vitæ ſpiritualis.* Ibi.

(h) Heic namque commendata *ſapientia non eſt mundana, quæ inflat, ſed illa quæ ædificat*, Par. 1. de Eccl. Hierarch. cap. 3.

(i) Inter Sermones S. Bona. de Sanctis in communi Serm. 2. in ord. 31. pro uno S. Doctore Art. 1. ſic „ Primo omnium debemus „ videre cauſſam, propter quam ad ſcientiam „ moveri debemus. Non igitur cauſſa vana, „ non lucrativa: ſed cauſſa animæ perfectiva „ nos debet principaliter ad ſcientiam move- „ re. Et talis eſt triplex: Prima, ut recedamus a malo: Secunda, ut proficiamus in bo- „ no: Tertia vero, ut locemur in optimo. „ Ut receſſus a malo ſit incipientium: profe- „ ctus in bono ſit proficientium, ſive laboran- „ tium: ſed ſtatus in optimo ſit pervenien- „ tium &c. "

(k) Quo ad ſciendi *curioſitatem, & vanitatem*, recolantur dicta in Commentariolo præcedenti §. 11. & in hoc §. 15.

(l) Cit. Artic. 1. præl. Serm. pro uno S. Doctore idemmet S. Bona. iterum ſic „ Ber- „ nardus exponens illud Apoſtoli: Scientia in- „ flat, caritas ædificat; dicit, quod iſta duo „ caritas & ſcientia ſunt ad ſalutem neceſſa- „ ria: eo quod ſcientia ſine caritate inflat; & „ caritas ſine ſcientia errat. Multi enim fue- „ runt viri ſanctiſſimi, qui propter defectum „ ſcientiæ facti ſunt hæretici. Exemplum de „ pauperibus de Lugduno, qui fuerunt prius „ boni, & ab Eccleſia dilecti: dum tamen ex „ ſimplicitate hæreſim prædicare cœpiſſent, „ corrigi renuerunt, & ſe in ſuis hæreſibus „ confirmaverunt &c. "

(m) Ibi Art. 3. „ Viſa cauſſa, propter quam „ debemus ad diſcendum moveri, ponenda eſt

„ ma-

pet autem & torpet circa Diviniora & utiliora, non habet ordinatam affectionem in ſtudio ſuo.

Quartum debita requiſitio.

§. 25. Quartum eſt auxiliorum ſufficientium debita requiſitio. Sicut enim ſtulto labore teritur qui maria vult ſine navi, aut ſine velo, vel remige tranſmeare, aut qui ſine debito lumine vult omnia circumſpicere & videre; ſic ſtultus eſt, qui ſine lumine Divinæ gratiæ vult penetrare Divina (a); aut qui ſine doctore, vel exteriori doctrina vult a principio omnia inveſtigare & invenire, (b) niſi Deum haberet internum doctorem (ita quod hujuſmodi extrinſeco magiſtro non egeret) ſicut utique habuit anima Chriſti.

Quintum commendabilis commenſuratio.

§. 26. Quintum eſt commendabilis commenſuratio ſui ſtudii, juxta proportionem ſui ingenii, & divinæ gratiæ, & devotiſſimæ doctrinæ extrinſece ſibi aſſiſtentis. Si enim in opere ſervanda eſt proportio virium, non minus in ſtudio, & præcipue ſuperintellectualium, & Divinorum. (c) Unde quibuſdam non expedit inſiſtere inquiſitionibus profundis, & ſubtilibus, ſed ſimplicibus & moralibus. Et talibus expedientius eſt vacare ſoli textui ſacro ſecundum exteriorem corticem, vel moralem medullam, quam profundis gurgitibus quæſtionum. (d)

Sextum debitus ordo.

§. 27. Sextum eſt debitus ordo, (e) tam in addiſcendo, ſeu inquirendo, quam in æſtimando, & innitendo, vel intendendo. Et quidem eſt ordo neceſſarius, quod plus innitaris principiis fidei, & articulis ejus, & auctoritati ſacræ Scripturæ, quam tuæ vel alterius rationi, (f) aut cuicumque auctoritati. Et ideo tam exercitando, quam innitendo, omnino pervertunt ordinem, qui plus innituntur dictis Ariſtotelis, aut ceterorum Philoſophorum paganorum, vel mundanorum, quam dictis Doctorum catholicorum, aut Magiſtrorum; (g) & qui dicta Sanctorum extra

Ca-

„ materia, circa quam debemus negotiari. Eſt „ autem materia ſecundum tria, quæ debemus „ addiſcere. Nam primo debemus addiſcere timorem reverentiæ: ſecundo amorem benevolentiæ: tertio rigorem juſtitiæ. Ut ſic „ homo diſcat timorem reverentiæ circa Deum; „ & amorem benevolentiæ circa proximum; „ & rigorem juſtitiæ in ſeipſum &c. “

(a) In hanc rem appoſitiſſimum eſt quod ait in Prologo Itinerarii mentis in Deum: „ Ad „ gemitum orationis per Chriſtum crucifixum, „ per cujus ſanguinem purgamur a ſordibus „ peccatorum, primum quidem lectorem invi „ to, ne forte credat, quod ſibi ſufficiat le- „ ctio ſine unctioue, ſpeculatio ſine devotione, „ inveſtigatio ſine admiratione, circumſpectio „ ſine exultatione, induſtria ſine pietate, ſcien- „ tia ſine caritate, intelligentia ſine humilita- „ te, ſtudium abſque divina gratia, ſpeculum „ abſque ſapientia divinitus inſpirata. “ Vide quoque cap. 7. ejuſdem Itiner. & cap. 2. Incendii ſive Incentivi amoris.

(b) „ Nemo enim (Art. 2. cit. Serm. pro „ uno S. Doct.) bene diſcit, ſi Doctoris verba „ non reverenter audit; ſi audita non ſæpe ru- „ minat; & ſi cogitata experimento non pro „ bat &c. “

(c) De *commenſuratione* ſtudii Serm. ſive Collat. 19. in Hexaem. ubi Sanctus Doctor inquit: „ Quartum eſt commenſuratio, vel non plus „ ſapere, quam oportet. Unde ait Sapiens „ (Prov. 25. 16.): Mel inveniſti, comede „ quod tibi ſufficit, ne forte ſatiatus evomas „ illud. Nec plus te extendas, quam ingenium „ tuum poteſt aſcendere, nec infra maneas. “ Vide ſupra §. 15.

(d) Dicit part. 4. Eccl. Hierarch. cap. 4. „ Qui eſt debilis viſus, id eſt parvi intellectus, „ non debet alta & inſenſibilia perſcrutari, ne „ de claritate nimia obtenebretur ejus animus, „ unde putabat illuminari. “

(e) Cit. Serm. ſive Collat. 19, in Hexaem. „ Illi, qui non ordinant ſtudium, ſunt ſicut „ pulli equorum, qui modo currunt huc, „ modo illuc: ſed jumentum plano paſſu vadit. Tantum proficit unus durus, dummo- „ do ordinet ſtudium ſuum, ſicut ingenioſus, „ ſed inordinate ſtudens. “

(f) Procem. in Lib. 1. Sent. q. 2. ad 4. ex Auguſtino trib. de utilitate credendi cap. 11. ait: „ Quod credimus debetur auctoritati, & „ quod intelligimus rationi . . . . . Cum Ma- „ giſtro deficit certitudo rationis, recurrit ad „ auctoritates ſacræ Scripturæ, quæ excedit „ omnem certitudinem rationis. “ Item ibi ad 6. ad Gregorii & Hieronymi mentem: „ Non ſunt inducenda argumenta dialectica, „ quibus homo principaliter innitatur, quia „ innitendum eſt auctoritati principalius, quam „ rationi. “ De hoc ipſo egregie diſſerit etiam in 3. diſt. 24. art. 2. q. 3. ad 4.

(g) Monet tamen in Epiſt. ad Magiſtr. Innominat. „ Cum verba Philoſophorum aliquan- „ do plus valent ad intelligentiam veritatis, „ & errorum confutationes, non deviat a pu- „ ritate in his aliquando ſtudens; maxime cum „ multæ ſint concluſiones fidei, quæ ſine his „ terminari non poſſunt &c. “ Vult ergo tantum per ſupradicta verba, *ne nimis commendent* (illi ſcilicet qui Philophiæ vacant), *& apprtientur dicta Philophorum*, neve hoc pacto *revertantur in Ægyptum, ut dimittant aquas Syloe, in quibus eſt ſumma perfectio, & vadant ad aquas Philoſophorum, in quibus eſt periculoſa deceptio*. Quod ſi verſari velint *in Scripturis Philoſophorum*, id unice agant *tranſeundo, & furando, non ibi permanendo*, ut loquitur idemmet D. Bona. Ser. ſive Collat. 19. in Hexaem. Quandoquidem ex præfatis *Doctoribus Catholicis, aut Magiſtris* ipſe S. Auguſtinus *oſtendit, quod ſicut filii Iſrael aſportaverunt vaſa Æpypti, ſic Doctores Theologi doctrinam Philoſophiæ: Unde multa, quæ non didicimus per Philoſophos de dictis Philoſophiæ, didicimus per Sanctos*, cit. Epiſt. ad Magiſtr. Innominat.

Canonem præferunt Canoni Scripturarum ſanctarum: (*a*)

§. 28. Rectus igitur ordo eſt primo inniti fidei & fonti Scripturæ ſacræ; (*b*) deinde per libros Sanctorum, (*c*) quaſi per rivos a primo fonte immediate defluxos ad irrigua hortorum magiſtralium deſcendere, (*d*) & ſic deinde ad ſtagna & paludes mundanorum Philoſophorum deflectere. (*e*) Verumtamen in ordine addiſcendi, ſeu acquirendi, (*f*) præaſſumpta primitus ſoliditate fidei, & firmiter fundata in ſe æſtimatione ordinis præfati; ſunt primo videnda Pythagorica Magiſtrorum, inchoando aſſertiones ſuas ab inferioribus ſcientiis, & ad Deum procedendo per medias ad ſupremas. In his Philoſophorum libri duplici ex cauſſa a ſolis ſapientioribus, & ſubtilioribus, & ſuperioribus ſunt legendi. Primo quidem ut lumine fidei examinentur & confutentur errores eorum. Secundo, ut bene dicta ab eis, tamquam ab injuſtis poſſeſſoribus, in uſus manuductionis fidei utiles aſſumantur. (*g*) In hujuſmodi autem ſecunda cauſſa non magnum haberent locum, ſi veritas ab eis dicta diminute & confuſe, & cum impura commixtione errorum eſſet; (*b*) a catholicis autem tradita ſincere, clare, & defæcate, abſque ſcilicet palearum, ſive errorum fœce.

Quatuor librorum genera.

Qua cauſſa legendi Philoſophorum libri.

§. 29. Rurſus innitendo eſt ordo perverſus plus inniti rationali ſtudio, vel intellectuali inquiſitioni, quam affectuali orationi, & experimentali guſtui, & devotioni; (*i*) quia illud quod purius, & abſtractius, & altius, & immediatius, & intimius, & radicalius, & firmius unit nos Deo, utique profundius, & copioſius facit nos exhaurire a Deo rivos & radices ſapientiæ ſuæ. Conſtat autem, quod illud facit oratio, plus quam ratio. (*k*) Item Sapientia chriſtiana ſecundum Dionyſium de Myſtica Theologia, & ſecundum Apoſtolum primæ ad Corinthios ſecundo, potius conſiſtit in ſpirituali guſtu, & affectu, quam in rationali aſpectu, ſive actu; (*l*) & ideo potius eſt rimanda, & addiſcenda per guſtum devotionis, quam per indu-

Plus innitendum affectui orationis, & experimento guſtus, & devotionis, quá rationali ſtudio, ſive intellectuali inquiſitioni.

Ad divinam acquirendam Sapientiam plus valet oratio, quam ratio.

Dionyſius de Myſt. Theol. cap. 2.

1. Cor. 2. 13.

(*a*) Secundum hunc ordinem ita D. Bona. concludit cit. Serm. ſive Collat. 19. in Hexaem. „ Qui ergo vult diſcere, quærat ſcientiam in „ fonte; quia apud Philoſophos non eſt ſcien „ tia ad dandam remiſſionem peccatorum. Nec „ apud Summas Magiſtrorum; quia illi ab ori„ ginalibus (*Catholicorum Doctorum*) extraxe„ runt. Originalia autem a ſacra Scriptura. „ Unde dicit Auguſtinus, quod ipſe decipi po„ teſt, & alii. Sed ibi (*in Canone Scripturarum ſanctarum*) eſt fides tanta, quod ibi non „ poteſt eſſe deceptio. Et hinc dicit Diony„ ſius de Divinis Nominibus (*cap.* 1. *in princ.*) „ quod nihil aſſumendum eſt, niſi quod ex „ eloquiis ſacris &c. “

(*b*) Cit. Serm. ſive Collat. 19. in Hexaem. *Primum igitur eſt, ut homo habeat Scripturam &c.*

(*c*) Ibi: „ Ad hanc autem intelligentiam „ non poteſt homo pervenire per ſe, ſed per „ alios, quibus Deus revelavit, ſcilicet per „ originalia Sanctorum, ut Auguſtini, Hiero„ nymi, & aliorum

(*d*) Ibi: „ Sed quia iſta ſunt difficillima, „ ideo neceſſe ſunt Summæ Magiſtrorum, in „ quibus elucidantur difficultates.

(*e*) Ibi: „ Sed quia iſta ſcripta adducunt „ Philoſophorum verba, neceſſe eſt, quod ho„ mo ſciat, vel ſupponat ipſa. “ Vocat autem *ſtagna, & paludes Philoſophorum*, unde & inibi „ Ad quid homo bibet aquam turbi„ dam? Quid tibi vis in via Ægypti, ut bi„ bas aquam turbidam? (Jer. 2. 18.) Sed „ bibe aquam ſalutarem Sapientiæ. “

(*f*) Huic ordini apprime conforme eſt quod inibi dicitur: „ Ordo diverſimode traditur a „ diverſis; ſed oportet ordinate procedere, ne „ de primo faciant poſterius, vel e converſo. „ Sunt ergo quatuor genera Scripturarum, „ circa quæ oportet ordinate procedere, & „ exerceri. Primi libri ſunt ſacræ Scriptu„ ræ . . . . . Secundi libri ſunt originalia ſan„ ctorum. Tertii, ſententiæ Magiſtrorum. „ Quarti, doctrinarum mundialium, ſive Phi„ loſophorum. Qui ergo vult diſcere, quæ„ rat ſcientiam in fonte. “

(*g*) In cit. Epiſt. ad Magiſtr. Innomin., nec non cit. Serm. ſive Collat 19. in Hexaem. Vid. ſupra §. 27. in not. *g*.

(*b*) Tunc enim, inquit eodem Serm. 19. potius foret *perniculoſa deceptio*. De *tribus erroribus in ſcientiis cavendis*, qui Philoſophorum ſunt, Serm. 3. in Hexaem.

(*i*) Cæcus ſit qui heic non videat *Doctorem devotum* atque *Seraphicum*, qui non diſſimiliter loquitur in Prol. Itinerar. ment. in Deum, ac etiam alibi. Vid. ſupra §. 25. in not. *b*.

(*k*) In eodem Prologo Itinerarii mentis in Deum: „ Non enim diſpoſitus eſt aliquo mo„ do ad contemplationes divinas, quæ ad men„ tales ducunt exceſſus, niſi cum Daniele ſit „ vir deſideriorum. Deſideria autem in nobis „ inflammantur dupliciter, ſcilicet per clamo„ rem orationis, quæ rugire facit a gemitu „ cordis, & per fulgorem ſpeculationis, qua „ mens ad radios lucis directiſſime, & inten„ tiſſime, ſe convertit. Igitur ad gemitum „ orationis per Chriſtum crucifixum, per cu„ jus ſanguinem purgamur a ſordibus vitio„ rum, primum quidem lectorem invito. “

(*l*) Vel ut loquitur Expoſit. in Cap. 6. Sapien. *non in ſimplici cogitatione, ſed affectiva. Dilectio enim purgat, & illuminat interiorem oculum ad videndum, unde: Qui timetis Deum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Item par. 3. Cen-

induſtriam humanæ ſpeculationis. (*a*) Præterea conſtat, quod Sapientiam Dei potius habemus a Deo, quam a nobis. (*b*) Deus autem potius revelat arcana ſuæ Sapientiæ ſuis amicis & humilibus, quam indevotis, & de ſuo ingenio, & ſtudio præſumentibus. (*c*) Præterea ratio illa, quæ eſt demonſtrativa, non plene certificat intellectum noſtrum, niſi in aliquo ſenſibili experimento veritatem terminorum experiatur. Veritatem autem naturalium principiorum, & terminorum noſtræ fidei non poſſumus experiri per ſenſum alium, quam per guſtum ſpiritualem. Ideo nemo ſine ipſo perfecte certificatur, aut illuſtratur de ſupernaturalibus & ſuperintellectualibus noſtræ fidei. (*d*)

Sapientia Dei potius habetur a Deo, quam a nobis.

Septimum debita ad virtutes ordinatio.

§. 30. Septimum eſt debita aſſociatio, ſeu ordinatio in correlativo ſtudii ad virtutes, & ad ceteros actus virtutum. Abſit enim credere ſtudium poſſe eſſe perfectum, niſi perfectiones virtutum habeat ſecum annexas. (*e*) Et ideo ſi ex modo, & ex nimietate ſtudii excludantur, aut parvipendantur, vel in ſuis actibus & exercitiis plus debito, vel congruo remittantur; impoſſibile eſt, tale ſtudium eſſe perfectum. (*f*) Propter quod perfectus ſtudens ſic pro tempore occupatur in ſtudio, quod non minus dat tempus & locum ceteris virtutum actibus, ipſumque, ut ita dicam, facit ardore caritatis, & ignito zelo fidei, & ſpiritu humilitatis, & guſtu, devote aliis ſuppeditare illa, quæ audit, vel legit, vel meditatur.

Studium non eſt perfectum, niſi perfectiones virtutum habeat annexas.

§. 31. Viſo igitur quis eſt perfectus ſtudendi modus, primo videndum, ex qua cauſſa per ſe proveniunt ſupraſcripta ſtudentium vitia & pericula. Et jam ex prædictis faciliter poteſt clareſcere, quod non proveniunt ex abſoluta ratione, quaſi ſtudium ex ſuo genere ſit malum; ſed potius proveniunt ex inordinato modo ſtudendi, ut cum ſit contra ſeptem prædicta, aut aliqua prædictorum. Et ideo ſupradictis vitiis & periculis non improbatur ſimpliciter omne ſtudium, ſed ſolum ſtudium inordinatum.

Studentium vitia & pericula unde proveniant.

Inordinatus ſtudendi modus improbandus, non ipſum ſtudium.

§. 32. Poſt hæc igitur videndum eſt ſecundo, cur non omnes inſtar Chriſti, & quorumdam Sanctorum, (*g*) abſtinent a ſtudio literarum, cum Chriſtus & Sancti videantur in omnibus eſſe ſequendi. Et fuit fortaſſe error quorumdam, contra quos poteſt dici proceſſiſſe Auguſtinum Lib. primo de Doctrina Chriſtiana in principio, (*h*) ubi oſtendit, quod quicquid de Scripturis ſanctis per hominem exponitur, non interius

Error quorumdam abſtinentium a ſtudio Sacrarum Literarum.

Auguſtinus L. 1. de Doctr. Chr. in Prol. n. 6. &c.

---

3. Centiloq. ſect. 45. *Sapientia magis proprie nominat cognitionem Dei experimentalem, & ſic eſt unum de ſeptem donis Spiritus Sancti, cujus actus conſiſtit in deguſtando ſuavitatem Dei. Qui quidem actus partim eſt cognitivus, partim affectivus: ita quod in cognitione inchoatur, & in affectione conſummatur.* Supra §. 10.

(*a*) Hinc. Ser. 22. in Hexaem. illos commendat, qui *principaliter intendunt unctioni, & poſtea ſpeculationi. Et utinam, ait, amor, vel unctio, non recedat a Cherubim.* Unde ſubdit: *Beatus Franciſcus dixerat, quod volebat, quod Fratres ſui ſtuderent, dummodo facerent prius quam docerent. Multa enim ſcire, & non guſtare, quid valet?*

(*b*) Hoc aliquo modo, vel inter ipſas Gentilitatis tenebras, noviſſe videtur ille Philoſophus, de quo refert idemmet noſter Doctor Serm. 2. de S. Greg. Papa, quod *cum Alexander Rex a Didymo Philoſopho quæreret, quomodo poſſet eſſe ſapiens, ille ait: Deus poteſt tibi præſtare ſapientiam &c.*

(*c*) Id probat in 3. diſt. 24. art. 2. q. 3. ad 4. exemplo *altiſſimarum & nobiliſſimarum quæſtionum de creatione mundi, & de potentia, & ſcientia Dei, quarum veritas latuit Philoſophos, & nunc manifeſtata eſt Chriſtianis ſimplicibus.* Item hac ratione cit. Serm. 2. de S. Greg. Papa; quoniam *ubi concavum humilitatis non eſt, ſapientia eſſe non poteſt: quia aquæ nunquam currunt ad montes, ſed tantum ad valles &c.*

(*d*) *Optimus enim modus cognoſcendi Deum eſt experimentum dulcedinis: multo enim excellentior, & nobilior, & delectabilior eſt, quam argumentum inquiſitionis*, dicit Auctor in 3. diſt. 35. art. 1. q. 1. ad 5.

(*e*) Serm. ſive Collat. 6. in Hexaem. *Quantumcumque homo habeat alias ſcientias, niſi habeat virtutes, non habet vitam.* Et Serm. ſive Collat. 19. in Hexaem. *Qui vult in hoc ſtudio proficere, oportet, quod habeat ſanctitatem, ut poſſit ſtudere ad vitam timoratam, impollutam, religioſam, ædificatoriam.*

(*f*) Ut hujuſmodi *ſtudium ſit perfectum*, quatuor hæc exiguntur, auctores eodem D. Bona. Serm. 2. de S. Greg. Papa „ Scilicet domus „ conſcientiæ perfecta purgatio; temporalis „ ſubſtantiæ perfecta deſertio; intellectivæ po„ tentiæ perfecta humiliatio; Divinæ ſapientiæ „ perfecta inquiſitio: ut mente mundati, a „ temporalibus curis abſtracti & ad nos reverſi, „ per humilitatem concavi facti, & ſic ad ſa„ pientiæ lumen diſpoſiti, per amorem facti „ ad quærendum ſolliciti, dona ſapientiæ „ capiamus &c. “

(*g*) Auguſtinus mox laudandus inter hujuſmodi Sanctos memorat *S. Antonium Monachum Ægyptium*, cui ſubdit *Servum Barbarum Chriſtianum*, ſive *Barbaricum Macarium*.

(*h*) In Epiſt. ad Magiſt. Innom. inquit: „ Lege Auguſtinum de Doctrina Chriſtiana, „ ubi oſtendit, quomodo non poteſt intelligi „ S. Scriptura ſine aliarum ſcientiarum peri„ tia. “

terius habendum eſt, quaſi a Deo per Angelum exponatur, ut exemplificat de Cornelio per Angelum miſſo ad Petrum. Et ex dictis Auguſtini ibidem poſſunt extrahi ſeptem rationes contra prædictum errorem, quarum quaſdam videtur ibi ponere explicite.

Septem rationes ex Auguſtino contra prædictum errorem.

Prima.

§. 33. Prima ratio eſt, quia ſi ſtudium ſacrarum Literarum nulli expediret, videtur, quod male facerent, qui docerent parvulos ſuos linguam ſuam, vel aliam; ſed potius deberent exſpectare donum linguarum ipſis dari per Spiritum Sanctum, ſicut fuit datum Apoſtolis.

Secunda.

§. 34. Secunda ratio eſt, quia ſecundum hoc non deberemus ire ad Eccleſiam ad audiendum, vel addiſcendum Evangelium, aut ipſa Evangelia per nos legere, aut prædicantem audire; ſed potius deberemus exſpectare, nos inſtar Pauli rapi uſque in tertium cœlum, ut audiremus a ſolo Chriſto arcana verba, quæ non licet homini loqui.

2. Cor. 12. 2.

Tertia.

§. 35. Tertia ratio eſt, quia ipſe Apoſtolus Paulus, licet a Deo inſtructus, ad hominem tamen miſſus eſt, ut Sacramenta perciperet, & copularetur Eccleſiæ. Similiter Cornelius, cui Angelus nunciavit ejus orationes exauditas, & eleemoſynas reſpectas; Petro tamen traditus eſt imbuendus ſacramentis, & doctrina chriſtiana.

Act. 9. 7. *Act.* 10. 5.

Quarta.

§. 36. Quarta ratio eſt, quia ſi Deus ſolum per ſe, & Angelos, non autem per homines, ſua verba hominibus miniſtraret; nimis eſſet abjecta humana conditio, nec videretur homo ſanctus eſſe templum Dei, ſi Deus de humano templo reſponſa non redderet.

Quinta.

§. 37. Quinta ratio eſt, quia ex hoc tolleretur quidam nobiliſſimus nexus caritatis inter homines, quo Doctor ſpiritualis ſuum animum refundit in Diſcipulum, ita ut a Paulo dicatur: in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui; & quo Diſcipulus audiendo & aſſentiendo, & tandem venerando, & imitando, dulciter refundit ſuum animum & affectum in Magiſtrum.

1. Cor. 4. 15.

Sexta.

§. 38. Sexta ratio eſt ex exemplo Spadonis Iſaiam Prophetam legentis, ad cujus eruditionem non eſt miſſus Angelus, ſed Philippus. Et iterum exemplo Moyſi, cum quo licet Deus loqueretur; tamen conſilium regendi populum a ſocero ſuo alienigena humiliter accepit: quia bene noverat, quod omne verbum, & ſalubre conſilium, a quocumque dicatur, potius eſt attribuendum Deo, qui eſt ſumma veritas, quam homini illi.

Act. 8. 31. *Exo.* 18. 29.

Omne verbū, & ſalubre conſilium Deo attribuendum.

Septima.

§. 39. Septima ratio eſt, quia ſecundum hoc iſte factus per ſolam revelationem edoctus, irrationabiliter affectaret aliis ipſe exponere illa, quæ ſibi ſunt revelata; ſed potius deberet eos remittere Deo, ut a ſolo Deo illa addiſcant, ſicut & ipſe fecit. Hæ quidem ſunt rationes Auguſtini ibidem.

§. 40. Qui autem hujuſmodi cauſſas & rationes vult intueri, advertat omnes rationes & cauſſas ordinis hierarchici, quia ſecundum Dionyſium, in omni Hierarchia cœleſti, & ſubcœleſti, eſt dare ſupremos, medios, & infimos. (*a*) Non eſt autem verum, quod Sancti in his, quæ ſingularis gratiæ & poteſtatis ſunt, a quolibet ſimplici ad plenum ſint imitandi. Imo ſecundum Dionyſium præſumptionis eſt repugnantis ei, quod officii ratio exigit, & Divina ſancxit inſtitutio, ſi inferior ordo præſumat agere illa, quæ proprie ſunt ſuperioris ordinis, vel gradus.

Dionyſius de Eccleſ. Hier. c. 5 par. 1. & de Angel. Hier. c. 9.

Dionyſius de cœleſt. Hierar. c. 3.

§. 41. Præterea in vita iſta non ſunt ita connexa omnia gratiarum dona, quin præabundans in dono ſuperiori, ſcilicet caritate, poſſit minus habere de aliquo inferiori, ut puta de dono utilis eloquentiæ, vel ſcientialis intelligentiæ, & doctrinæ, aut ingenii perſpicacis ad ſcripturarum dubia ſubtiliter explicanda. Ex prædictis autem patet diſſolutio ſupraſcriptarum objectionum.

Caritas donū ſuperius eloquentia, & doctrina donum inferius.

§. 42. Viſo igitur quam rationabilis eſt invitatio ad prædictæ Divinæ contemplationis actum præambulum; (*b*) videndum quod ſpecificat, & ad quod nos dulciter exhortatur. (*c*) Sciendum autem, quod qui ad hanc contemplationem vult aſcendere, cavendum eſt ei ſpecialiter a tribus, ſcilicet primo ab exterioribus occupationibus: ſecundo a ſenſualibus, ſeu brutalibus imagi-

Aſcenſus ad contemplationem tria cavenda requirit.

 natio-

(*a*) Serm. ſive Collat. 3. in Hexaem. *Dicit Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia: Lex Divinitatis eſt, infima per media ad ſuprema reducere.* Et 3. Diſt. 13. Art. 2. Q. 3. in Fundam. *Dictat ratio, & vult Dionyſius, infima reduci per media, & media per ſuprema &c.*

(*b*) Indicatum ſcilicet per ly *vacate*. Porro *præambulum* adjectivum eſt a D. Bonaventura ſæpius adhibitum.

(*c*) Nimirum per ly *videte*, ſecundum partitionem ab initio propoſitam.

nationibus: tertio ab affectualibus &
concupiſcibilibus paſſionibus (*a*). Prop-
Eccli 38. 25. ter primum dicitur Eccleſiaſtici trige-
Primum quod ſimo octavo: Sapientiam ſcribe (*b*), vel
eſt cavendum. ſapientia Scribæ, (*c*) id eſt Legiſperiti,
in tempore vacuitatis, id eſt vacationis
a negotiis, (*d*) viget, & locum habet:
& qui minoratur actu, ſcilicet exte-
riori, (*e*) ſapientiam percipiet. Et ſe-
2. Paral. 31 4. cundo Paralipomenon capite trigeſimo
primo: Præcepit Ezechias populo ha-
bitantium Jeruſalem, ut darent partem
Sacerdotibus & Levitis, ut poſſent va-
care legi Domini. In quo aperte in-
nuitur, quod poſſeſſio & ſollicitudo
etiam neceſſariorum impedit a medi-
tanda & docenda lege Domini. Sed
hanc vacationem Pharao vocat otioſita-
tem Exodi quinto, cogens & diſtrahens
populum Dei ad congregandas paleas,
& faciendos lateres, & dicens eis: Va-
Exo. 5. 17. catis otio, & ideo dicitis: Eamus &
ſacrificemus Domino. Ite igitur, &
operamini. Cujus typum tenuit Mar-
tha, quando conqueſta eſt de Maria.
Siquidem propter talium detractiones
non eſt hoc otium prætermittendum,
ſicut ſupra falſo arguebatur. (*f*) Unde
nec Moyſes, nec Aaron propter hoc
deſtiterunt, ſed potius plaga decupla
Pharaonem, & totam Ægyptum pla-
gaverunt. Myſterialiter; (*g*) quia tota
Divina lex in ſeminario Decalogi im-
plicite contenta (*h*) plagat & percutit
latratus hujus Pharaonis. (*i*)
Secundum quod eſt cavendum. §. 43. Pro ſecundo vero poteſt my-

ſtice accipi lex data Deuteronomii vi- Deuter. 24. 5.
geſimo quarto: Cum acceperit homo
nuper uxorem, non procedet ad bel-
lum, ſed vacabit abſque culpa domui
ſuæ, ut uno anno lætetur cum uxore
ſua. Hæc enim uxor eſt Sapientia, (*k*)
de qua Sapientiæ octavo: Hanc ama- Sap. 8. 2.
vi, & exquiſivi a juventute mea, &
quæſivi ſponſam mihi (*l*) aſſumere. Do- 3.
minus autem omnium dilexit illam.
De qua ſubdit: Intrans in domum meam 16.
conquieſcam cum illa: non enim habet
amaritudinem converſatio illius, nec
tædium convictus illius, ſed lætitiam
& gaudium. Circa quam quietem &
gaudium eſt bellum phantaſmatum, &
dubitationum, & illuſionum præceden-
tium, juxta illud Eccleſiaſtici trigeſimo Eccli 34. 1.
quarto: Quaſi qui apprehendit um-
bram, & perſequitur ventum, ſic qui
attendit ad viſa mendacia. Hæc eſt 5.
viſio ſomniorum, ſcilicet phantaſma-
tum, de quibus paulo poſt ſubdit: Si-
cut parturientis cor tuum phantaſias 6.
patitur, niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa
viſitatio. Quæ utique fit per radium
Divinæ Sapientiæ, nebulas & tenebras
phantaſmatum effugantis.
§. 44. De tertio vero loquitur Apo- Tertium cavendum.
ſtolus primæ ad Corinthios ſeptimo,
quando ait abſtinendum ab amplexibus, 1. Cor. 7. 5.
ut vacetis orationi. Et hoc ipſum do-
cuit Angelus Tobiæ ſexto dicens: Per Tob. 6. 18.
tres dies continens eſto ab ea, & ora-
tionibus vacabis cum ea. Sic autem Triplex ad
vacanti eſt Deus videndus triplici lu- Deum cognoſcendum lu-
mine men.

(*a*) Similiter deſinentia apud D. Bonaventuram frequentia.

(*b*) Sic ipſemet D. Bona. in Prol. Expoſit. in Lib. Sap. nec non in Meditat. Vit. Chr. ſub ejus nomine cap. 36. Item S. Gregorius, Rabanus, S. Bernardus, Hugo Card. Lyranus &c.

(*c*) Secundum Vulg.

(*d*) Illuſtriſs. Jacobus Benignus Boſſuet hunc textum in eodem ſenſu ſic declarat „ *Sapien-* „ *tia Scribæ* (Doctoris) *in tempore* (*in oppor-* „ *tunitate* Græc.) *vacuitatis*, otii: otium ac „ receſſus conquirendæ ſapientiæ neceſſaria: un- „ de Marthæ ſollicitudo increpatur; Mariæ „ beatiſſima ad pedes Domini laudatur quies. " Sed præſtat audire ipſummet D. Bona. de ſtudio Sapientiæ diſſerentem in cit. Prol. in Lib. Sap. quod ſcilicet per ipſum facienda *malitiæ expulſio*, & *perfecti boni introductio*, quodve ad id *requirit vacationem ab exterioribus occupationibus. Imperitus enim efficitur ad ſingula, qui confuſa mente dividitur ad multa, ut dicit Gregorius. Propter quod:* Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis, *id eſt, vacationis ab opere exteriori: qui enim minoratur actu, ſcilicet exteriori, percipiet Sapientiam, ut dicitur in eodem.*

(*e*) Eodem interprete Boſſueto: *qui ab actione turbulenta ac negotiis ceſſat.*

(*f*) Supra §. 19. ubi falſo arguitur, ita operi manuum inſiſtendum, ut Divinarum literarum ſtudium prætermittatur.

(*g*) *Myſterialiter* quoque in Legen. ma. S. Franc. Vid. Prodromum col. 591.

(*h*) Quod in Præceptis Decalogi quædam ſint Divinæ legis *principaliter*, & *explicite*, *quædam ut annexa*, & *implicite*, legi poteſt in 4. diſt. 16. part. 2. dub. 2.

(*i*) Prædictis ſimilia quo ad Pharaonis exemplum, videſis in Opuſc. de paupert. Chriſti contra Magiſtrum Gulielmum To. 4. pag. 587. col. 1. noviſſ. Edit. Venet. Quo vero ad exemplum Marthæ & Mariæ, conſulendus quoque noſter Interpres Expoſit. in Cap. 10. S. Luc. verſus finem.

(*k*) Similiter de *Sapientia* interpretatur illud Proverb. 5. 8. *lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ*, Expoſit. in cap. 8. ſap.

(*l*) Vulg. addit *eam*; ſed *eam* omittit etiam Cod. Goth. apud Blanchin. ac ipſemet S. Bona. d. Expoſit. in Cap. 8. Sap.

mine concurrente, scilicet naturalis rationis & intelligentiæ, fidei catholicæ Scripturis sacris traditæ, & devotæ experientiæ. Primum lumen tamquam in parte radicale & initiale, & in parte manuductivum, præsupponit & includit in se Scriptura sacra, & præcipue doctrina Sanctorum & Magistrorum. Secundum vero principale deducit. Tertium vero finaliter intendit, tamquam consummativum duorum præmissorum. (*a*)

Objectum Theologicæ contemplationis Deus est.

§. 45. Objectum autem, seu materia contemplationis Theologicæ, optime ab ipso Deo proponitur, subdendo: *quoniam ego sum Deus*. Tria enim sunt Theologo de Deo videnda, scilicet personalis distinctio, sive discretio singularis, optime designata per pronomen *Ego* (*b*). Essentiæ perfectio absoluta & actualis, quæ optime designatur per verbum substantivum *sum* (*c*). Efficaciæ erga creabilia & creata universalitas, optime designata per hoc nomen *Deus*; (*d*) quia significat Dei virtutem omnium productivam, & provisivam, & conservativam, sicut patet in verbo Græco, a quo derivatur. (*e*)

Quatuor Theologiæ partes describuntur.

§. 46. In his autem tribus non solum consistit tota doctrina primæ partis Magistralium inquisitionum, seu doctrinarum, sive scientiarum; sed etiam tota scientia Scripturarum sanctarum. Et hoc quia in prima non solum attenditur Dei potentia, scientia, & voluntas secundum se sumpta; sed etiam omnis Dei ad creaturam, & ad creata, & creanda, potestas. Unde & attenditur Deus ut creator, & conservator, ac gubernator, pro ut refulget in toto opere creationis, & gubernationis, de quo specialiter agitur in secunda parte Inquisitionum Magistralium. Et Deus ut redemptor & justificator cum toto opere redemptionis, & legis, & gratiæ, ad nostram internam justificationem concurrentium, de quo specialiter agitur in tertia parte Theologicæ negotiationis. Et Deus ut nostrorum morborum per Sacramenta sanator, & ut finalis omnium reparator, seu retributor, & consummator, de quo in quarta parte communiter agitur. (*f*)

§. 47. Omnia, inquam, prædicta spectant ad præclaram, & diffusam contemplationem Dei, cui contuendæ, & proloquendæ, seu propalandæ, quantum sit insistendum, verbo valde vocali docet Hilarius primo libro de Trinitate circa finem dicens: Ego quidem hoc vel præcipuum vitæ meæ officium me debere tibi, Pater omnipotens Deus, conscius sum, ut te vitæ omnis sermo meus & sensus loquatur. Neque enim ullum aliud majus præmium hic ipse usus mihi a te concessus loquendi potest referre, quam ut prædicando te, tibi serviat, teque quod es, Patrem (*g*) scilicet Unigeniti Dei, aut ignoranti sæculo, aut neganti hæretico demonstret. Huc usque Hilarius. *Hilarius Lib. 1. de Trin. §. 37*

§. 48. O viri religiosi, hic est Deus noster, qui adinvenit omnem viam scientiæ, & disciplinæ, (*h*) & dedit (*i*) illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. (*k*) Transeamus (*l*) igitur usque Bethlehem, & vi- *Baruch 3. 36. & seqq.* *Luc. 2. 15.*

(*a*) Part. 4. Eccl. Hier. cap. 6. hoc tertium lumen appellat *consummationem justitiæ*, *& finalem caritatis in homine perfectionem*, *& conservationem*.

(*b*) 1. Dist. 2. Dub. 4.

(*c*) Ibi.

(*d*) Cap. 5. Itiner. ment. in Deum.

(*e*) In Principio sacræ Scripturæ, nec non in 1. Sent. dist. 2. dub. 3., & dist. 18. art. un. q. 6. in fine, ac dist. 23. art. 2. q. 3. in opp.

(*f*) De his quatuor Theologiæ partibus, ut supra, latissime juxta ac luculentissime ipsemet D. Bona. in quatuor Sententiarum Libris.

(*g*) Edita geminant *Patrem*.

(*h*) In Vulg. tantum *adinvenit omnem viam disciplinæ*. Ceterum ait Sa: *viam, id est, rationem, scilicet scientiæ Dei inventum & donum*. Et apud Malvendam alii quoque id universe *interpretantur de vera scientia & cognitione Dei hominibus a Deo inspirata*.

(*i*) In Vulg. *tradidit*; sed *dedit* habet etiam S. Ambrosius Lib. 1. de Fide cap. 3. num. 28. & S. Augustinus de Civit. Dei Lib. 18. Cap. 33. num. 1.

(*k*) *In nullo differre ab aliis mortalibus est putatus*, addit Interpres noster ad hæc verba Baruch. par. 4. de Eccles. Hierarch. ad finem Cap. 6.

(*l*) Hoc ipso verbo *transeamus* concludit Itiner. mentis in Deum, & Tract. de sacr. Scriptur. materia. Et de hujusmodi transitu loquens Serm. sive Collat. 19. in Hexaem. ubi differit de modo studendi, & proficiendi in sacra Scriptura, ab init. sic ait „ Si voluerimus transire, oportet nos esse filios Israel, „ qui transierunt Ægyptum; sed Ægyptii „ etiam transierunt, & submersi sunt. Illi „ autem transeunt Ægyptum vere, qui totum „ suum studium ponunt, qualiter e vanitatibus transeant in regionem veritatis . . . . . „ Oportet ergo transire ab omnibus vanitatibus ad veritatem, ut non sit delectatio nisi „ in

& videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis; & Jo. 1. 14. videbimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis, (a) in sæcula sæculorum. Amen.

SERA-

„ in solo Deo. Quomodo autem transeundum est? . . . . . Transitus est exercitium, „ sive exercitatio a studio scientiæ ad studium „ sanctitatis, & a studio sanctitatis ad studium „ sapientiæ. De quibus ait Propheta: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me*. Incipit a summo, quia vellet gustare, quam „ bonus & suavis est Dominus. Ad sapientiam autem perveniri non potest, nisi per „ disciplinam. Non est ergo præferendum ultimum primo. Malus est mercator, qui „ stannum præfert auro. Qui non præfert „ scientiæ sanctitatem, nunquam prosperabitur. " Vid. quoque Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. ubi prædictum Prophetæ textum, nempe PS. 118. 66. amplius declarat.

(a) Hunc utrumque textum tam S. Lucæ, quam S. Joannis, sic pariter jungit Exposit. in Luc. ibi „ *Transeamus usque in Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est*. Ideo „ volebant transire, ut viderent, sicut Moyses: „ vadam & videbo visionem hanc magnam. „ (Exo. 3. 3.) *Et videamus hoc verbum, quod factum est*, id est, rem dignam verbo; vel „ certe Verbum carnem factum, secundum illud: Verbum caro factum est, & habitavit „ in nobis. Et vidimus gloriam ejus &c. " Ubi & pro præfato *transeamus* notat, quod ad inveniendum spiritualiter Christum, debemus „ transire per contemplationem creaturarum: „ Surgam, & circuido Civitatem, per vicos „ & plateas quæram, quem diligit anima mea. „ (Cant. 3. 2.) sequitur: Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima „ mea. (Cant. ibi 4.) Transite ad me omnes „ qui concupiscitis me, & a generationibus „ meis adimplemini. " Eccli 24. 26. Vid. quoque cap. 1. Itiner.



SERAPHICI DOCTORIS SANCTI BONAVENTURÆ

POSTILLA, SEU EXPOSITIO

IN CANTICUM CANTICORUM.

ADMONITIO.

HÆc Postilla, seu Expositio nunc primum, quod mihi innotuerit, luce gaudet publica, eaque deinceps fruetur, ope duorum Codicum, Vaticani scilicet ex longa vetustate detriti, & alterius multo integrioris Assisiensis, recentioris quidem notæ, sed ex alio antiquo, & a Vaticano diverso desumpti. Patavinum etiam adhibuimus anonymum, passimque deficientem, cum ad emendandas plures corruptas veterum librariorum lectiones, tum ad nonnullas lacunas vel in Assisiensi Codice supplendas. Porro Codices prædicti Vaticanus & Assisiensis satis minime fuissent ad fidem nobis faciendam, si post diligenter conlatam hanc Postillam cum aliis D. Bonaventuræ *Scriptis, etiam certioribus, his nobis non apparuisset stilo doctrinaque conformis. Tantam certe comperimus nedum stili tam scholastici, quam mystici, sed & Bonaventurianæ doctrinæ similitudinem in hujusmodi Postilla, ut minime dubitaverimus eidem veluti Bonaventurianæ fidem adjungere, ac aliis quoque sub eodem titulo communicare. Ex adnotationibus etiam, quas pro eadem utcumque illustranda, proque ostendendo prædicti stili doctrinæque vere Bonaventurianæ concentu, similique varie eumdem Divinæ Scripturæ textum exponendi modo, passim ad calcem subdemus; discreto lectori judicandum relinquimus, an temere ita heic, & in Prodromo col. 729. & seqq. senserimus. Cui quidem lectori mirum non erit videre Auctorem hujus Postillæ ad reconditiora Mysticæ Theologiæ sensa sæpe delabi; nemo enim nescit,* D. Bonaventuram *fuisse* Mysticæ Dionysianæ Theologiæ *oppido addictum. Idque ex eo quoque fecisse facile mihi persuadeo, ut magis magisque ab omni obsceni specie lectoris mentem averteret. Quapropter validis ab se adductis rationibus ita lectorem ipsum in Præfatione præoccupat, ut nihil omnino nisi castum, purum putum, sacrum, sanctum, spiritale, atque Divinum excogitet, ac se se super omne terrenum & creatum extollat. In hac autem Cantici hujusmodi Expositione plus quam vice simplici prorsus cum Seraphico Interprete nostro convenientem, & concordem invenimus* Joan. Vitalem Card. O. M. in Speculo Morali totius sacræ Scripturæ, *ubi verba ejusdem Cantici allegat, similique modo interpretatur. Sed quid dico duntaxat concordem cum laud. Cardinali, cui probe nota esse potuit hæc Expositio, ejusque lectione profecisse? Concordem etiam dixerim in bene multis cum antiquis Patribus, & itidem in non paucis cum ipsis sibi coævis, nec non cum recentioribus Interpretibus; ita ut ob multiplicia, quæ passim subnectit, interpretamenta, lector habeat singulari compendio collecta, quæ sparsim apud alios, nonnisi longa lectione, ac ingenti labore, comparari queunt. Sit ergo sequens ejusdem Seraphici Interpretis Præfatio, ad ita parandum lectoris animum, ut terrena non sapiat; sed ut hoc quoque ex eodem sumamus Cantico, caprearum atque cervorum more, vix pede terram attingens, moxque sensus humanos transiliens, se se efferat ad excelsa.*

PRÆFA-

PRÆFATIO
D. BONAVENTURÆ
IN CANTICUM CANTICORUM.

§. I.

IN speculo brevi & aperto contueri volentibus continentiam Cantici Canticorum, occurrit verbum *(a)* Præpositi Pincernarum, quod habetur Genesis quadragesimo, quando ait: Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere, calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.

Genes. 40. 10. & seq.

§. 2. Considero enim hujus libri materiam, & materialem formam, *(b)* & est quasi vitis habens tres propagines. Considero mysticum ejus processum, & spiritualem formam, & apparent ejus propagines crescere in gemmas, & deinde in flores, & sic tandem in uvas maturas. Considero ejus finalem fructum, & utilitatis suæ excellentiam, & est ex uvis expressis in calicem Pharaonis tradere poculum Pharaoni. Considero auctorem principalem, & est veridicus Joseph visionis hujus interpretator. Considero subprincipalem, *(c)* & est Salomon, quasi Pincerna visionis hujus inspector. *(d)*

Materia hujus Libri.

§. 3. Si igitur quæras hujus Libri materiam, ipsa est nuptialis amor Dei, & animæ, seu universalis Ecclesiæ sibi desponsatæ: & hic amor per vitem optime designatur. Amor enim vita quædam est; unde Hugo de Arrha animæ: *(e)* Scio, inquit, anima mea, quia vita tua amor est. Et Augustinus nono de Trinitate dicit, quod amor est vita, duo quidem copulans, aut copulare appetens, scilicet amantem, & amatum. Et Christus Lucæ decimo loquendo de mandato Divini amoris subjunxit: hoc fac, & vives.

Hugo Vict. de arrha animæ fere in prin. August. L. 9. de Trin. c. 10. n. 14. in fine. *Luc. 10. 28.*

Amor habet vim unitivam, & complexivam. *Ad Coloss. 3. 14.*

§. 4. Habet autem amor, instar vitis, vim unitivam, & complexivam: *(f)* unde Apostolus ad Colossenses tertio ait: Super omnia hæc caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et consimiliter vitis habet vim ligativam, unde dicta est a vinciendo, *(g)* quasi sit quædam vitta, seu *benda*; *(h)* propter quod Genesis ultimo *(i)* dicitur de ipsa: *(k)* Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Ad caritatem enim Dei, & proximi, ligavit Christus Ecclesiam suam. *(l)*

Gen. 49. 11. Caritas Ecclesiæ ligamen.

Vim habet solidativam.

§. 5. Habet etiam vim fundativam, & solidativam: non enim permittit cor inflari, aut marcescere, teste Apostolo primæ

(a) Cod. Patav. *somnium*.

(b) Caussas hujus Libri in hac Præfat. memorat, sicut in Prol. Lib. Sap. similiter. Sic Procem. in Ecclesiasten, Procem. in Lib. 1. Sentent. &c.

(c) Tam bene potuit heic dicere *subprincipalem*, quam *superprincipalem* dixit in Eccles. Hierarch. ut monuimus in Prodromo col. 534.

(d) In Assis. & Patav. *inspectator*. De *Pincerna summi Regis* Soliloq. c. 4.

(e) Librum hunc ita sibi familiarem fecit S. Bonaventura, ut in Soliloquio multa ex eodem desumpserit, uti jam diximus in Prodromo col. 562. Multa quoque ex ipsomet mutuatus est in Amatorio, ubi ex eodem Hugone ibi sic habet: *scire potest homo, & intelligere, quod vita animæ tuæ dilectio est, & quod sine dilectione esse non potest, eo quod vita ipsius est.*

(f) In 1. dist. 10. dub. 4., & art. 2. q. 2. in conclus. nec non in 3. Art. 3. Q. 1. in fundam. ex Dionysio de Divin. Nom. Cap. 4. Par. 2., ac alibi passim.

(g) *Vitis* est ejusdem originis ac vimen, ut ait Donatus; nempe dicitur a *viere*, quod Festus alligare, Nonius interpretatur vincire & inflectere. Sic in Latinis Lexicis. Sed præstat audire S. Isidorum Etymologiar. L. 17. c. 5. „*Vitis* dicta, quia vim habet citius radi„candi. Alii putant vites dictas, quia invi„cem se vites innectant, vicinisque arboribus „reptando religentur. Est enim earum na„tura flexibilis, quoniam quasi brachiis qui„busdam quidquid comprehenderint stringunt.

(h) *Benda* indicat scriptorem natione Italum, uti fuit S. Bonaventura, non Gallum, puta Petrum Joannis Olivi, cui nonnemo ex recentioribus Postillam hanc adtribuendam putavit.

(i) Nunc penultimo.

(k) In Cod. Patav. *de Christo*.

(l) Hoc ipso sensu infra videbimus hujusmodi textum Genesis a S. Doctore adhibitum in cap. 15. Joannis num. 1013.

1. Cor. 13. 4. & 5. primæ ad Corinthios decimotertio: Caritas non æmulatur, non inflatur, non est ambitiosa: Et capite octavo: Scientia inflat, caritas ædificat. Caritas etiam configit hominem cruci Christi, (a) ut dicat cum Apostolo ad Galatas secundo: Christo confixus sum cruci. (b) Ipsa etiam est radix veri (c) fundamenti secuudum illud ad Ephesios tertio: In caritate radicati & fundati. Et similiter vitis habet solidum stipitem, & in tota sua specie multam præfert jucunditatem. Ideo Judicum nono bene dicitur, quod postquam omnia ligna venerant ad olivam, & ficum, tandem tertio venerunt ad vitem dicentes: Veni, & impera nobis. Quæ respondit: numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter cetera ligna promoveri? Caritas enim gloriam temporalium promotionum parvipendit, innitens semper pinguedini divinarum laudum. (d) Si autem, quod absit, hic amor a mente, quam possidet, evanescat, tunc non restat, nisi illud, quod habetur Ezechielis decimoquinto: Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum? Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas? Ecce igni datum est in escam. Et simile dicit Christus Matthæi quinto sub metaphora salis: quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra.

Ibid. cap. 8. 1. — Configit hominem cruci Christi. — *Ad Gal. 2. 19.* — Radix est veri fundamenti. — *Ad Eph. 3. 17.* — Multam jucunditatem præfert. — *Jud. 9. 12. & 13.* — Caritas mundanorum contemptrix honorum. — Ejus necessitas. — *Ezechiel. 15. 2, & seqq.* — *Matth. 5. 13.*

§. 6. Habet etiam vim exuberativam, & inebriativam (e) juxta illud: Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Et Cantic. primo. Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. De vino hujus vineæ Christus Noe præsignatus inebriatus est Genesis nono. (f) Hujus exuberantiam senserat sponsa dicens Cant. secundo: Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem.

Habet vim exuberativam, & inebriativam. — *Psal. 127. 3.* — *Cant. 1. 14.* — *Gen. 9. 21.* — *Cant. 2. 4.*

§. 7. Habet etiam vim obumbrativam, & refrigerativam, & quietis ministrativam. Unde tertii Regum quarto dicitur: Habitabat Juda & Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis. Finis etiam omnium præceptorum est caritas primæ ad Timotheum primo, & ideo in ipsa sola, tamquam in fine ultimo est quies amantis. (g) Unde Deuteronomii trigesimo tertio de amico sponsi dicitur: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.

Obumbrativam, & refrigerativam, & quietis ministrativam. — *3. Reg. 4. 25.* — Caritas finis omnium præceptorum. — *1. Tim. 1. 5.* — Amantis quies — *Deut. 33. 12.*

§. 8. In hac etiam vite sunt tres propagines, secundum triplicem processum conjugalis amoris. Est enim amor nuptialem desponsationem inchoans: ad regalem gloriam sponsam sublimans: prolis procreationem & educationem intendens & subministrans. Et secundum hoc Liber iste nuptialis tres habet partes, quasi (h) tres amoris propagines, quarum prima durat usque ad illud tertium caput: *En lectulum Salomonis*. Secunda usque ad illud sextum caput: *Descendi in hortum meum*. (i) Tertia vero usque in finem libri.

Tres propagines hujus mysticæ vitis secundum processum triplicem conjugalis amoris. — Hujus Libri nuptialis in tres partes divisio. — *Cant. 3. 7.* — *Ibid. c. 6. 10.*

§. 9. Forma hujus Libri, seu mysticus ejus processus, convenienter designatur per crescere in gemmas, flores, & uvas. Primo enim crescit in gemmas, seu in germen sensus moralis, seu contemplativi: secundo in flores

Forma hujus Libri.

(a) Cod. Patav. *humilitati crucis*.
(b) In Prol. Itiner. ac Præfat. Ligni vitæ &c.
(c) Assis. & Patav. *nostri*.
(d) Id Sanctus noster Interpres iterato quoque exemplo in sua vita docuit.
(e) Inter Sermones sub D. Bona. nomine Serm. 3. Dom. 1. post Epiphan. „ Bene caritas significatur per vinum, quia vini modo „ mentes inebriat amantium. Bernard. *Qui* „ *cumque gustu caritatis semel perfecte inebriatus* „ *fuerit, ad omnem laborem hilarescit: dolet, &* „ *non sentit: laborat, & non lacescit, deridetur,* „ *& non advertit*. Hoc est vinum, quod in „ tribus propaginibus crescens, in calicem ex„ primitur: *Videbam coram me vitem, in qua* „ *erant tres propagines &c.* "
(f) Ibi Serm. 3. in Parasceve „ Noe, de „ quo istud dicitur, Christum significat, qui „ fortissimo caritatis vino inebriatus fuit, quan„ pro hominis salute mori voluit. Cui bene „ ebriorum proprietates conveniunt. Ebrius „ enim nudatur quandoque, sic Christus nu„ datus fuit quandoque, & derisus, sicut Noe „ a Cham. Unde versus:
„ *Cham ridet, dum membra videt detecta pa-* „ *rentis:*
„ *Judæi risere Dei pœnam patientis &c.* "
Item Exposit. in cap. 23. S. Luc. *Passio Christi signanter significatur per Noe, de quo dicitur quod bibens vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo*. Videsis quoque id expositum de *Christo inebriato amore Sponsæ suæ*, sive *Ecclesiæ*, Serm. 2. Dom. in Septuag. nec non Serm. 14. in Hexaem. ac infra de sacr. Script. materia §. 11. & apud Hug. Card. in Cap. 2. Cant.
(g) Opusc. de septem grad. Contemplat.
(h) Al. *ac si*.
(i) De lectione hac dicam infra loc. cit.

res ſenſus allegorici: tertio in uvas maturas ſenſus anagogici. (*a*) Liber enim iſte primo videtur in ſe præferre myſteria deſponſationis Dei, & cujuſcumque ſingularis animæ per ejuſdem Dei amorem inflammatæ, & in contemplationis exceſſum ſublimatæ, vel ſublimandæ. (*b*) Secundo inſtar florum (*c*) videtur promittere radioſos intellectus nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ. (*d*) Tertio conſummatum gaudium cœleſtis Hierarchiæ, ubi ecſtatici ſenſus plenam habent maturitatem. Quodlibet autem horum currit per tres propagines ſuperius præmiſſas. Quamvis enim in cœleſti Hierarchia non ſit reſpectu ſui prolis educatio, eſt tamen reſpectu noſtri, quia ſecundum Apoſtolum ad Galatas quarto: Illa quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. (*e*)

Ad Galat. 4. 26.

Finalis fructus & utilitas.

§. 10. Finalis autem eſt calicem Pharaonis in manu tenere, in ipſum uvas exprimere, & per ipſum Pharaoni poculum præbere. Per calicem aliquando deſignatur Scriptura ſacra, (*f*) juxta illud Geneſis quadrageſimo quarto: Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet. In Scriptura enim ſacra Doctores ſacri contemplantur, (*g*) velut cœli augures, & per ipſam, & in ipſa hauriunt divinorum ſenſuum pocula. Deſignatur & per ipſum paſſio Chriſti juxta illud: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Et: Calicem, quem dedit mihi pater, non vis, ut bibam illum? (*h*) Et: Hic eſt calix ſanguinis mei. Aliquando etiam ipſa Deitas in corde electorum irrigua gratiarum infundens, ſeu quæcumque ſancta mens Divinam gratiam exuberanter continens, & effundens. De utroque eorum poteſt accipi illud Pſalmi: Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus eſt!

Gen. 44. 5.

Matth. 20. 22.

Jo. 18. 11.

In Can. Miſſ.

Pſal. 22. 5.

§. 11. Per contemplationem autem hujus Libri hic triplicem calicem tenemus in manu, & in ipſo ſenſus myſticos & ecſtaticos exprimimus (*i*). Et hic eſt finis principaliſſimus (*k*) hujus Libri. Quemadmodum autem uterque, ſcilicet tam viſionis inſpector, quam interpretator, fuit in carcere, & uterque erat diſpenſator Domini ſui, & tandem uterque fuit in gradum priſtinum, vel in ſtatum altiorem priſtino reſtitutus; ſic nullus poteſt ſenſus ecſtaticos, & ſuperfervidos (*l*) hujus Libri inſpicere, ac docere, contemplari ac interpretari, niſi myſtice tria prædicta probaverit. Et per hoc poterit (*m*) indagare, qualis debeat eſſe hujus Libri auditor, & doctor.

§. 12. Ex prædictis autem patet ratio tituli hujus Libri. Eſt enim ſecundum Origenem (*n*) ejus titulus: *Canticum Canticorum*, quod Salomoni eſt canendum. (*o*) Quia enim iſte Liber totus eſt de jubilo, ſeu tripudio nuptiali, quod eſt inter ſponſum & ſponſam, Animam ſcilicet, & Chriſtum, hoc autem Canticum, ſeu gaudium eſt præcellentius omni genere Canticorum; ideo merito dicitur iſte Liber *Canticum Canti-*

Origenes Explanationis prioris in Cant. Cantic. Homil. 1. *interprete D. Hieron. Canticum potius quam Cantica, dicendum.*

Canticum omnium præſtantiſſimum.

(*a*) De his ſenſibus alibi ſæpe D. Bona.

(*b*) Serm. ſive Collat. 20. in Hexaem. *Hoc eſt tota cauſſa inflammationis; quia numquam venit ad contemplationem radius ſplendoris, quin ſit etiam inflammans. Et ideo in Cant. loquitur Salomon per modum amoris, & per modum cantus; quia ad illos fulgores non poteſt perveniri, niſi per amorem.*

(*c*) Cod. Aſſiſien. addit *vitis*.

(*d*) Infra in Expoſit. hujus Cantici §. 361. ac ſeqq.

(*e*) De hoc quoque in Itiner. mentis in Deum Cap. 4.

(*f*) Similiter in Comment. ſuper Apocal. cap. 17. ℣. 4. inquit deſignari Divinam Scripturam per *poculum aureum*.

(*g*) Codd. Aſſiſ. & Patav. heic addunt *futura*.

(*h*) Vulg. *non bibam illum?* ſed *non vis, ut bibam illum?* ipſemet Interpres Comment. in Jo. Evang. nec non plures Sacrorum Biblior. Editiones, Cod. noſter Bernardin. &c.

(*i*) Quippe vel Chriſtus ipſe Dei virtus & Sapientia, ait Interpres Itiner. ment. in Deum c. 1. „ Scientiam veritatis edocuit ſecundum „ triplicem modum Theologiæ, ſcilicet ſym„ bolicæ, propriæ, & myſticæ: ut per ſym„ bolicam recte utamur ſenſibilibus, per pro„ priam recte intelligibilibus, per myſticam „ rapiamur ad ſupermentales exceſſus. "

(*k*) Al. *pretioſiſſimus*, aut *glorioſiſſimus*.

(*l*) Vide ſupra in Tract. de ſtud. Divinar. Literar. §. 14. quoad adjectivum *ſuperſervidi*.

(*m*) Al. *in hoc poteris*.

(*n*) In Epiſtolari Prologo S. Hieronymi ad Damaſum Papam in Expoſitionem Cantici Epithalamii Canticorum ſecundum Origenem: *Origenes cum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipſe ſe vicit*.

(*o*) Sic etiam in Prologo Explanationis poſterioris in Cant. Cant. inter Opera Origenis in fine, de quo Prologo mox ſermo redibit. In Codice autem Patavino: *quod eſt ipſi Salomoni canendum*, ſive ut infra explicat noſter Interpres, *Chriſto ſponſo & Regi pacifico*. Videndus Cornelius a Lapide Prolegom. in Cant. Canticorum cap. 1.

Canticorum, ſicut Chriſti Mater dicitur Virgo Virginum, & ſicut Roſa dicitur flos florum. (*a*) Sunt enim in Scripturis multa alia Cantica, quorum quædam ſunt edita pro ereptione a malis temporalibus, quædam pro collatione bonorum temporalium, quædam pro exitu a peccatis, ſeu pro indulgentia culparum, quædam pro adeptione alicujus ſpecialis gratiæ, ſeu virtutis. Sed hoc eſt præ omnibus ſingulariſſimum, quoniam eſt de nuptiali unione ſponſi & ſponſæ. (*b*)

In Scripturis Divinis alia multa Cantica.

Canticum omnium ſingulariſſimum.

In Prologo Explanationis poſterioris in Canticum Canticorum circa finem, inter Opera Origenis.

§. 13. Dicitur autem ſecundum Origenem *Canticum*, & non *Cantica*, licet quidam, ſicut ipſe ait, pluraliter ſuperſcripſerint *Cantica*, ſed non recte; quia totus iſte Liber non eſt niſi unum & plenum *Canticum*. Quamvis enim tertii Regum quarto dicatur, quod locutus eſt Salomon tria millia parabolas, & fuerunt ejus Carmina, ſeu Cantica, quinque millia; (*c*) tamen ſecundum Origenem hoc Canticum non eſt confectum ex illis, quia ſecundum eum, multorum Librorum fit mentio in Scriptura ſacra, quos non habemus. Ratio etiam hoc convincit, quia conſtat, quod Canticum hujus Libri non poſſit dividi in quinque millia Cantica, cum ſit unum. (*d*)

3. Reg. 4. 32.

In cit. Prologo.

§. 14. Dicitur autem hoc Canticum eſſe editum, ſeu canendum ipſi Salomoni, id eſt Chriſto ſponſo & Regi pacifico, cujus præclarum typum tenuit Salomon, (*e*) ac eſſe editum ad amandum, & ad pſallendum (*f*). Et quia in pleriſque typo utitur eorum, quæ geſta ſunt in Salomone, ſciendum, quod quidam alii (*g*) temere dixerunt, quod Librum hunc edidit de ſe, & pro filia Pharaonis, & de carnali amore, & voluptate, quæ fuit inter ipſos. Sed hoc eſt hæreticum & blaſphemum, ſcilicet quod Spiritus Sanctus fecerit recipi Librum in auctoritatem Fidei, (*h*) & eſſe de amore corrupto, & fœdo compoſitum.

Temeritas dicentium hunc Librum agere de amore profano.

Hæreſis & blaſphemia.

§. 15. Præterea multa ſunt in hoc Libro, ex quibus improbari poteſt. Primo, cum ageret de amore ſponſi, dicit ſponſa: *Recti diligunt te;* quod non eſt, ſi de carnali amore agitur. Immo potius debuiſſet dicere: Carnales & luxurioſi diligunt te. Secundo, quia ſponſa in ſui laudem dicit ſe nigram, ſicut tabernacula Cedar, & dicit ſuum fuſcum colorem non eſſe contemnendum, quia æſtus ſolis hoc fecit. (*i*) Scimus autem, quod impudicus amor horum contraria laudat, & quærit; iſta vero

Refellitur octo rationibus.

Cant. 1. 4.

Ibi 5. *&* 6.

(*a*) Ab eodem Seraphico Doctor *flos florum* dicitur Beata Virgo Maria in Sententiis Sententiarum ad finem.

(*b*) Illuſtriſſ. Jac. Benign. Boſſuet „ *Canticum* „ *Canticorum*: non tam quod ſit omnium longiſſimum, quam quod ſit omnium longe „ præſtantiſſimum: neque tantum inter ea Can„ tica, quæ Salomon bene multa compoſue„ rat: *Fuerunt* enim *carmina ejus quinque &* „ *mille* III. Reg. IV. 32. ſed etiam inter omnia „ quotquot ſunt Cantica: cum in eo canatur „ præcellentiſſimum incarnati Dei, & Eccleſiæ „ ſacramentum, eaque quæ numquam excidit, „ & virtutum omnium major eſt, caritas &c. “

(*c*) Vulg. *quinque & mille*. Sic in Hebræo quoque, & Chaldæo. At Septuaginta habent *quinque millia*. Ita etiam Pagninus, qui vult conjunctionem *&* hebraicam redundare, ut ſæpe contingit. Idque poſt Paguinum monent Mariana, & Gordonus. *Quinque millia* præferunt inſuper quatuor Editiones in hac noſtra Tridentina Bibliotheca S. Bernardini ſervatæ, prima ſine anno, loco, ac Typographi nomine, ſecunda Veneta an. 1476., tertia Lugdunenſis 1524. quarta itidem Lugdun. 1568. Item aliæ quatuor Biblioth. Gentilott. Nurnbergen. 1478. Venet. 1484. Baſileen. 1509. Colon. 1527. Quibus accedit Venet. 1481. Biblioth. Griezen. nec non Cod. noſter Bernardin. A. V. I.

(*d*) In ſingulari *Canticum Canticorum* ipſum appellat Seraphicus Doctor etiam alibi, nempe Serm. ſive Collat. 22. in Hexaem., Cap. 1. Expoſit. in Librum Sapientiæ, Præfat. in Pſalterium, nec non Expoſit. in Pſal. 26. Item Prologo in Lamentationes Jeremiæ, ubi diſertiſſime ait: *Inter Cantica lætitiæ arcem tenet Canticum Canticorum*. Et Serm. ſive Collat. 14. vocat *Canticum lætitiæ*, atque *Canticum Sponſæ Chriſti*. Serm. ſive Sect. 4. de laude melliſl. Nom. D. N. J. C. n. 29. *Sponſæ Canticum*. Atque cap. 4. Itinerarii mentis in Deum, *Canticum Canticorum, quod factum fuit ad exercitium contemplationis*. Inſuper in 2. Diſt. 29. Ar. 1. Q. 1. ſub ſed contra, ubi inquit: *Animam dicit Sponſam ſuam in Cantico*. Nec non in Tract. de Planctu Paſſion. Dom. ſive de Vite Myſt. nuncupat *Canticum Salomonis, Canticum Sponſæ, & Canticum amoris*.

(*e*) Dom. in Ramis Palmar. Serm. 1. ab initio ex Auguſtino, quem vide Lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. in fine.

(*f*) Serm. ſive Collat. 20. in Hexaem. *In Cant. loquitur Salomon per modum amoris, & per modum cantus*.

(*g*) Scilicet Judæi & Hæretici nonnulli, quorum meminit Philaſtrius in Lib. de Hæreſibus cap. 133. & Jacobus Chriſtopolitanus Præfat. in Cant. Vide ſis Cornelii a Lapide Prolegomena in Cant. Canticor. cap. 1. nec non Prolegomenon Auguſtini Calmet in idem Cant. Canticor. Item Prolegomenon noſtri Wilhelmi Smits c. 3. per totum.

(*h*) Ex Concil. Carthag. tertio, ac poſtea Florent. & Trident. *De canonica Cantici authoritate* ibidem Smits cap. 6.

(*i*) Non ergo heic agitur de nigro colore Ægyptiis nativo, ſed ex Solis aduſtione orto; adeoque non fuit talis Sponſa Pharaonis filia.

fugit & spernit. Tertio, quia nec de Filia Pharaonis, nec de aliqua alia uxore Salomonis (a) invenitur, quod filii matris suæ pugnaverint contra eam:
Ibid. aut quod fecerint eam custodem vinearum. Nec hoc in laudem carnalis sponsæ dici posset, eam custodem esse vinearum, cum sit apud homines officium valde vile.

§. 16. Quarto, quia plures similitudines in laudem sponsæ hic ponuntur, quæ secundum literam laudi ejus car-
Cant. 7. 4. nali non competunt, ut est illud: *Nasus tuus sicut turris Libani*: (b) aut il-
Ibi cap. 1. 9. lud: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te*. Non enim robur virile equitatus seu exercitus competit delicatæ, aut voluptuosæ mulieri. Aut
Ibi cap. 8. 8. sicut est illud: *Soror nostra parvula est*, (c) *& ubera non habet*: & illa, (d) quæ post hæc subduntur, & præcipue illud,
10. quod post cetera subditur, quod *ubera mea sunt sicut turris &c.* (e)

§. 17. Quinto, quia sponsa aliquan-
Cap. 8. 1. do petit sponsum, tamquam fratrem suum sugentem ubera matris suæ; quod Salomoni, aut carnali sponso non congruit. Sexto, quia sponsus dicit se
Ibi 5. suscitasse sponsam sub arbore malo, & ibi matrem suam fuisse corruptam, seu violatam: quod nec ad literam verificatum de aliqua sponsa invenimus, nec esset in laudem sponsæ, aut sponsi, dicere quod mater sua fuit ibi corrupta, aut violata. Septimo, quia tota contextura Libri, si de carnali amore legatur, est valde discontinua, (f) & ridiculosa. Si vero de spirituali amore legatur, admirabilem habet ordinem, & spiritualissimum habet sensum, (g) divinissimumque saporem.

§. 18. Octavo, quia consimiliter pos- Psal. 44.
set dici de quibusdam Psalmis Davidis Regis, ut puta de Psalmo: *Eructavit cor meum*, ubi psallit de Rege & Regina stante a dextris ejus: & tamen ex 10.
apertis verbis ipsius Psalmi docemur, quod ibi non egit de Rege carnali; quia ibi in pluribus locis illum Regem vocat Deum ab aliis adorandum, etiam ibi ubi de carnali amore Regis, & Reginæ potius loqui videtur, ibi scilicet: Et concupiscet Rex decorem tuum, 12.
quoniam ipse est Dominus Deus tuus. (h)

§. 19. Si vero objicias, quod sunt Proponitur ac solvitur objectio.
in Libro isto permulta, quæ carnalitatem (i) sapiunt, taliaque non videntur posse transmutari (k) ad spiritualem amorem, cum sint illi valde contraria, mul-

---

(a) Heic nedum perstringuntur illi, qui fabulantur, ipsam fuisse Pharaonis filiam, sed & alii, qui eam Abisai Sunamitidem confinxerunt; quorum aniles fabellas jure ac merito exsibilat Theodoretus Præfat. in hunc Librum.

(b) Profecto prædicta verba, secundum literam accepta, *videntur esse falsa & jocosa*, ait Interpres noster Exposit. in Ecclesiasten cap. ult. cum tamen ipse Ecclesiastes, sive Salomon dixerit, se *conscripsisse sermones veritate plenos*. Igitur *verba Cant. intus celant & claudunt* (al. *audiunt*) *veritatem*, *& hoc necessarium in omni doctrina*: *ante omnia opera Verbum verax præcedat te*, Eccli 37. 20. Unde *secundum literam laudi ejus carnali non competunt*.

(c) Editiones Veneta 1476. Lugdun. 1549. & 1568. nec non Vulgata: *parva*. Editio alia Lugd. 1524. & MS. Cod. membr. hujus nostræ Bibl. n. 40. *parvula*. Alter ibid. n. 21. *parvula est*. Dicitur autem *soror* ad abigendam suspicionem omnem carnalis amoris, adeoque ad demonstrandum, quod sponsus eam caste amaret ut *sororem*, & quidem ut *sororem parvulam*. Unde ipsemet Interpres noster in Tractatu de planctu Passionis Domini, seu in Vite Mystica Cap. 3. num. 11. sic observat: *Quia Sponsæ etiam carnaliter diliguntur, ut in amore Sponsi nostri nil carnale sapias, ipsam Sponsam suam SOROREM appellat, quia Sorores jam nequaquam carnaliter adamantur*.

(d) Cod. Patav. *& ita*.

(e) Itidem ad literam exponi nequeunt, quod caput illius sit instar montis Carmeli, oculi piscinis consimiles, dentes sicut greges ovium &c.

(f) *Discontinua*; sicut *discontinuata* Serm. 2. in Cath. S. Petri, & *discontinuaverit* in 3. Dist. 16. Ar. 2. Q. 2. in concl.

(g) Cod. Patav. *sapientialissimum suum sensum*.

(h) Vel hunc textum Interpres noster accipiendum intelligendumque censet de *Christo sponso in eligenda sponsa*, *scilicet Ecclesia* in Exposit. super Psalterium Psal. 44., ubi etiam simillime ac heic differit de *conjugio Christi*, *& Ecclesiæ*, *scilicet conjunctione naturarum*, *& conjunctione animorum*, in eamdem rem pluries laudans allegansque verba Cantici Canticorum. Item Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. ubi verbis ejusdem Psalmi ait: „ Dirigamus igitur „ sermonem ad Christum dicentes: *Diffusa est* „ *gratia in labiis tuis*. Sicut enim ex præce- „ dentibus & subsequentibus liquet, sermonem „ hunc Propheta dirigit ad Christum. Ante- „ cedenter enim dicitur: *Speciosus forma præ* „ *filiis hominum*. Consequenter annectitur: *Se-* „ *des tua Deus in sæculum sæculi*. " Hoc ipsum lego in Exposit. super Cap. XX. S. Lucæ, ubi etiam evincitur, Psalmum quoque centesimum nonum manifeste loqui de Christo. Id diu antea testatus fuerat S. Augustinus Lib. 17. de Civ. Dei cap. 17. Quodve *commendetur Christus tripliciter* per illa verba præfati Psalmi 44. ℣. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum*, *diffusa est gratia in labiis tuis*, diserte tradit Seraphicus Doctor etiam in Concionandi Arte hactenus inedita, sed Vol. 3. edenda.

(i) Cod. Patav. *carnalem amorem*.

(k) Idem Cod. *transumi*.

multumque dissimilia & deformia: sciendum est, quod decuit per Scripturam sacram nos edoceri, omnia sensibilia in Deum reducere sub modis honestis & castis. (a) Si enim Deus ea condidit, & hoc ad sui repræsentationem, & nostram manuductionem; constat quod secundum suam naturam, & secundum rectam institutionem eorum nihil continetur inhonestum, nisi solum ex nostro vitio. Secundum hoc ergo tam in Libro isto, quam in pluribus aliis locis per sensuales amores manuducimur ad spirituales, divinosque amores, & per sensibiles formas & pulchritudines ad intellectuales decores. (b) Nec mirum, quia etiam ex divino instituto conjugium carnale ex ejus carnali copula (c) significat (d) Sacramentum Christi, & Ecclesiæ.

Ad Ephes. 5. 32.

Exempla ad declarandam hujus Cantici puritatem, ac suavitatem, atque ad ostendendum, quod reapse Canticum sit Divini amoris.

§. 20. Ad rationem igitur factam in contrarium, dicendum, quod licet sit terra corpus fœculentum, opacum, & grave, & per consequens quo ad ista sit regimini superiorum corporum oppositum, & deforme; nihilominus per cœlestes impressiones, & depurationes elevantur de terra aliqui vapores ad regionem aeream, seu cœlestem, per quos multæ nobiles & utiles impressiones fiunt in terra: sicut sunt rores, venti, & pluviæ, & consimilia. Sic etiam videmus, quod virtus vitalis ex humore terrestri format arborum radices, ramos, & flores perpulchros, fructusque suavissimos. Sic & Citharædus ex nervis animalis mortui, & ligno fragili, & concavo, trahit cantum harmonicum, & melodiam suavem. (e) Quid ergo mirum, si de copula conjugali Spiritus Sanctus per ora Sanctorum suorum sciverit nobis, per quasdam spirituales transumptiones, depromere Canticum Divini amoris? Unde notanter est advertendum; quod in toto Libro isto non invenitur unum verbum, quod sonet fœditatem actus impudici; sed sub mira honestate (f) trahuntur exempla a sensibilibus formis, & deliciis, quæ in regali connubio inveniri solent.

§. 21. Nota, quod hic modica, aut nulla sit determinatio tropicarum similitudinum ad aliquod mysterium speciale; sed in generali relucet hæc determinatio ipsarum ad præsignanda mysteria spiritualis connubii sponsi & sponsæ. Ideo Liber iste est occultior, & profundior, (g) & in mysteriis fœcundior, ac plurium sensuum comprehensivus. Quanto enim similitudines Scripturarum sunt generaliores, & minus determinatæ ad hoc, vel illud significandum, tanto sunt profundiores, & ad plures sensus ductibiles. Et hæc est caussa, quare Apocalypsis est ita clausa, & tantorum sensuum comprehensiva. (h)

Arcana & multiplicia sensa hujus Libri.

Apocalypsis clausa, quia multa mysteria complectitur.

§. 22. Nota etiam (i) quare in Canone tres Libros habemus Salomonis, (k) quo.

(a) Ita edoctus Divus Bonaventura scripsit *Itinerarium mentis in Deum*, & Opusculum *de Reductione Artium ad Theologiam*, passimque nos in Deum per sensibilia reducit.

(b) Par. 1. cap. 1. de Eccles. Hierarch. statim in exord. Item supra de Plantat. Parad. §. 1. Et in Itinerar. mentis in Deum passim.

(c) Cod. Assisien. *ex conjugali copula.*

(d) Cod. Patav. *& ejus carnalis copula sunt.*

(e) Vel hinc, si cetera deforent, palam est, nostrum Seraphicum Interpretem unum esse ex illis, quos dedit Christus Ecclesiæ suæ Cantici Canticorum Interpretes, quosve præ ceteris commendat Illustriss. Bossuet Præfat. in Cant. Canticor. ubi ait „ Accedant boni sanctique „ Interpretes, qui non se immergant carnali- „ bus; sed qui amorum humanorum sensus & „ voluptates, ut periti Musici chordas, levi „ digito pulsent; tantum ut amoris Divini „ suavissimum sonum eliciant. "

(f) Mira honestas hujus *Cantici* declaratur, dum Serm. sive Collat. 22. in Hexaem. dicit idemmet Interpres noster consistere *totum in castis susceptionibus, castioribus speculationibus, castissimis unitionibus.* Quamvis enim prima fronte verba ejus *videantur verba luxuriæ & libidinis;* reapse tamen secundum eumdem Exposit. in Ecclesiasten cap. ult. continent *sermones rectissimos, id est, justos & bonos: Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum*, Prov. 8. 8.

(g) In Prologo Expositionis super Ecclesiasten haud procul a fine: „ Quoniam Salomon in „ Libro Proverbiorum loquitur parvulis & in- „ doctis, idem loquitur parabolice & aperte: „ quia vero in Ecclesiaste proficientibus, ideo „ aperte, sed proprie: quia in Cant. perfectis, „ quorum est solidus cibus, ideo parabolice, „ & occulte. " Ita fere S. Hier. in Ecclesiasten.

(h) Hieronymus Paulino scribens ait: *Apocalypsis Joannis tot habet Sacramenta quot verba*; moxque subdit, quod *in ejus verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Recte autem heic Interpres noster mentionem ingerit Apocalypsis, cujus multiplicia reconditioraque sensa itidem aperuit, ut Vol. mox seq. patebit. Quandoquidem magnam esse analogiam & similitudinem hujus Cantici cum Apocalypsi censent Cosmas Hortolanus, & Alcazar, quos laudat, ac sequitur Cornel. a Lap. Prolegom. in Cant. Canticor. cap. 4. ad finem.

(i) Hunc notandi morem videre est apud nostrum Interpretem in Expositione Psalterii, ac etiam alibi passim.

(k) Tres tantum agnoscit etiam in Expositione su-

quorum iſte eſt ultimus. (*a*) Sapientia enim moralis, ſeu divina, ad triplicem ſtatum gradato ordine nos informat. Primo ſcilicet ad paſſiones regulandas, & ad civilem vitam componendam ſub debita morum honeſtate, & de hoc agit proprie *Liber Proverbiorum*. Secundo informat nos ad paſſiones hujus vitæ funditus eradicandas, (*b*) & ad vitam iſtam totaliter (*c*) contemnendam, per humilem conſiderationem vanitatis & miſeriæ hujus vitæ, & de hoc eſt proprie *Liber Eccleſiaſtes*. Tertio docet aſcendere ad ſapientiam amoroſam, (*d*) ſive ad eſtaticum Dei amorem, cujus aliqualis initiatio eſt in hac vita, ſed conſummatio ejus ad alteram vitam tranſit, & de hoc proprie eſt *Liber iſte*.

Præcipuus hujus Libri ſenſus connubiū Dei & Animæ.

§. 23. His autem prælibatis ad Librum exponendum accedamus. Et intendo principaliter deducere primum ſenſum, qui eſt de eſtatico connubio Dei & Animæ per ejus amorem inflammatæ, & in exceſſum contemplationis ſublimatæ, aut ſublimandæ, (*e*) quia hoc principalius videtur relucere, & ex ipſo alii (*f*) pendent; unde non poſſunt clare intelligi, niſi iſto præintellecto. Dividitur autem (*g*) ſecundum hoc Liber iſte, ſicut ſupra dictum eſt, (*h*) in tres partes. Prima enim agit de amore nuptiali, pro ut eſt deſponſationem inchoans. Secunda pro ut eſt ad regalem gloriam ſublevans, infra capite tertio: *En lectulum Salomonis*. Tertia pro ut eſt ſpiritualis prolis procreationi & gubernationi condeſcendens, (*i*) capite ſexto: *Deſcendi in hortum meum*. In prima primo oſtendit, quomodo trahitur ad ſponſi amplexum per conatum proprium. (*k*) Secundo quomodo per ſponſi illapſum, (*l*) ſeu adventum efficaciſſimum in ſecundo capite: *Vox dilecti mei*. (*m*) Tertio quomodo per ſponſi abſceſſum altivolum, (*n*) & ſui abſconſivum ibi: *Revertere: ſimilis eſto &c.*

Diviſio hujus libri.

Cant. 3. 7.

Ibi 6. 10.

Subdiviſio primæ partis.

Ibi 2. 8.

Ibi 17.

§. 24. Et nota, quod iſti tres modi ſunt in mentibus contemplativis ad invicem ordinati, & per experimentum ſæpius comprobati: Et ut in ſumma ſpecu-

---

ne ſuper Eccleſiaſten, ubi in Prooemio de iiſdem ſimiliter loquitur, ac probat capite ultimo. Tres quoque tantum in Præfat. Pſalter etiam cum hebraicis nominibus ſic: *Miſchle, qui eſt Proverbia Salomonis; Coheleth, qui Eccleſiaſtes; Scir haſcirim, quod eſt Canticum Canticorum*.

(*a*) Prætermittit heic S. Bonaventura *Librum Sapientiæ*, quem alioquin uti Canonicum expoſuit, quia ejuſdem *cauſſam efficientem per modum compilantis*, non Salomonem, ſed Philonem exſtitiſſe monuit in Prologo Expoſitionis ſuper eumdem Librum Sapientiæ. Vide Prodromum col. 634. & 730.

(*b*) Cod. Patav. *edomandas*.

(*c*) Non mirum fuiſſe uſurpatum a D. Bona. aliiſque Scholaſticis quam frequentiſſime hoc adverbium pro *omnino*; cum & a Lactant. ipſo Lib. 6. fuerit adhibitum, ubi habet *totaliter cavere*.

(*d*) Serm. ſive Collat. 19. in Hexaem. poſt initium „ In Cant. exprimitur ſapientia amo-„ roſa. Non enim quis poteſt diſcedere a fal-„ ſo, & accedere ad verum ex amore, niſi „ elongetur a vanitate. Et ideo Eccleſiaſtes „ præcedit hunc librum, ubi oſtendit vanita-„ tem cum dicit: *Vanitas vanitatum, & omnia* „ *vanitas*.

(*e*) Vide ſupra §. 9. in not. *b*.

(*f*) De alio, qui eſt de Eccleſia, agit data opera in fine.

(*g*) Idem Cod. Patav. *ergo*.

(*h*) Scilicet §. 8.

(*i*) *Sponſus ſponſam*, inquit Interpres noſter Expoſit. in Pſalmum 44., *Chriſtus Eccleſiam, non accepit in uxorem, niſi cauſſa prolis, & adjutorii. Et ibi proles eſt, quia crevit Eccleſia in numero, & merito*. Verbo quoque *condeſcendens* ſæpe utitur D. Bona.

(*k*) Cave, ne per *conatum proprium* excluſum putes gratiæ prævenientis & cooperantis auxilium. Ait enim noſter Interpres Serm. ſive Collat. in Hexaem. *Nihil poſſumus facere ſine gratia*. Quare? reſpondet: *ſine me nihil poteſtis facere, dicit Chriſtus*. Sicut ergo per ſponſæ *proprium meritum* infra cap. 4. ℣. 8. intelligit *meritum manans a merito Chriſti*; ita per *conatum proprium* ſignificat *conatum* profluentem a gratia Chriſti. Quapropter cap. 6. ℣. 3. Sponſum, ſcilicet Deum, agnoſcit *datorem ſuarum virtutum, & ſui meriti, & ipſa munera ſibi donata*. Verſ. 4. exhibet Sponſum, qui alloquitur ſponſam: *Non potes me comprehendere, nec per te, niſi quantum tibi ex mea gratia condeſcendo, attingere*. Verſ. 10. loquens de ſponſæ *virtutibus, & conatibus, ſuis invitationibus, & orationibus*, pronunciat, ipſam *a ſingulari merito, & virtute ſponſi ſui habuiſſe, & obtinuiſſe*. Cap. 7. verſ. 12. exponens illud *ſi flores fructus parturiunt*, videlicet *ſi cum principali & forti conatu ſua bona propoſita ad opus perducunt*, ad hoc, & alia id genus, quæ ſubdit, ſponſæ neceſſe eſſe fatetur, *ſponſum ſibi in omnibus iſtis perfecte aſſiſtere, & cooperari; quia ipſemet Joan. 15. ait: ſine me nihil poteſtis facere*. Tandem cap. 8. verſ. 2. *totum velle, noſſe, poſſe* ipſius ſponſæ, ſive animæ ſanctæ repetit a gratia ſponſi, ut ſcilicet *gloriemur non in nobis, ſed in Deo*.

(*l*) De hoc 1. Diſt. 4. Art. 3. Q. 2. in concl. nec non 2. Diſt. 8. Part. 2. Art. 1. Q. 2. in concl. Vide ſis declaratum apud Cornel. a Lap. qui allegat *S. Dionyſ. & ex eo S. Bernard. S. Bonavent. Hug. Richard. Gerſ. Laurent. Juſtin. Tauler. Rusbroch. Harph. Suſo. & ſimiles, qui de Theologia Myſtica ſcripſerunt*.

(*m*) Cod. Patav. *Ecce iſte venit ſaliens*; ſed vid. infra loc. ſupra cit.

(*n*) *Altivolum* habet Plinius Lib. 10. cap. 19.

ſpeculeris totum ordinem hujus Libri, ſcito, quod ſub iſto ordine formatus eſt a Salomone, ſub quo mentes contemplativæ ſæpius ad divina, & a divinis aguntur. *(a)* Item in prima primo oſtendit, quomodo ſponſa ad amplexum ſponſi attingit per conatum ferventium deſideriorum. Secundo, quomodo per conatum *(b)* virtualium
Cant. 1. 3. pugnarum, ſeu exercitiorum ibi: *Recti diligunt te*. Rurſus in prima primo ſponſa petit ſponſi oſculum, oſtendens ſui deſiderium motivum, ſeu allectivum. Secundo ſentiens ſe ſua virtute non poſſe ad hoc pertingere, petit ſui tractum, *(c)* promittens poſt hunc celerem curſum ibi: *Trahe me poſt te &c.* Tertio oſtendit, qualiter poſt hæc eſt introducta ad ſponſi cellarium, promittens ex hoc aſſiduum divinæ laudis jubilum ibi: *Introduxit me &c.* Ibi 3. Ibi.

§. 25. Et nota, quod licet primo oporteat ſponſam trahi ad ſponſum, quam pertingat ad ejus oſculum; prius tamen præcedit deſiderium oſculi, & deſiderium ſui tractus; quia finis prior eſt in deſiderio, & in intentione, quam via & auxilium ducens ad finem illum. *(d)* Finis præcedit in intentione id quod eſt ad finem.

CANTI-

(a) Contemplativæ igitur mentes vel quum per conatum proprium ad ſponſi amplexum trahuntur, *ad divina, & a divinis aguntur*. Sic autem loquitur ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 8. 14. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt Filii Dei*. Quæ quidem verba expendens D. Auguſtinus Libro uno de Geſtis Pelagii cap. 3. num. 5. ait „ Tantum præſtat voluntati „ bus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet „ Apoſtolus dicere: Quotquot ſpiritu Dei agun „ tur, hi filii ſunt Dei. Nec aliquid in no„ bis libera voluntas melius agere poteſt, quam „ ut illi ſe agendam commendet, qui male age „ re non poteſt; & hoc cum fecerit, ab illo „ ſe, ut faceret, adjutam eſſe non dubitet, „ cui dicitur in Pſalmo: Deus meus, miſeri„ cordia ejus præveniet me. “ Pſ. 58. 11. Nec non Libro uno de corrept. & grat. ad Valentinum, & ad cum illo Monachos Adrumetinos cap. 12. num. 38. „ Subventum eſt „ infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina „ gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter age„ retur. “ Item Serm. 156. al. 13. de verbis Apoſt. Rom. 8. cap. 11. num. 11. „ Dicit „ mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. „ Reſpondeo: Immo & agis, & ageris; & „ tunc bene agis, ſi a bono agaris. Spiritus „ enim Dei, qui te agit, agenti adjutor eſt „ tibi. “

(b) Myſterio vacare non videtur, quod heic ſemel iterumque *conatum* dicat, non tamen *proprium*. Sed age, heic quoque dixerit *conatum proprium*, quid tum? *Conatus proprius* declarat quidem liberum arbitrium, ſed cui Divina gratia adjutrix ſit. *Proprium* ſine tali gratia heic ſaperet Pelagianiſmum, a quo D. Bona. quam longiſſime fuit; non *proprium* cum gratia. Unde D. Auguſt. cit. Lib. de geſtis Pelagii ibi, refutans illud ejuſdem Pelagii ajentis: *omnes voluntate propria regi*, ſubdit „ Tamquam De„ us neminem regat, & fruſtra ſcriptum ſit „ (Pſ. 27. 9.): Salvum fac populum tuum, „ & benedic hereditatem tuam, & rege eos, „ & extolle illos uſque in ſæculum: ne rema„ neant utique, ſi voluntate propria ſine Deo „ reguntur, velut oves non habentes paſto„ rem, quod abſit a nobis &c. “

(c) Nempe gratiam non minus ſuaviter, quam efficaciter ſponſam ad ſponſum trahentem. Vid. S. Auguſtin. Serm. 131. al. 2. de Verbis Apoſt. cap. 2. num. 2. & S. Bernard. in Cant. Serm. 21. per totum.

(d) *Quia finis ſemper id, quod eſt ad finem, præcedit non in re, ſed in intentione*, Serm. 2. de S. Agnete. Vid. ſupra de Stud. Divinar. Literar. §. 17.

CANTICI CANTICORUM
CAPUT PRIMUM.

1. OSculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt
ubera tua vino, 2. fragrantia unguentis opti-
mis. Oleum effusum nomen tuum: ideo ado-
lescentulæ dilexerunt te. 3. Trahe me: post
te curremus in odorem unguentorum tuorum.
4. Introduxit me Rex in cellaria sua: exulta-
bimus & lætabimur in te, memores uberum
tuorum super vinum: recti diligunt te (a).
5. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem,
sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. 6. Nolite me consi-
derare quod fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pu-
gnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam
non custodivi. 7. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas,
ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuo-
rum. 8. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, &
abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula pa-
storum. 9. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica
mea. 10. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut
monilia. 11. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.
12. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.
13. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commo-
rabitur. 14. Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.
15. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui
columbarum. 16. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus. Le-
ctulus noster floridus: 17. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquea-
ria nostra cypressina.

EXPO-

(a) In aliis sacrorum Bililor. Editionibus verba hæc: *Introduxit me &c.*, usque *diligunt te* inclusive sub prædicto ver. 3. comprehenduntur.

EXPOSITIO.

Sponsa, & Pronubæ. (a)

VERSUS PRIMUS.

§. I.

Prima pars de amore nuptiali desponsationem inchoante.

O*Sculetur me.* (*b*) Nota, quod non dicit: *osculer ego illum*, sed quod ipse *osculetur me*. Majoris enim dignitatis est confidenter petere, aut audere osculari sponsum, quam petere: quod dignetur sponsus condescendere (*c*) ad osculandam sponsam. Et ideo non videmus sponsam audere id prius petere, nisi circa finem consummationis suæ. Unde in sola ultima parte hujus libri invenitur hoc petere, ubi ait: *Quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te solum* (*d*) *foris, & deosculer te?* (Cant. 8. 1.)

§. 2. Nota etiam, quod non prænominat illum, a quo petit osculari, ut per hoc designetur vis amoris, & ejus modus: sicut & Magdalena absque prænominatione sui dilecti dixit: Domine, si tu sustulisti eum &c. (Jo. 20. 15.) (*e*) Fervens enim amor ita gerit apud se sponsi imaginem, & personam, quod omnibus credit esse notum, quod de nullo alio loqui possit, aut de nullo alio loquatur, quando de illo absolute, seu magnifice loquitur, quamvis non exprimat nomen ejus. (*f*)

Fervens amatrix dilectum putat omnibus notum.

§. 3. Vel aliter, ideo non nominat, quia proprium est vehementer amantium extrinseca non curare vocabula, sed quæ sunt amoris & desiderii expressiva: (*g*) & quæ ardenter videntur desiderare, & diligere, petere non videntur importune. Unde Bernardus super Cant. Homil. nona: Osculetur me, nam desiderio feror, non ratione ducor. Ne quæso causemini præsumptionem, ubi affectio urget. Pudor sane reclamat, sed amor superat. Nec ignoro, quia honor regis judicium diligit: (Psal. 98. 4.) sed judicium non præstolatur præceps amor, qui propemodum nec consilio temperatur, nec pudore refrænatur, nec rationi subjicitur, sed dominatur. (*h*) Rogo, supplico, flagito: *osculetur me osculo oris sui*.

Magni amatores alia non curant, quam amoris vocabula.

Bern. in Cant. Serm. 9. n. 2.

§. 4. Osculum, quod sponsa sic optat, est familiarissima unio per amorem, & quidam suavissimus contactus Dei ad eam. In humanis enim osculum sponsi est signum amoris (*i*) familiaris, & quodammodo coæqualis, & quantum est de vi naturæ suæ, (*k*) nihil sapientis de impudica corruptione actus carnalis.

Osculum significat casti amoris unionem.

(*a*) Interpres noster observat in Exposit. Lament. Jerem. Proph. cap. 3. nedum in his Lamentationibus, sed etiam *in Cant. Canticorum*, ac *in Job*, Scriptores *dialogice procedere*, *varias personas introducendo sibi colloquentes*. Præcipue vero *mutuam allocutionem*, *quæ est Sponsi*, *& Sponsæ*, *docet Spiritus Sanctus in Cant.* Incend. sive Incent. amor. cap. 2.

(*b*) Quærit idem Seraphicus Doctor in Procemio Exposit. super Ecclesiasten, cur in hoc initio Cantici Canticorum nulla mentio fiat Salomonis, quemadmodum fit in aliis initiis ejusdem Ecclesiastæ, ac Proverbiorum? & dicit „ quod in Libro Proverbiorum introduci„ tur ipse Salomon loquens ut sapiens ad di„ scipulum, unde vocat auditorem filium. Si„ militer hic (*scilicet in Ecclesiaste*) ut homo „ diversa expertus. Sed in Cant. Canticorum „ loquitur sponsus & sponsa. Ne igitur vi„ deretur, quod essent ibi verba Salomonis ad „ uxorem suam, ad literam, quæ sunt Christi „ ad Ecclesiam, non præmittit ibi nomen su„ um. " Initio Proverbiorum dicitur: *Parabolæ Salomonis &c.*, initio autem Ecclesiastæ: *Verba Ecclesiastæ filii David &c.*

(*c*) De hoc verbo sæpius a D. Bona. adhibito supra in Præfat. §. 23.

(*d*) Vide infra cap. 8. §. 316.

(*e*) Bossuet „ Ad amoris impetum pertinet „ statim ab osculi desiderio inchoare, nulla „ circuitione, ac sponso nequidem appellato: „ Sic Maria Magdalena ad Christum quem „ hortulanum putabat: *Si tu sustulisti eum*. Jo„ an. XX. 15. "

(*f*) Similia habet infra in Postilla super Joan. cap. 20. num. 1304. In hanc rem vide sis S. Bernardum Serm. 7. in Cant. num. 8.

(*g*) Ita tantum, ut *vox respondeat affectui*, ut fatur in Opusc. de laude mellifl. Nomin. D. N. J. C. Ser. sive Sect. 2. num. 16. de quo Vol. 3. hujus Supplem.

(*h*) In Editione Mabillon. Paris. 1719. Vol. 1. col. 1294. deest ly *sed dominatur*.

(*i*) Cod. Patav. *unionis*.

(*k*) *De vi*, inquam, *naturæ suæ*; quia si ex prava concupiscentia fiat, ut fere semper fit, omnino labefactatur.

In hoc osculo applicatur facies sponsi directe, & immediate faciei sponsæ, ita quod oculi super oculos, & sic de aliis partibus faciei, fitque mutua inspiratio (a) cordium, & respirationum, seu anhelituum, ab uno ad alterum. Et ex his omnibus satis liquet, qualis est, & quanta unio, & condescensio sponsi in hoc verbo. (b)

§. 5. Dicit autem *oris sui* vel more loquendi tropico, juxta illud Job quadragesimo secundo: Auditu auris audivi te: vel ad majorem & delectabiliorem expressionem proprietatum ipsius osculi. Habet enim hoc vis amativa, (c) ut verba & opera (d) cum variis ac crebris ingeminationibus, ac circumlocutionibus replicet, ac circumgyret. Vel secundum Bernardum super Cant. Homil. quarta hoc ideo dicit, ut distinguat hoc osculum ab osculo pedum, vel manuum. Sicut enim videmus in introeuntibus ad Papam, quod quidam recipiuntur ad osculum pedum, quidam vero ultra hoc ad osculum manus, quidam vero ad osculum oris; sic quidam introeuntium ad divina recipiuntur ad humiliores contactus, quidam ad mediocres, quidam ad supremos. Sponsa igitur petens supremum, dicit: *osculo oris sui*, quasi sibi non sufficiat osculum pedum, vel manus. Primum enim osculum proprie spectat ad servos, secundum ad milites, seu vassalos, tertium ad sponsam, seu ad caros amicos.

Job 42. 5.

Bern. in Cant. Serm. 4. n. 1. & seqq. necnon Serm. 87. al. 54. ex parvis n. 1.

Exemplum Papæ admittentis introeuntes ad osculum.

Tria oscula denotantia diversos animæ status.

§. 6. *Oris sui*, id est unione ad Verbum Patris. (e) Sed quia castissimis orationibus promptior assistit sponsus, & a mente suscipitur; mox sponsa in Ordinem Thronorum (f) mente gratuito assumpta, (g) sponso tamquam per osculum unionis superintellectualis præsentata, loquitur. Mens itaque, (h) postquam lustravit universa, cupiens ab exsistentium universalitate separari, & supersubstantiali (i) sponso feliciter uniri, juxta illud Mystic. ab inferioribus ad suprema ascendens, usquequo uniatur ineffabili; petit osculum, id est conjunctionem, sive unionem, licet adhuc separabilem, de qua apud Dionysium quarto de Divinis Nominibus, & Capite primo de Mystica Theologia. Et hoc est, quod dicit Job septimo: Quamobrem elegit suspendium anima mea &c. (k) Suspendium est extensio, sive elevatio mentis supra fulgentes theorias (l) usque in summitatem Ordinis Dominationum venientis, de qua Dionysius de Divinis Nominibus certissime, ait, erit usque ad simplicem atque unicam spiritualium speculationum veritatem. (m) Hanc gratiam sibi elegit anima præ ceteris; & quia sublimius omnino agere non potest, sed tantum agi a spiritu, hoc est, quod subdidit: & mortem ossa mea. Ossa sunt robustissimæ vires mentis, scilicet intellectus theoricus (n), & principales affectus, quibus nihil habet mens fortius. In morte duo notantur, scilicet defectus,

Osculum mysticum, quo anima desponsa Deo, Verbo innubit æterne.

Anima a ceteris omnibus avulsa, solique Deo unita, & nupta.

Dionys. de Div. Nom. part. 1. c. 4. ac de Myst. Theol. cap. 1.

Job. 7. 15.

Tota suspensa a Deo pendet, velut in raptu & ecstasi.

Dionys. de Div. Nom. cap. 1.

Ita in sublime elevata a Deo ipso agitur per illapsum.

(a) Cod. Assisien. *conspiratio*.

(b) In Patav. *qualem & quantam unionem, & condescensionem sponsi petit sponsa in hoc verbo*.

(c) Heic dicitur *vis amativa*, sicut ab eodem D. Bona. vocantur *virtutes cognitiva & amativa*, Serm. sive Collat. 18. in Hexaem.

(d) Cod. Patav. addit *minutissima*.

(e) Hæc, & sequentia usque ad finem hujus §. 6. desiderantur in dicto Codice Patavino.

(f) Qui sunt secundum Dionysium del Cœl. Hiærarch. c. 7. ac nostrum Interpretem par. 1. de Eccl. Hier. c. 4. *Sedes Dei Altissimi compactæ, id est, convenienter conjunctæ, Divini superadventus susceptivæ, Deifera &c.*

(g) Quia quæ de prædicto Ordine Thronorum proprie dicuntur, etiam *conveniunt per appropriationem viris Sanctis*, eodem inibi auctore. Sic autem illis *conveniunt*, quia eorum animæ per gratuitum donum sanctificantis gratiæ, aliaque singularia gratiarum charismata, fiunt Dei Sponsæ, atque *Deifera*.

(h) Hæc pariter cum his, quæ sequuntur desunt in Vatic. usque ad finem hujus §. 6.

(i) Verbo *supersubstantialis* utitur in Exposit. Orat. Dom. &c.

(k) Istum Jobi textum noster Interpres eodem sensu adhibet, post allegatum Dionysium de Myst. Theol. cap. 1., in Itinerario mentis in Deum cap. 7. prope finem. Vide quoque Incendium sive Incentivum amoris, aut Itinerarium mentis in seipsam cap. 2. ac 3.

(l) Sive *speculationes*. *Theoriarum* hujusmodi sæpe mentionem facit in Sermonibus, sive Collationibus in Hexaem. De hujusmodi *suspendio* sic lego in Opusc. de 7. itinerib. ætern. sub S. Bona. nomine itin. 3. parti. 3. in fine Dist. 2. ex Vercellensi „ Suspendium illud est extensio „ mentis in æterna spectacula, ut cum fieri „ potest, nunquam ex intentione voluntatis, „ sed sola interpellatione necessitatis, acies men„ tis inde flectatur, ut dicit Psal. *oculi mei „ semper ad Dominum*. (Ps. 24. 15.) " Item ibi Dist. 3. „ Suspensio dicit quandam vio„ lentam elevationem, dum anima nativæ suæ „ possibilitatis supergreditur terminos " Vide sis in hanc rem Rich. Vict. de Arca Mystica Lib. 5. cap. 14.

(m) De hac *veritate* consule dictum Incendium amoris in fine ab illis verbis: *Ut ergo in hac elevatione veritatis &c.*

(n) *Theoricus* dictus a prædictis *Theoriis*, sive *speculationibus*.

ctus, & separatio. Cum autem mens ad Ordinem Thronorum, & ad osculum sponsi assumitur, omnis efficacia, & operatio affectus, & intellectus deficit. Separantur autem per excessum intentionis ab ipsa mente, quando mens ab omnibus aliis recedit, postea seipsam dimittens, supersplendentibus radiis conjungitur (a), ut dicit Dionysius de Divinis Nominibus. Hoc aliter fieri non potest, nisi ut deificentur, qui salvantur. (b) Deificatio autem est ad Deum, sicut est possibile, & assimilatio, & unitio. (c) Unde Origenes super Joannem In principio erat Verbum: Joannem, inquit, deificatum fuisse quando dixit: In principio erat Verbum. Hanc ergo unionem deificantem suspiciens sponsa, in Ordine Dominationum mente suspensa, (d) & adhuc in speculo constituta, (e) tamquam de absente dicit: *osculetur me*. (f)

Dionys. de Div. Nom. cap. 7.

Origenes in cap. 1. Joan.

§. 7. Nota secundum Abbatem Vercellensem, (g) quod triplex est oratio. Casta, quæ est de bonis temporalibus moderate a Deo quæsitis. Castior, quæ est de bonis virtutum & gratiæ. Castissima, quæ petit ipsum Deum, non contenta de ejus donis, nisi obtineat ipsum. Et ab hac oratione sponsa, ejus amore inflammata, inchoat Canticum suum dicens: *Osculetur me*. (h)

Abbas Vercel. in Cant. ad hunc locum.

§. 8. Vel per Incarnationem Filii istud osculum datum fuit in initio Legis gratiæ, quando justitia deifica, & humanitas pacifica, osculatæ sunt in Virginis thalamo, (i) in signum introducendi amoris: & ideo congrue ipsius Canticum ab osculi vocabulo sumpsit exordium. Ubi notandum, quod duplex est osculum. Est enim osculum fraudis, & osculum laudis. Primum est perniciosum: secundum est pretiosum. De primo Proverbiorum vigesimo septimo: Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula. Cavete, Fratres, Mundus iste alter Judas est. Osculum videtur pacis porrigere, sed suis complicibus dicit, scilicet malignis dæmonibus: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Aliud laudis, & istud est Incarnationis mysterium, quia sicut in osculo est diversorum inhæsio gratiosior, altioris ad minorem demissio humilior, minoris ad altiorem erectio superior; sic in Incarnationis mysterio conjunctio Divinæ personæ cum natura humana gratiose cernitur, supremus ad ima demittitur, homo dejectus ad superiora sustollitur. (k)

Osculetur per unionem hypostaticam in Virginis thalamo.

Psal. 84. 11.

Osculum fraudis, & osculum laudis.

Prov. 27. 6.

Mundus Judæ comparatus.

Matth. 26. 48.

§. 9. Osculum istud *oris sui* est duorum conjunctio, dum naturam nostram sibi associat Sapientia, quæ est os, &

Explicatio osculi per Incarnationem.

(a) Intellige *Deitatis*. Vide infra §. 13. ubi Dionysii ejusdem verbis itidem loquitur Sanctus noster Interpres. In hanc ipsam rem consule, si lubeat, quæ ex eodem Dionysio de Myst. Theol. in princ. allegat idem Interpres cap. 7. Itiner. mentis in Deum.

(b) *Nisi deificatis salvatis*, uti habet alia Dionysii Versio Eccl. Hierarch. cap. 1.

(c) Eisdem fere verbis definit Angelicam Hierarchiam veluti deiformem, idem D. Bona. ex Dionysio in 2. Sentent. Dist. 9. in Exposit. text. Magist. dicens, quod est *deiforme, quantum possibile est, similans, & ad inditas ei Divinitus illuminationes proportionaliter in Dei similitudinem ascendens*; & rursum, quod *est ad Deum, quantum possibile est, similitudo, & unitas &c.*

(d) Et velut *hierarchizata*, sive *hierarchica*, ut fatur Serm. sive Collat. 20. ac 21. in Hexaem. Quandoquidem *efficitur Spiritus noster Hierarchicus ad conscendendum sursum, secundum conformitatem ad illam Jerusalem supernam &c.* Dicitur autem *Sponsa in Ordine Dominationum mente suspensa*; quia sic est potius *suspiciens*, quam *suscipiens unionem deificantem*, & necdum est *ad Ordinem Thronorum, & ad osculum Sponsi*, altius assumpta. *Throni* enim *Deiferi* ad *primam*, *Dominationes super alios Angelos elevatæ ad mediam*, sive *secundam*, spectant *Hierarchiam*, ex eodem Bona. par. 1. & 2. de Eccl. Hierarch.

(e) Vid. in 2. Dist. 23. Art. 2. Q. 3. in concl.

(f) De mystico hujuscemodi osculo quid sentiant mystici, & contemplativi, quære apud Cornelium a Lapide in hunc locum, ubi ceteros inter mysticos post Dionysium laudat etiam S. Bonaventuram.

(g) Allegatur iste nedum in Opusculo *de septem donis* inter edita sub S. Bonaventuræ nomine *de dono intellectus* cap. 6. & in supra cit. Opusc. de 7. itinerib. æternit.; sed etiam Serm. sive Collat. 22. in Hexaemeron. Fuit Ordinis Canonicorum Regularium, nomine Thomas, clarus Sæculo XIII. paulo ante Bonaventuram, scripsitque in Dionysium, in Cantica &c. Vide sis Prodromum nostrum col. 168. & hanc ipsam Exposit. §. *366*.

(h) Quæ sequuntur usque ad finem §. 10. non exstant in Codice Patavino.

(i) Hoc *osculi vocabulum* itidem noster Interpres vocat *osculum incarnationis* Comment. in Apocal. cap. 22. sub ver. 20. Item *incarnatio Filii, quæ est quasi quædam prælibatio conjunctionis*, per hoc *osculum* intelligitur a Glossa interlin. apud Lyran. Vid. S. Bernar. in Cant. Serm. 2. num. 3. nec non Brevem Commentat. in Cant. ex eodem Bernar. num. 7.

(k) Heic & in continuo seqq. similiter desinentia apud D. Bona. frequentia.

sapientia summi Patris. (a) Filius, qui est sapientia Dei, memoria paterna producitur, nobis ore carnis imprimitur, tamquam osculum oris ad os, & voluntas Patris exprimitur: Hic est Filius meus dilectus. Nam sicut per os sapientia declaratur, & cordis voluntas interna manifestatur; ita per Filium, cui sapientia appropriatur, voluntas paterna manifestatur. Et quia sapientiam prima mater rapere voluit, Sapientia sub ipso nostræ humanitatis pallio, in istius secundæ matris thalamo se abscondit, ut ibi suæ personæ cum nostra natura uniendæ matrimonium celebraretur: (b) ut ibi imprimeretur Incarnationis osculum: declararetur nostræ reconciliationis vinculum: contraheretur matrimonium in perpetuæ confœderationis signaculum, ac fœderis faciendi per crucis patibulum.

Matth. 17. 5.

Figura hujus osculi.

§. 10. In cujus figura dicitur, quod Jacob adaquato grege osculatus est Rachelem, & elevata voce flevit, & indicavit ei, quod frater esset patris sui, & filius Rebecæ: at illa festinans nunciavit patri suo. Qui cum audisset venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviam ei, complexusque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris respondit: os meum es, & caro mea. In istius figura osculi Joseph osculatus est omnes fratres suos. Et in ejus figura Lucæ decimoquinto accurrens pater cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. (c) Cecidit ab altiori Deus: Dei autem cadere est se humiliter inclinare.

Genes. 29. 11. & seqq.

Aliæ duæ figuræ.

Genes. 45. 15.
Lucæ 15. 20.

Dei cadere est humiliter se inclinare.

§. 11. Quod ad hoc autem eam alliciat, subdit: *Quia meliora sunt ubera tua vino:* quasi dicat: ubera ejus inebrient te in omni tempore, & in amore ejus delectare jugiter. Prædictam tui unionem sic desidero, quia ineffabilis exuberantia suavitatum a te manat. Desiderabilis amicitia societatum, scilicet Sanctorum, & Angelorum, tecum manet. Delectabilis complacentia caritatis apud te residet. Admirabilis refulgentia claritatis in te fulget. Ut per primum mens satietur: per secundum quietetur: per tertium delectetur: per quartum illuminetur. (d)

Prov. 5. 19.

§. 12. Ubera enim sunt in pectore, & circa cor, aspectu decora, tactu mollia, & suavia, lac dulce ubertim propinantia. Unde per ubera sponsi possunt generaliter significari omnes divinæ perfectiones, a quibus manant stillicidia suavitatum in corda electorum: vel duplex virtus fœcunditatis, a quibus manant duo, scilicet Sapientia & Amor: (e) vel prædestinatio gratiæ, & gloriæ, vel duo Testamenta (f). Hæc autem sunt meliora vino illo, in quo est luxuria, de quo habetur ad Ephesios quinto: vel austeritate justitiæ legalis: vel austeritate compunctionis, seu pœnitentiæ pro peccatis. Hoc enim vinum est incipientium, & imperfectorum, & adhuc infirmorum: unde & infusum est a Samaritano in vulnera ejus, qui incidit in latrones. (g)

Quæ per ubera sponsi significentur.

Ad Ephes. 5. 18.

Luc. 10. 34.

§. 13. Vel per *vinum*, quod de prædio colligitur, accipe sapientiam intellectualem, quæ ex omnium exsistentium cognitione colligitur. (h) Ad Romanos primo: Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas. (i) Per

Ad Rom. 1. 20.

ubera

(a) Noster Interpres in Exposit super Psalt. Psal. 77. ait: *Patris os Filius; unde hoc: Osculetur me osculo oris sui.* Videatur ibidem etiam in Psal. 44. Consulatur quoque S. Greg. Moral. Lib. 27. cap. 17. num. 34.

(b) In cit. Psal. 44. „ Facta est celebratio „ nuptiarum, quando scilicet duæ naturæ in „ utero Virginis conjunctæ sunt; unde hoc: „ Verbum caro factum est. "

(c) In Exposit. super cap. 15. Sancti Lucæ, ubi idem textus fusius declaratur, ac ubi præsens quoque textus Cantici Canticorum adducitur, sic dicitur apud eumdem Interpretem: „ Istius deosculationis origo est in Verbo in„ carnato, in quo est unio summi amoris, & „ connexio duplicis naturæ, per quam Deus „ nos osculatur, & nos Deum deosculamur. "

(d) De his cap. 2. ac 3. Incendii, sive Incentivi amoris.

(e) Cod. Vatic. & Assis. *manant duæ Personæ, scilicet Sapientia &c.*

(f) Sic secundum Cod. Patav., quod est quoque secundum interpretationem Origenis, Bedæ, Justi Orgelit., Cassiodori, Philonis Carpath. & Aponii apud Cornelium a Lapide, consentitque nedum Calmet, sed etiam Bossuet inquiens: *Sponsi ubera* Patres *intelligunt duo testamenta amorem spirantia, promisso primum, deinde exhibito Christo.*

(g) Secundum sensum spiritualem, de quo Interpres noster Exposit. in cap. 10. S. Lucæ, ac Procem. in 4. Sent.

(h) In Patav. desunt usque ad *fragrantia*, id est usque ad finem §. 15.

(i) Ita quod (subdit idem S. Doctor ad finem cap. 2. Itiner. mentis in Deum) qui nolunt ista advertere, & Deum in his omnibus cognoscere, benedicere, & amare, inexcusabiles sint, dum nolunt transferri de tenebris in admirabile lumen Dei.

ubera intellige Verbi misericordiam, & superplenam Divinæ sapientiæ plenitudinem. (*a*) Ecclesiastici primo: Fons [Eccli 1. 5.] sapientiæ Verbum Dei in excelsis. (*b*) Hæc sapientia, sive cognitio, distincte [Jer. 9. 24.] innuitur a Jeremia, dum ait: Glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio mi- [Dionys. de Div. Nom. cap. 5.] sericordiam, & judicium. Et a Dionysio de Divinis Nominibus: Quærendum est, quomodo Dei notitiam habeamus, cum nec animo cernatur, nec sub sensum cadat, nec sit quidquam penitus eorum, quæ sunt. (*c*) Et infra: [Modus cognoscendi Deum.] Itaque in omnibus Deus cognoscitur, & sine omnibus, scientiaque Deus cognoscitur, & ignoratione. (*d*) Et deinde: Est etiam rursus divina Dei scientia & notitia, quæ ignoratione hauritur per conjunctionem, quæ mentem omnem superat, quando mens ipsa a rebus omnibus abducta primum, deinde etiam seipsam deserens, cum splendidissimis radiis conjungitur, (*e*) atque illinc, & ibi in investigabili sapientiæ profundo illustratur. In prima non mediocriter profecerunt Philosophi, & [Cognitio Philosophorum terrena.] erant ea contenti, quæ terræ nomine designatur, eo quod non putaverunt esse caussam superiorem. Et licet cognoscant cœlestia & terrestria, tamen terrenam habent conversationem. (*f*) Juvenes viderunt lumen, & habitaverunt super terram, Baruch tertio. Ju- [Baruch 3. 20.] venes dicuntur, qui inhærent brevitati hujus temporalitatis: (*g*) sicut Antiqui dicuntur, qui inhærent indefesse æternitati. In Antiquis est sapientia, Job [Job 12. 12.] duodecimo. Isti ergo, qui assidue, & subtiliter sunt in æternitate sursum extenti, montes dicuntur: Rigans montes de superioribus suis, Psalmo cente- [Psal. 103. 13.] simo tertio, id est supersplendentibus radiis. (*h*) Quæ desursum est sapien- [Jac. 3. 17.] tia &c. Et: Quis ascendit in cœlum, [Baruch 3. 29.] & accepit eam, & deduxit eam de nubibus? Jacobi tertio, Baruch tertio.

§. 14. Hæc ergo sapientia fluit de uberibus, id est ubertatibus pectoris sponsi. (*i*) Hæc est, quæ tam celebri lau-

---

(*a*) Hanc interpretationem genuinam censet laudatus Cornel. a Lap. consentitque Lyranus quo ad *plenitudinem misericordiæ* heic significatam. Hugo Card. sic ait „ Habet Sponsus „ duo ubera, quibus incessanter lactat filios „ suos, quæ sunt misericordia, & veritas. „ Dextrum misericordia, sinistrum veritas. Et „ de misericordia sugitur lac indulgentiæ, de „ veritate vero lac doctrinæ. “

(*b*) Sequentia nequidem in Vaticano Codice legere est usque ad finem §. 14.

(*c*) De prædicando Deo *his nominibus, quibus non quid sit, sed quid non sit, dicitur*, agit idem Dionysius etiam cap. 2. de Cœlesti Hierarchia. Hinc modum cognoscendi Deum per hoc quod *non est quidquam penitus eorum, quæ sunt*, noster Seraphicus Interpres Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. vocat *ablativum*, & *congruentissimum*, puta dicendo: *non est Deus hoc, non est illud;* quandoquidem hoc pacto *non aufertur a Deo quod suum est, sed attribuitur ei nobiliori modo quod suum est, quam intellectus intelligat*. Idque hoc satis apto sculpturæ exemplo declarat ibidem inquiens: *In figura incisionis sculpens nihil ponit, sed removet, & tamen relinquit in nobis nobilissimam dispositionem in intellectu*. De modo cognoscendi Deum per *negationes* ex Dionysio, consule Incendium, sive Incentivum amoris prope finem: *per ablationem* autem Comment. in 1. Sent. dist. 3. part. 1. art. 1. q. 2. ad 1., nec non in 3. dist. 35. art. 1. q. 1. in conclus. ex laudato Dionysio.

(*d*) Hanc *scientiam* cum *ignoratione* conjunctam citato Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. cum Dionysio vocat *radium tenebrarum: radium* quidem, eo quod per ipsum *anima summe illustratur; tenebrarum* vero *propter incomprehensibilitatem*. Item Serm. sive Collat. 20. in Hexaem. sic „ Sed quid est quod iste radius excæcat, „ cum potius deberet illuminare? Sed ista ex„ cæcatio est summa illuminatio; quia est in „ sublimitate mentis ultra humani intellectus „ investigationem. Ibi intellectus caligat, quia „ ibi non potest investigare, quia trascendit „ omnem potentiam investigativam. Ergo est „ ibi caligo inaccessibilis, quæ tamen illumi„ nat mentes, quæ perdiderunt investigationes „ curiosas. Et hoc est quod dicitur Domi„ nus inhabitare in nebula (3. Reg. 8. 12.): „ Et posuit tenebras latibulum sum (Psl. 17. „ 12.). “ Vide supra de Plantat. Parad. §. 1. col. 5. in not. *a*. nec non cap. 7. Itinerar. ment. in Deum, & Breviloq. par. 5. cap. 6. &c.

(*e*) Hanc conjunctionem declarat Serm. sive Collat. 20. in Hexaem. exemplo conjunctionis Lunæ cum Sole, in qua Luna ipsa *illuminatur magis secundum veritatem, & minus secundum apparentiam*; ubi id probat secundum regulam Perspectivæ.

(*f*) Sive, ut inquit Serm. 2. sive Collat. in Hexaem., *affectum terrenorum, ex quo oritur sapientia, quæ deorsum est*, illa videlicet sapientia, quam describit Jacobus dicens: *Nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem: non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, & diabolica*. Prædictos Philosophos non agnovisse *superiorem caussam*, id est *primam & præcipuam*, docet etiam Lib. 1. Sent. dist. 45. dub. 7.

(*g*) Hanc vocem habet etiam Tertull. de Pal. c. 1.

(*h*) Eodem modo in Opusculo *de septem gradibus contemplationis* interpretatur illud Psal. 132. *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, per *montem* intelligens *contemplativi viri mentem*. Haud secus illud Ecclesiastici 43. *Sol exurens montes, radios igneos exsufflans*, Serm. 13. sive Collat. in Hexaem. & cap. 9. in Lucam.

(*i*) Serm. sive Collat. 2. in Hexaem.

laude commendatur in Scripturis a Deo,
Joan. 1. 16. Coloss. 1. 19. & 2. 2. ac 9. ut ipsa Verbi plenitudo nomine hujus suæ participationis sæpius designari dignetur. Quasi ergo vinum biberat sponsa in meditationibus & speculationibus.
Christianorū sapientia longe præstat sapientiæ Philosophorum. In hoc autem appetit ubera de pectore Verbi, quia incomparabiliter profundior, dignior, & veracior est theoria sapientiæ Christianorum intellectiva sapientia Philosophorum, & incomparabiliter dulcior, & fructuosior practica (a) illius, quam istius. (b) Nescit homo pretium ejus, Job vigesimo octavo. Job 28. 13.

§. 15. Vel aliter uberum commendatio penes duo attenditur, videlicet penes eorum insignem præeminentiam, & penes eorumdem insignem redolentiam. Colligitur eorumdem præeminentia, quia describuntur *vino meliora*. Convincitur eorumdem redolentia, quia describuntur *unguentis optimis fragrantia*. Et sic secundum vaticinium Isaiæ Prophetæ possunt dici ubera abundantia solatiis, affluentia deliciis, allicientia blanditiis, ut verbum Isaiæ ultimo miseris dirigatur:
Isa. 66. 10. Gaudete cum ea gaudio universi. Gaudete, inquam, cum ea, scilicet cum matre pia uberibus dotata, & prole fœcundata.
Ibid. 11. Ut sugatis, & repleamini ab uberibus consolationis ejus, ut mulgeatis, & deliciis affluatis. Ecce deliciarum affluentia. Blandietur uberibus. Ecce suavium blanditiarum allicientia. (c) Describitur virgo amorosa, ut concepto desiderio importuna, & ut adepto beneficio opportuna. Claret importunitas concepti desiderii in petendo *osculum*: patet opportunitas adepti beneficii in commendatione *uberum*.

(a) Hæc vox scholastica nihil repugnat Interpreti nostro, uti apud ipsum legere est in 3. Dist. 14. Ar. 3. Q. 3. ad 5.; estque etiam in Amalth. Josephi Laurentii.

(b) Id probat Sanctus Doctor Serm. 7. sive Collat. in Hexaem. In quo autem consistat *Sapientia Christiana* docet cap. 1. Itiner. mentis in Deum.

(c) Sic rursus secundum similes vocum desinentias, nostro Interpreti familiares, de quibus in Prodromo col. 164. ac seqq.

(d) Nostri Bonav. Postilla sive Comment. in Evang. Joan. cap. 12. ait: *Judæi unguentis valde odoriferis utebantur*. Isque mos præcipue apud sponsos jam diu inoleverat, ut unguentis delibuti nuptias inirent.

(e) Namque *tali omnino nihil deficit, nec aliqua potest fieri additio*, Itiner. ment. in Deum cap. 5.

VERSUS SECUNDUS.

§. 16. *Fragrantia unguentis optimis*. Loquitur instar nobilium terræ Orientalis, quorum corpora sunt variis unguentis delibuta. Usus unguentorum apud Orientales. (d) Nec est per hoc intelligendum, quod in Deo sit adventitium, aut superinfusum; (e) sed per hoc significatur immensa redundantia, & superexcrescentia divinarum perfectionum sibi substantialium. Quia enim per proprietates substantiales, seu naturales naturæ humanæ, perfectiones sponsi sufficienter exprimi nequeunt: ideo sponsa per multa, quæ solent corporibus humanis ad eorum ornatum adjungi, nititur exprimere redundantiam suavitatum sponsi. Est autem unguentum confectio facta ex oleo, & variis pigmentis, seu aromaticis speciebus, & ideo fragrantiam magni odoris de se spargit. (f) In Deo autem absque compositione est immensa multitudo omnium virtutum (g) & suavitatum, ineffabilem odoris fragrantiam spargentium in animas sanctas. (h)

§. 17. Dicit autem *optimis*, quia est unguentum compunctionis de peccatis propriis, Mysticum unguentū compunctionis. quo Magdalena in suæ conversionis primordio unxit pedes Christi. Et hoc est bonum; quia conficitur ex variis considerationibus peccatorum, Luc. 7. 38. & 46. & diversarum circumstantiarum ipsorum, tamquam ex variis speciebus. (i) Est etiam unguentum virtuosæ exercitationis, Exercitationis. quo unguntur Christi Athletæ, quod ex variis virtutibus, & virtutum operibus confectum est. Et hoc est melius. Est & unguentum divinæ devotionis, Devotionis. seu exultationis, de quo dicitur ad Hebræos primo: Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultatio- Ad Hebr. 1. 9.
nis

(f) Vid. Proœm. 4. Sententiar.

(g) Quippe *per simplicissimam unitatem est in eo omnis virtuositas*, cit. cap. 5. d. Itiner.

(h) Locum hunc in Codicibus Vaticano & Assisiensi mutilum, supplevimus Patavino.

(i) De *bono unguento compunctionis* ipsiusmet Magdalenæ loquitur Interpres noster etiam in Exposit. super Lucam cap. 7. ad illum textum *unguento ungebat*, ubi pariter cum isto conjungitur: *meliora sunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis*. Utrobique autem, ac etiam alibi, indistinctam putat una cum Gregorio, Bernardo, & aliis, peccatricem illam mulierem, quam memorat S. Lucas cit. cap. 7. a Maria, Lazari & Marthæ sorore, quam Joannes cap. 12. testatur in Castello Bethaniæ Christi Domini pedes unguento perfudisse; idque contra plerosque Veterum ante Gregorium, qui alteram ab altera distinxerunt.

Psal. 32. 2. & seq. nis præ participibus tuis. Et hoc sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus. (a) Et hoc est optimum. (b) Talibus autem sunt plena ubera sponsi, & ista sunt, quæ super omnia alliciunt desiderium sponsæ.

Hebræi legunt *amores*, non *ubera*. §. 18. Et nota, quod verbum Hebraicum non sonat *ubera*, sed *amores*. Unde Hebræi ita legunt: quia meliores sunt amores tui vino, fragrantes unguentis optimis. (c) Unguenta optima mentes contemplativas, maxime cœlestes, gratissima suavitate perfundentia, sunt superintellectuales theoriæ, (d) quæ junctas sibi mentes deliniunt, & universaliter quadam dulcedinis, claritatis, suavitatis, & omnimodæ speciei desiderabilis effusione replent, &
Isa. 66. 11. reficiunt, tamquam ex ubertate uberis. Unde primæ Joannis secundo
1. Jo. 2. 27. horum unguentorum unctio docet vos de omnibus. (e)

§. 19. *Oleum effusum nomen tuum*. Quasi diceret: Non solum tu, aut ubera tua sunt delibuta unguentis; sed etiam sola memoria tui nominis est tamquam purum oleum suavitatis. Et hoc non qualecumque, sed *effusum*, id est, secundum aliam translationem *exinanitum*, (f) sive evacuatum (g); aut exterius longe lateque diffusum. Vel per *nomen* potest intelligi ipsa persona sponsi, eo modo loquendi, quo per signum designamus signatum. Vel potest per *nomen* intelligi personæ ejus notitia & fama, quæ tota est suavis, & ubique diffusa; & super alios liquores suavitatis (h) supernatans quasi oleum: *Oleum effusum nomen tuum*. (i)

§. 20. In oleo notanda quatuor: pura pinguedo: dulcis refectio: medicina- Quadruplex olei qualitas.
lis mitigatio: noctium illuminatio. Pinguedo est exuberans devotio, quæ maxime mentes saginat, cui nulla dissimulatio commiscetur, quæ maxime in Seraphicis mentibus plena residet. Dulcis refectio, quia nihil est, quod ita gratam mentibus præstet refectionem. Nam hic est cibus Angelorum, panis habens in se omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem, & divinum nutrimentum, & vivifica Hierarchicæ contemplationis unitas. (k) Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, Sapientiæ deci- Sap. 16. 20.
mo sexto. Hæc enim refectio in hac vita non fit per speculum, sed per affectionem (l), & divinæ dulcedinis experientiam, (m) juxta quod gustus & tactus non exercentur per speculum (tingat in oleo pedem suum, Deutero- Deut. 33. 24.
nomii trigesimo tertio) sed visus. Unde videmus nunc per speculum in ænig- 1. Cor. 13. 12.
mate, primæ ad Corinthios tertiodecimo. Non dicit gustamus. Et non vi- Exo. 33. 20
debit me homo, & vivet. Deum ne- Joan. 1. 18.
mo vidit unquam. In hac Dei perceptione fundatur portio Mariæ, quæ non auferetur ab ea. (n) Hæc est prin- Luc. 10. 42.
cipalis medicina nostræ naturæ ad repara-

(a) Procem. in Breviloq. de sublimit. sacr. Scriptur. „ Ita quod per ipsum (Jesum Christum) a summo capite Deo descendit unctionis gratia, non solum in barbam, verum etiam in oram vestimenti: quia non tantum in Jerusalem supernam, verum etiam in Ecclesiam militantem. "

(b) De *optimo unguento devotionis* in cit. cap. 7. S. Luc. De tribus autem *unguentis contritionis, compassionis, & devotionis* in cap. 23. ejusd. S. Luc. Item Comment. in cap. 12. Evang. S. Jo. sub ver. 8. De *superabundantia devotionis & exultationis*, cap. 4. Itin. ment. in Deum.

(c) Hanc lectionem maxime probat noster Lyranus, de qua noster itidem Wilhelmus Smits in Canticum Canticorum Vulgatæ Editionis c. 1. in not. sub ver. 1. „ Hebræum *Dôdhechâ* etiam reddi potest: *Amores tui*, ut RR. & forte melius: quid enim, inquis, Sponso cum uberibus? &c. "

(d) Vid. init. Serm. sive Collat. 16. in Hexaem. de hujusmodi *theoriis*, sive contemplationibus.

(e) De hujusmodi unctione textuque in Opusc. de sept. grad. Contempl. ac etiam alibi. Totus iste §. 18. desideratur in Cod. Patav.

(f) Secundum LXX. & S. Ambros. Serm. 1. in Ps. 118. & Lib. de Isaac & Anima cap. 3. & Lib. 1. de Virg. post init.

(g) Serm. sive Sect. 5. de Mellifluo Nomine D. N. J. C. ab init. de quo Vol. 3.

(h) In eod. Cod. Patav. *seu suavitates*. De prædicti *Nominis suavitate* in fine Serm. sive Sect. 4. de eod. Mellif. Nom.

(i) Sequens §. 20. non est in Cod. Vatic. Immo nequidem in Patavino, ubi etiam deest §. 21. & pars §. 22. usque ad illa verba exclus. *id est Sociæ ipsius Sponsæ*.

(k) Hujusmodi *unitatem* ab Interprete nostro declaratam vide sis in 2. Sent. dist. 9. in Exposit. textus.

(l) In d. Opusc. de sept. grad. contemplat. *Affectio, quæ nescia est speculi, intrans unitur, secundum illud: Qui adhæret Deo, unus spiritus est.*

(m) In Prologo Itiner. mentis in Deum pariter ad id requirit *magis exercitationem affectus, quam eruditionem intellectus*. In 3. Sent. dist. 35. art. 1. q. 1. in conclus. ubi de *experimento divinæ dulcedinis*. Vid. de d. Mellifl. Nom. Ser. sive Sec. 5. n. 34. ubi de *sola experientia gustus spiritualis*.

(n) De hac *portione Mariæ*, sive *animæ contemplativæ* in Exposit. super Lucam cap. 10.

parationem antiquæ ruinæ suæ vulnerationis (*a*), quando in primo Adam spoliati fuimus in gratuitis, & vulnerati in naturalibus. (*b*) Qui sanat omnes infirmitates tuas, Psalmo centesimo secundo. Hoc oleo infusa sunt vulnera descendentis ab Jerusalem in Jericho. (*c*) Hoc est etiam lumen de superlucente caligine exhaustum, (*d*) a Seraph primo in Ordines ejus inferiores seriatim transfusum. Ex hujus ergo præcipuæ, & multiplicis gratiæ communicatione, per Seraphim in Ordines inferiores transmissæ, fortiter excitantur affectus (*e*) & intellectus naturales, in perceptiones boni, & pulchri, & in plures ejus participationes, (*f*) semper consurgentes. (*g*) Et hoc est *ideo Adolescentulæ &c.*

In primo Adã spoliati fuimus in gratuitis, & vulnerati in naturalibus. *Psal.* 102. 3. *Luc.* 10. 30.

§. 21. Intelligendum est, quod dicitur, de nomine profundiori, quod nullus potest alteri communicare, quia nec sentitur, nec dicitur, nec cogitatur, sed summo apici affectionis principalis secretissime imprimitur, nec descendit inferius. Unde illud Psalmi quarti: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Unde nemo scit, nisi qui accipit, Apocalypsis secundo. (*h*) Unde in eodem sponsa sponsum quasi nominatim designans dicit: Num quem diligit anima mea vidistis? Nullis verbis potest illud ineffabile, & incommutabile nomen exprimere familiarius. Frustra autem eum sic nominasset ignoranti, quem intime diligebat; sed omnia plene scienti loquitur. Hoc nomen unctivum (*i*) non cognoscunt, nisi uncti. (*k*) Unde Moysi uncto interroganti hoc nomen, pro ipso dixit: Ego sum, qui sum, (*l*) id est esse in se reflexum.

Sponsi nomen arcanum. *Psal.* 4. 7. *Apoc.* 2. 17. *Cant.* 3. 3. Nomen solis unctis notum. *Exo.* 3. 14.

§. 22. Potest etiam describi in hac particula nomen Virginis, (*m*) in qua summatim tria introducuntur. Præconium scilicet puellaris vocabuli: suspirium amorosi desiderii: studium amplectendi vestigii. (*n*) Circa primum, scilicet puellaris vocabuli præconium, notandum est, quod illud describitur, ut delibutum unctione placita, ut divulgatum consociatione patula ibi: *Oleum effusum nomen tuum, ideo Adolescentulæ*, id est sociæ ipsius sponsæ, ad contemplationis suæ apicem non attingentes, in Dei tamen notitia paulatim crescentes, *dilexerunt te*. Quasi diceret: tanta est tua suavitas, & ita longe se effundens, quod non solum ad tui amorem ducis

Nomen Virginis.

(*a*) Vocat *unctionem sanativam*, scilicet *vulneris, & livoris, & plagæ tumentis*, sive peccati *originalis, venialis, & mortalis*, etiam in Prooemio Comment. Lib. 4. Sententiar.

(*b*) Sic in 2. dist. 29. Art. 2. q. 1. in Fundam. ab init. & Serm. 4. Dom. 12. post Pent. nec non d. Procem.

(*c*) Cit. Serm. & d. Procem. nec non d. Exposit. in cap. 10. S. Luc.

(*d*) De hac ipsa *superlucente caligine* cum Dionysio loquitur cap. 7. & ult. Itiner. mentis in Deum. Vide supra de Plantat. Parad. §. 1. col. 5. in not. *a*. nec non in hac ipsa Exposit. §. 13. in not. *d*. col. 76. ac seq.

(*e*) Ait part. 1. de Eccl. Hierarch. cap. 2. *Dicuntur primo Seraphim, quia Angeli illius ordinis, Divini amoris incendio præ ceteris inflammati, aliorum sunt inflammativi.* Angelos bonos mitti ad affectum nostrum inflammandum, non tamquam causas agentes, sed tantum excitantes, & adjuvantes, tradit in 2. Sent. dist. 10. art. 2. q. 1.

(*f*) Supple *supernaturales*, utpote ortæ ex prædicta *multiplicis gratiæ communicatione, & forti excitatione*.

(*g*) Si *consurgentes*, ergo a Divina gratia elevantur; quia ut ait Interpres noster Cap. 1. Itinerar. ment. in Deum post init. *Supra nos levari non possumus, nisi per virtutem superiorem nos elevantem. Quantumcumque enim gradus interiores disponantur, nihil fit, nisi Divinum auxilium comitetur &c.*

(*h*) De *apice affectus, qui relictis omnibus intellectualibus operationibus, totus transfertur & transformatur in Deum*, nec non de *mystico & secretissimo, quod nemo novit, nisi qui accipit*, cit. cap. 7. Itinerar.

(*i*) Scilicet *Christi Dñi, qui vere Christus fuit quia unctus, secundum quod dicit Isaias* (61. 1.) *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis terræ &c.*, supra d. Procem. in 4. Lib. Sentent. Unde Cornel. a Lap. „ Magis proprie & genuine nomen hoc est „ *Christus*; ipse enim a Judæis vocatus est *Messias*, a Græcis *Christus*, a Latinis *Unctus*; „ quia in incarnatione, qua homo, per gratiam Dei Patris, unctus & consecratus est „ Summus Pontifex, Propheta, Legislator, „ Rex, & Redemptor Orbis. “

(*k*) Illa scilicet *unctione*, ac illis *excessivis unctionibus, & ardentissimis affectionibus*, quibus *in Deum transferuntur*, ut allegato cap. 7. Itinerar. loquitur.

(*l*) Ibi cap. 5.

(*m*) De qua loquatur *Virgine*, silentibus MSS. divinandum nobis relinquit. Suspicari nobis fas sit, aut loqui de *Virgine* generatim; aut de beatissima *Virgine* Maria, de qua infra §. 27. aut forte de beata *Virgine* Clara, de qua non dissimiliter disserit Postilla sive Comment. in Apocal. cap. 21. sub ver. 23.

(*n*) Quid *vestigii* nomine intelligat, vide sis cit. Itinerar. cap. 1. & 2. ubi de speculatione Dei *per vestigia, & in vestigiis*; nec non in Apocal. loc. cit. ubi *de claritate expressiva vestigii*. Sed & de *suspirio amorosi desiderii*, ac *studio amplectendi vestigii* infra §. 25. ac seq.

ducis ſponſam, animam ſcilicet perfectiorem; (a) ſed etiam adoleſcentulas, animas ſcilicet in tua notitia minus provectas. (b)

Animæ in principio ſuæ converſionis ferventes.

§. 23. *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* (c) Iſtæ ſunt animæ, quæ in principio ſuæ converſionis habent ferventes affectiones. Hæ diligunt *nimis*, quia debent Deum diligere pluſquam ſua, pluſquam ſuos, pluſquam ſe. (d) De iſtis *Adoleſcentulis* una erat illa, de qua tertii Regum primo: Quæramus Domino noſtro Regi Adoleſcentulam. Et ſequitur: Invenerunt Abiſag, quæ interpretatur Patris mei holocauſtum, (e) ſignans animam incenſam per fervorem dilectionis: pulchram per puritatem intentionis: puellam per integritatem incorruptionis: miniſtrantem Deo per continuitatem orationis: dormientem cum eo per exceſſum contemplationis. (f)

Diligentes Deum pluſquam ſua, pluſquam ſuos, pluſquam ſe.

3. *Reg.* 1. 2.

Abiſag quid ſignificet.

Sponſa nobilis & regia.

§. 24. Et nota, (g) quod ſponſa deſcribitur hoc modo, non qualiſcumque, ſed ut nobilis, & regia, habens multas puellas in ſua familia, ſicut infra adhuc magis patebit. Et conſimiliter hic ſponſus deſcribitur habens multos ſocios, & pronubos, & amicos. *Adoleſcentulæ* dicuntur virtutum naturalium novi motus, mundi, & fœcundi, guſtu divinæ dulcedinis excitati. (h) Zachariæ nono: Quid bonum ejus, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Iſti ergo motus virtutum naturalium ferventer rapiuntur in appetitum (i) boni & pulchri, quia in ſuperiori Hierarchia, ubi nunc ſponſa conſtituitur, (k) agi poteſt, & non agere, ſecundum illud ad Romanos octavo: Qui ſpiritu Dei aguntur. (l) Ideo trahi ſurſum humiliter & devote rogans (m) ſubdit:

Zach. 9. 17.

Spectans ad ſupremam Hierarchiam.

Ad Rom. 8. 14.

VERSUS TERTIUS.

§. 25. *Trahe me.* Oſtenſo qualiter, & qua ex cauſſa, ſponſa deſiderat ſponſi familiares attractus; hic oſtendit qualiter optat & petit ſuæ imbecillitatis, ſeu ſui naturalis ponderis attractus. (n) Scit (o) enim, quod verum eſt verbum ſponſi Joannis ſexto: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Dicit ergo: *Trahe me poſt te*, id eſt, effunde in me radios tuos, me in te adducturos, qui me quaſi trahendo ſurſum agant, quo pergere

Attracta a ſponſo.

Joan. 6. 44.

(a) Cod. Patav. *Allicis Sponſas, animas ſcilicet perfectiores.*

(b) Significari *animas perfectas, & imperfectas* obſervat etiam Serm. ſive Collat. 14. in Hexaem. Quodve per *adoleſcentulas* ſignificentur *animæ minus provectæ*, ſcilicet in Dei notitia, & perfectione, interpretatur quoque Menochius ajens: *Per adoleſcentulas, animas incipientes, aut proficientes, ſed nondum perfectionem adeptas, ſignificat.* Item Boſſuet: *Adoleſcentulæ, fideles animæ in novitate vitæ ambulantes.* Duo ſequentes Paragraphi 23. ac 24. deſunt in Cod. Patav.

(c) Quamquam ly *nimis* non habeant Hebræi, Græca, & Latina, addit tamen *nimis* etiam S. Bernardus Serm. 19. in Cant. num. 1. Legitur inſuper in marg. *al. nimis* in Edit. Lugdun. 1524. Hugo quoque Card. in textu habet *nimis*; in marg. autem: *Al. non habet nimis.* E contrario Lyran. in textu non habet *nimis*; at in marg. *Al. habet nimis.* Item *nimis* lego in Spec. Moral. ſac. Script. Card. Joan. Vital. verbo *Religio* fol. m. 279.

(d) Sic ad verbum laud. noſter Jo. Vitalis Card. ibi.

(e) Iterum d. Jo. Vitalis Card. loc. cit. nec non in Interpret. Nom. Hebr. ad finem Cod. noſtri membr. ſacror. Biblior. A. 1. 40.

(f) Ita ibi rurſum Jo. Vitalis Card.

(g) Hic notandi modus apud D. Bona. frequens.

(h) Adeoque *ſupernaturales*. Vid. ſupra in fine §. 20.

(i) Heic quoque ſupple *ſupernaturalem*.

(k) *Penes ſtatum contemplativorum* (ad quem erigitur Sponſa) *eſt Hierarchia ſuprema*, inquit Seraphicus idem Doctor in 2. Sentent. Diſt. 9. in expoſit. textus. Quonam autem pacto anima contemplativa eo uſque extollatur, ac hierarchica fiat, ait Serm. ſive Collat. 22. in Hexaem. „ Non videtur, quod aliquo modo „ per naturam anima poſſit hierarchizari. Ideo „ nos debemus attribuere induſtriæ cum natu- „ ra, induſtriæ cum gratia, gratiæ ſuper na- „ turam, & induſtriam. “

(l) Sponſa dicitur ſic *agi*, non quod ſemper nihil penitus agat; ſed quia plus agitur, quam agat ob gratiæ ſibi a ſponſo collatæ efficacitatem: & quia dandum eſt *totum Dei dono*, ut ait noſter Interpres cap. 7. Itiner. mentis in Deum: ſive quia hoc eſt *principalius a gratia*, ut idem inquit Par. 5. Breviloq. ad finem c. 3.

(m) *Trahi ſurſum humiliter & devote rogans*; quia eodem auctore cap. 1. ejuſd. Itiner. ad id exigitur *Divinum auxilium. Divinum autem auxilium comitatur eos, qui petunt ex corde humiliter & devote; & hoc eſt ad ipſum ſuſpirare in hac lacrymarum valle, quod fit per ferventem orationem. Oratio igitur mater & origo eſt ſurſum actionis in Deum. Ideo Dionyſius in Libro de Myſt. Theol.* (*cap.* 1.) *volens nos inſtruere ad exceſſus mentales primo præmiſit orationem &c.*

(n) Quippe ut ex ipſo inibi auctore ſupra in fine §. 20. notavimus: *Supra nos levari non poſſumus, niſi per virtutem ſuperiorem nos elevantem*, ſcilicet *per divinum auxilium.*

(o) In Cod. Patav. *Sentit.*

gere desidero, sive quæro. (*a*) Quo facto *curremus* ego, & ductæ *Adolescentulæ*, ferventibus desideriis ad te festinantibus sursum agi. *In odorem*, per suavissimam, & superintellectualem fragrantiam nos excitatæ. (*b*) Tractus autem iste fit per vehementiores inspirationes gratiarum inflammantium, & elevantium cor sponsæ usque ad ecstaticos mentis excessus. (*c*)

Suarum fragrantia, & efficacia gratiarum.

Ad ecstaticos mentis excessus.

§. 26. Dicit autem: *Post te*, tum quia quocumque trahatur, seu elevetur, semper sponsus est anterior ea in omni perfectione, pro eo quod non potest ad ejus æqualitatem, seu immensitatem umquam attingere: tum quia oportet, quod imitatorio modo Dei vestigia & exempla sequatur, sic ut vere ad ipsum trahatur. (*d*) Si autem ille (*e*) tractus sibi donetur, promittit non solum se, sed etiam suas socias celerius volaturas ad suavitatem (*f*) ipsius sponsi. Trahit in funiculis Adam, id est in unitis actionibus paternæ dilectionis; unde subdit: in vinculis caritatis. Ipse siquidem mentes in se movet, & adducit suis participationibus, quibus solum cognoscitur. Amor ipsius est adductivus sui, & mentium ad se. Dicitur amabilis & diligibilis propter infinitatem bonitatis & plenitudinis: est appetibilis propter infinitatem bonitatis & pulchritudinis: dicitur amor & dilectio in quantum est virtus movens, & quasi sursum agens omnia, ad se naturaliter appetendum. (*g*)

Ose. 11. 4.

Quomodo Deus mentes ad se trahat,

Amor virtus movens ad summum bonum.

§. 27. Vel aliter dicta verba possunt referri ad Dominicæ Ascensionis articulum, cui Maria Virgo (*h*) interfuit, & Proli ascendenti pium præbuit commeatum. Amantissimo igitur intuitu Mater Filio ascendenti in Cœlum dicere visa est: *Trahe me post te*. Tu ergo, qui de meis visceribus & uberibus lac suxisti virgineum, & extraxisti, *trahe me post te*, cui patienti in cruce compassa, immo in te patiente passa sum. Ex quo igitur tua passio mihi & tibi fuit communis, nonne & communis debet esse gloria? Optima pars carnis meæ jam cœlos tenet, ut quid tamdiu portio residua, mole terrenæ habitationis est pressa? Tu igitur, qui brachium es Patris, *trahe me*. (*i*)

B. Virgo Maria in Ascensione Filii pium præbens commeatum.

Passio Christi si communis fuerit, communis erit & ejus gloria.

§. 28. *Curremus*, scilicet ego, & adolescentulæ meæ, *in odorem*, id est in virtutes divinas, *unguentorum tuorum*. Nota, quomodo sponsa nititur metaphorice exprimere varietates, & varias suavitates sensuum spiritualium, quæ non possunt ab humano ore exprimi, nisi sub sensibilibus: & ideo videbis, quod aliquando nominat suavia objecta visus, vel auditus, aliquando odoratus, aliquando gustus, vel tactus. Unde non videtur per hoc intendere, nisi quod sub variis deliciis sensuum, & sensibilium, varias exprimit delicias & efficacias spiritualium sensuum & objectorum, quæ in apparatu spiritualium nuptiarum ineffabiliter, & incomprehensibiliter redundant. (*k*)

Metaphora spiritualium voluptatum.

§. 29.

(*a*) En *suspirium amorosi desiderii*, de quo supra §. 22.

(*b*) *Nos excitantem*, inquam; quippe, ut eumdem allegans textum, inquit Interpres Exposit. in cap. 18. S. Lucæ pag. 594. col. 1. noviss. Ed. Ven. *ad ipsum trahimur, quando mente ad ipsum excitamur, & supra nos excedimus*. Forte tamen legi potest *nos excitantem*.

(*c*) Hinc de eadem sponsa, eodemque textu loquens in Soliloquio cap. 4. ait: „ Soror nostra sponsa trahi cupiebat odore cœlestium „ unguentorum, sapore divinorum charismatum, & sic cum sponso currere, & viam „ mandatorum jam non ex timore, sed amore „ delectabiliter adimplere. “

(*d*) Cod. Patav. *exemplaria semper sequatur, si vere ad ipsum trahitur*. De speculatione Dei in vestigiis suis, & ejus imagine, vide Itinerarium mentis in Deum cap. 1. & seqq., ubi etiam legere est quæ sint *sicut exemplaria, vel potius exempla, proposita mentibus adhuc rudibus, & sensibilibus, ut per sensibilia, quæ vident, transferantur ad intelligibilia, quæ non vident, tamquam per signa ad signata*. De *studio amplectendi vestigii* supra § 22.

[*e*] Cod. Patav. *iste*.

[*f*] Ibid. *suavitates*.

[*g*] Supernaturaliter quidem appetendum ex parte amoris & dilectionis mentem sursum agentis; sed *naturaliter* ex parte ipsius mentis, quæ suapte natura capax est beatitudinis. Natura enim nostræ voluntatis est, ut feratur in beatitudinem summumque bonum. Quinimo creaturæ omnes tendunt suo modo ad summum bonum, & ut dicunt Dionysius, Boetius, ac etiam Philosophus, omnia bonum exoptant. Et sicut naturale est desiderare summum bonum, sic & desiderare conspicere summum pulchrum. Vid. Serm. 4. de SS. Apostolis ab initio, nec non Ser. 1. de S. Magdal., Breviloq. part. 2. cap. 9., Proœm. Exposit. in Ecclesiasten, & in 2. Sent. Dist. 9. Art. 3. Q. 1. in concl.

(*h*) MSS. *illa Virgo*.

[*i*] Si anagogice secundum Cassiodor. & S. Bernard. apud Cornel. a Lap. *Ecclesia, & anima Sancta contemplans Christum in Cœlum ascendentem, clamat*: Trahe me post te, *ut tecum e valle lacrymarum in montes æternitatis, & æternæ voluptatis ascendam*; quanto verosimilius id dixerit Divina *Mater Filio ascendenti in Cœlum*?

(*k*) Vid. quo ad prædicta cap. 4. Itiner.

§. 29. Vel forte per *odorem* intelligit quamdam ſpiritualem, ac ſubtilem, & occultam diſtributionem divinarum ſuavitatum emanantem a ſponſo, non ſolum in ſponſam, ſed etiam in Adoleſcentulas, licet impari gradu.

Cur ex tractu ſponſæ ſequatur Adoleſcentularum curſus.

§. 30. Sed quare propter tractum ſponſæ current fortius Adoleſcentulæ? Dicendum, quod ordo cœleſtis Hierarchicus (*a*) ſic eſt ſibi connexus ſecundum Dionyſium de Cœleſti Hierarchia, (*b*) quod ad pleniorem illuſtrationem, ſive attractum ſuperiorum, redundat plenior illuminatio, & attractio in inferioribus. Quanto enim fortius trahuntur a Deo ſuperiores, tanto fortius poſſunt & ipſi trahere ad Deum inferiores. Et ideo ſponſa ſic loquitur, ut occulte inſinuet Ordinem Hierarchiæ præfatum. (*c*)

Dionyſ. de Cœleſti Hier. cap. 10.

Moralis Adoleſcentularum interpretatio.

§. 31. Vel moraliter *Adoleſcentulæ*, id eſt Animæ, non onuſtæ ſenio, quia non vetuſtæ vitio, ſed renovatæ gratiis, fæcundatæ meritis. Currere non eſt aliud, quam vehementi quodam fervore deſiderii ſe in radii modum (*d*) gerere, appetendo per gratiam ſuſpendi, (*e*) quo nulla ſua virtute valent aſcendere per naturam. (*f*)

VERSUS QUARTUS.

§. 32. *Introduxit me Rex*. Oſtenſo conatu deſideriorum ſponſæ, hic ſubditur, quod per hoc obtinuit introductionem *in cellaria* ſponſi, per quæ intelliguntur theſauri, ſeu hypothecæ divinarum ebrietatum. (*g*) Vel quia hic dicit *cellaria* pluraliter & generaliter, & in ſecundo capite dicit ſe introductam *in cellam vinariam*, videtur, quod hic per *cellaria* intelligat varias manſiones, ſeu cellas divinorum theſaurorum, ſive in Deo, (*h*) ſive in univerſitate ſuorum operum exſiſtentes. Nam in Scriptura, aut in univerſo corporali, aut in Hierarchia Eccleſiaſtica, vel Cœleſti, ſunt multa & magna cellaria Dei. (*i*) In exemplari vero æterno ſunt multo ampliora, licet ibi realiter non ſint diſtincta. (*k*)

Quę ſint ſponſi cellaria.

[*a*] Cod. Patav. *Ordo Hierarchicus Eccleſiæ.*

(*b*) Ibi deeſt ly *de Cœleſti Hierarchia.*

(*c*) Hæc omnia apprime cohærent tam Dionyſianæ doctrinæ in libris de Cœleſti, ac de Eccleſiaſtica Hierarchia, quam Bonaventurianæ, cum dicitur Ser. ſive Collat. 3. in Hexaem. ad finem, cum Dionyſio de Eccleſiaſtica Hierarchia: *Lex Divinitatis eſt infima per media ad ſuprema reducere.* Conſule, ſi volupe fuerit, in hanc rem noſtrum ipſum Interpretem Par. 2. de Eccl. Hier. c. 1.

(*d*) De illo loquitur *radio Divino*, quem memorat Dionyſius ab Interprete noſtro laudatus ad finem cit. Ser. ſive Collat. 3. in Hexaem. ubi ait: *ille radius nos reducit in contemplationem cæleſtium, deinde ſupercæleſtium.* De hoc *radio* rurſum infra §. 61.

(*e*) De hoc *ſuſpendio* ſupra §. 6.

(*f*) Totus iſte §. 31. abeſt a Cod. Patav. De præfato *vehementi fervore deſiderii* ſermonem habet part. 5. Breviloq. cap. 6. dicens: „ Quo „ quidem deſiderio ferventiſſimo ad modum „ ignis, ſpiritus noſter non ſolum efficitur agi- „ lis ad aſcenſum, verum etiam quadam igno- „ rantia docta, ſupra ſeipſum rapitur in cali- „ ginem & exceſſum, ut non ſolum cum ſpon- „ ſa dicat: *In odorem unguentorum tuorum cur-* „ *remus*, ſed etiam cum Propheta pſallat: *&* „ *nox illuminatio mea in deliciis meis.* Quam „ noctem & delicioſam illuminationem nemo „ novit, niſi qui probat: nemo autem probat „ niſi per gratiam divinitus datam. “

(*g*) In hanc rem lubeat rurſum audire Interpretem noſtrum Soliloq. cap. 2. ita loquentem: „ Tertium, in quo anima inebriatur hac dul- „ cedine, eſt mentis elevatio, quando feliciter „ animus a terrenis abſtrahitur, & miro quo- „ dam modo ſupra ſeipſum, ſupra mundum, „ immo ſupra omnem creaturam elevatur, ut „ jam dicere poſſit anima: *Introduxit me rex* „ *in cellaria ſua.* Hæc eſt illa *cella vinaria*, „ in quam introducitur anima, ubi bibit de „ vino condito inæſtimabilis Deitatis, & de „ lacte albiſſimo incontaminabilis Humanitatis. „ O anima, hinc *bibunt amici*, ſed *inebriantur* „ *cariſſimi.* O felix ebrietas, quam ſequitur „ mentis & corporis tam caſta & ſancta ſo- „ brietas. “ Vide etiam Serm. ſive Collat. 23. in Hexaem.

(*h*) *Cellaria Dei, in qua Chriſtus animam inducit, boniſque omnibus replet & inebriat, ſunt attributa Dei*, inquit Cornel. a Lap.

(*i*) De *duobus Cellariis Eccleſiæ militantis, & Eccleſiæ triumphantis* inter Sermones ſub S. Bonaventuræ nomine Serm. 3. Fer. 2. Pentec. De *cellariis autem in Scriptura*, Theodor. Juſtus Orgel. S. Hieron. S. Greg. &c. Sed & inter Recentiores Interpretes per *cellaria* intelligit *arcanos Scripturarum ſenſus* Boſſuetus. Quodve Divinos theſauros nobis aperiat *univerſa rerum natura*, oſtendatque *unitatem*, & *Trinitatem Dei*, videri poteſt ipſemet noſter Interpres Ser. ſive Collat. 11. in Hexaem.; nec non Ser. 12. in idem Hexaem. ubi de *Scriptura.*

(*k*) De Deo, qui eſt *veriſſime exemplar, in quo ſunt rerum exemplatarum ideæ*, ſive rationes, atque ſimilitudines omnium rerum, quas ipſe cognoſcit: quodve hujuſmodi ideæ non plurificentur realiter in Deo, ſed reipſa ſint *unum*, nempe *ipſa divina veritas*, docet noſter Interpres in 1. Sent. diſt. 35. art. 1. q. 1. & 2. De eodem Deo, velut *exemplari omnium rerum*, agit cit. Serm. ſive Collat. 12. in Hexaem. Quod in ipſo ſit *omnis exemplaritas*, ait etiam in fine c.

5. Iti-

§. 33. Et notandum, quod hic datum eft illud, quod fuperius fecundo petierat. Primo elevatur mens ad fentiendam, & contuendam exuberantiam divinarum divitiarum, five quas habet in fuis operibus, five quas habet in feipfa, antequam pertingat ad ejus ofculum.

§. 34. Nota, quod fupra loquebatur ad fponfum in fecunda perfona, hic vero loquitur de eo in tertia, ac fi fuis Adolefcentulis hic glorianter, & informatorie loquatur. Et breviter, fecundum quod variantur in fponfa modi affectuum & afpectuum, fic & modi locutionum fuarum. Et confimiliter eft de fponfo. Unde fupra incipiens in tertia perfona dicit: *ofculetur me*; & tamen ftatim flectit fe ad fecundam, fubdens: *quia meliora funt ubera tua*. Quod, ut credo, factum eft ad oftendendum, quod fponfa non fuerit aufa illud directe a fponfo petere, fed folum abfolute fuum defiderium exprimere.

Varii affectuum & locutionum modi in fponfa & fponfo.

§. 35. Nota etiam, quod fponfus hic vocatur a fponfa *Rex*, qui fupra vocatus eft ab ea *oleum effufum*. Mutuo enim fe variis nominibus nominant, tum quia uno nomine fufficienter nequeunt exprimere mutuas perfectiones, ac uniones, feu correlationes: tum quia ad exprimendas diverfas proprietates materiarum, de quibus hic agitur, valet diverfa appellatio nominum fponfi, vel fponfæ. Unde & hic nominatur *Rex*, tum ut oftendatur, quod inftar Regum thefauros habet regales, tum ut oftendatur, quod hic fe habet ad eam ut Rex dominans, (*a*) potius quam ut fponfus ofculum ei dans.

Sponfus cur Rex nuncupatus.

§. 36. *Exultabimus, & lætabimur*, fcilicet ego & adolefcentulæ meæ, *in te*, quod eft altius quam lætari in tuis donis, vel beneficiis, (*b*) *memores* per affiduam ruminationem, (*c*) *uberum tuorum fuper vinum*, id eft potius quam vini luxuriæ carnalis, feu legalis aufteritatis, vel pœnitentialis. Quafi diceret: Contemplatio tuorum thefaurorum non finit me non exultare, aut non memorari dulces propinationes, quibus in me, & in meas focias lac miræ fuavitatis miniftras. Hebræa habet: *amorum tuorum* (*d*) *fuper vinum*.

Hebr. *amorum tuorum*.

VERSUS QUINTUS.

§. 37. *Recti diligunt te*. (*e*) Oftenfo quomodo per conatum defideriorum fponfa afcendit, hic oftendit per fortem fufferentiam (*f*) tribulationum, feu præliorum. Et in hoc primo præmittit cauffam hujus fufferentiæ, quæ eft zelus juftitiæ propter Dei amorem. Et ideo oftendit, quod zelatores, feu obfervatores rectitudinis, feu juftitiæ, funt fponfi amatores. Secundo quod mortificatio & pugna, quam ex zelo fui amoris etiam a fuis fratribus fuftinuit, non eft in ea contemnenda ibi: *Nigra fum*. Tertio petit a fponfo directionem & refugium contra pugnam hujus periculi: *Indica mihi*. Quarto confortatur a fponfo tam inftructionibus, quam commendationibus, & promiffionibus ibi: *Si ignoras te*. Quinto ad familiares fponfi amplexus, affatus, & guftus, poft hæc fe affumptam oftendit ibi: *Dum effet Rex*.

§. 38. Dicit ergo: *Recti diligunt te*. Rectos vocat eos, qui per caritatem & ce-

Quinam recti fint.

---

5. Itiner. ment. in Deum; ubi quoque habet, quod in eo *quamvis omnia fint multa*, ipfius tamen effe *non fit nifi unum, & hoc per fimpliciffimam unitatem*. Per prædicta *cellaria* intelligit *Verbi Dei exemplaria, & Dei invifibilia*, fimiliter nofter Jo. Vitalis Card. in Speculo verbo *contemplatio* fol. m. 49. Pariterque *Cella vinaria*, de qua fupra, ficut dicit Vercellenfis, *eft Verbum æternum, Sapientia Patris, continens omnes theorias, id eft, revelationes, quæ pleniffime continent vinum fpiritualis gaudii, & ubertim fundunt in amantes &c.*, uti legere in Opufc. edito fub D. Bonav. nomine de fept. don. Spir. Sanct. ubi de dono Sapient. Cap. 6. Secundum etiam Chald. per *Cellaria* accipitur fecretarium Divinitatis, Divinæque Sapientiæ, ex quo lex prodiit. Atque ita fponfus oftendit fponfæ arcana fua myfteria, æque ac bona & dona recondita, magna profecto ac multiplicia.

(*a*) Cod. Patav. *quod hic Rex fe habet ad eam ut prædominans*.

(*b*) Hinc idem inquit Interpres in Amatorio: *Dilige dona illius propter illum*.

(*c*) In Affifienfi Cod. additur: „ Affidua „ fiquidem fpiritualium revelationum ruminatio affiduum menti præbet cognitionum, & „ exuberationum incrementum. "

(*d*) *Amorum tuorum fecundum Hebræos*, etiam apud Lyranum; relate ad aliam lectionem itidem ex Hebræo textu defumptam, da qua fupra §. 18. fed & Syrus quoque vertit: *recordemur amoris tui præ vino*.

(*e*) Verba hæc in Edit. Lugdun. apud Joan. Frellonium typis Joan. Marcorellii an. 1568., & in Vulg. fpectant quidem ad Verfum 4., fed apud noftrum Interpretem ad 5.

(*f*) Hac voce utitur quoque Tertull. de Orat. cap. 4. & Lib. 4. adverfus Marcion. cap. 14. eftque etiam in Cath. Jac. Epift. 5. 11.

& ceteras virtutes ei connexas regulæ Divinæ juſtitiæ, ſeu rectitudini divinæ voluntatis firmiter adhærent. Omnis enim animus, qui exit ab extremis, aut a rectitudine Divinæ legis, ſeu regulæ deviat, obliquus eſt. Talis autem eſt omnis, qui per caritatem ei non adhæret. Et ideo evidens eſt veritas hujus propoſitionis, quod ſcilicet *recti diligunt te*. (*a*)

§. 39. Illi tamen inter iſtos proprie dicuntur *recti*, qui non exeunt ab extremis (*b*), & pro obſervantia divinæ veritatis, & juſtitiæ, & honoris ſingulariter zelant, (*c*) ita quod tam in ſe, quam in aliis, nihil poſſunt iniquitatis pati, quin illud pro viribus impugnent, pro ut lex Divini amoris exigit. Conſtat autem, quod tales tam in ſeipſis, quam ab aliis, multipliciter deſpiciuntur, & mortificantur. Et ideo ſponſa ut talem ſe ſentiens ſubdit: *Nigra ſum*. (*d*)

§. 40. Mentes ergo, quæ Deum diligere, & Deo uniri deſiderant, recte, & perpendiculariter ſurſum eriguntur, (*e*) & ſequuntur. Optimus ergo modus quærendi Deum eſt recte ſurſum superintellectualiter extendi, donec mentis apex ab omni ente ſeparatus ſuper omnia exſiſtentem ſuperſubſtantialem intelligat, & per plenam ignorantiam ſuperignota cognoſcat. Perfecta ignorantia cognitio eſt ejus, qui eſt ſuper omnia, quæ cognoſcuntur. Hoc eſt cum Moyſe ingredi caliginem, ſeu nebulam. (*f*)

Modus optimus quærendi Deum.

§. 41. Vel aliter *Nigra ſum*, id eſt exterius (*g*) deſpecta & mortificata. Nigredo enim ſponſæ in corpore eſt color deſpectus, & ex aduſtione caloris Solaris, vel coloris inopia (*h*) aliquando proveniens. Hebræa habet: *Fuſca* (*i*) *ego*, *ſed deſiderabilis* (*k*), ſcilicet propter pulchritudinem Divini amoris, ſecundum quam ad Dei imaginem ſum reformata. (*l*) *Nigra ſum*, id eſt in ſuperlucentem divinæ incomprehenſibilitatis caliginem (*m*) incluſa, *ſed formoſa* ſuper pulchros, claritatibus ſuperſplendentes, (*n*) non habens oculos. Illæ mentes dicuntur ita non habere oculos, quæ in ordine ſanctorum Seraphim ſuſpenſæ, omne officium ſenſus, imaginationis phantaſticæ, rationis, & intelligentiæ, penitus mortificaverunt, perſeverante illo ſuſpendio. (*o*)

Lectio varians ſecundum textum Hebraicum.

Mentes, quæ non habent oculos.

§. 42.

(*a*) D. ipſe Bona. in Opuſc. de Reduct. Art. ad Theol. prope fin. „ Ille recte vivit, qui „ dirigitur ſecundum regulas juris Divini. Et „ hoc eſt, quando voluntas hominis aſſentit „ præceptis neceſſariis, monitis ſalutiferis, con„ ſiliis perfectis, ut probet homo, quæ ſit „ voluntas Dei bona, & beneplacens, & per„ fecta. Et tunc rectus ordo vivendi dicitur, „ in quo nulla obliquitas poteſt reperiri. " Nec non in Proœm. Lib. 2. Sentent. ubi prædictus textus allegatur, & exponitur „ Nihil „ continuatur recto, niſi rectum. Cum ergo „ virtus noſtra ſummæ poteſtati continuatur, „ abſque dubio rectificatur &c. "

(*b*) Eod. Proœm. 2. Sententiar. „ Rectum „ enim eſt cujus medium non exit ab extre„ mis. Extrema ſunt primum & ultimum, „ alpha & omega, principium & finis. Ope„ ratio inter hæc eſt medium, per quam effi„ ciens pervenit in finem. Illa ergo virtus re„ cta eſt, cujus operatio eſt a principio pri„ mo, & ad finem ultimum &c.

(*c*) Eſt hoc verbum apud Vulg. Tertul. S. Aug. &c. Cod. Aſſiſien. *ſunt Zelatores*.

(*d*) Seq. §. 40. abeſt a Patav. Cod.

(*e*) Cit. Opuſc. de reduct. Art. ad Theol. prope fin. „ Dicitur rectum, cujus ſummitas „ eſt ſurſum erecta; ſicut homo habet ſtatu„ ram rectam. Et ſecundum hoc, in conſide„ ratione rectitudinis, manifeſtatur Dei, & „ animæ unio. Cum enim Deus ſit ſurſum; „ neceſſe eſt, quod apex ipſius mentis ſurſum „ erigatur &c. "

(*f*) Prædicta omnia ſecundum doctrinam, ac phraſim Dionyſianam, videri poſſunt apud ipſum D. Bona. Cap. ult. Itinerar. & Incend. ſive Incenti. amor. Breviloq. part. 5. cap. 6. in fine, Serm. ſive Collat. 2. ac 20. in Hexaem. &c. Vid. ſupra §. 13.

(*g*) Cod. Patav. addit: *ex nigredine*.

(*h*) Idem Patav. *vel laboris*, *&* *inopia*.

(*i*) Sic ex Hebr. apud Malvendam, nec non S. Ambroſ. in Apol. David, ac Serm. 2. in Pſ. 118.

(*k*) Ita rurſum ex Hebr. apud Maldonatum. Apud Malvendam vero *amabilis*, *ſeu venuſta*, *&* *gratioſa*.

(*l*) Quæ ſequuntur uſque ad finem hujus §. 41. non ſunt in eodem Patav. Cod. De *anima ad Dei imaginem reformata per gratiam*, Cap. 1. Soliloq.

(*m*) De *caligine* hujuſmodi *ſuperſplendente* haud procul a fine Itinerarii mentis in Deum; ac de *tenebris Divinæ intelligentiæ propter incomprehenſibilitatem*, quam tamen *radioſam* vocat, *quia anima intuens eam ſumme illuſtratur*, Serm. ſive Collat. 2. in Hexaem. prope finem. Item ibi Collat. 20.

(*n*) *Propter* jam dictam *pulcbritudinem Divini amoris* dicitur ſuper illos *formoſa*.

[*o*] Vide quæ in hanc rem adducit Dionyſii verba circa finem laudati Itinerarii, ubi etiam de *ſuſpendio animæ*, deque *deferendis ſenſibus*, *&* *intellectualibus operationibus*, nec non de *apice affectus toto transferendo*, *&* *transformando in Deum*. De præfato quoque *ſuſpendio* ſupra §. 6. Vide inſuper verſus finem d. Serm. ſive Collat. 2. in Hexaem., ubi ex Cantico Canticorum

declarat,

§. 42. *Filiæ Jerusalem*. Filias Jerusalem vocat animas muliebres de populo Dei, & suo, quæ solum carnalem & imperfectum cultum Dei attendunt, & eo venerantur: de spirituali & superfervido parum aut nihil curantes. Tempore enim Salomonis contemplativæ mentes multas tribulationes in Jerusalem passæ sunt: & tempore Christi, & Apostolorum non minus paucas. Et breviter omni tempore aliquid similiter reperies. Et præcipue circa initiationem contemplativorum statuum, (*a*) quia tunc (*b*) filii ancillæ, seu carnis, persequuntur filios liberæ, seu spiritus, (*c*) ad Galatas quarto. Animales enim non percipiunt, sed despiciunt Sapientiam spiritualem, pro ut docet Apostolus primæ ad Corinthios secundo.

Mentes contemplativæ tribulationibus obnoxiæ.

Ad Galat. 4. 29.

1. *Cor.* 2. 14.

Quæ tabernacula Cedar.

§. 43. *Nigra*, inquit, *sum sicut tabernacula Cedar*, scilicet sicut tabernacula Arabum, seu Ismaelitarum habitantium in desertis Arabiæ. *Cedar* enim fuit filius Ismaelis, a quo quædam regio Arabiæ *Cedar* dicta est, cujus habitatores, vel pastores habitant in tentoriis, ab æstu & gelu denigratis: cui nomen *Cedar* bene congruit, quia *Cedar* tenebra interpretatur. (*d*) *Nigra sum* ergo, *sicut tabernacula Cedar*.

Quæ pelles Salomonis.

§. 44. *Sed formosa, sicut pelles Salomonis* (*e*). Et nota, quod Hebræi dicunt se habere *sicut cortinas Salomonis*. (*f*) Et secundum alios hæc duo, id est *sicut tabernacula Cedar*, & *sicut cortinæ Salomonis*, sunt referenda ad ejus formositatem, & non ad nigredinem solam. Et ita quoque *sicut pelles Salomonis*. (*g*) Quod autem in templo (*h*) Salomonis pelles fuerint nigræ non legimus; sed in tabernaculo a Moyse facto fuerunt saga cilicina de pilis caprarum, quæ erant nigra. Fuerunt etiam ibi pelles arietum rubricatæ. Et forte eas vocat *pelles Salomonis*; (*i*) tum quia finaliter sub ipso fuerunt: tum ut duplici mysterio denigrationis sponsæ deserviant. (*k*) Fuit enim cultus tabernaculi Dei in transitu deserti, & tandem in terra promissionis, & in Jerusalem. Et tunc sub Salomone fuit in majori pace & gloria. Et secundum hoc sponsa Dei est in duplici statu, scilicet laborioso transitu ad contemplationis apicem & quietem, & in ipso apice, seu in ipso termino quietis. (*l*) In primo sponsa bello tentationum, & laborosis macerationibus & exercitiis suis, & suspitiosis desideriis exterius mortificatur. (*m*) In secundo

Duplex status Sponsæ Dei.

declarat, quo pacto *debemus habere mentes non habentes oculos*, sed pulchritudinem Divini amoris; quia *ad illam supernam Sapientiam non intrat intellectus, sed affectus*, ad cujus sublimes excessus elevatæ mentes, dicuntur *in ordine sanctorum Seraphim suspensæ*, quia teste eodem Interprete cap. 4. Itiner. ac in fine Incendii sive Incenti. amoris, spectat ad *Seraphim caritas, osculum, & dilectio*; *suspensa*, inquam, *per ecstaticum amorem* cap. 3. d. Incend. sive Incenti.

(*a*) De his *contemplativis statibus*, sive Ordinibus, disertissime Interpres noster Serm. sive Collat. 22. in Hexaem., ac nominatim de *Ordine vacantium Deo, per modum sursum activum, scilicet excedentium*, id est, *de Ordine Seraphico, de quo videtur fuisse Franciscus*.

(*b*) Forte *nunc*. Vid. infra §. 49.

(*c*) Alludere videtur ad persecutores cultorum Evangelicæ paupertatis, potissimum Fratrum Minorum, pro quibus tuendis idemmet Interpres noster edidit Tractatum de Paupertate Christi, Apologiam Pauperum, aliaque plura. Certe tunc Fratribus Minoribus ingens persecutio non defuit. quibus utinam saltem domestica defuisset.

(*d*) S. Hieronym. Epist. 108. alias 27. ad Eustochium Virginem, nec non Lib. de Nominibus Hebraicis. Sequentia usque ad ly *Quod autem in templo Salomonis* absunt a Cod. Patav.

(*e*) Inter Sermones S. Bonaventuræ de Sanctis in communi De Dedicat. Ecclesiæ Serm. 3. in ordine 46. itidem habetur: *Nigra, sicut tabernacula Cedar; formosa, sicut pelles Salomonis*. Ita quoque Origenes, Theodoretus, Cassiodorus, Gregorius, Rupertus, Anselmus, Bernardus, Glossa, Hugo Cardin. Joannes Vitalis Card. &c.

(*f*) Seu tentoria, foris atra, intus pretiosa & pulchra, ad scilicet designandum ipsam Sponsam *nigram, quia in laboribus plurimis; sed formosam ex reformatione Divinæ imaginis, & gloria conscientiæ interioris*, ut dicitur cit. Serm. 3. exponitque etiam idem Jo. Vitalis Card. in Spec. Verbo *Devotio* fol. m. 109.

(*g*) Nyssenus, & Aponius apud Cornelium a Lapide utramque similitudinem, scilicet tabernaculorum Cedar, & pellium Salomonis, referunt tam ad nigredinem, quam ad formositatem Sponsæ. Inter recentiores Interpretes alii copulative, alii distributive hæc accipienda censent.

(*h*) Cod. Assisien. *in tempore*.

(*i*) Sic & Exposit. in Lament. Jerem. Proph. cap. 3.

(*k*) Cod. Patav. *subserviant*.

(*l*) Ibi *quietante*. De *modis ascendendi in apicem contemplationis* apud ipsummet nostrum Interpretem Exposit. in cap. 9. S. Luc. De hujusmodi *quiete* idem in Opusc. de sept. grad. Contemplat. Vid. Bartholom. de Martyr. in Compend. Spiritual. doctr., vere Divinæ, in fine cap. 15.

(*m*) Hinc per hujusmodi *pelles* ait quod *Confessores significantur, qui quia pœna extenuantur, dicitur: Nigra sum &c.* Exposit. in cap. 3. Lament. Jer. Proph.

ſecundo vero vitæ carnali funditus morietur, & ideo tunc velut mortua huic mundo videtur. Vult ergo dicere ſponſa: etſi exterius me videritis deſpectam, & velut mortuam; attendite tamen meam intelligibilem, ſeu virtualem formam & venuſtatem.

Fervida Dei dilectio ſuper omnia alia mentis ſacrificia.

Prov. 8. 17.

§. 45. Vel *pelles Salomonis*, quæ rubræ fuerunt, & ei delectabiles, ſignificant Seraphicos mentis fervores flammigeros, (*a*) in quibus ſuper omnia alia mentis ſacrificia delectatur, dicens Proverbiorum octavo: Ego diligentes me diligo. (*b*)

VERSUS SEXTUS.

§. 46. Et quod prædictam ejus abjectionem non debeant deſpicere, oſtendit ſubdens: *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim*, conſideratione ſcilicet contemplativa, *quia decoloravit me ſol*, id eſt, quia ardor Divini amoris, ſeu æſtus tribulationis, quam propter eum ſuſtinui, me denigravit, ſeu obſuſcavit. Et ita ſi attendatis cauſſam meam, obſuſcatio erit vobis potius veneranda & amabilis, (*c*) quam contemnenda.

Eccli 43. 4.

§. 47. Vel aliter: *Nolite conſiderare &c.* id eſt non poteritis inſpicere ſuperintellectuale lumen, ſive ſuperſplendentem caliginem, qua perfundor & includor, quia *Sol*, exſufflans in me radios igneos, (*d*) *decoloravit me*, id eſt in inviſibili & incomprehenſibili luce me conſtituit, (*e*) ubi omnis quidem virtus mente & corde exercetur. (*f*)

Filii carnales.

§. 48. Quia vero majus & horribilius eſt contemni & impugnari a ſuis, quam ab extraneis, ideo volens oſtendere per quos ſic fuerit aduſta & obſuſcata, ſubdit: *Filii*, ſcilicet carnales, *matris meæ*, ſcilicet Synagogæ (*g*) vel Eccleſiæ (*h*) cujuſcumque progenitricis hujus ſponſæ, *pugnaverunt contra me*, meum ſcilicet ſpiritualem ſtatum, cultum, & zelum, in me perſequentes tam verbis, quam factis. Dicit autem *Filii matris* potius quam patris, ut ſcilicet per hoc innuat, eos quodammodo eſſe extraneos à filiatione, ſeu adoptione ſummi Patris; (*i*) ſicut fuerunt filii Synagogæ rebelles (*k*) Eccleſiæ primitivæ, Synagoga exorti.

Filii ſpirituales, eorumque perſequutiones, quas a carnalibus patiuntur.

§. 49. Specificat unum modum impugnationis ſubdens: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis*, id eſt in ſuis carnalibus Collegiis, ſeu Eccleſiis cuſtodiendis. In exordio enim ſtatuum contemplativorum, (*l*) ſeu ſpiritualium nituntur filii ſpiritus ſequeſtrare ſe ab evagatione, ſeu diſtractione, & imperfectione ſtatuum inferiorum carnalium, ſeu minus ſpiritualium, quod filii carnis tolerare non poſſunt. Imo inſtar Pharaonis & Ægyptiorum populum Hebræorum tenere nituntur, & facere evagari ad congregandas paleas, conficiendoſque lateres, ædificandaſque urbes tabernaculorum: (*m*) Sic carnales filii Synagogæ niſi ſunt Eccleſiam primitivam retinere infra uterum Synagogæ, & cuſtodire carnales cæremonias ejus. (*n*) Unde in ejus receſſu, ſeu exi-

---

(*a*) Per *pelles Salomonis*, *quæ fuerunt rubricatæ*, notari *caritatem*, habet etiam Expoſitio altera D. Thomæ in Cant. Canticor. Hoc ipſum innuit quoque Hugo Card. Et quia ſeraphicus caritatis fervor flammigerus in Martyribus relucet præcipue; hinc per præfatas *pelles rubricatas* etiam ſignificari *Martyres* ipſemet adſeverat noſter Interpres d. Expoſit. in Cap. 3. Lament.

(*b*) Iſte §. 45. deſideratur in Cod. Patav.

(*c*) In eod. Cod. *amabilis & imitanda*.

(*d*) Serm. ſive Collat. 20. in Hexaem. eodem ſenſu myſtico.

(*e*) *Quia tunc maxime conjungitur luminibus interioribus*, ibi ad eumdem textum. Et infra §. 53.

(*f*) Et hic §. 47. abeſt a Cod. Patav. Prædictam autem *inviſibilem & incomprehenſibilem lucem*, *ſuperintellectuale lumen*, *ſive ſuperſplendentem caliginem*, vocat Auctor *ſupereſſentialem Divinarum tenebrarum radium* cap. ult. Itinerar. prope finem. Quo ſenſu autem hujuſmodi Dionyſiana phraſi ipſemet utatur, vid. ſupra §. 13. in not. *d*.

(*g*) Cornel. a Lápide. „ *Filii matris* genuine „ hic intelliguntur Iudæi perſequentes Eccle„ ſiam Chriſti &c. " Ubi poſt plura in hanc rem laudat nedum Lyran. ſed & Origen. Caſſiod. Bed. Juſt. Orgelitan. Haym. Anſel. & S. Bernard.

(*h*) Textum hunc etiam *Eccleſiæ convenire*, legere quoque eſt apud ipſummet Interpretem noſtrum Expoſit. in cap. 3. Lament. Jer. Proph. *Eccleſia*, inquam, *quæ a tyrannis, hæreticis, & hypocritis impugnatur*. Quodve accipi pariter queat de *hæreticis*, *qui Eccleſiam matrem ſuam, in qua baptizati & renati ſunt, oppugnant*; ipſe fatetur.

(*i*) Adeo *extraneos a filiatione*, *ſeu adoptione ſummi Patris*, ut vere filii Diaboli & audiant, & reapſe ſint, ſecundum Chriſti verba Jo. 8. 44. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſiderium patris veſtri vultis facere*.

(*k*) Cod. Patav. *rebellantes*.

(*l*) Supra §. 42.

(*m*) Vid. hoc exemplum etiam adhibitum ſupra de ſtud. Divinar. Literar. §. 42.

(*n*) Secundum S. Greg. per *filios matris* accipiuntur primi Chriſtiani judaizantes, qui ſua im-

exitu, dolebant se amittere filios Synagogarum suarum, quas hic *vineas* pluraliter vocat, ad designandum defectum Unitatis spiritualis, qui erat in eis, tam scilicet quo ad fidem, quam quo ad mores. Sic & in hoc tempore potest quis consimilia intueri. Quid autem mali ex hoc sponsæ subsequatur ostendit subdens: *Vineam meam non custodivi*.

§. 50. Vel *posuerunt me custodem in vineis*, nomine *vinearum* intellige æterna Verbi exemplaria, (a) in quibus administratione mystica se positam custodem dicit. Quia sicut custos in eminenti constitutus, assidue, quæ custodit, contemplatur; ita mens in specula summæ Hierarchiæ suæ constituta, exemplaria attente & unitive contemplatur. Habacuc secundo: Super custodiam meam stabo. (b)

Verbi exemplaria.

Habac. 2. 1.

§. 51. *Vineam meam non custodivi*, scilicet ex hoc quod inde deduxerunt ad suas vineas custodiendas, meam Ecclesiam contemplativam, seu vineam spiritualem non custodivi. Hæc est illa vinea, de qua procedit vinum germinans virgines, quod est singulariter Deo dilectum, pro ut habetur Zachariæ nono.

Vinum germinans Virgines.

Zach. 9. 17.

§. 52. Vel hic forte vult ostendere; quod eis noluit (c) consentire in custodia vinearum suarum, quas ut exaggeratione loquatur, dicit in singulari *vineam*, & appropiate *meam*, ut ostendat, quod nec universitas, & unitas status prioris, potuit ad hoc trahere, nec ipsius paternitas, & maternitas, qua inter eam, vel ex ea fuerat progenita, (d) & propter quam prius habuerat eam ut *suam*. (e) Quia vero ista tentatio gravis est, ideo petit a sponso refugium directivum subdens: *Indica mihi quem diligit anima mea*.

§. 53. Vel *Vineam meam non custodivi*, id est propriam mentem non consideravi, quando mens ab omnibus aliis recedens, postea & seipsam dimittens, unita est splendentibus radiis, (f) Dionysius capite septimo de Divinis Nominibus. Radios ipsos intellige exemplaria Verbi. (g)

Dionys. de Div. nom cap. 7.

VERSUS SEPTIMUS.

§. 54. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*. Volens anima se totam exhibere Christo, in eo ipsa diligenter quærit hospitium dicens: *Indica mihi &c.* (h) Exemplo pœnitentis, & ad Dominum se convertentis, declarat affectionem: postulat refectionem: suspirat ad perfectam cognitionem. Primum: *Quem diligit anima mea*. Secundum ibi: *ubi pascas, ubi cubes*. Tertium ibi: *in meridie*. Anima in peccato exsistens tepida est; ideo indiget, ut inflammetur ad dilectionem: arida per accidiam; ideo postulat refectionem: in tenebris est per ignorantiam; ideo indiget ut illuminetur ad cognitionem.

Exemplum pœnitentis, & ad Dominum redeuntis.

Anima in peccato posita quam infelix.

§. 55. Ostendit ergo anima affectionem in tribus, in conversione patenti, in dilectione ferventi, in inquisitione languenti. De primo: Anima mea liquefacta est, ut locutus est, Cant. quinto. Loquitur dilectus animæ occulta inspiratione, & ipsa liquescit manifesta compunctione. (i) De secundo: Fortis est ut mors dilectio, Cant. ultimo.

Affectio animæ ad Deum.

Cant. 5. 6.

Cant. ult. 6.

---

importunitate coegerunt primitivam Ecclesiam judaizare, & servare circumcisionem, ceteraque Lege veteri præscripta.

(a) Cur dicantur *exemplaria Verbi*, & Christus dicatur rerum omnium *exemplar* vid. in 1. Dist. 6. Art. 1. Q. 3. per tot. ac Serm. sive Collat. 12. in Hexaem.

(b) Id quod *refertur ad erectam affectionis & intentionis elevationem ad cælestia, & ad fixam ac immobilem æternorum contemplationem*, par. 1. de Eccl. Hierarch. cap. 2. de Seraph.

(c) Supple, *Ecclesia primitiva*, de qua supra §. 49.

(d) Namque d. *Ecclesia primitiva* fuit ex Synagoga progenita.

(e) *Prius habuerat ut suam*, sed postea non habuit; quia ejusdem Synagogæ custodiam dimittere coacta est ob adversa multa, quæ ab eadem patiebatur. Unde Menochius „ Significat commissas illi omnes mundi vineas, „ sed illi creditam præcipue curam Synagogæ. Non custodivit autem hanc vineam, „ propter vinitorum Hebræorum invidiam, & „ improbitatem; nam & filium familias necarunt, & vinea ipsa pro dulcibus uvis labruscas protulit, imo spinas, & fel Draconum. „ Hinc factum est, ut contra eam excandescerent per multiplices persecutiones."

(f) De hoc supra §. 47. not. *e*.

(g) Seqq. Paragraphi 54. 55. 57. & 58. desunt in Codd. Vatic. & Patav. Prædictos autem varios sensus indicare in uno Divinæ Scripturæ textu, D. Bonaventuræ haud insolens.

(h) Sic Postil. sive Comment. in Joan. Evang. cap. 1. ver. 38. ad illa verba: *Rabbi ubi habitas?*

(i) Heic, & paulo supra similiter desinentia, quæ apud D. Bona. passim occurrunt.

timo. Fortis dilectio superat vires corporis, ut patuit in Magdalena, quando volebat sola tollere Corpus Christi, & portare. *Jo. 20. 15.* De tertio: Quæsivi quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non inveni. *Cant. 3. 1.* Et tunc non invento, languet. O mirum & delectabile Divinæ pietatis spectaculum! ipse qui quæritur & desideratur, occultat se, ut ardentius requiratur, & requisitus cum gaudio inveniatur, & inventus cum sollicitudine teneatur, & tentus, non dimittatur (a), donec in amoris sui cubiculum mansionem facturus dulciter introducatur. (b)

Refectio animæ.

§. 56. Secundo postulat refectionem: *ubi pascas*. Pascitur enim in sanctis affectionibus, bonis operationibus, spiritualibus consolationibus. (c) Et anima debet Christum pascere, & dare ei pastum triplicem, scilicet temporalis alimoniæ, quando anima omnia dimittit, se scilicet, sua, & suos, & pauperibus distribuit: Quando te vidimus esurientem, & pavimus te? *Matth. 25. 37.* Spiritualis doctrinæ, quando prædicat, & tunc efficitur anima Rachel, quæ pascebat gregem patris sui. *Gen. 29. 9.* Et quia misericordiam habet, docet & erudit, quasi pastor, gregem suum. Corporalis disciplinæ, cum se mortificat, ut sit forma & exemplum aliis: Pascite qui in vobis est gregem Dei, forma facti gregis ex animo, primæ Petri quinto. *1. Petri 5. 2 ac seq.*

Quomodo anima pascit Christum.

Quomodo Christus pascit animam.

§. 57. *Indica mihi ubi pascas*. Dictum est, quomodo anima debet pascere Christum: videamus modo quomodo Christus pascit animam. Pascit ergo Christus animam consolatione triplici, quando invenit in anima locum, mundum per innocentiam (d), fæcundum per justitiam, jucundum per gratiam (e). Nos ergo exhibeamus ei locum mundum in puritate innocentiæ, fœcundum in felicitate justitiæ, jucundum in suavitate prælibationis gratiæ. De primo Cant. sexto: *Cant. 6. 1.* Dilectus meus descendit in hor-

tum suum &c. Hortus conclusus &c. *Cant. 4. 12.* usque ad aromata illius. Anima casta opinione bona fit odorifera, dum hic pascitur. De secundo: Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus, *Psal. 36. 3.* Psalmo trigesimosexto. De tertio: Requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. *Ezech. 34. 14.* Virentes herbæ, & pascua pinguia sunt immarcescibilia, in quibus meditando animæ pascuntur contemplationibus.

Suspirium animæ ad perfectam cognitionem.

Verus meridies in patria.

§. 58. Tertio suspirat ad perfectam notitiam, cum dicit: *In meridie*. Non enim est hic meridies, ubi tenebræ erroris & tribulationis; Isboset enim occiditur in meridie: sed in patria verus est & æternus (f) meridies. Tunc enim erit umbrarum exterminatio, clarior aurora, plenitudo fervoris & lucis, Solis statio (g). Tunc erimus ab omni ignorantia purgati, & immunditia, illuminati sapientia, inflammati perfecti amoris excellentia. De primo: Consurgite, & ascendamus in meridie, Jeremiæ sexto. *Jer. 6. 4.* Væ nobis, quia declinavit dies &c. *Ibid.* Illis, qui erunt in meridie, id est, in patria, nulla erit umbra, vel tenebra (h); sed illis, qui erunt in vesperis Occidentis, id est, in inferno. De secundo: Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, Job undecimo. *Job 11. 17.* Quia post finem mundi sol justitiæ, quasi in meridiano crine rutilabit, in quo cognoscuntur omnia, sicut in speculo objecta. De tertio: Sol in meridiano exurit terram, *Eccli 43. 3.* id est, cor terrenum, & inflammat ad amorem cœlestem. (i) Unde cives illius civitatis omnes ardent igne devotionis, quia ibi omnes diligunt Deum plus quam seipsos, & proximos tanquam seipsos, & Deus illos plusquam illi seipsos: quia illi illum, & se invicem per illum, & ille se, & illos per seipsum (k). Unde

H *in me-*

(a) Sic etiam infra in Postilla super Joannem cap. 20. num. 1313. nec non Auctor Meditationis in Passionem & Resurrectionem Domini inter Opera supposititia & aliena S. Bernardi Vol. 2. col. 532.

(b) Serm. 1. Dom. 17. post Pentec. inter editos sub S. Bona. nomine: *Donec in amoris cubiculum mansurus introducatur*, ubi allegatur *Bern.* absque citatione loci.

(c) Vel heic similiter desinentia.

(d) Al. *per pænitentiam*.

(e) Al. *verecundum per erubescentiam*.

(f) Serm. sive Collat. 20. in Hexaem. *Ubi Sol exurit in meridie? Quando in maxima virtute est, hoc est in cælo. Ibi enim perfecta est contemplatio, & illos inflammantes ardores, quos emittit in animas illas, quæ habent excessus mentales, nullus potest explicare.* Vide sis S. Bernard. Serm. 33. in Cant. num. 16. in fine.

(g) Ibi cit. S. Bernar. num. 6. ac ipsemet Interpres noster Exposit. in cap. 21. S. Luc.

(h) *Nam ubi Christus est* (sicut in patria) *tenebra esse non potest*, inquit idem Interpres cap. 1. de Eccl. Hierarch. Et ut supra etiam cit. Serm. sive Coll. 20. in Hexa.

(i) Sic eod. Serm. sive Collat. 20. in Hexaem. nec non Part. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 6.

(k) Ita Breviloq. par. 7. cap. 7.

in meridie plena lux cognitionis, & fervor dilectionis, (*a*) & pastus delectationis, (*b*) & accubitus secretæ fruitionis est. (*c*) Unde Abraham in meridie recepit Dominum. *Genes. 18. 1.*

§. 59. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Quasi diceret: Ostende mihi illam dulcedinem tuorum pascuorum, seu illum sinum, seu lectum occultissimum tuæ quietis, ubi tu, non in hora matutina, vel vespertina, id est, in imperfectione inchoantium, vel proficientium, (*d*) sed *in meridie*, & in summo ardore & splendore contemplativi status, quiescis & delectaris. Quia si istud te præmonstrante continue non inspexero, oportet me vagari *post greges*, id est, post bestiales plebes, seu congregationes *sodalium tuorum*. Sodales autem sponsi vocat Prælatos, seu Rectores vinearum illarum, de quibus supra locuta est, (*e*) qui pro tanto dicuntur ejus socii, quia in exteriori officio sibi assimilantur, & quia superficialiter ad cultum hujus sponsi, & aliqualiter tendere videntur. (*f*) Unde (*g*) dicuntur socii sponsi, sicut tres amici Job dicti sunt amici ejus. *Prælati Ecclesiæ superficie tenus.*

§. 60. Vult ergo sponsa dicere, quod nisi in tempore tantæ tentationis, & impugnationis suæ, semper sibi illucescat summus ardor, & splendor, & dulcor contemplationis Divinæ, quasi necesse habet sequi carnales mores, & sensuales evagationes populi animalis. (*h*) Dicendo autem *ne vagari incipiam*, aperte innuit, quod nondum ad prima initia vagationum descendit, tamquam primos motus distractionum in se fortissime frænans.

§. 61. *Indica mihi &c.* (*i*) Sponsa plurimum delectata in sponsi præsentia, & quasi dicat cum Petro Matthæi decimo septimo: Domine bonum est nos hic esse; quærit quomodo firmiter & perseveranter eidem assistat, quia quanto plus laborat mens ad quærendum incomprehensibilem, tanto minus videtur sibi invenisse. (*k*) Petit ergo sponsa revelatione doceri, in qua theoria, vel in quo genere exercendi se ad radium (*l*) stabilius valeat ei assistere, & clarius eum contemplari, & in ejus contemplatione tranquillius requiescere. *Matth. 17. 4.* *Sponsæ petitio.*

§. 62. *Ubi pascas*, id est tuæ dulcedine cognitionis mentes reficias. Apocalypsis tertio. Cænabo cum illo. *Ubi cubes*, id est, in quo lecto, & somno contemplationis quietius perseveres in amplexibus. *In meridie*, id est, in ipso fervore diei, sive tuæ claritatis. (*m*) Genesis decimo octavo quando apparuit Dominus sedenti Abrahæ in æstivo cœnaculo in ostio tabernaculi, id est, exitu excessivo, speculativo intellectu, quo peregrinamur a Domino, secundæ ad Corinthios quinto. Tabernaculum autem peregrinantium est. (*n*) *Apoc. 3. 20.* *Genes. 18. 1.* *2. Cor. 5. 6.*

§. 63. *Ne vagari incipiam*, id est, ne compellar a mentis sobrietate discedere, & prolixitatem Scripturarum latitudinemque vagando quærere, & diligere Sapientiæ spectacula, quæ sunt ad dictum contemplationis negotium expedientia. (*o*)

VER-

(*a*) In Exposit. super Ecclesiasten cap. 1. per *meridiem* intelligit *ferventem dilectionem sanctorum*. De *meridie caritatis* etiam Tract. in Cap. 1. Ezech. de sacræ Scripturæ mysterio §. 44. Item par. 4. de Eccl. Hierarch. Cap. 6. per *meridiem* intelligit *bonos in fervore caritatis existentes*. In Opusculo autem de quinque Festivitatibus pueri Jesu solemnit. 4. inquit: „ Cubat in meridie quando splendor æternæ veritatis tam „ luculenter lucet, ardor supernæ caritatis tam „ dulciter ardet. “

(*b*) Ibi d. solemn. 4. „ Administrat fercula „ varia de pinguedine suæ æternæ, nobilissimæ, & secretissimæ divinitatis. “

(*c*) Ibidem: „ Requiescit cum sponsa inter „ amplexus & oscula.

(*d*) Pat. *tepescentium*.

(*e*) Supra ver. 6.

(*f*) S. Gregorius in Exposit. super Cant. Cantic. cap. 1. num. 27. in hunc ipsum textum: „ Omnes Sacerdotes, omnes Doctores „ sodales Dei sunt quantum ad speciem: quan- „ tum vero ad vitam, multi non sodales, sed „ adversarii sunt. “

(*g*) In Patav. pro *Unde* legitur *Sic*.

(*h*) In Opusculo Bonav. de septem gradibus contemplationis, *animales* vocantur habentes *omnino incognita* ea, quæ Divina contemplatione percipiuntur.

(*i*) Iste, ac duo sequentes Paragraphi non sunt in Cod. Patav.

(*k*) *Quanto contemplationis acie* (verba sunt nostri Interpretis part. 1. de Eccl. Hier. cap. 3.) *profundius divinitatis secreta comprehendere satagunt, tanto se minus comprehendisse recognoscunt*.

(*l*) De *exercendo se ad radium intelligentiæ* cap. 1. Incendii sive Incentivi amoris. De hujusmodi *radio* supra S. 31.

(*m*) Per *meridiem* intelligit clariorem *Dei notitiam* etiam cap. 1. Itinerarii mentis in Deum. Vid. § 58.

(*n*) Hugo quoque Card. per *meridiem* intelligit *claritatem contemplativorum, qui adhuc laborant in hac peregrinatione*.

(*o*) Priusquam enim mens *se convertat ad de-*

gu-

VERSUS OCTAVUS.

Sponſus.

§. 64. Poſt hæc igitur confortatur a ſponſo. (*a*) Primo per hoc quod inſtruitur conſiderare ſuam pulchritudinem: *Si ignoras te, o pulcberrima.* Secundo ſuam fortitudinem ibi: *Equitatui meo.* Tertio quod promittitur ei auxilium, ſeu donum gratiæ ſufficiens ibi: *Murenulas aureas.*

§. 65. Primo dicit: *Si ignoras te, o pulcberrima inter mulieres, egredere &c.* Quaſi diceret: Si bene vis conſiderare tuæ ſpiritualis pulchritudinis præeminentiam, qua omnes animas, & Eccleſias carnales, vel imperfectas excellis; (*b*) ſatis habes rationem urgentem ad non ſequendam vitam carnalem beſtialium populorum, vel Prælatorum. (*c*) Et loquitur ſub eo typo, quo mulieri formæ egregiæ, & generoſæ, ſolemus loqui, ne ſequatur vias vilium feminarum, allegando ei ſuam pulchritudinem & generoſitatem.

§. 66. Dicit ergo: *Si ignoras te*, id eſt tuam nobilitatem tam naturalem, quam gratuitam, per quam es pulcherrima inter mulieres, id eſt ſuper ceteras animas, (*d*) *egredere*, ſcilicet a clauſtro tuæ contemplationis ad vagationes ſenſuales, *& abi poſt veſtigia gregum*, id eſt poſt vias beſtialium plebium, *& paſce bædos tuos*, id eſt tuos carnales affectus, & conceptus inſtar hircorum nigros & fœtidos, (*e*) ſeu tuos carnales ſubditos, & *juxta tabernacula* Cedar, id eſt, juxta exteriorem informationem, *Paſtorum*, ſcilicet qui paſcunt, ſeu regunt carnaliter greges prædictos, qui & paulo ante dicti ſunt *ſodales*. (*f*) Dicit autem ſub imperativo modo: *egredere, & abi &c.*, non quia hic imperare intendit, ſed potius per modum loquendi ironicum (*g*) intendit illi ſignificare, quod ſi non ſuam venuſtatem bene attendat & penſet, neceſſe habet egredi & abire, ac multa mala pati. (*b*)

Quid ſit paſcere hædos.

§. 67. Dicit etiam *bædos tuos*, non quia ipſa ut manens *pulcberrima* habeat *bædos*, ſed quia ipſa neceſſe habet eos habere, ſi vult ſequi vias gregum. (*i*)

§. 68. Nota etiam, quod duo (*k*) mala oportet eam incurrere, ſcilicet diſtractionem curioſam, vilem, & vagam; & per hoc dicit: *Egredere, & abi:* & delectationem carnalem & fœdam; & per hoc dicit: *paſce bædos tuos.* (*l*) Duo, a quibus cavendum, mala.

§. 69. Vel aliter *egredere & abi*. Quantum enim ad me ingrederis, tantum a te egrederis, & recedis, ut dicitur Jeremiæ tertio: Poſt me ingredi non ceſſabis. (*m*) Egredere ergo longe, & longius tendas ad interiora, & intima deſerti, *& abi* a te ipſa longius recedendo per itinera æternitatis. (*n*) Jer. 3. 19.

§. 70. *Poſt veſtigia gregum tuorum*, id eſt ſu-

guſtanda divina ſolatia, quod fit per vim unitivam, quæ ſecreta eſt, oportet *ſe convertat ad contuenda divina ſpectacula*, quod *fit per intelligentiam*, ut inquit Serm. ſive Collat. 5. in Hexa.

(*a*) Tametſi Nyſſenus autumet hæc verba non eſſe Sponſi, ſed adoleſcentularum, ad Sponſam querentem ſe ſolis æſtu decoloratam; Sponſi tamen eſſe cenſent Hortolanus, Sanchez, Sotomajor, & alii hebraice periti.

(*b*) Cod. Patav. *tranſcendis*. Sic autem *excellit*, ſive *tranſcendit omnes animas*, maxime irrationales, quia ubi *irrationales creaturæ ſunt veſtigium creatoris*, ipſa eſt *ſpeculum beatiſſimæ Trinitatis*, inquit Auctor Soliloq. c. I.

(*c*) Paulo ante dixerat *carnalium, vel imperfectorum*. Sed in Prælatos ſui officii immemores adhuc vehementius noſter Interpres invehitur exponens Librum Sapient. cap. 6. Unde Jerem. 50. 6. *Grex perditus factus eſt populus meus: paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui.*

(*d*) Similiter remittit animam ad contemplandam ſuam pulchritudinem in Opuſculo *de Plantatione Parad.* §. XIII.

(*e*) Boſſuet: *carnales ſenſus ſcilicet, eoſque qui a ſiniſtris ſunt greges.*

(*f*) Sic noſter Interpres ex S. Greg. Expoſit. in cap. 1. Cant. Cantic. num. 28.

(*g*) Titelmanus & alii quoque cenſent dicta hæc per ironiam.

(*b*) Boſſuet: *Quo loco monent Patres mala multa eventura Sponſæ, ſi ſeipſam ignoraverit, & ad cujus ſimilitudinem facta eſſet, & a quibus peccatis liberata, & ad quam deſtinata felicitatem.*

(*i*) Idem Boſſuet: *Nec jam ut antea manifeſtam viam, ſed cæca & errabunda gregum veſtigia ſectaretur, & paſceret non agnos, ſed hædos.*

(*k*) Cod. Aſſiſien. *in duo.* Iſte Paragraphus abeſt a Cod. Patav.

(*l*) In his verbis S. Bernardus Ser. 35. in Cant. num. 2. *terribilem, & nimis formidoloſam comminationem* agnoſcit, quem conſule.

(*m*) Sic Tract. de ſept. donis Spir. Sanct. edito ſub S. Bona. nomine, ubi de dono Sap. cap. 7. & ubi cum Vercellenſi in Prol. ſuper Cant. dicitur, quod *tanta eſt vis veri amoris boni & pulchri, quod facit homines & Angelos quaſi naturam propriam egredi, ut in Deum aſcendant.*

(*n*) Eumdem textum adducens Interpres noſter Poſtil. ſive Comment. in cap. 10. Apocal. ver. 9. ita ſubdit: *Egredere de mundo, & vade* ad

eſt ſupernarum Hierarchiarum, & Ordinum, quibus Angelica Hierarchia dividitur in novem intellectualia veſtigia (*a*) in Deum ducentia. (*b*) *Paſce hædos tuos*. Hædi, qui ſapidas habent carnes, ſignificant motus & deſideria Seraphicæ mentis, quæ grata ſunt ſponſæ, & quaſi delicata. *Juxta tabernacula paſtorum*. Paſtores ſunt cœleſtes ſubſtantiæ ſummi Ordinis, id eſt Seraphini, qui inferiores Ordines regunt, & cœleſti cibo nutriunt. Juxta horum paſtorum tabernacula hædos ſuos paſcere, eſt exemplo eorum, & appropinquatione in initiativas ſanctæ Trinitatis contemplationes, ſumma mentis deſideria fortiter & ſubtiliter extendere. (*c*)

Qui Seraphim.

VERSUS NONUS.

§. 71. *Equitatui meo*, id eſt exercitui meo, quem habui *in curribus*, id eſt, contra currus, *Pharaonis* (*d*) *aſſimilavi te, amica mea*. Quaſi diceret: Tu es ita fortis, & ſtrenua, & ſpiritualium virtutum, ſeu cœleſtium militiarum agmine conſtipata, ſicut fuit exercitus meus, per quem in exitu de Ægypto deſtruxi totam Ægyptum, & exercitum Pharaonis. (*e*) Et poteſt hic verſus legi tam inſtructorie, quam commendatorie, quaſi diceret: Non oportet te timere, aut diffidere, quin vincas tuos hoſtes, quia tu es fortiſſima. Significanter autem utitur ſimilitudine exercitus Dei, qui fuit in exitu de Ægypto, ſeu in initio Synagogæ, quia vehementer valet ad repræſentandam totam iſtam initialem pugnam hujus ſponſæ: & quia vehementer poteſt confortare ad ſpem Divini auxilii, & plenæ victoriæ per ea, quæ fecit Deus in illa pugna. (*f*)

§. 72. Vel aliter comparatur ſponſa *Equitatui*, quia mens contemplativa quaſi duplicem habet exercitum. Pedeſtrem quatuor virtutum cardinalium reſpicientium partem animæ inferiorem, quibus vitia expugnantur deorſum quaſi in terra: Equeſtrem trium virtutum theologicarum reſpicientium partem animæ ſuperiorem. (*g*) Primæ ad Corinthios decimo tertio: Nunc autem manent fides, ſpes, caritas, quarum importuno inſultu regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. (*h*) Quantum ergo ad hunc exercitum cum ſuis famulis deſideriis, ſuſpiriis, extenſionibus, ſurſum actionibus, (*i*) contemplationibus, meritis, mens contemplativa Equitatui divino comparatur. (*k*) In hac particula quatuor introduci habent, ſcilicet colligatio, comparatio, congregatio, congreſſio. Colligatio ſpecialis ibi: *Amica*. Comparatio ſpiritualis: *aſſimilavi te*. Congregatio ſupernaturalis: *equitatui meo*. Congreſſio triumphalis ibi: *in curribus Pharaonis*. Et ſic quatuor virtutes triumphant, & Juſtitia tuetur latus Orientale, ne ſol ſuperbiæ oriatur: Fortitudo, ſive Conſtantia, latus tenet Boreale Aquilonis, contemnens minas, adverſitates, & incommoda (*l*) ſuſtinendo:

Virtutes Cardinales, & Theologicæ.

1. Cor. 13. 13.

Matth. 11. 12.

Munera quatuor virtutum Cardinalium.

ad Deum; egredere de inſipida ſcientia; & vade ad ſapidam ſcientiam &c. De eodem autem myſtico egreſſu ſic quoque ait cap. ult. Itiner. mentis in Deum: *Tranſcendat, & tranſeat non ſolum mundum iſtum ſenſibilem, verum etiam ſemetipſam..... & per virgam Crucis tranſeat mare rubrum ab Ægypto intrans deſertum, ut guſtet manna abſconditum, & cum Chriſto requieſcat &c.* De hoc ipſomet tranſitu in fine Serm. ſive Collat. 2. in Hexaem. ubi etiam memorantur *interiora deſerti, & illuſtrationes mentales*. Hic quoque Paragraphus una cum mox ſeq. deeſt in Cod. Patav.

(*a*) Ita Cod. Aſſiſien. Al. *inſtar intellectualium veſtigiorum*. Dicuntur *novem intellectualia veſtigia*, quia novem ſunt Ordines Angelicæ Hierarchiæ ſecundum Dionyſ. Greg. & Bernard. ut tradit idem Bonaventura 2. Diſt. 9. in Prolegomenis.

(*b*) Quippe ut inibi idemmet Hierarchiam diffinit, ipſa *Deum habet ſcientiæ ſanctæ, & actionis ducem*. Quod ſi creaturæ omnes, auctore S. Bernardo, ſunt greges Dei, ex quorum veſtigiis, id eſt, conſideratione, veſtigamus, & pervenimus ad creatorem; quanto magis id verum erit de creaturis præcipuis, quæ ſunt in Angelicis Hierarchiis?

(*c*) Hæc interpretatio parum abludit ab illa, qua ipſemet Doctor noſter Seraphicus Cap. 1. Soliloq. ait: *Paſce hædos tuos juxta tabernacula Paſtorum, id eſt, converte cogitationes tuas ad Choros Angelorum &c.*

(*d*) Sic Hugo Card. ac Card. Joan. Vitalis &c.

(*e*) Ita fere Origenes, Philo Carpath. Gregorius Nyſſenus, Ambroſius, Beda, Aponius, Bernardus, d. Card. Jo. Vitalis &c. Non deſunt tamen qui putant dictum textum potius alludere ad equos bellicos, quos ſibi Salomon ex Ægypto a Pharaone coemerat.

(*f*) Seq. §. 72. non eſt in Cod. Patav.

(*g*) Ipſemet Interpres noſter Par. 4. Breviloq. Cap. 4. & Part. 3. Centiloq. Sect. 36. dixit Virtutes Theologicas reſpicere *faciem animæ ſuperiorem*, & Cardinales *inferiorem*.

(*h*) Sic de eodem *duplici exercitu* laud. Card. Jo. Vital. in ſpec. verbo *Contemplatio* fol. m. 51.

(*i*) Phraſis D. Bonaventuræ familiariſſima vel in aliis ejus Scriptis.

(*k*) Ita rurſum præd. Card. Jo. Vital.

(*l*) Al. *adverſitatis incommoda*.

do: Temperantia præsidet lateri Australi, & æstus excludens libidinis, protegit ab insidiis dæmonii meridiani: Prudentia lateri præest Occidentali, & vitam discretius regens, docet non esse formidandum occasum mortalis exterminii.

Habac. 3. 11.

(a) In splendore autem fulgurantis hastæ, Habacuc tertio, emicant virtutes Thelogicæ. Fides est audacissima vexillum crucis bajulans: Spes multum est erecta, fiduciam certam de victoria concipiens: Caritas adest ignea, quæ gladium tenet ancipitem a spiritu carnem separans.

Munera trium virtutum Theologicarum.

VERSUS DECIMUS.

§. 73. Quia vero pulchritudinem ejus solum in generali tetigerat, ideo sive instructorie, sive commendatorie, specificat aliquid de ea subdens: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Genæ sunt ea pars vultus, quæ est inter maxillas & auriculas, sic dictæ eo quod infans in utero habeat eas inclinatas ad genua. Vel sic dictæ quia ibi barba incipit gigni; nam *genos* Græce idem quod barba. (b) Unde gena est illa pars sub oculis, quæ a concavitate in prominentiam tendit, in qua decor & pudicitia faciei mulieribus singulariter apparet, habens simul candorem & ruborem valde gratiosum. (c) Et si sit mortificata habet quemdam pallorem, portendentem (d) gemitum animæ pœnitentis. Spirituales ergo genæ hujus sponsæ sunt ejus affectus castissimi, qui semper sunt subnexi aspectibus oculorum suorum, qui per ardorem caritatis sunt rubicundi, & per sinceritatem puritatis sunt candidi, & per austeritatem simul & compunctionis gemitum sunt pallidi. Et sic (e) pulchræ sunt sicut genæ *turturis*, quæ ad literam sunt gratiosæ. Et nihilominus hæc postquam comparem suum amiserit, (f) numquam alteri se jungit; sed per solitudinem inhabitans in gemitu perseverat, aperte designans (g) castitatem & gemitum specialium affectuum (h) hujus sponsæ. (i)

Genæ unde dictæ.

Genos Græce idem quod barba.

Quæ sint Sponsæ spirituales genæ.

§. 74. Vel aliter, *genæ* sunt amor summi boni, & odium peccati, ut in bono delectetur, & contra malum zeletur: *sicut turturis* amantis comparem, dum adest, & gementis, dum abest. In qua exprimitur continua dilectio; turtur enim habet continuam dilectionem, & perpetuam, non cum eo alterum diligens, nec præter eum. (k)

§. 75. *Collum tuum sicut monilia. Per collum* in quo est vis transitiva ciborum, & formativa cantuum, (l) quo mediante corpus unitur suo capiti, potest designari excessus divinorum desideriorum & jubilationum, per quæ congeries virtutum sponsæ inferiorum unitur suo capiti, scilicet apici caritatis, (m) seu ipsi sponso. Hoc igitur *collum* in sponsa est pulchrum *sicut monilia*. Est enim monile ornamentum, per quod pectora virginum, seu matronarum clauduntur, sic dicta *monilia*, quia monent, seu arcent viros, ne inferant manus suas intra sinum earum: & sunt quasi quædam fibulæ magnæ (n) circulares. In toto igitur versu prædicto hoc inten-

Quale collum.

Quæ monilia.

(a) Prædictas quatuor Virtutes Cardinales secundum quatuor solis adspectus ad quatuor mundi partes, scilicet Orientem, Meridiem, Aquilonem, & Occidentem, vide explicatas, licet paulo aliter, Serm. sive Collat. 6. in Hexaem. ubi egregie de iisdem disserit ex Tullio, Plotino, atque Macrobio. Quo ad vocem autem *exterminii* sumptam pro *morte temporali*, *quia extra terminum vitæ naturæ ponit*, Exposit. in Cap. 1. Sap. versus finem.

(b) Isidor. Etymologiar. Lib. 11. cap. 1. *Genæ sunt inferiores oculorum partes, unde barbæ inchoant. Nam Græce genos, barbæ. Hinc & genæ, quod inde incipiunt gigni barbæ.*

(c) Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. *Pulcherrimæ sunt genæ tuæ, quæ sunt prominentes, in quibus primitus apparet pulchritudo.* Et communis est Patrum expositio, per *genas pulchras* heic significari verecundiam & castitatem Sponsæ.

(d) Codices alioquin habent *præcedentem*.

(e) Cod. Patav. *Et hæ.*

(f) Idem: *per hoc quod postquam parem suum semel amiserit.*

(g) Idem: *apte designat.*

(h) Cod. Assisien. *facialium affectuum*: Patav. *facialium affectionum.*

(i) Cit. Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. *Turtur avis est amorosa & casta, & propter amorem comparis nulli conjungitur, nec in vita ejus, nec post mortem.* Quod *gemitum pro cantu* habeat etiam Exposit. in cap. 2. S. Luc. Et ita communiter SS. Patres. Vid. S. Chrysost. Hom. 8. de turture, S. Greg. Moral. Lib. 32. cap. 3. num. 4. Et Auctorem Lib. ad Soror. de modo bene vivendi sub S. Bernardi nomine §. 61. num. 145.

(k) Hic §. 74. in Codd. Vatic. & Patav. desideratur. Quod gemitus turturis sit *amoris*, notatur quoque cit. Exposit. in cap. 2. S. Luc.

(l) Allegato Serm. 2. in Hexaem. *Collum, per quod vox emittitur.*

(m) Sive cap. 7. Itinerar. *apici affectus, qui totus transferatur, & transformetur in Deum.*

(n) In Cod. Patav. additur: *instar colli.*

tenditur, quod sponsa habet decorem amoris castissimi cum sinceritate desiderii æterni. Et per hæc duo potest retrahi a sequendo vias gregum, & prædictorum pastorum. *(a)* Ad majorem autem superaffluentiam amiculorum *(b)* contra tentationem prædictam, promittit adhuc amplius ornamentum gratiæ subdens.

VERSUS UNDECIMUS.

Murenulæ. §. 76. *Murenulas aureas faciemus tibi.* Sunt *murenulæ* catenæ latæ & spissæ de auro mire factæ, quæ a capite defluentes ad cervicem ornandam aptantur *(c)*, & hæ virgulis auri & argenti artificiose distinctis, & commixtis, sunt contextæ, dictæ a quodam pisce nomine *murena*, quia consimiles distinctiones & commixtiones colorum habet in cute sua. Vel quia capta *(d)* vertit se in circulum. Et secundum Gregorium in Expositione Cant. Canticorum hujusmodi murenulis seu catenis monilia collo ligantur. Et hæ propter virgularum argentearum insertiones dicuntur *vermiculatæ*, id est rubricatæ; *(e) argento*, id est desuper versibus & reticulationibus argenteis exornatæ, & circumtextæ: sicut in picturis quædam virgulæ rubræ solent colori albo superinseri. Per quod *(f)* potest intelligi ornamentum disciplinæ, vel sapientiæ, vel Sacramentalis gratiæ. Habet enim sponsa disciplinam moralem, id est *(g)* auream, & aliquam cœremonialem priori desuper vel *(h)* deforis insertam, quæ est velut argentum. Ejus autem *(i)* sapientia habet theorias de divinis quasi aureas, & tropos *(k)* similitudinum sensibilium & figuralium, quasi virgulas argenteas. Et hoc modo est edita Scriptura sacra, seu Sapientia sponsæ. Constat enim ex intelligentia interiori, & eloquentia exteriori. *(l)* Sacramenta ejus habent interius gratiam invisibilem, & exterius speciem sensibilem. Hæc autem non datur a principio ipsi sponsæ in tanta affluentia & evidentia, sicut fit postmodum exigente hoc necessitate certaminum. Unde & Ecclesia initio sui ortus non habuit ita distinctum ornatum Sacramentorum, *(m)* nec tantam affluentiam Scripturarum, & magistralium, seu disciplinalium Institutorum, sicut habuit postmodum. Est ergo sensus: O sponsa, tanta dabitur tibi copia sapientiæ, & eloquentiæ, & Scripturæ sacræ, & tantus ornatus & *(n)* cultus Sacramentorum, & virtualis disciplinæ, quod omnino dedignaberis sequi insipientiam & vilem vitam bestialium velut plebium.

Gregorius in Cant. cap. 1. 10. num. 31.

VERSUS DUODECIMUS.

Verba Sponsæ.

§. 77. *Dum esset Rex &c.* Ostensa impugnatione sponsæ, & conatu ejus contra illam, & qualiter confortata est a sponso; hic ostendit, quomodo post hoc assumpta est ad sponsi familiares amplexus, afflatus, & gustus. Et primo ostendit, quomodo obtinuit sponsi cubiculum. Secundo subdit mutuarum commendationum colloquium: seu ostendit, quale in illo cubiculo inter se habuerunt colloquium, ibi: *Ecce tu pulchra es*. Tertio ostendit qualem ex hoc consecuta est divini dulcoris & amoris gustum, ibi: *sub umbra illius*. Quarto ostendit, quam stricte a sponso sit

---

(a) Supra §. 65. ac 66.

(b) *Amiculum* est palliolum, ac vestis genus, auctore Festo, a circumjectu dictum.

[c] Justus Orgelitanus Episcopus quoque ait: *Murenulæ sunt ornamentum a capite descendens, quo cervix ornatur.*

(d) Sic Cod. Patav. al. *a capite*. Quod *murena piscis est, qui captus vertit se in circulum*, ait etiam S. Gregorius.

(e) Forte *lumbricatae*; inquit enim Cassiodorus: *Vermiculatas argento, hoc est in modum vermium terrenorum; quos lumbricos dicunt, distinctas, & inter se conjunctas.*

(f) Pat. *Vel per hoc potest.*

(g) Pat. *quasi.*

(h) Pat. *seu.*

(i) Pat. *etiam.*

(k) Ita rursum Cod. Patav. Al. *cortices.*

(l) Quippe denotatur *in argento eloquium*, ait Interpres noster Exposit. in Psalter. Psal. 11. Item laud. S. Greg. „ *Murenulis monilia collo* „ *ligantur*; quia & sapientia & religio a Scri„ pturis sanctis prædicatoribus adjungitur. Per „ *murenulas* enim sancta Scriptura intelligitur. „ Quæ bene *auro & argento vermiculata* dicun„ tur; quia & sapientia sancta Scriptura ful„ get, & sonora prædicatione per universum „ mundum auditur. Sicut enim per aurum „ sapientia, sic per argentum sancta prædica„ tio demonstratur. “ Huc facit illud cit. Ps. 11. 7. *Eloquia Domini, eloquia casta (sicut) argentum igne examinatum, purgatum terræ, purgatum septuplum.*

(m) Pat. addit: *& Sacramentalium ministrorum.*

(n) Cod. Patav. *seu.*

ſit amplexata, ibi: *Læva ejus*. Quinto quod tranquille ſit in eo conſoporata, ibi: *Adjuro vos*. Item in primo oſtendit, qualiter ipſa placuit ſponſo recumbenti. Secundo qualiter poſt hoc ſponſus in ea recubuit, ibi: *Faſciculus myrrhæ*. Seu ibi oſtendit, qualiter ad votum ſuum eum habuit.

§. 78. Dicit ergo: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*, id eſt, dum ſecreto recumberet in cubiculo ſuo, *nardus mea*, id eſt, humilis (*a*) devotio (*b*) mea, *dedit odorem ſuum*, id eſt, complacuit (*c*) ſponſo, quaſi res valde odorifera. Eſt enim Nardus herba odorifera (*d*) odoris optimi craſſa & fragili radice, folioque parvo, & denſo, (*e*) & eſt herba ſpicoſa. Ejus enim cacumina in ariſtas ſe ſpargunt: Unde & unguentum Mariæ
Marci 14. 3. Magdalenæ notanter vocatur (*f*) nardi ſpicati. Unde per eam convenienter deſignatur devotio pinguis, humilis, & famoſa. (*g*) Sponſus autem dicitur hic *Rex*, ut oſtendatur ejus accubitus eſſe regius & magnificus, & prædominans ipſi ſponſæ. Per *accubitum* autem poteſt intelligi ſecretum ſuæ divinitatis, in qua ab æterno quieſcit, aut ſecreta repauſatio, (*h*) qua in corde ſponſæ requieſcit; (*i*) ut in primo intelligatur ſponſa tamquam ad illum aſſumenda: in ſecundo vero velut jam aſſumpta. In utroque autem ſemper oſtendit, qualiter ipſa placuit ſponſo, ſeu qualiter demulſit ipſum, ſive ut aſſumenda, ſive aſſumpta. Poſt hoc ergo oſtendit, qualiter ipſa fruita eſt ſponſo ad votum, & hoc fruitione ſincera & inebriativa.

VERSUS DECIMUSTERTIUS.

§. 79. Pro ſincera dicit: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mibi*. Myrrha enim eſt amara guſtu, & præſervat corpora a corruptione; & ideo bene ſignificat puritatem ſponſi, & paſſionis ejus, omnem affectum impurum fugantis. Dicit autem *Faſciculus myrrhæ*, quia in Chriſto non fuit ſolum unum genus amaritudinis, & puritatis, immo immenſa congregatio. (*k*) Quoniam tamen ſponſa ſub aliqua menſura ſuſcipit, ut ſic ſit ſibi quaſi quidam *Myrrhæ Faſciculus*, qui *inter ubera mea*, id eſt, in medio (*l*) mearum mediationum & affectuum ſuavium, & lac puritatis ſummæ propinantium, *commorabitur*, id eſt, perſeveranter, & firmiter in me manebit; (*m*) pro fruitione inebriativa ſubdit:

Sponſæ Faſciculus myrrhæ Paſſio Chriſti.

VERSUS XIV.

§. 80. *Botrus Cypri dilectus meus mibi*. Cyprus enim eſt Inſula, ubi nobiles vites in magna affluentia creſcunt: unde earum botri optimum vinum miniſtrant. (*n*) Vult ergo dicere, quod dilectus ſibi eſt ita dulcis, ſicut *Botrus Cypri*.

Ejuſdem ſponſus Botrus Cypri.

§. 81. *In Vineis Engaddi*. Engaddi eſt locus, ubi finitur mare mortuum, (*o*) ſicut in principio ejuſdem maris eſt alius locus, qui dicitur Engaddi, ubi Jor-

In Vineis Engaddi.

(*a*) In Planc. de Paſſ. Domini, ſive in Vit. Myſt. Cap. 17. num. 56. *ſignificat humilitatis virtutem*. Namque ut ait Titelman. *Nardus herba eſt humilis &c.* Quodve *nardus humilitatem* denotet, ajunt etiam Rupertus, & S. Bernardus.

(*b*) De *nardo devotionis* itidem Origenes.

(*c*) Cod. Pat. *ipſi*.

(*d*) Patav. *aromatica*. Ejus meminerunt Diſcorides Lib. 1. Cap. 16. & Plinius Lib. 12. cap. 12.

(*e*) Patav. *depreſſo*.

(*f*) Vatic. & Aſſiſ. *monſtratur*.

(*g*) Ita fere noſter Interpres vel in Poſtilla ſive Comment. ſuper Evang. S. Joannis poſt initium cap. 12.

(*h*) Vide ſupra in fine Commentar. de Plantat. Parad. Eſt & *pauſa* apud Non. Marcell. ex Act. & Rutil. &c.

(*i*) *Cujus* (ſcilicet *nardi*) *fragrantia delectatus eſt Rex, filius Regis, Deus Dei filius, cum eſſet in accubitu ſuo, id eſt, in ſinu Patris; & odore tam delectabili tractus eſt in me &c.*, loc. ſupra cit. Vit. Myſt. de qua Vol. 3.

(*k*) Serm. 3. in Epiph. Domini ad finem inter editos ſub S. Bonaventuræ nomine, ſic dicitur verbis mutuatis a Divo Bernardo in Cant. Serm. 43. num. 3. *Faſciculum hunc colligare, & inter ubera noſtra collocare, eſt ſertum collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini noſtri*. Et in Planctu de Paſſ. Dom. ſive in Vite Myſt. cap. 4. num. 17. *Myrrha amara amaritudinem Paſſionis ſignificat: faſciculus vero coadunationem multarum paſſionum oſtendit*.

(*l*) Namque Septuag. pro *inter ubera* habent *in medio uberum*.

(*m*) Præfatum textum vide ſenſu eodem adhibitum a noſtro Doctore in Opuſculo inſcripto: *Paſſio Chriſti collecta ad modum Faſciculorum*, nec non in Præf. Ligni vitæ, & Expoſit. in Cap. 15. Lucæ, atque ad finem Opuſculi De Regimine animæ.

(*n*) Sic & S. Gregorius Expoſit. in Cant. cap. 1. num. 34. ac ipſemet Interpres noſter in cit. Vite Myſt. ibi.

(*o*) Ita S. Hieronymus de locis Hebraicis, ac notat S. Antonius Patavinus in Pſalmos Ser. 29.

Glossa ordinaria. Jordanis ingreditur. Et dicit Glossa, quod hic appellat vineas arbores balsami, quæ in Engaddi crescunt, quia in modum vinearum excoluntur. (a)

§. 82. Volens ergo sponsa mystice duplicem pretiositatem hujus Botri ostendere, vocat eum *Botrum Cypri*, & simul cum hoc dicit, quod exsistens est *in Vineis Engaddi*, cum tamen Engaddi non sit in Cypro, sed potius circa terram promissionis. Potuit tamen esse, quod Vineæ Engaddi essent plantatæ de Vitibus Cypri, ut sic Botrus earum possit *Botrus Cypri* dici ratione primæ suæ originis. Semper tamen designatur, quod ille *Botrus* est pretiosissimus, & suavissimi liquoris propinativus. (b) Et pro quanto *Engaddi* interpretatur *fons hadi*, designatur, quod liquor ejus ex fonte pœnitentiæ manans abluat nostras fœditates, (c) & refrigeret nostras concupiscentias. Pro quanto vero interpretatur *oculus meæ tentationis*, (d) designatur, quod hic *Botrus* est oculus aperiens ipsi sponsæ suas tentationes.

Nota autem, quod ubi vult nominare eum per modum magnæ familiaritatis, & amicabilem, (e) vocat eum *dilectum meum*, vel *quem diligit anima mea*.

VERSUS XV.

Verba Sponsi.

§. 83. *Ecce tu pulchra es.* Hic ostendit (f) suarum mutuarum commendationum colloquium. Et primo quomodo mutuo sibi invicem se commendant. Secundo quomodo aliis unus alterum commendat, ibi: *Ego flos campi.* Alloquens ergo sponsus sponsam, commendat eam in generali de pulchritudine dicens: *Ecce tu pulchra es, amica mea: Ecce tu pulchra es.* Dicendo *Ecce* evidentiam & admirabilitatem sui decoris ostendit. Dicit autem ingeminando eam *pulchram*, vel more amantium, vel psallentium; vel ad majorem expressionem & laudem sui decoris; vel ad designandum, quod ipsa est *pulchra* interius in corde, & exterius in opere: (g) vel *pulchra* secundum duplicem vitam, scilicet activam & contemplativam. (h) *Decor sponsæ admirabilis, & multiplex.*

§. 84. Deinde commendat ejus oculos spirituales dicens: *Oculi tui columbarum*. Columba enim habet oculos gratiosos, amorosos, agiles, vivaces, & in aquis, an (i) accipiter (k) avis rapax contra eam veniat, provide speculantes. (l) Tales autem sunt oculi ipsius sponsæ contemplativi. (m) Deinde sponsa alloquens sponsum, commendat eum in generali dicens:

VERSUS XVI.

Verba Sponsæ.

§. 85. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Ubi ejus decorem ingeminat caussis consimilibus, vel quia pulcher es secundum divinitatem, & secundum humanitatem. Et deinde commendat cubiculum, in quo mutuo conquiescunt, & hoc quo ad lectum, & quo ad tectum, subdens: *Lectulus noster floridus*, id est, purus, radiosus instar florum, *Sponsi decor itidem multiplex. S. Greg. in Cant. cap. 1. n. 36.*

(a) De vineis Engaddi florentibus, & fructum balsami producentibus, in Opusculo de quinque Festivitatibus pueri Jesu Solemnit. 2.

(b) Menochius: *Vites, quæ juxta arborem hanc Cypri nascebantur (quod potissimum fiebat in vineis Engadditicis) in botris saporem & odorem Cypri referebant; ideoque in pretio habebantur, sicut hodie in Italia uvæ illæ; quæ appellantur Moscatelle.* Sic ex Delrio probabiliter etiam Cornel. a Lap.

(c) Idem S. Greg. loc. cit. accedente laudato S. Anton. Patav. Unde & d. Cornel. a Lap. ex Aponio ait, heic significari pœnitentes qui lugent, & expiant peccata sua. *Hi enim* (inquit) *sunt in Engaddi, id est, in fonte hœdi; quia fonte lacrymarum eluunt hœdos fœtentes criminum.*

(d) Glossa ordinaria apud Lyranum, ac in fine Cod. nostri Biblici 40.

(e) Cod. Patav. *per nomen multum familiare, & amicabile.*

(f) Vatic. & Assisien. *dicit.*

(g) Sic Phil. Carpath. Cassiod. Beda, S. Tho. &c.

(h) Ita tres Patres apud Theodor.

(i) Vatic. & Assisien. *ne.*

(k) Patav. *accipiter, seu avis.*

(l) Hæc ipsa legere est in Serm. de S. Catharina inter Sermones de Sanctis D. Bonaventuræ, ubi asseritur, quod *Columbæ* Cant. 5. bene dicantur *residentes juxta fluenta plenissima, ut in aqua umbram, vel formam accipitris intuentes, velocius currant, & fugiant, & cautius declinent periculum.* Ibi etiam alludendo ad *columbæ oculos provide speculantes*, & ad illud *oculi tui columbarum*, subditur: *id est provisiones tuæ.* Vide infra cap. 5. ver. 12. §. 235.

(m) *Contemplativi*, inquam, ob spiritualium intuitum, quo scilicet anima in res non carnales, sed spirituales aspicit, easque appetit & intendit. Ita Origen. Theodoret. Philo Carpath. Cassiod. Beda, Bernardus &c. Cod. Patav. pro *contemplativi* habet *contemplativæ.*

florum, vel floribus virtutum & ſpiritualium conceptuum adornatus. Dicitur autem *Lectulus* non ratione modicitatis, ſed in ſignum teneritudinis & amoris, & in ſignum humilitatis, & ſimplicitatis, & indiſtantis indiviſibilitatis, & unitatis. (*a*) In parvo enim lecto non poſſunt ſponſus & ſponſa ad invicem eſſe diſtantes, aut disjuncti. Hic autem *Lectulus* eſt vel ipſe ſinus divinitatis, in quo ſponſus cum ſponſa quieſcit; (*b*) vel ſinus mentalis ipſius ſponſæ, in quo ſponſus cum ſponſa habitat; vel ſinus interior Scripturæ ſacræ, (*c*) aut univerſalis Eccleſiæ, (*d*) in quibus uterque ſimul cohabitant.

VERSUS XVII.

Amborum tigna, & laquearia domorum.

§. 86. *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Tigna ſunt illa ligna, quæ immediate apponuntur tegulis, ſeu tecto, *tigna* dicta a tegendo. *Laquearia* vero ſunt tabulæ, ſeu tabulatum, quod cauſſa ornamenti ſupponitur ipſis tignis. Per *Tigna* ergo, quæ in ſupremo tecti ſunt, deſignantur Fides, Spes, & Caritas, quæ immediate ſuperius adhærent. (*e*) Et

Ex Cedro

hæ quidem ſunt de Cedro, quia Cedrus eſt imputribilis, & in altum erecta, odore ſuo ſerpentes fugans. (*f*)

S. Bonav. Tom. I. Supplem.

Et ſic virtutes prædictæ ducunt ad æterna, & ad ſumme ardua, & ſua fragrantia fugant dæmones, & eorum tentationes.

§. 87. Dicit autem: *Domorum noſtrarum* juxta illud ſponſi: (*g*) In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Et *Joan. 14. 2.*
etiam in corde ſponſæ multæ ſunt manſiones virtutum, & contemplationum: (*h*) & in Eccleſia multæ animæ, & familiæ. Per *Laquearia* vero ſic dicta, quia ipſis tignis illaqueantur, ſeu firmiter colligantur, poſſunt intelligi dona Spiritus Sancti, quæ prædictis virtutibus connectuntur, (*i*) & quæ ornant tectum ſponſæ, & quæ ſubſerviunt & ſequuntur virtutes præmiſſas. Et dicuntur *Cypreſſina* propter conſimiles proprietates. (*k*) Eſt enim Cypreſſus ſecundum Gloſſam arbor alta, odoris optimi, medendis apta corporibus, ſic dicta Græce, quia caput ejus a rotunditate in acumen erigitur, unde & *Conon* dicitur, id eſt acuta rotunditas. (*l*) Per *Tigna* etiam & *Laquearia* poſſent intelligi ſupernæ & æternæ perfectiones Deitatis ipſius ſponſi, quæ ſunt velut tectum domorum ſponſæ.

Et ex Cypreſſo.

Gloſſa interlinearis, & ordinaria.

Et mutua colloquia.

§. 88. Nota autem, quod per hæc mutua colloquia (*m*) deſignatur, quod in illa unione ſponſi & ſponſæ nobis ineffabili, ſunt quædam internæ locu-

I tiones,

(*a*) Sic idem Cod. Patav. al. *vicinitatis.*

(*b*) Hic eſt *lectulus contemplationis*; quippe inquit etiam Maldonatus: *Lectulus, ſcilicet locus contemplationis, ubi anima Deo jungitur.* De eodem *lectulo quo ad contemplationem Divinitatis*, inter Serm. ſub S. Bona. nomine Serm. 3. Dom. 18. poſt Pentec. in fine.

(*c*) Menochius: *Secundum Theodoreti ſententiam in ſacra Scriptura, ut in lectulo, ſponſus, & ſponſa conquieſcentes, ſpirituali connubio junguntur &c.* De *lectulo quo ad novum Teſtamentum, & vetus*, d. Serm. 3. ibi.

(*d*) Idem Menoch.: *Vel lectulus pax Eccleſiæ, & quies ſingularium fidelium animarum.*

(*e*) Sic ex S. Bernardo Tirinus. Cod. Patav. *per quas mens immediate ſuperius adhæret.*

(*f*) De Eccl. Hierar. par. 4. cap. 7. & ult. ait idemmet Interpres noſter „ Illa ligna ſunt „ cedrina, quæ habent naturam & proprietatem imputribilitatis, & emittunt ſpiramen „ fragrantiæ, & odoris. " Quæ quidem confirmantur S. Iſidori verbis Etymolog. Lib. 17. cap. 7. ubi de Cedro ſic loquitur „ Lignum „ jucundi odoris eſt, & diu durans, nec a „ tinea unquam exterminatur, de quo Perſius „ (*Sat. 1. v. 42.*) *& cedro digna locutus*, ſcilicet propter durabilem perpetuitatem. Unde & in templis propter diuturnitatem ex „ hoc ligno lacunaria fiunt. Hujus ligni reſina *cedria* dicitur, quæ in conſervandis libris adeo eſt utilis, ut perliniti ex ea, nec „ tineas patiantur, nec tempore conſeneſcant. Quo ſpectat illud Horat. de Art. poet. v. 331. *Speramus carmina fingi poſſe linienda cedro*; ubi Cedrus pro cedri ſucco ſumitur. Quod *cedrus ſerpentes reprimit, & fugat*, inquit & S. Gregorius. Quodve ejuſdem Cedri *odor* non tantum ad *fugandos*, ſed etiam ad *extinguendos ſerpentes* valeat, ait etiam Hugo Card.

(*g*) Codd. Vatic. & Aſſiſ. *juxta ſponſum.*

(*h*) De *diverſis manſionibus diverſis virtutibus paratis*, ex Hieronymo noſter Interpres infra in Comment. ſive Poſtilla ſuper Joan. cap. 14. ibi.

(*i*) De virtutum earumdem nexu in Prologo Collat. de Donis Spiritus Sancti, de quibus Vol. 2.

(*k*) De proprietatibus *cypreſſi*, uti & *cedri*, Vid. Plin. Hiſt. Nat. Lib. 24. cap. 2. Dioſcor. Lib. 10. cap. 19. Inter *cypreſſi conſimiles proprietates* illam memorat Vitruvius Lib. 2. cap. 19. quod ineſt ei amarus quidam ſapor, qui eam a carie defendit, & vermiculos abigit qui eam gignunt. Unde & Plinius teſtatur Lib. 16. cap. 40. *Cariem vetuſtatemque non ſentiunt cypreſſus, cedrus &c.*

(*l*) Ex Iſidoro *Conon* eſt figura ab amplo in anguſtum deſinens. Fructus Cypreſſi *conus* dicitur, unde dicuntur *coniferæ cypreſſi.*

(*m*) De his ſupra §. 83.

tiones, in quibus evidenter exprimitur, quomodo ad invicem sunt sibi ipsi cari, jucundi, pulchri, gratiosi. Quia vero hæc non solum mutuo ostendunt sibi, sed etiam aliis; ideo tamquam ad alios seipsos commendantes subdunt: & primo sponsus de seipso dicit:

CAPUT SECUNDUM.

1. EGo flos campi, & lilium convallium. 2. Sicut
lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.
3. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dile-
ctus meus inter filios. Sub umbra illius, quem
desideraveram, sedi; & fructus ejus dulcis gut-
turi meo. 4. Introduxit me in cellam vina-
riam, ordinavit in me caritatem. 5. Fulcite
me floribus, stipate me malis, quia amore
langueo. 6. Læva ejus sub capite meo, &
dextera illius amplexabitur me. 7. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per
capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis di-
lectam, quoadusque ipsa velit. 8. Vox dilecti mei, ecce iste venit
saliens in montibus, transiliens colles. 9. Similis est dilectus meus ca-
preæ, hinnuloque cervorum: en ipse stat post parietem nostrum, re-
spiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. 10. En dilectus meus
loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa
mea, & veni. 11. Jam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit.
12. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox
turturis audita est in terra nostra. 13. Ficus protulit grossos suos:
vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge amica mea, speciosa
mea, & veni. 14. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna
maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis:
vox enim tua dulcis, & facies tua decora. 15. Capite nobis vulpes
parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. 16. Di-
lectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. 17. Donec
aspiret dies, & inclinentur umbræ. Revertere: similis esto, dilecte mi,
capreæ, hinnuloquo cervorum super montes Bether.

EXPOSI-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

Verba Sponsi.

§. 89.

Sponsus flos campi, & lilium convallium.

EGo *flos campi*, *& lilium convallium*. Florem (*a*) campi se dicit, quia ipse (*b*) est ornamentum & gloria totius Ecclesiæ, & omnium exsistentium in illa quasi in campo. *Lilium* vero convallium, quia suæ puritatis candor & decor in humilibus proprie consistit. Secundum quosdam, ubi nos habemus *Flos*, est in Hebræo nomen significans *violam*, (*c*) quæ singularis flos camporum, seu pratorum est. Et sic commendat se de generositate humilitatis in *viola*, & puritatis in *lilio*; (*d*) sic tamen quod humilitas juncta est pulchræ latitudini & æqualitati, & viriditati camporum, & puritas humilitati convallium. Deinde sponsam laudat de puritate ab hostibus incontaminabili subdens:

VERSUS SECUNDUS.

Sponsa sicut lilium inter spinas.

§. 90. *Sicut lilium inter spinas*, *sic amica mea inter filias*, scilicet carnales. (*e*) Majoris enim præconii est esse perfectum inter malos, aculeis concupiscentiarum & detractionum plenos, quam inter bonos. (*f*) Vel *filias* inferioris bonitatis vocat respectu sponsæ *spinas*, (*g*) quia a carnis concupiscentiis, & tentationum stimulis non sunt mundæ, sicut ipsa. Deinde sponsa consimiliter laudat sponsum dicens:

VERSUS TERTIUS.

Verba Sponsæ.

Sponsus ceu inter silvestria malus.

§. 91. *Sicut malus est inter ligna silvarum*, id est, inter arbores silvestres & steriles, *sic dilectus meus inter filios*. Malus genus est arborum fructiferarum, (*h*) fructus rotundos ferentium. (*i*) *Malon* enim Græce, rotundum Latine. Simpliciter tamen dictum magis proprie stat pro *pomo*. Secundum enim Papiam Malus a Græcis est *Malon* dictus, eo quod fructus ejus sit pomorum rotundissimus: & secundum eum Malus pulchritudine & fructu aliis arboribus præeminet, & odore delectat, & umbra ab

Malon Græce, rotundum Latine.

Papias.

(*a*) Sequentia in Vatic. desiderantur usque ad §. 214.

(*b*) Hæc verba, ut ut alii autument esse Sponsæ, non Sponsi, inter quos ex Recentioribus Bossuet, atque Calmet; alii tamen, quos inter Maldonatus, Sponsi esse non dubitant. Cornelius a Lap. post ab se relatos Theodor. Nyssen. S. Ambros. in Ps. 118. Serm. 5. Chaldæum, Hebræos, Philon. Carpath. item Genebrard. Vatabl. Luisium Legionen. & Osor. censentes, hæc adhuc esse verba Sponsæ, non Sponsi; subdit tamen „ Verum melius idem Theodoret. Ori„ genes, Aponius, Cassiodor., Beda, Anselm. „ Rupert. Honorius hic, & S. Ambros. Libr. „ de Anima & Isaac cap. 4. & 5. Cyrillus de „ Incarn. Unigen. cap. 9. censent, hæc esse „ Verba Sponsi, non Sponsæ, idque exigit „ id quod proxime sequitur: *sicut lilium inter spi„ nas*, *sic amica mea inter filias*: quæ verba esse „ Sponsi, non Sponsæ, nemo dubitat. " Idipsum confirmat Ordo Ecclesiæ Senensis ab Oderico ejusdem Canonico compositus, ac nuper egregie illustratus a Cl. V. Joanne Chrysostomo Trombellio S. Salvatoris Bononiæ Abbate, & Canonicor. Regular. Ex-Generali. Quia vero Interpres noster probe novit præfata verba accipi etiam posse pro verbis Sponsæ; hinc ea adtribuit quoque B. M. V. Serm. 1. in ord. 37. de eadem inter Sermones de Sanctis in communi.

(*c*) Pro *lilium* Hebr. *Schoschannah*, Guidacerius apud laud. Cornel. a Lap. heic vertit *viola*.

(*d*) *Viola humilitatis*, *lilium castitatis*, dicitur quoque apud Alanum, nec non ipsummet Interpretem in Vit. Myst. cap. 17. ac seq. ubi itidem prædictum textum Sponso adtribuit.

(*e*) Sic secundum tres Patres apud Theodoretum Cornel. a Lap. Item Sa, & alii.

(*f*) Similiter in eodem Planctu cap. 19. Vide & Soliloq. cap. 1., nec non Exposit. in Lib. Sapient. cap. 4.

(*g*) In hoc consentit d. Bossuet, quod scilicet sponsæ comites, utcumque formosæ, instar spinarum habendæ sint, *si cum ipsa conferantur*.

(*h*) Sic idem Bossuet: *Sicut malus*, id est, *sicut arbores fructiferæ & cultæ inter silvestres & steriles*.

(*i*) Cod. Patav. *portantium*.

æstu protegit. Est ergo sensus, quod sponsus non solum respectu malorum, sed etiam respectu bonorum, imo etiam respectu omnium creaturarum, se habet sicut arbor fructifera, & domestica, & gratiosa, sicut & pomum ad arbores silvestres & steriles comparatum.

VERSUS QUARTUS.

Umbra illius, & cella vinaria.

§. 92. *Sub umbra illius &c. Introduxit me in cellam vinariam &c.* (*a*) Ostenso igitur, quale in cubiculo habuit colloquium, ostendit sponsa postremo, qualem ex hoc consecuta sit divini dulcoris & amoris gustum dicens: *Sub umbra illius*, scilicet mali, seu pomi, *quem desideraveram*, vel *desiderabam* (*b*), *sedi*, *& fructus ejus dulcis gutturi meo*. Sub modo metaphorico (*c*) significat se consecutam sponsi singularem gustum. Primo sub specie cibi: secundo sub specie potus; quia sponsus exhibet se sponsæ sibi intime unitæ, ut cibum solidum, & ut potum delicatum. (*d*) In quolibet autem designat inflammatæ dilectionis immensitatem, & contemperantiam, & refrigerativam, ac quietativam virtutem, & etiam gustativam (*e*); quia sicut se habet ad hoc *umbra* pulchræ arboris, sic & *cella vinaria*, siue cellarium vini. Hebræus textus habet: *sub umbra illius desideravi & sedi*, (*f*)

Sponsæ caritas, & languor amoris.

§. 93. Dicit autem: *ordinavit in me caritatem*, id est sub miro ordine caritatem mihi impressit: vel in ordinem nuptialis, & inebriantis (*g*) amoris, me suo potu suavissimo sublevavit. Hebræus textus habet: *significavit super me de caritate*. (*b*)

§. 94: Nota autem, quod tunc amor incipit superexcrescere, & superexcedere, quando totam mentem elanguescere facit, ita quod præ nimietate (*i*) desiderii, seu suspirii & languoris, sustinere seipsam non valet. In hunc ergo gustum sponsa sublevata subdit.

VERSUS QUINTUS.

Sponsa languens fulcienda floribus, & stipanda malis.

§. 95. *Fulcite me floribus, stipate me malis*, id est pomorum ramis & fructibus, *quia amore langueo*. (*k*) Per *flores* intelligit radiosos, (*l*) ac sinceros, & gratiosos conceptus Divinæ contemplationis, in quibus sponsa, tamquam sponsi amore languens, vult tota jacere, & caput & corpus appodiare. (*m*) Et cum hoc vult undique constipari, seu circumcingi virentibus ramis, seu saporosis fructibus virtutum, & operum sponsi. Petit hæc a Sanctis Angelis more vehementer disiderantium, qui quasi ab omnibus petunt, quod cum languenti desiderio quærunt. Quia igitur talis languor excessivi amoris non solum sponsi præsentiam, aut colloquium, sed etiam ejus fructum, ac familiarem, & supremum amplexum meretur; idcirco tamquam hunc jam consecuta subdit:

§. 96.

(*a*) Hæc uno quasi versiculo Interpres noster complexus est.

(*b*) De hac quoque lectione a D. Bona. adhibita mox patebit in not. *e*.

(*c*) Cod. Patav. *duplici metaphora*.

(*d*) In Opusculo de quinque Festivit. pueri Jesu Solemn. 4. inquit: „ Administrat fercula „ varia de pinguedine suæ ætærnæ, nobilissi„ mæ, & secretissimæ divinitatis: propi„ nat pocula suæ dulcissimæ, & castissimæ „ humanitatis. “ Porro per *cellam vinariam*, sive per *cellaria*, Mystici sive contemplativi itidem accipiunt intimam unionem sponsæ, id est, animæ eximie sanctæ, & contemplativæ, cum sponso, id est, Christo, maxime in Eucharistia. Ita ex SS. Cypriano, Bernardo, Bonaventura, & aliis, Salianus Lib. 11. de amore Dei cap. 12.

(*e*) Sic Cod. Patav. Al. *immensam contemperantiam., & refrigerativam virtutem, ac quietativam*. Unde Serm. 2. Dom. 1. Advent. ait: „ *Sub* „ *umbra* refrigerantis gratiæ: *illius*, scilicet „ Christi: *quem desiderabam*, per excessum in„ flammatæ dilectionis: *sedi*, per mentis quie„ tationem: *& fructus ejus dulcis gutturi meo*, „ propter degustationem sapientiæ &c. “ Similiter in fine Serm. 1. Dom. in Sexag.

(*f*) Versio hæc ex textu Hebræo, quam etiam memorat Maldonatus, non est in Cod. Patav. Septuaginta: *In* (Symach. *sub*) *umbra ejus concupivi & sedi*.

(*g*) Cod. Patav. *inebriativi*.

(*h*) Hæc etiam versio ex Hebræo deest in Cod. Patav. Apud. Maldonat. sic sonat versio ex Hebræo: *Signum ejus super me caritas*.

(*i*) Sap. 4. 4. Arnob. Hier. Apule. Columel. Pallad.

(*k*) Hunc sponsæ languorem noster Interpres etiam in Incendio sive Incentivo amoris cap. 3. deducit ex nimio desiderio, sive concupiscentia ipsam inflammante propter sponsi dulcedinem. Unde inquit „ Concupiscentia te inflammet „ propter sponsi dulcedinem, adeo ut possis di„ cere: *sicut cervus desiderat ad fontes aquarum*, „ *ita desiderat anima mea ad te Deus*; & illud „ Cant. *Fortis est ut mors dilectio*; & illud: *quia* „ *amore langueo*. “

(*l*) Serm. sive Collat. 2. in Hexaem.

(*m*) Verbum hoc semel iterumque adhibet pariter D. ipse Bonavent. in fine Sermon. 1. Dom. in Quinq. Est etiam in Spec. Discipl.

partic.

VERSUS SEXTUS.

Divinus sponsæ amplexus.

§. 96. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Recte utitur tropo. Quo ad literam, sponsi duobus brachiis stringunt caput & collum sponsæ sic, quod caput sponsæ appodiatur (*a*) super sinistro brachio sponsi, & dextera cingit illud desuper, & tunc caput sponsæ stat quasi super collum, & humerum sponsi sinistrum: suum vero vultum, & reliquum humerum tenet quasi super faciem sponsæ. (*b*) Designatque per hoc duos Christi aspectus ad mentem. Primus, quo, ac si esset inferior, se per nimiam condescensionem amoris ipsi subjicit: & hic est manus, & brachium divinæ condescensionis admirabiliter cor sponsæ supportans, & ei summam fiduciam præbens. (*c*) Alter vero est superexcessive ipsi insistens, & eam strictissime circumambiens, vel circummuniens. (*d*)

Per *lævam* temporalia, per *dexteram* æterna significantur.

§. 97. Per *lævam* temporalia, & quæcumque Dei beneficia inferiora significantur: per *dexteram* vero æterna, & superiora. (*e*) Ad significandum (*f*) autem, quod sponsa in hoc amplexu, & præfato cubiculo quietissime soporatur, & quomodo ab hoc somno nullatenus est inquietanda, subdit sponsus:

VERSUS SEPTIMUS.

Verba Sponsi. (*g*)

Sponsæ sopor minime inquietandus.

§. 98. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem &c.* Duplici modo, & a duobus generibus imperfectorum solet sponsa inquietari. Primo scilicet ab impugnatoribus suis, de quibus supra locuta est. Secundo a suis volentibus ab ea instrui, & per ejus solitam providentiam regi. Suscitatio autem sponsæ, ejus voluntati & discretioni est relinquenda, (*h*) potius quam imperfectorum importunitati nimium distractivæ, & distrahenti. (*i*) Sponsus igitur utrosque ab hoc suæ adjurationis pondere terret & prohibet.

§. 99. Adjurat autem eas *per capreas, cervosque camporum*, sive in camporum latitudine pascentes, & salientes, velut per contemplativos Ordines Angelorum, (*k*) & Sanctorum, (*l*) qui optime per hæc animalia designantur; quia sunt saltu & cursu agilia, visu perspica-

---

partic. 2. cap. 9. Item in Cathol. F. Jo. de Janua, nec non in Sermonibus Guiberti de Turnaco &c. Vid. Prodromum nostrum col. 161. ac 618.

(*a*) Satis jam dictum de hoc verbo heic etiam repetito. Vid. infra cap. 8. in fine §. 330.

(*b*) Quam pulchre conjugali amplexu castum Divinæ dilectionis erga animam exprimit complexum! Eodem usus est schemate 1. Dist. 10. Art. 2. Q. 1. in concl. probaturus Spiritum Sanctum esse caritatem „ Hujus dilectionis „ (ait) exemplum potest poni in amore creato, quo Sponsus & Sponsa se diligunt. Nam „ diligunt se amore sociali ad convivendum, „ diligunt se ulterius amore conjugali ad prolem procreandam: & illa si produceretur ex „ sola voluntate amor esset. “ Sed & de *amplexibus Sponsi & Sponsæ secundum sensus spirituales*, Breviloq. par. 5. cap. 6.

(*c*) De *fiducia*, & *Dei condescensione*, Serm. sive Collat. 8. in Hexaam. Verbum *supportans* heic stat pro *ferens*, aut *subvehens*, sicut apud Cæsarem &c.

(*d*) Hoc pacto Sponsa ista, ut idem inquit Interpres Soliloq. cap. 2. versus fin. *quieta & somnolenta recumbit in amplexibus Divinis, cum læva Sponsi Sponsam sub capite amicabiliter sustentat, & dextera dilecti dilectam amicabiliter amplexatur.*

(*e*) In Exposit. Psalter. Ps. 4. inquit: *A sinistris Dei bona temporalia, a dextris bona æterna.* Ipsissima habet Exposit. in Ecclesiasten cap. 10. post init. Item Serm. sive Collat. 18. in Hexaem. „ Dominus delectationes (scilicet æternum pondus gloriæ) habet in dextera. Unde Ps. Delectationes in dextera tua usque in „ finem (Ps. 15. 11.) sinistra habet divitias, „ & gloriam, & consolationes temporales. Debemus autem adhærere dexteræ. Unde Ps. „ me suscepit dextera tua Domine. “ Ps. 62. 9. Similia quoque habet Comment. in Apocal. cap. 1. num. 72. cui quidem interpretationi favent Ambrosius, Cassiodorus, Gregorius, Beda, Justus Orgelit. &c. Inter Recentiores autem Estius in cap. 8. Cant.

(*f*) Cod. Pat. *designandum*.

(*g*) Tametsi verba hæc quæ sequuntur: *adjuro vos &c.*, Maldonatus sponsæ potius quam sponsi esse credat; fatetur ipse tamen, quod verba *hæc fere omnes referunt ad sponsum*. Sed & apud Malvendam *Verba Sponsi hoc versu plerique esse volunt*. Item *Sponsus* est quoque apud Calmet. Certe ait Interpres noster etiam Ser. 2. in Hexaem. *De hoc dulci sopore mulcebris quietis dicit Sponsus in Canti. ADJURO VOS &c.*

(*h*) *Sponso* videlicet *adjurante* (ait cap. 4. Itiner. mentis in Deum) *quod non excitetur, donec de ejus voluntate procedat*. Vide S. Greg. in cap. 2. Cant. num. 7. ad hunc textum, ubi ait: *Quando suscitari debeat, ejus voluntati relinquitur.*

(*i*) Idem S. Greg. ibid. *Hanc* (scilicet sponsam) *dormientem carnales, qui sunt in Ecclesia, nonnumquam importune excitant, negotiis mundi hanc implicare desiderant &c.*

(*k*) Ita Origenes, Philo Carpath., Nyssenus &c.

(*l*) Sic Theodoretus, Aponius, Rupertus, Anselmus, Bernardus &c.

cacia, pastu nitida, & ruminantia, & fontis puri sititiva, desertorum amantia, & hinnitiva, & serpentium ac venenorum inimica. *(a)* Et bene per femellas & masculos, quia primo se habent ad Deum ut susceptivi & fœcundandi, & deinde ad ceteros ut effusivi & fœcundantes.

Quid sit hujusmodi adjuratio. §. 100. Nota autem, quod hujusmodi adjuratio est secundum rem idem quod immissio terroris & reverentiæ ad non audendum inquietare sponsam. *(b)* Fit autem hæc immissio partim per Scripturarum documenta, partim per internum scientiæ instinctum, partim per exempla sanctorum; *(c)* & hoc ultimum hic magis insinuatur.

VERSUS OCTAVUS.

Verba Sponsæ.

Primæ partis principalis pars secunda. §. 101. *Vox dilecti mei.* Primæ partis principalis parte prima determinata, hic subditur secunda. *(d)* Sicut enim in præcedenti ostensum est, quomodo sponsa per conatum proprium *(e)* tracta est ad sponsi amplexum; sic & in hac secunda ostendit, quomodo ad hoc trahitur per sponsi repentinum & vehementissimum illapsum, seu adventum. *(f)* Est autem subintelligendum, quod sponsa a somno præfato jam ad alios actus evigilasset; & per consequens quod sponsus quantum ad apicem contemplativæ præsentiæ ab ea abscessisset: & quomodo ipsa sponsi vocem jam redeuntis audiat; unde dicit:

Vox dilecti. §. 102. *Vox dilecti mei*, supple, hæc est, quam audio. *(g)* Significat enim, quod ex voce, ejus adventum deprehenderit, in quo etiam servat tropum communem; quia quando sponsa, vel uxor, audit vocem viri sui redeuntis, solet ad familiam dicere: Ecce Dominus venit, paremus cito domum, & nos ipsas.

Ejus illapsus triplex. §. 103. Describitur autem hujusmodi sponsi illapsus tripliciter. Primo, ut sponsæ excitativus ad ipsum. Secundo, ut effugativus, seu comprehensivus devastantium, & seducentium tentatorum, ibi: *capite nobis vulpes parvulas.* Tertio, ut conglutinativus *(h)* ibi: *Dilectus meus mihi.*

Excitativus Sponsæ. §. 104. Describitur autem excitativus primo, suo impetuoso saltu & adventu: secundo, suo vicino, & sagaci, & quasi curioso prospectu, ibi: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras &c.*: tertio, suo familiari & invitatorio affatu, ibi: *En dilectus meus loquitur mihi.* Et hoc est dupliciter, quia invitat eam, inducendo eam ex vernalis temporis gratiositate & idoneitate: secundo ex loci parati congruitate, & ex sui erga eam amoris & desiderii allectibilitate, *(i)* ibi: *Surge, propera, in foraminibus petræ &c.*

Suo adventu & saltu. §. 105. Pro primo nota, quod alta, & vehemens, ac repentina Divinæ visitationis, seu illapsus irruitio ingerit *(k)* se menti, ut valde sonoram, juxta illud Actuum secundo: Et factus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis. *(l)* Et hoc signi- *Act. 2. 2.*

(a) De *capreis & cervis*, velut *serpentibus & venenis inimicis*, Cassiodorus. Vide sis circa talium animalium proprietates Origenem Homil. 2. in Cant. Canticorum. Notanter autem quo ad proprietates *cervi*, nedum tamquam *velocis*, sed etiam velut *serpentium inimici*, ad eorum scilicet *venena extinguenda*, nostrum Interpretem in Exposit. Psalt. Ps. 28. Sed de hoc plura Vol. 3. in Opusc. de laude Mellifl. Nom. D. N. J. C. Ser. sive sect. 5. num. 33.

(b) Sive turbare quietem ejus contemplationis, adeoque & contemplativorum, qui per ipsammet Sponsam repræsentantur. Namque interprete Estio *significantur contemplativi pergrati esse Christo, in quorum persona Sponsa dicit infra cap.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. *Hos vetat Sponsus excitari, id est, avocari a quiete contemplationis ad negotia externæ actionis*, donec ipsa velit: *quia quamvis necessitas proximorum nonnunquam postulet, ut etiam tales relicto contemplationis otio, ad actionem se transferant; ejus tamen necessitatis judicium Ecclesiæ competit, nec tam in iis qui soli sunt dediti actioni, quam in iis qui etiam amatores sunt vitæ contemplativæ, vel in actu, vel in habitu.*

(c) Eorum præsertim, qui vel quieti contemplationis vacarunt, vel maculas ex necessitate conversationis humanæ contractas deplorarunt, ac solitudinis desiderio exarserunt.

(d) Vide Præfat. §. 23. Not. *h.*

(e) De hoc dictum in Not. *k.* ad cit. §. 23.

(f) In ead. Præfat. §. 23.

(g) Sic & Maldonatus „ *Vox dilecti mei:* „ subauditur, jam sonat, aut auditur. " Et ante Maldonatum Cassiodorus similiter.

(h) In Incendio sive Incentivo amoris cap. 3. inquit: *adhærentia te conglutinet propter amoris sponsi fortitudinem.*

(i) Sic Cod. Patav. Al. *delectabilitate.* In prædictis autem rursum apparent similiter desinentia.

(k) Cod. Assis. *repentina divina visitatio, seu illapsus, irruit, & ingerit.*

(l) Recte ergo dixit Cornel. a Lap. de præsenti Cant. textu, quod *potest exponi de missione Spiritus Sancti*, quando scilicet *Apostoli & fideles*

significat sponsa, cum ait: *Vox dilecti mei*. Ingerit etiam se, ut a summo per medium in infimum, & intimum, transcursivam, & quasi instantaneo & stupendo impetu transilitivam; unde subdit: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, id est de supremo cœli in montes superiores, & de montibus in colles minus altos. Hoc autem modo se facit sponsus, id est, Christus, *(a)* solo suo descensu sentiri a sponsa, ostendens ad eam consolandam *(b)* interscalares gradus *(c)* Ordinum Angelorum, *(d)* & Divinorum influxuum, & suorum secretorum operum. Quia vero ad nos moveri, & descendere est magis proprium Angelorum, & quia eorum descensus est nobis comprehensibilior, quam Dei descensus; ideo declarat istum per illum subdens:

VERSUS NONUS.

§. 106. *Similis est dilectus meus capreæ*, id est, Hierarchiæ Angelicæ, quæ tota salit ad nos, sicut mater ad prolem, quia secundum Apostolum ad Galatas quarto, est mater nostra. *(e)* Vel *capreæ*, id est, Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quæ cura assidua ad nos tamquam ad prolem suam currit, & salit. *Hinnuloque*, id est, tenero pullo *cervorum*. Similem dicit cum *capreæ*, quia venit affectu materno: *hinnulo* vero, quia venit sub modo & affectu supramodum humili, ac simplici, & tenello:

Ad Galat. 4. 29.

Suo vicino prospectu.

§. 107. Pro secundo vero nota, quia licet Deus semper interiora nostra prospiciat, non tamen menti semper ingerit se ut prospicientem. Et sicut quando se ingerit ut intra nos hærentem, *(f)* ejus interior prospectus non generat erubescentiam, sed fiduciam, & gratiosum amorem; sic quando se ingerit ut deforis, & ut de vicino, non quasi per communem januam, sed per subtiliores aditus, subtiliter, ac circumspecte, & sagaciter nostra intima prospicientem, tunc terrorem immittit pariter, & pudorem. Pro quanto tamen sentitur sponsus ad hoc moveri ex zelativo amore, *(g)* aut etiam ex intentione subintrandi, seu contuendi, & alloquendi familiariter, & secrete, incitat nos ad amorem.

§. 108. Ad significandum ergo, quod iste prospectus est ut deforis, sed tamen hic valde vicinus *(h)* dicit: *En ipse stat post parietem nostrum*. Ad innuendum vero, quod est subtilis, & quasi per occultas rimulas, *(i)* sibi tamen patulas, dicit, quod est *respiciens per fenestras*, *prospiciens per cancellos*, id est, per foramina parietis cancellati, seu reticulati: *(k)* qualis paries sæpe ponitur intra Ecclesias, seu Capellas, ad distinguendum Chorum interiorem a vulgo exteriori, sic tamen, quod pateat eis. Et ideo curiosi per fenestras thalami, & per quædam foramina cancellorum, solent curiose prospicere, quæ sunt, vel fiunt intra.

§. 109. Signantur autem per hæc duo secreti aditus nostræ mentis, quorum primus & supremus est ejus finalis intentio, seu cælestium & æternorum contemplatio: & hæc est quasi cordis alta fenestra. Quot ergo sunt mentales *(l)* aspectus vel intentiones, tot & fenestræ. Secundus est interior aspectus & affectus proximorum obiectorum. Et hæc est varia reticulatio; tum

Quid signetur per fenestras, & cancellos.

fideles post Christi ascensum in Cælum, in Sion ob metum Judæorum reclusi, ac orationi & contemplationi vacantes, in die Pentecostes senserunt Christi adventantis opem & vocem, cum in eos misit Spiritum Sanctum. Tunc enim factus repente de Cælo sonus &c.

(a) *Christus potest dici Idithum, id est, saliens. Nam venit saliens in montibus, transiliens colles &c.* Exposit. in Psalter. Ps. 76. ab init.

(b) Namque ita *transmigrat consolando*, ait noster Interpres in fine Exposit. Lament. Jer. Proph.

(c) De hac voce infra §. 161.

(d) Per prædictos *montes* intelliguntur *novem Ordines Angelorum* Serm. 6. Dom. 1. Advent. inter editos sub S. Bona. nomine. Per eos, *sublimiores Angelos* intelligendos censet etiam Hugo Card. ac per *montes & colles omnes Angelorum Ordines*, Cornel. a Lap.

(e) Vide sis Serm. sive Collat. 22. in Hexaem. post init. nec non Itinerar. ment. in Deum cap. 4.

(f) Cod. Patav. *ut intra habitantem*.

(g) De hoc *zelativo sponsi amore* sic Hugo Card. *In respectu & prospectu cancellorum notatur Zelotypia Sponsi, quæ oculos ejus ab intuitu Sponsæ avertere non sinit, insidians, & explorans, ne forte aliqua signa adulterii in sponsa deprehendere queat, quæ punire merito valeat &c.*

(h) Sive uti loquitur Bossuet una cum S. Ambrosio in Ps. 118. Oct. 6. *ut non totus abesset, nec quasi totus intraret*.

(i) Arabicus etiam vertit heic: *perspiciens per rimas*.

(k) Versio quoque Septuaginta habet: *prospiciens per retia*, id est per fenestras reticulatas, sive per cancellos. Ambrosius quoque ac Hieronymus *retia* legunt. Alii ex Hebr. *foramina*.

(l) Cod. Patav. *in ea tales*.

tum quia multa ſunt hujuſmodi intentionum retia: tum quia quædam non ſunt ſic perſpicua, & pervia luci, ſicut quædam alia.

§. 110. Vel per foramina *cancellorum* poſſunt intelligi noſtri cordis ſenſus: per *feneſtras* noſtri intellectuales aſpectus & ſenſus: per intermedium autem aſpectum illorum circumſpicitur tota interior diſpoſitio cordis noſtri &c. (*a*)

VERSUS DECIMUS.

Suo familiari ac invitatorio affatu.

§. 111. *En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.* Pro tertio nota primo, quod ſponſus multis nominibus (*b*) vocat ſponſam, tum ut ex hoc ſuum amorem ad eam magis exprimat: (*c*) tum ut ejus decorem & gratioſitatem (*d*) plenius commendet, & ex hoc ipſam ad ejuſmodi gratioſitatis obſervantiam & augmentum incitet; & ut ſic ex utriſque fiduciam & feſtinantiam accedendi ad ſponſum fortius aſſumat. Primum tamen nomen ſumit ab amicitia, vel amore: ſecundum vero a columbina ſimplicitate, quæ eſt venuſta, amativa, & fœcunda, & breviter omnes gratioſas proprietates columbæ myſterialiter (*e*) aggregans: tertium vero ſumit ex ſpeciali formæ ſpecioſitate. (*f*) Semper tamen dicit *mea*, tum ut totam ſuam gratioſitatem ſe agnoſcat habere a ſponſo, pro ſponſo, & ad ſponſum, (*g*) & ſub pleno dominio ſponſi: tum quia hoc pronomen *mea* prædictis nominibus adjunctum, ſignificat quamdam ſingularem intimitatem (*h*) unitatis & proprietatis, ſeu amoris vinculi unitivi, & appropriati, ſponſi ad ſponſam, & e converſo.

Sponſa omnia bona ſe habere cognoſcit a Sponſo, pro Sponſo, & ad Sponſum.

VERSUS UNDECIMUS.

§. 112. *Jam enim hiems tranſiit, imber abiit, & receſſit.* Sed nota, quod ex vernalis temporis proprietate (*i*) ſeptem inducentia ad acceſſum ipſi proponit, & poſſunt myſtice ad æternas proprietates ſponſi aptari. Quia ſicut appropinquatio ſolis ad regionem noſtram in vere dictas proprietates adducit; ſic & divinæ viſitationis ſolaris adventus conſimiles in ſpiritum proprietates inducit, ex quibus ſponſa habet merito feſtinare, & currere ad ſponſi amplexum. Poſſunt etiam aptari ad exteriorem ſtatum Eccleſiæ illius temporis, quia tunc proprie formatur hic ſponſa, & magis eſt plene tempus ipſius, quando Deus aliquem nobilem ſtatum eſt in Eccleſia formaturus, quale in Synagoga fuit tempore editionis hujus libri ſub Salomone, Templum ædificante, & Dei cultum præclarius & felicius ſolemnizante: & quale fuit tempore Chriſti, (*k*) ac Conſtantini, (*l*) & ſic de aliis.

Vernalis temporis proprietate.

§. 113. In primis autem duobus propo-

(*a*) Per hoc &c. aliæ expoſitiones prædicti textus: *en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, poſpiciens per cancellos*, videndæ apud alios Interpretes indicantur. Lege ſis Cornel. a Lap.

(*b*) Patav. addit: *amoris*.

(*c*) Patav. addit: *& imprimat*.

(*d*) *Gratioſitatem* habet multo ante D. Bona. Tertull. adv. Marc. Lib. 1. cap. 9. D. autem Bona. in Apol. Pauper. Vid. Prodr. col. 607.

(*e*) De hoc adverbio D. ipſe Bona. in Legen. Ma. S. Franc. ac etiam alibi.

(*f*) De prædictis tribus nominibus ſic lego apud ipſummet noſtrum Interpretem Expoſit. in Pſalter. Pſ. 137. „ Tribus nominibus in „ Cantico amoris vocatur, ſcilicet: *Amica mea*, „ *Formoſa mea*, *Columba mea*. *Amica mea* per „ prædicationem. *Columba mea* per orationem. „ *Formoſa mea* per contemplationem. *Amica* „ ſponſi eſt, cum prædicando, miniſtrando, „ conſulendo, ſponſo acquirit lucrum. *Columba*, quæ pro ſuorum, & aliorum delictis „ gemit. *Formoſa*, quæ cœleſti deſiderio ac„ cenſa, Dei contemplationem induit. “ Ita fere & S. Bernard. Ser. 3. in Aſſumpt. B. M. num. 5.

(*g*) Sic Cod. Patav. Al. tantum *pro Sponſo*. Porro Sponſa omnia bona ſe habere cognoſcit *a Sponſo, pro Sponſo, & ad Sponſum*; quia ut noſter Interpres ait 2. Diſt. 26. Art 1. Q. 2. in concl. *Piarum mentium eſt, ut nihil ſibi tribuant, ſed totum gratiæ Dei. Unde quantumcunque aliquis det gratiæ Dei, a pietate non recedit, etiamſi multa tribuendo gratiæ Dei, aliquid ſubtrahat poteſtati naturæ, vel libero arbitrio. Cum vero aliquid gratiæ ſubtrahitur, & naturæ tribuitur quod eſt gratiæ, ibi poteſt periculum intervenire.*

(*h*) Qua ſcilicet eſt *intimior animæ, quam ipſa ſibi* 1. Diſt. 1. Ar. 3, Q. 2. in concl. De qua *intimitate* etiam 2. Diſt. 8. Par. 2. Art. 1. Q. 2. ad 3. Cod. Patav. pro *ſingularem intimitatem* habet *quamdam ſingularitatem*.

(*i*) De hac ſupra §. 104. ubi quoque de tribus aliis, de quibus diſſeruit hactenus noſter Interpres.

(*k*) Patres cenſent heic deſcribi tempus feliciſſimum, quo Chriſtus in carne (Caro enim & Humanitas Chriſti eſt præcipua heic Sponſa Verbi) cum Judæis converſatus eſt, ac in vere paſſus eſt, & reſurrexit. Ita Origenes, Nyſſenus, Philo Carpath. Theodoretus ex Græcis, & Caſſiodorus, Beda, Aponius, Rupertus, Bernardus ex Latinis.

(*l*) Si ſupra *hiems*, interprete Boſſueto, ſignificat *perſecutiones*; per *hiems tranſiit* recte por-

Primum inductivum. ponitur impedimentorum amotio. Algor enim hiemalis, & procella pluvialis, & utriusque horrenda obscuritas, solet sponsas retrahere, ne ex domo propria exire velint.

Secundum. Veris ergo temperies, & serenitas de se grata, seu propter prætereuntem pressuram hiemis, & propter suam novitatem gratiosior, sponsam debet inducere ad spatiandum cum sponso extra amaritudinem domicilii sui, & ideo dicit: *jam hiems transiit*. Sicut enim sub primo tempore regni Salomonis tempestas & obscuritas temporum priorum a Synagoga recesserunt; sic pro tempore Christi Apostolus clamat: Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Et secundæ ad Corinthios sexto: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nam algor & tenebræ cæremoniarum carnalium Synagogæ, & idololatriæ gentium, longe abscesserunt ab Ecclesia Christi. (a) Et sic de similibus temporibus consimilia intuere.

Ad Rom. 13. 12.

2. Cor. 6. 2.

Tertium. Tertium autem est præludiorum puritas, & contemplationis visibilis jucunditas; unde subdit:

VERSUS DUODECIMUS.

§. 114. *Flores apparuerunt in terra nostra*. Flores pratorum, & arborum, sunt quoddam primum jucundum præludium futurorum fructuum, & æstatis. Quando ergo in mente sponsæ & Ecclesiæ incipiunt apparere novi flores puritatis, (b) tunc est hoc tertium inductivum; quia hoc dat pleniorem (c)

spem præteritorum malorum, & futurorum bonorum.

§. 115. Quartum est resecationis superfluorum utilis & fœcunda opportunitas; unde subdit: *Tempus putationis advenit*. Amputatio enim omnium superfluorum fit ut quæ valent uberiorem fructum ferant (d): sed amputatio connaturalium est aliquando nociva, & sterilis, aliquando non (e). Quando ergo sponsa tam in se, quam in generali Ecclesia, sentit fructuosam opportunitatem amputationis perfectarum personarum venisse, (f) tunc attingit ad omnia tam a se, quam ab aliis plenius amputanda. Quartum.

§. 116. Quintum est duplex extraneitas (g) vitæ contemplativæ illis temporibus inchoatæ, quarum prima est solitudo castitatis, & secunda devotionis clamorosum suspirium; & pro hoc dicit: *Vox turturis*, scilicet avis castæ, & solitudinum deserta amantis, cujus vox, seu cantus est gemitus, (h) *audita est in terra nostra*. Quando enim in quibusdam modo novo & inusitato incipit hoc solemniter apparere, tunc est quintum inductivum. Quintum.

Sextum est ejusdem vitæ provecta, etsi necdum maturata fructuositas: unde subdit: Sextum.

VERSUS DECIMUSTERTIUS.

§. 117. *Ficus protulit grossos suos*, id est ficus grossas, & inflatas, nondum tamen maturas; (i) quia quædam in Judæa, saltem quo ad aliqua genera

ficuum,

---

portenditur *Constantini tempus*, in quo Gentilium persecutiones desierunt, ac Ecclesia Christi Sponsa cœpit pace gaudere.

(a) Maldonatus: *Hac omnia nihil aliud significant, quam quod ait D. Paulus ad Gal.* 44. *jam venisse plenitudinem temporum, ut Gentilium Ecclesia vocaretur. Et quod ipse Christus dicit Jo.* 4. 35. *Videte regiones, quia albæ sunt ad messem*. Et Menochius: *Vinea veteris legis cæremoniarum, omnium resectione putata fuit, ut novi thyrsi, & pampini Evangelici pullularent*. Sed & Malvenda prædictum textum de *prædicatione verbi Dei, & Evangelii*, intelligi animadvertit, & de *vocatione gentium ad fidem* Gordonus.

(b) Sive *mores honesta conversationis*, Exposit. in cap. 15. Sap. De tempore vero pullulationis hujusmodi florum, ait Serm. sive Collat. 14. in Hexaem. quod *apparuerunt flores, quando ille dixit: Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet &c.* Isa. 11. 1.

(c) Cod. Patav. *universaliorem*.

(d) Sic Glossa ordinar. apud Lyran. Item Origenes & Beda.

(e) Nempe tempore florum *nociva est*, non tempore fructuum.

(f) Scilicet quando tempore mortis *per tolerantiam tribulationis fructus colligitur in æstate claritatis æternæ*, Exposit. in Cap. 21. S. Luc. Vide infra §. 117. Hunc quoque textum interpretatur de *tempore mortis* Philo Carpathiorum Episcopus.

(g) Vox scholastica a D. Bona. pluries usurpata. Vide infra de sacr. Script. Myst. §. 27.

(h) Cit. Serm. sive Collat. 14. in Hexaem. hunc eumdem textum exponens ait: *Turtur gemitum habet pro cantu*. Sic & Exposit. in cap. 2. S. Luc. ubi de *gemitu Turturis*, qui *competit contemplativis*. Vide supra cap. 1. ver. 10. §. 73.

(i) Glossa ordinar. apud Lyran. *Grossos vocat primitivas & immaturas ficus, quæ non sunt habiles esui, quæ, etiamsi concussa fuerint leni tactu, cadunt*. Menochius quoque vocat *immaturos ficuum fructus, qui cum foliis ipsius arboris erumpunt*.

ficuum, fiunt circa finem veris, (a) sicut consequens est de vineis florentibus. Quando enim incipiunt quidam grandes & fœcundi contemplationis conceptus in quibusdam multiplicari, tunc est sextum inductivum. Unde & Christus dicit Lucæ vigesimo primo: Videte ficulneam & omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis, quoniam prope est æstas. Unde ex hoc signo infert, quod tunc evidenter prope est regnum Dei.

Luc. 21. 29. & 30.

Septimum.

§. 118. Septimum est virginalis decoris, ac viroris, & odoris copiosa ubertas, spiritalis ebrietatis primitiva, & præsensitiva. (b) Et pro hoc subdit: *Vineæ florentes dederunt odorem suum*. Non dicit unam vitem, nec unam vineam plures vites continentem, sed dicit *vineas*, ut uberiorem copiositatem in multis Familiis, & Ecclesiis sparsam designet. Et hoc merito respectu præmissorum est ultimum inductivum.

Loci congruitate, & ergo eam amoris delectabilitate.

§. 119. Pro tertio, & ejus secunda invitatione (c) nota primo, quod ex prædictis caussis replicando tria nomina sponsæ, non in medio sicut prius, (d) sed ultimo ponit nomen *columbæ*, quia sibi literalius competit esse *in foraminibus* rupium, (e) ad quod sponsus hic eam invitat: quamvis in hoc sequatur tropum assumptum ex corporalibus sponsis, quæ ad spatiandum cum sponso in vernales vineas aliquando convocantur. Et quia steriles vineæ plerumque sunt in locis prominentibus & saxosis, in quibus sunt aliquæ cavernæ secretæ, amplexui sponsi & sponsæ idoneæ, idcirco sub hoc tropo sponsa hic invitatur: *Surge, propera, (f) amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ*. (g)

VERSUS XIV.

Columbæ proprietates.

§. 120. *Veni columba &c.* Columba habet simplicem aspectum, innocentem affectum, demulcentem cantum, gemit enim pro cantu, (h) agilem volatum. Primum pertinet ad puritatem intentionis. (i) Secundum ad sanctitatem conversationis. Tertium ad suavitatem orationis. Quartum ad agilitatem contemplationis. (k) Pro primo: Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Duo necessaria sunt ad puritatem intentionis, prudentia & simplicitas. Unum sine altero nihil est. Nam prudentia sine simplicitate astutia est: simplicitas sine prudentia stultitia est.

Matth. 10. 16.

Intentionis puritas.

Prudentia simplicitati, simplicitas prudentiæ adjungenda.

Cant. 5. 12.

§. 121. Pro secundo: Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima. Columbæ inest prudentia, lacte lotæ, intentionis puritas, & conversationis sanctitas. Et resident juxta fluenta plenissima, hoc est quiescere juxta mandata, & sacræ Scripturæ verba. (l) Pro tertio: Rugiemus omnes quasi ursi, & quasi columbæ meditantes gememus. Ursa rugit, Columba gemit, quando pœnitens rugitum contritionis, & gemitum orationis effundit. (m)

Sanctitas conversationis.

Isa. 59. 11.

Suavitas orationis.

§. 122.

(a) Hinc Sa per *Grossos* intelligit *primos fructus, eosque dulcissimos*; nimirum ex eorum genere, qui, ut ait Tirinus, *ci us ad maturitatem deveniunt: unde ficus primi temporis & præcoces vocantur, & quia dulciores magis expetuntur, & in deliciis habentur, de quibus Michæas 7. 1. PRÆCOQUAS FICUS DESIDERAVIT ANIMA MEA*.

(b) Ni heic librariorum mendum sit, vitiataque lectio, præfata *ubertas*, denominatur *spiritalis ebrietatis primitiva* a primitivis fructibus, seu primitiis ordinatis ad *spiritalem ebrietatem* tempore perfectæ maturitatis inducendam. Dicitur etiam *præsensitiva*, utpote quæ ita præsentitur, ut præsentienti ac prægustanti, *ebrietatem* subsequuturam portendat. Talis ergo *ubertatis* primordia sunt prænunciativa spiritalis ebrietatis, ejusque velut prægustus. Pro *præsensitiva* al. *sensitiva*.

(c) Supra §. 104.

(d) Itidem supra §. 111.

(e) Cod. Patav. addit: *& parietum*.

(f) *Propera* in Vulg. deest, sed habet Cod. nostræ Biblioth. Bernardin. 40. nec non Editiones Biblior. ejusdem nostræ Biblioth. antiquiores, Venet. 1476. Lugdunen. 1524. 1549. 1568. Item Editiones Biblioth. Gentilott. Nurnbergen. 1473. Venet. 1484. Basileen. 1509. Colon. 1527. Insuper Edit. Venet. 1481. Biblioth. Griezen. Præterea reperire est apud Hugonem Cardinal. Quinimo apud ipsum D. Bonaven. in Arte concionandi num. 20. De qua Vol. 3.

(g) Quædam exemplaria cum laudato Hugone Cardinali sic habent: *Surge, propera, amica mea, speciosa mea, columba mea, & veni in foraminibus petræ*. Sed ly *columba* postponendum est ly *& veni*; tametsi Græci Codices & præponant, & postponant. In Patav. Cod. desiderantur sequentia usque ad finem §. 124.

(h) Exposit. in cap. 2. S. Luc. ac serm de SS. Simone & Juda, nec non Serm. de S. Catharina.

(i) De *puritate intentionis* per *simplicem columbæ aspectum* designata, late Cornel. a Lap. Comm. in cap. 1. Cant. sub ver. 14.

(k) Similiter desinentia Bonaventuriana.

(l) Sic etiam Honorius Augustodun.

(m) Scilicet *pro peccatis propriis*, uti declarat

cit.

Isa. 60. 8. Agilitas contemplationis.

§. 122. Pro quarto: Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Columba volat nunc infra, nunc supra, nunc a dextris, nunc a sinistris, nunc revertitur ad fenestras; quia mens contemplatione considerat modo præmia beatorum, modo supplicia damnatorum, modo statum prosperitatis, modo statum adversitatis, modo revertitur ad seipsam, (a) sicut columbæ ad fenestras.

§. 123. *In foraminibus petræ*. Columba autem in foraminibus petræ fugit contra tentationem, quiescit per devotionem, pullificat (b) & fœtum facit per prædicationem, (c) deficit & moritur per compassionem. Pro primo: Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo. Si tentatur de concupiscentia carnis, videt passionis acerbitatem. Si de concupiscentia oculorum, videt Christi passi paupertatem. Si de superbia vitæ, videt passionis vilitatem. (d) Et ita est ei in Christi passione refugium. Latus enim ejus apertum est, ut ibi habitet secure, sicut mater sub pallio abscondit puerum. (e) Petra refugium herinaciis. (f)

Isa. 2. 10. Ad foramina petræ, sive Christi passionem & vulnera confugiendum. *Psal. 103. 18.*

Psal. 77. 20. §. 124. Pro secundo: Percussit petram, & fluxerunt aquæ, quia ex consideratione carnis Christi in cruce percussæ lancea, quasi virga, emanant lacrymarum fluenta. *Job 29. 6.* Petra fundebat mihi rivos olei. *Isa. 48. 20.* Et redemit Dominus

servum suum Jacob: non sitierunt in deserto, cum educeret eos: aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ. Pro tertio: Habitate in terra habitatores Moab, & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis, id est, vulnere lateris, (g) eo quod ibi declaratur summum genus crudelitatis. Pro quarto: Attendite ad petram unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis. *Jer. 48. 28.* *Isa. 51. 1.*

§. 125. *In foraminibus petræ, in caverna maceriæ*. Nota, quod *petra* tam hic, quam alibi pluries sumitur pro rupe, vel saxo prærupto, & sic magis in talibus locis significat nomen Hebræum. (h) *Maceria* autem secundum Isidorum est longus paries, quo clauditur vinea. *Macros* enim Græce est idem quod *longus*. Potest tamen sumi pro quocumque instar parietis clausivo, & ab aliis divisivo: & sic potest sumi pro saxeo pariete cavernarum, sicut & de Phares dicitur: Quare divisa est propter te maceria? Sumitur pro pellicula secundina, qua infans involvitur, (i) & clauditur in utero matris. Hic igitur per *cavernas*, & *foramina* rupis, & parietum, designantur spirituales & secretæ mansiones solidæ veritatis, & æternitatis Dei, quas sponsa subintrans quiescit ibi cum sponso. (k) Unde Moysi desideranti videre gloriam Dei, dicit: Ecce est

Isidorus Lib. 15. Etymol. cap. 9. *Gen. 38. 29.* Divinæ mansiones sponsæ. *Exo. 33. 21.*

cit. Exposit. in cap. 2. S. Luc., ubi eumdem textum adducit. Item de *clamore orationis quæ rugire facit a gemitu cordis, & gemitu orationis* in Prol. Itinerar. Sed & de gemitu columbæ, pro ut per eum *designatur asperitas pœnitentiæ* d. Serm. de S. Cathar.

(a) *Id est, ad custodiam suorum sensuum, vel examinationem suorum operum &c.*, cit. Serm. de S. Cathar. ubi vel hunc textum adhibitum legere est.

(b) Hoc ipsum verbum *pullificat* eod. Serm. de S. Cathar.

(c) Laud. Cornel. a Lap. heic ita infert „ Præditatores ergo validi instar Apostolorum „ prodeant in pulpitum ex *foraminibus petræ*, „ id est, ex solitudine orationis & meditationis „ passionis Christi, ut Christum crucifixum in„ trepide magno pietatis ardore & spiritu præ„ dicent. “ Hoc est enim *pullificare & fœtum facere*, sive in evangelio gignere, ac parere Christo animas.

(d) Contra prædicta tria vitia passim idem S. Bona.

(e) Ad ea, quæ prædicta sunt, facit exemplum, quod legere est inter Sermones S. Bonaventuræ Serm. 2. pro uno Sancto Doctore, in ordine 31. de Sanctis in communi: „ Dicitur „ de Columba, quod numquam est secura, „ nisi quando sedet in foramine petræ. Sic & „ nos (ni simus avibus stultiores) numquam „ securi esse debemus nisi quando in forami„ nibus veræ petræ, vulnerum scilicet Jesu „ Christi, quiescere possumus. “ Hæc ibi in fine Art. 1. ad normam Patrum Greg. Mag. Cassiodor. Bed. Ansel. Bernar. &c. Unde Calmet: *Patres sacra Christi vulnera interpretati sunt, ubi piorum animæ moram trahunt, a Dæmonis insidiis & conatibus tutæ; ibi enim præsidium, robur, consolationem inveniunt*.

(f) In Mediationib. Vit. Chr. sub S. Bona. nomine cap. 85. ad d. verba: *petra refugium herinaciis*, ita subditur: *Et ubi tuta firmaque infirmis requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur, non cado; fundatus enim sum supra firmam petram.* Et ita Lorin. cum S. Bernar.

(g) In vere Bonaventuriano Ligno Vitæ sub titulo *Jesus translanceatus*, lego: *Surge igitur amica Christi, esto sicut columba nidificans in summo ore foraminis &c.* Quapropter tale *foramen in petra*, & *caverna in maceria*, inibi vocatur *habitaculum columbinum*.

(h) Mariana: *Heb. in scissuris petræ, id est, inter rupes*. Et Malvenda itidem ex Hebr. transfert: *in latibulo præcipitii, seu prærupto*.

(i) Sic Cod. Patav. Al. *puer volvitur*.

(k) Non dissimiliter anagogice Origenes, atque S. Bernardus.

est locus apud me, & stabilis supra petram (seu rupem) cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, scilicet in caverna illius rupis.

§. 126. Etiam per hoc designantur passiones Christi, (a) vel patula & profunda capacitas sui amoris ad animas in sui cordis & amoris visceribus collocandas. Et certe talia foramina libentissime debet sponsa intrare, & habitare. Sic autem sumuntur foramina,
Ezech. 28. 13. ubi de Cherub dicitur: Et foramina tua (id est tuarum portarum & voluntatum capacia loca & desideria) præparata sunt, ad capiendam scilicet divini auri incastraturam. (b) Possunt enim comparari novem pretiosis lapi-
Greg. in cap 40. B. Job Lib. 32. cap. 23. n. 48. dibus, quos secundum Gregorium Moralium trigesimo secundo in fine mystice innuit perforatos fuisse, ut vinculati auro in ornamenti compositione jungantur, & nequaquam a se dissideant, quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat. (c) Vel forte loquitur mystice de foraminibus Regiarum Apothecarum, in quibus earum thesauri ponuntur. (d)

Facies, & vox sponsæ.
§. 127. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Secundum hoc nota, (e) quod sponsæ faciem, tamquam decoram petit sibi ab ipsa ostendi: & consimiliter petit vocem eloquii sui, tamquam sibi melodiosam & dulcem. In quo quidem tam ex sponsæ laudibus & præconio, quam ex sponsi amativo desiderio, sponsa allicitur ad familiarem & immediatum accessum. (f) Tunc enim ostendit sponsa faciem cordis sui, & vocem cantus, & colloquii sui (g), quando se totam cum omnibus suis purissimis cogitationibus & desideriis exhibet sponso, quanto familiarius & immediatius potest. In his autem nihil ei gratiosius, quam suæ orationis, & jubilationis, & divinæ collaudationis cantus, & sui mentalis decoris aspectus. (h)

§. 128. Quatuor autem verba loquitur sponsus sponsæ, ut in tota congerie ejus verborum prospicitur. *Verba sponsi.* Primo enim proponit ei verbum comminationis de pœna, ut timeat: Loquetur *Psal. 2. 5.* Dominus in ira sua, Psalmo secundo. Secundo increpationis, ut doleat, ut hic dicens: *En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera, amica mea*, hoc est, surge a vitiis, (i) & eris amica. Tertio reconciliationis, ut confidat de venia: Audiam quid loquatur in me Do- *Psal. 48. 9.* minus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Quarto promissionis de gloria, ut gaudeat: Respondit Do- *Zach. 1. 13.* minus, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.

§. 129. Ad primum verbum liquefit anima per timorem in similitudinem terræ: Liquefacta est terra, & omnes, *Psal. 74. 4.* qui habitant in ea, Psalmo septuagesimo quarto. Ad secundum liquefit anima per dolorem in similitudinem crystalli: Mittit crystallum suam sicut buc- *Psal. 147. 17. & 18.* cellas, & emittet verbum suum, & liquefaciet ea. Ad tertium liquefit in similitudinem speciei Mannæ. Manna *Manna liquefiebat ad solem, & indurabatur ad ignem.* liquefiebat ad solem, & indurabatur ad ignem. (k) Ad quartum liquefit ad similitudinem cœlorum: Cœli sicut fu- *Exo. 16. 21.* *Isa. 51. 6.* mus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur. Quia ex considera-

(a) *In caverna maceriæ, id est, in fide vulnerum Christi*, inquit etiam Interpres noster Exposit. in Psalter. Ps. 79. Item in cit. Lig. vit. verbo *Jesus translanceatus &c.*

(b) De antiqua *incastratura* voce Glossar. Ducang. nec non Vulg. Exo. c. 26. v. 17. ac c. 36. v. 22. & v. 24.

(c) Hunc S. Greg. textum allegat quoque in 2. Dist. 4. Art. 1. Q. 2. in Fundam.

(d) Supra cap. 1. §. 32.

(e) Al. *Secundo nota*.

(f) Sic Cod. Patav. Al. *invelatum*. Comment. in Apocal. cap. 22. ver. 4. ab init. *aspectum clarum, & immediatum*. Sed & de prædicto adjectivo *amativi* in Breviloq. Vid. Prodr. col. 525.

(g) Sic Cod. Patav. Al. tantum *Cantus*.

(h) Sequentia usque ad finem §. 129. non sunt in d. Cod. Patav.

(i) S. Ambr. Lib. de Isaac & Anima cap. 4. *Surge a delectationibus mundi, surge a terrenis, & veni ad me, quæ adhuc laboras, & onerata es; quia solicita es, quæ sunt mundi.*

(k) Lyranus: *Post ortum Solis ..... incipiebat liquefieri ad modum pruinæ; ad ignem vero indurabatur, & formabantur inde panes.* Et ipsemet noster Interpres Exposit. in cap. 16. Sap. „*Quod* „ *enim ab igne non poterat exterminari*, scilicet „ manna, quia ad ignem durescebat, ita quod „ exinde fierent tortulæ, ut patet. Unde opor- „ tebat, quod mane colligeretur. *Ut notum* „ *omnibus esset*, scilicet per hoc signum, *quo-* „ *niam oportet prævenire solem*, id est, Solis or- „ tum: *ad tuam benedictionem*, supple obtinen- „ dam &c. “ Idque inibi etiam exponit, quod *ad benedictionem gratiæ obtinendam oportet prævenire solem vigilando, secundum illud: Qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Item Serm. de Corpore Christi num. 18. *Manna a calore ignis indurabatur, & ad calorem Solis liquescebat.* De quo Serm. Vol. 3. hujus Supplem.

Anima ex consideratione promissorum obliviscitur terrenorum.

ratione promissorum anima obliviscitur terrenorum affectuum, & tota transit in quoddam cœleste jubilum, & mentis excessum.

§. 130. Descripto igitur sponsi adventu tripliciter excitativo, subditur quomodo est tentatorum exterminativus; (*a*) & servat proprietates *vineæ florentis*, quod supra (*b*) fuerat septimum inductivum. Dicit ergo:

VERSUS XV.

Vulpes parvulæ quæ.

§. 131. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam &c.* (*c*) Nota, quod sicut tempore primitivæ Ecclesiæ, florentis instar vineæ, fuerunt Pseudo-Apostoli, (*d*) quasi vulpeculæ discurrentes hinc inde, & novos flores & germina noviter conversorum suis dolosis dentibus carpentes; (*e*) sic in ceteris temporibus contra consimilia initia spiritualium statuum exundant hypocritæ, quamdam falsam humilitatis modicitatem prætendentes, & novellarum vinearum Christi germina devastantes. (*f*) Ad hos igitur capiendos mittuntur venatores, sicut Paulus contra Pseudo-Apostolos, & veri Prophetæ contra Pseudo-Prophetas, qui instar Sampsonis trecentas (*g*) Vulpes capientis, concludunt Vulpeculas istas, ut sponsa in se, & in suis novellis vineis, cum sponso suo habeat spiritualem pacem & quietem, (*h*) de qua & mox subdit: *Judic. 15. 4.*

VERSUS XVI.

§. 132. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia*, id est totus assistit mihi, & immediate cohæret tamquam sponsus sponsæ: *& ego* consimiliter (*i*) *illi qui pascitur*, id est, reficitur, *inter lilia*, id est, inter purissimos conceptus, & affectiones meæ mentis, & Ecclesiæ meæ.

VERSUS XVII.

Qui dies aspirans, & quæ umbræ inclinantes.

§. 133. *Donec aspiret*, id est, ad nos plene spiret, seu adveniat, *dies*, scilicet æternæ gloriæ, *& inclinentur umbræ*, sive fugiant umbræ (*k*) ignorantiarum scilicet & miseriarum hujus vitæ. Nota, quod postea longe amplius inter lilia pascetur. Nam quod sequitur *donec*, hic non ostendit terminum defectionis, (*l*) sed dubitationis. De solo enim tempore hujus vitæ poterat dubitari, ne scilicet super hoc pasceretur. Nota etiam, quod sponsa plus curat, & gaudet, quod sponsus de ejus bonis reficiatur, quam ipsa. Plus enim gaudet de adimpletione divini beneplaciti, quam de suo.

Majus sponsæ gaudium de Divino beneplacito, quam de suo adimplendo.

Pars tertia primæ partis.

§. 134. *Revertere, similis esto &c.* Hæc est tertia pars primæ partis, in qua ostenditur, qualiter sponsa ad sponsi amplexum tertio modo trahitur per sponsi abscessum altivolum, & sui absconsivum. (*m*) Et quia post prædictos illapsus

---

(*a*) Vide supra §. 103. Et de *excitativo* Prodr. col. 592.

(*b*) Nempe §. 118.

(*c*) Vulg. *vineas*; sed *vineam* in singulari etiam Comment. in Apocal. idem noster Interpres legit, ut mox notabo.

(*d*) Hujus furfuris fuere Simon Magus primus Hæresiarcha, Ebion, Cerinthus, Menander, Basilides, Carpocras, Gnostici &c. Et ita per prædictas *Vulpes* interpretantur *Hæreticos* Origen. Theodor. S. August. Cassiodor. S. Gregor. Beda, Apon. S. Ansel. S. Bernard. &c. Similiter Pseudo-Prophetas Vulpibus comparat Ezechiel cap. 13. v. 4. ac 6. inquiens: *Quasi vulpes in desertis, prophetæ tui Israel erant. Vident vana, & divinant mendacium, dicentes: ait Dominus, cum Dominus non miserit eos.*

(*e*) Cod. Patav. *corrodentes*.

(*f*) In Comment. super Apocal. cap. 6. sub ℣. 7. ait noster Interpres: „ Introduxit (*Diabolus*) vulpes subdolas, id est falsos hypocritas, per quos vineam Domini demoliri nititur, Cant. 2. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam.* “

(*g*) Cod. Patav. pro *trecentas* habet *crescentes*.

(*h*) Auctor hujus Commentarii vel ex eo, quod sponsam Ecclesiam agnoscat *instar vineæ florentem*, ac habentem plures *novellas vineas*, & *spirituales status*, diversus longe est ab illo, qui dixisse fertur: *in illis solis Christi Ecclesiam remanere, qui vitam Christi pauperem & humilem observabant.*

(*i*) Nempe *tota assisto illi, & immediate cohæreo tamquam Sponsa Sponso*. Pulchre S. Ambr. in Ps. 118. Serm. 2. „ Pauci possunt dicere: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Ille dicit, qui „ adhæret Deo totis sensibus, & aliud cogita„ re non noverit: non ille, cui non satis est „ Dei Filius, in quo sunt omnia: non ille, „ qui jussus omnia vendere, contristatus est: „ ille dicit, qui potest dicere: *Ecce nos reliqui„ mus omnia, & secuti sumus te*. Matth. 19. 22. 27.

(*k*) Sa: *Dies, scilicet cœlestis. Inclinentur, id est, abeant. Hebr. fugiant.* Sed & Hugo Card. *donec aspiret dies*, sic exponit: *donec clarescat dies æternitatis, qui vesperam non habebit.*

(*l*) *Donec non teneri defective*, monet Interpres noster etiam Comment. in cap. 20. Apocal. num. 1482. ac seq. de quo Vol. 2. hujus Supplem. ubi plura in hanc rem.

(*m*) Vide supra in Præfat. §. 23.

Tob. 10. 4. illapsus & amplexus, (a) hujusmodi abscessus ineffabiliter excitat sponsam ad sponsum irremediabiliter (b) desiderandum & invocandum, ut redeat, & ad ipsum sine intermissione quærendum usquequo teneat ipsum, & soporetur cum ipso; (c) idcirco præmittitur præfatum sponsæ desiderium, & oratio. Unde ait: *Revertere*. Et quia celerrime, & rapidissime, instar caprearum, & cervorum per montes salientium, optat eum redire; (d) ideo dicit: *Similis esto, dilecte mi capreæ, binnuloque cervorum super montes Bethel*, (e) quod interpretatur Domus Dei. *Bethel interpretatur Domus Dei.* (f) Ubi & Jacob vidit scalam usque ad cœlum attingentem, & Angelos ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, propter quod & Jacob ait: Non est hic aliud, nisi domus *Gen. 28. 17.* Dei, & porta cœli, prout habetur Genesis vigesimo octavo. Et ideo bene congruit ejus mysterium loco isti. (g) Sed subditur sponsi a sponsa requisitio, cum dicitur:

C A-

(a) Supra §. 103.

(b) Sive *irremediabilibus lacrymis*. Porro *irremediabiliter* habetur quoque in Legen. ma. Vid. Prodr. col. 592. Et *irremediabilibus lacrymis* Tob. 10. 4.

(c) Patav. *in ipso*. De gradibus perveniendi ad hujusmodi *soporem* pacis in Incend. sive Incendi. amor. cap. 3. Quidve juvet ad obtinendum istum *soporem* Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. circa finem, ubi etiam de amore ecstatico dicitur, quod est *soporativus propter quietationem omnium potentiarum*.

(d) Bossuet: *Revertere ad me, capreis binnulisque velocior, quieturus mecum*.

(e) In Vulg. *Bether*. Sed *Bethel* habet Cassiodorus, nec non duo Codices membr. hujus nostræ Bibl. Bernardin. ac editiones Biblior. Ven. 1476. Lugd. 1524. 1549. 1568. Item aliæ quatuor Biblioth. Gentilott. Nurnbergen. 1478. Venet. 1484. Basileen. 1509. Colon. 1527. Insuper Venet. 1481. Biblioth. Griezen. Augustinus Lubinus Augustinianus in Tabulis Sacris Geographicis, S. Thomas Exposit. alt. in Cant. Cantic. cap. 2., Hugo Card. &c. Immo vel ipsemet noster Interpres Serm. 21. in Hexaem. Beda etiam Lib. 3. in Cant. cap. 2. monet, quod *quidam Codices habent super montes Bethel* In hanc rem videndi Cornelius a Lapide, Maldonatus, Calmetus &c.

(f) Idem docet Beda loc. cit. Lyranus quoque: *Bethel, id est, domus Dei*. Item in fine Cod. nostri Bernardin. 40. in Interpretationibus videlicet Nominum Hebraicor. *Bethel domus Dei, vel habitaculum Dei*. Quod ipsum interpretatur itidem S. Antonius Pat. in Psalmos Serm. 106., nec non Hugo Card. &c.

(g) De mysterio scalæ Jacob cap. 1. Itiner. mentis in Deum. Item Serm. sive Collat. 22. in Hexaem., & cap. 10. Exposit. in Librum Sapientiæ &c.

CAPUT TERTIUM.

1. IN lectulo meo per noctes quæsivi quem dili-
git anima mea: quæsivi illum, & non inveni.
2. Surgam, & circuibo civitatem: per vicos
& plateas quæram quem diligit anima mea:
quæsivi illum, & non inveni. 3. Invenerunt
me vigiles, qui custodiunt civitatem: num
quem diligit anima mea vidistis? 4. Paulu-
lum cum pertransissem eos, inveni quem di-
ligit anima mea: tenui eum, nec dimittam,
donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum ge-
nitricis meæ. 5. Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas, cervosque
camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa
velit. 6. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi
ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?
7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.
8. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis
super femur suum propter timores nocturnos. 9. Ferculum fecit sibi
rex Salomon de lignis libani: 10. Columnas ejus fecit argenteas, re-
clinatorium aureum, ascensum purpureum: media caritate constravit
propter filias Jerusalem. 11. Egredimini & videte, filiæ Sion, regem
Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die de-
sponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

EXPO-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

Verba Sponsæ.

§. 135.

Lectulus sponsæ intra se.

IN *lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea &c.* Describitur autem duplex inquisitionis locus, seu gradus, idem tamen tempus, scilicet nocturnum, & hoc sæpius frequentatum. Unde non dicit *per noctem*, sed *per noctes*. Primus autem fuit locus intra se, & hunc vocat *lectulum suum*, quia & in seipsa, & intra seipsam habet quiescere. (a)

VERSUS SECUNDUS.

Civitas in quam excurrit.

§. 136. *Surgam, & circuibo civitatem &c.* Secundus est universalis Ecclesia, (b) seu creatura, cujus universitatem per *civitatem* designat habentem *vicos* varios, *& plateas* secundum varios scilicet status & ordines universi: (c) ut per *plateas* intelligantur loca, sive concursus in unum: per *vicos* vero spirituales ordines eorum, quorum quilibet plurium portarum plures continet domos.

§. 137. *Quæsivi illum, & non inveni.* Licet autem in his sponsæ perquisitionibus notetur ejus prudentia, & diligentia, (d) quæ a seipsa tamquam a notioribus & proximioribus debuit inchoare, & deinde per cetera ab infimis usque ad suprema, seu rectum contemplationis ascensum ordinate & gradatim procedere; (e) nihilominus quia in sponsi absentia de facili (f) adsunt carnalitas & curiositas, saltem modice: idcirco error carnalis inquisitionis potest notari in primo, & curiositatis in secundo. Et secundum hoc ratio non inveniendi est culpa, & error indebite quærendi, quia non invenitur in foro (g), neque in terra suaviter viventium, — Sponsæ perquisitiones. — Job 28. 14.

(a) Nempe in ejus *conscientia, in qua libenter quiescit Dominus, si lectus mundus est*, ut apud S. Bonaventuram videre est inter Sermones sub ejus nomine Serm. 6. Dom. infra Oct. Epiph. Sive, ut idem habet cap. 17. Exposit. in Evang. S. Lucæ, *per lectulum intelligitur status contemplativorum, quia ipse est locus quietis*. Hinc non invenitur *in lectulo conscientiæ inquietæ*, Exposit. in cap. 2. ejusdem Luc.; sed *per contemplationis quietem*, Exposit. in cap. 3. Lament. Jer. Proph. Vide sis Gillebertum Abbatem S. Bernardi successorem in Explicat. Cant. Ser. 1.

(b) Serm. 1. Dom. 17. post Pent. inter supra memoratos, in hunc ipsum textum dicitur: „ Civitas est Ecclesia, in qua per plateas mandatorum, per vicos consiliorum, quærendus est Christus. " *Civitatem, id est, Ecclesiam*, exponit etiam Hugo Card.

(c) Exposit. in Lib. Sapient. cap. 13. ait: „ *Surgam, & circuibo civitatem*, id est creaturarum universitatem. " Unde supra laud. Bossuet „ *Per vicos & plateas quæram*: cœlum terramque peragrabo, ut dilecti vestigia relegam, eumque reposcam ab omnibus creaturis. " *De speculatione Dei per vestigia ejus in universo*, sive *in vestigiis suis in hoc sensibili mundo*, D. ipse Bona. cap. 1. ac 2. Itinerar. ment. in Deum.

(d) Cit. Serm. 1. Dom. 17. post Pent. „ Bene sollicitudo amoris his tribus verbis exprimitur, cum dicitur: *Surgam, & circuibo, & quæram*. " Item secundum ipsummet S. Bona. Exposit. in cap. 8. Sap. „ *Surgam & circuibo*, diligenter, & studiose. *Quæram*, scilicet sicut Mulier, de qua: *Quæ lucernam accendit, & evertit domum, quærens diligenter, donec inveniat*. "

(e) De perquirendo Deo *per contemplationis diligentiam* loquitur ipsismet Cantici Canticorum verbis utens, cap. 3. Exposit. in Lament. Jerem. Prophetæ. De gradibus autem, per quos anima pertingit *ad thronum veri Salomonis*, scilicet *ad sponsum suum* cap. 1. ac ult. Itiner. mentis in Deum, & cap. 2. Incend. sive Incendi amor.

(f) Ita in Apolog. Pauper. Vid. Prodrom. col. 607. Item in Procem. Breviloq. &c.

(g) Sic ipsemet Interpres noster Lib. 1. Phar. cap. 48. ubi ait „ Ambrosius de Virginitate (Lib. uno cap. 8, num. 46.) ponit talem literam Cant. 3. *Circuibo Civitatem in foro, & in plateis, & quæram quem dilexit anima mea*. Nequaquam ibi quæramus Christum, ubi invenire non possumus. Non est Christus circumforaneus; Christus enim pax est, in foro lites: Christus justitia est, in foro iniquitas: Christus operator est, in foro inane otium: Christus caritas est, in foro residet obtrectatio: Christus fides est, in foro fraus est, ac perfidia.

tium, (a) & abyssus & mare, scilicet curiosorum & astutorum, (b) dicunt: non est mecum (c). *Ibid. 13.*

§. 138. Respectu vero primi modi, ratio non inveniendi est segregata, & supereminens sublimitas Dei, & sui abscessus, ita ut sponsa non sinatur immanere in aliquo creatorum, immo compellatur superexcedere seipsam, & omnem universitatem creatorum, ut sic in summo superexcessu attingat, & videat summum bonum. (d)

Sponsæ in nullo creatorum permanendum, sed transeundum ad Deum summum bonum.

VERSUS TERTIUS.

Vigiles, & custodes civitatis.

§. 139. *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem.* In cujus quidem ascensu sunt duo gradus; quia in ascensu civitatis sunt duo, scilicet corpus civitatis, & caput Rectorum suorum, qui hujusmodi *vigiles* & *custodes* vocantur, servantes tropum inquisitionis nocturnæ. Tunc enim quidam vigilant excubantes, aut discurrentes hinc inde ad custodiam civitatis. Unde & sponsa *vicos* & *plateas* civitatis de nocte circumiens & perquirens, dicitur *inventa* ab eis; quia ipsorum est omnium status & actus attendere, & indicare potius, quam e contrario.

§. 140. Quia igitur in primo gradu propria investigatio non sufficit, ideo vertit se ad modum alium inquirendi, qui est quærere a Doctoribus, & Superioribus, & instrui per eosdem. Quod enim per nos invenire nequimus, a Doctoribus, & Superioribus (e) quærere debemus, juxta quod Magi in Jerusalem quærunt: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? *Matt. 2. 2.* Quamvis ipsum non inveniant ibi, sed potius ultra. Quia vero is, quem sponsa quærit, est ineffabilis totus, & maxime secundum modum illum, sub quo eum invenire exoptat; idcirco *Vigiles* nec verbum super sua quæstione respondent: attamen suo silentio quodammodo dicunt, quod omnino super nos est hic, quem quæris. (f) Dato etiam, quod ei prout scirent, de ipso respondissent; ipsa tamen non reputat sibi esse responsum, quia non satisfecerunt cordi ejus.

Doctores, & Superiores consulendi.

§. 141. Quæsierat autem: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Nomen sui amici, & sponsi aliter non specificans; juxta quod & Magdalena dixit: Domine si tu sustulisti eum. (g) *Joan. 20. 15.* Tum quia omnibus existimat esse notum, quod unus solus singulariter summus unice est ab omnibus diligendus, & ab ea dilectus. (h) Tum quia sic eam occupat vis amoris, & amabilis, & dilecti, quod

(a) Ita Maldonatus, Sa, Estius &c. ac ipsemet noster Interpres Serm. 2. de Invent. S. Crucis ad finem.

(b) *Sicut Plato* (verba sunt Cassiodori Exposit. in Cant. heic.) *qui in Timæo multa de anima disputavit, & sicut Aristoteles, Socrates, & ceteri, qui omne vitæ suæ tempus in studiis caussa exquirendæ veritatis expendebant.* Quæsivi illum, & non inveni; *non enim per mundanam Sapientiam Deus cognosci potuit.* Unde etiam dicit Estius, quod quæsitus *per Philosophiam, & humanam Sapientiam, quæ recte nocti comparatur, quia plena est tenebris ignorantiæ & errorum, non invenitur.* Vid. contra hujusmodi *curiosos* super. Tract. de stud. Divin. Literar. §. 15.

(c) Sic ad sensum, & compendium; verba enim Vulg. sunt: *Abyssus dicit: non est in me: & mare loquitur: non est mecum.*

(d) Ita fere in cit. Itiner. ment. in Deum cap. 5. & seqq. Unde & S. Gregor. Nyssen. Frater S. Basilii Hom. 6. in Cant. docet, contemplanti transeundam esse creaturam universam, ut per fidem figat mentis aciem in uno summoque Deo.

(e) *Ab Angelis tutelaribus, Prophetis, Apostolis, Pastoribus, Doctoribus, Prælatis, Confessariis, Consiliariis*, ut secundum plures Patres, antiquosque Interpretes declarat Tirinus. Consulatur S. Greg. Exposit. in Cant. cap. 3. num. 3. ac seq. Vide quoque infra cap. 5. sub §. 229.

(f) Ser. sive Collat. 2. in Hexaem. versus finem „ Juvat superferri omnibus sensibilibus, „ omnibus operationibus intellectualibus; quæ „ sunt cum phantasmatibus, transire etiam An„ gelicas intelligentias, ut possit Sponsa dice„ re: *invenerunt me vigiles, qui custodiunt Civi„ tatem, paululum cum pertransissem eos, inveni „ quem diligit anima mea &c.* " Item noster Card. Joan. Vital. in Spec. verbo *Contemplatio* fol. m. 50. retro „ Animæ contemplanti il„ lud convenit Cant. 3. *Paululum cum per„ transissem &c.* Anima enim, quæ fertur „ impetu ardentis amoris, quodam desiderio „ supergraditur omne quod est; non enim con„ solatur in aliqua re creata, donec transeat „ in creatorem. In principio Libri Confessio„ num D. Aug. Fecisti nos Domine ad te, „ inquietum est cor nostrum, donec quiescat in „ te. Unde & post resurrectionem Magdale„ næ quærenti Dominum non est satisfactum „ per Angelicam visionem, ut reciperet con„ solationem: & ideo paululum pertransit il„ los, i. e. Spiritus creatos. Jucundus transi„ tus a contemplatione creaturæ &c. " Sic est etiam, ut dictum est ab Interprete supra, cum Magis quærere Jesum, transire, atque ad ipsum pervenire.

(g) Hoc exemplo utitur quoque Calmet inquiens: *Magdalenam imitare, quæ ad sepulcrum dilecti ante diluculum venit, nullam ubique quietem experitur præter sepulcrum, totaque amantissimo Jesu occupatur. Hanc imitare, ut hæc Salomonis Sponsam imitata est.*

(h) Similia habet Interpres noster in Comment. Evangelii S. Joannis cap. 20. ℣. 15. dando infra.

quod nescit eum aliter nominare, & ipsam notionem (a) simul reputat propriam & vulgatam. (b)

VERSUS QUARTUS.

§. 142. *Paululum autem cum pertransissem eos inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* In hoc transitu, seu superexcessu, quatuor actus per ordinem ponuntur, scilicet sponsi inventio (c), indivisibilis tentio, (d) ejus in domum sponsæ introductio, tandem sponsæ in sponso consoporatio nullatenus inquietanda. In tentione autem præfata signatur firmissima adhæsio, vel possessio. (e) In introductione signatur intimissima attractio & invisceratio. In soporatione vero omnium intentionum & actuum cordis in sponso totalis repausatio & quietatio. (f)

Domus sponsæ. §. 143. *Donec introducam illum in domum matris meæ.* Non dicit *in domum meam*, sed *in domum matris meæ*, tum propter humilitatem, quia domum propriam existimat esse matris Ecclesiæ potius quam suam: tum propter caritatem, quia non solum vult eum introducere ad se, sed etiam ad universalem Ecclesiam: nec solum ad Ecclesiam sui status, sed etiam ad Ecclesiam status prioris, in qua est genita. Sic enim Ecclesia primitiva conata est introducere Christum in Synagogam matrem suam. (g)

Synagoga mater Ecclesiæ Christianorum.

§. 144. Dicit etiam *in domum*, & ultra hoc *in cubiculum*, seu thalamum dormitioni deputatum, quia non solum eum introducere intendit modis communibus, & in loca communia cordis, vel Ecclesiæ, sed etiam in intima & secretissima. (b)

VERSUS QUINTUS.

Verba Sponsi.

§. 145. *Adjuro vos &c.* Sequens de adjuratione, & soporatione expositum est Capite secundo. (i) Quia vero trinus contemplationis ascensus, in tribus partibus primæ partis jam explicatus, est valde admirabilis & stupendus, & specialiter tertius, tamquam ipsorum trium supremus; idcirco tam pro isto tertio specialiter, quam pro tribus insimul, subditur admiratio, & admirativa commendatio præfati ascensus, dicendo:

VERSUS SEXTUS.

Verba Sponsi sodalium, (k) vel Sponsæ Comitum. (l)

§. 146. *Quæ est ista, quæ ascendit?* scilicet tam singulariter & ineffabiliter. Sponsæ ascensus. Hæc autem admiratio est generaliter omnium attendentium sponsæ ascensum, saltem attendentium humiliter & devote. Admirantur autem specialiter tria. Primo hujus ascensus locum itinerantium, quia *per desertum*, id est Per desertum. per iter omnibus communiter incedentibus impervium & inexpertum; vel etiam

(a) Al. *rationem.*
(b) Sic Cod. Patav. Al. *vulgarem.*
(c) *Invenitur in præsenti per gratiam secundum illud Cantici: inveni quem diligit anima mea,* Exposit. in cap. 1. Sap.
(d) Exposit. in cap. 8. S. Luc. ex Bernardo: *Dulce satis est te, bone Jesu, quærere: dulcius tenere. Unde sponsa: tenui eum, nec dimittam.* De *tentione firma per adventum gloriæ* in 3. Dist. 31. Art. 3. Q. 1. in concl.
(e) Hæc *tentio*, sive *firmissima adhæsio, vel possessio* perficitur consummaturque, ut modo dictum est, *per adventum gloriæ.* Quod si de statu sponsæ sermo fit *in præsenti per gratiam*, sic ipsa loquitur *aliquo modo arbitrans se comprehendisse*, in Planctu de Passio. Dom. sive Tract. de Vit. Myst. cap. 3. num. 11.
(f) *De hoc dulci sopore mulcebris quietis* Ser. sive Collat. 2. in Hexaem. ubi loquitur de *amore ecstatico*, qui est *sequestrativus ab omni adulterino affectu propter Sponsi affectum unicum, soporativus propter quietationem omnium potentiarum &c.* Verbo *repausationis* utitur & S. Greg. Moral. Lib. 23. cap. 24. num. 46.
(g) Cornel. a Lap. „ In Synagogam, puta „ in cor & cubile Judæorum (hæc enim est „ mater Ecclesiæ Christianorum) eamque ceu „ Sponsam Christo despondeat: in cubiculo „ enim degit Sponsus cum Sponsa. Ita S. Gre„ gorius, Cassiodorus, Philo, Alcuinus, Ju„ stus, Aponius, Anselmus, Honorius, Ruper„ tus, S. Bernardus, & passim alii. “
(b) De *secretissimo, quod nemo novit nisi qui accipit*, cap. ult. Itinerar. nec non de *secretissimo cubiculo*, Solemnit. 4. de 5. Festivit. Pueri Jesu. Item Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. *in suum intimum, per hoc in suum summum; quia idem est summum & intimum in anima, dicit Aug.* Sed & S. Ambrosius pro in *cubiculum* habet *in secretum*; & alii ex Hebræo vertunt *in penetrale*, scilicet in penitissima & intima.
(i) Scilicet §. 98. & seqq. ubi etiam animadvertimus, hæc verba esse Sponsi, non sponsæ, tametsi vel heic dicat Maldonatus esse verba *Sponsæ.*
(k) Sic Menochius.
(l) Ita Calmet.

etiam per iter, quo sponsa deserit omne creatum, & semetipsam. *(a)*

Sicut virgula fumi. §. 147. Secundo hujus ascensionis modum: *sicut virgula fumi*. In *virgula* enim notatur, quod est humillimus, *(b)* & simplicissimus, seu restrictissimus, & recollectissimus, *(c)* & rectissimus, & totus in sursum erectus. *(d)* In *fumo* vero notatur, quod sit resolutorius, seu resolutus ab effectibus inferioribus usque ad primas & caussales rationes eorum, & a sensibilibus ad intellectualia, & ab his ad superintellectualia: resolutus etiam in subtilissimas amorum & devotionum *(e)* exhalationes virtute ignis liquefactivi, & resolutivi status.

Per amorem ecstaticum. §. 148. Nota etiam, quod est ecstaticus propter caliginem fumi, quod idem significat, quod caligo ignis Moysi, in qua solum Deus vult videri. *(f)* Unde praecipitur Levitici decimo sexto, quod
Levit. 16. 2. Pontifex non intret in sancta sanctorum sine nebula & vapore incensi operiente oraculum, ne moriatur; quia in nube, inquit, apparebo super oraculum.

Ex aromatibus. §. 149. Tertio admirantur hujus fumi sic ascendentis multiplicem & pretiosam materiam. Est enim *ex aromatibus*, quae sunt multae fragrantiae, & virtutis, & facile resolubilia in fumum, seu vaporem odoriferum. Sunt autem
Myrrhae & Thuris, & hujusmodi *myrrhae & thuris*, & generaliter *universi pulveris pigmentarii*, id est ex omnibus aromaticis speciebus molitis seu pulverizatis, *(g)* ex quibus pigmenta varia conficiuntur. universi pulveris pigmentarii.

§. 150. Duo enim in hoc primo requiruntur, scilicet amaritudo compunctionis, & mortificationis, & compassionis, quae per *myrrham* amaram, corpora per ipsam condita praeservantem, *(h)* designatur: & devotio orationis, quae per *thuris* incensum *(i)* designatur, *(k)* juxta illud Apocalypsis
quinto: Habentes phialas aureas plenas *Apoc. 5. 8.*
odoramentorum, quae sunt orationes
sanctorum: & Apocalypsis octavo: Ha- *Apoc. 8. 3.*
bens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium &c. Tertio vero omnes virtutes, & earum partes generaliter aggregans, *(l)* est multitudo subtilissimarum meditationum & affectuum, per ignem Divini amoris concurrentium in idipsum. *(m)*

VERSUS SEPTIMUS.

§. 151. *En lectulum Salomonis*. *(n)* Terminata prima parte principali, quae est de nuptiali amore, prout est desponsationem inchoans, sequitur secunda, quae est de amore eodem, prout est ad regalem gloriam sublimans. Quae in tres Incipit secunda pars principalis de amore ad regalem gloriam sublimante.

(a) Ut scilicet soli Deo virtutum omnium Dño vacet. *Est* enim *desertum* (auctore nostro Interprete in Exposit. Psalt. Psal. 77.) *virtutis progressio. Unde hoc: Qua est ista, qua ascendit per desertum?* Ut per hujusmodi *iter* talis fiat *virtutis progressio*, necesse est, ut anima *deserat omne creatum, & etiam semetipsam*, quemadmodum diserte docet idem Interpres in Itinerario quoque mentis in Deum cap. 7. ac alibi passim. Sic Mystici dicunt, animam *deficere* in se, *perdere* se ipsam, *in nihilum redigi, intrare in abyssum* Divinitatis, *converti & transformari in Deum &c.*, ut Richardus, Rusbrochius, Taulerus, Harphius, Blosius &c.

(b) *Virgula fumi* etiam secundum Richard. de S. Vict. significat *humilitatem*. Namque humilitas ascendit, quia sola sui cultores exaltat.

(c) S. Gregor. in Ezech. Lib. 2. Hom. 10. num. 21. *Transcendamus per desiderium omnia, ut mentem colligamus in unum.* Al. *ut mente colligamur in unum*.

(d) Similiter ibi num. 22. idem S. Gregor. Item Hugo de S. Vict. Lib. 2. Erudit. Theol. cap. 110. & alii.

(e) *Virgulam fumi* explicat *per superabundantiam devotionis* etiam cap. 4. Itiner. mentis in Deum. *Tres proprietates fumi* declarat in Exposit. Psalt. Psal. 100. Tum in Opusc. de regimine animae sic ait „ Cor devotum exhibere debes piissimo „ Sponso, per interpellationem ferventium pre„ cum, per degustationem spiritualium suavi„ tatum, & per actionem multiplicium gratia„ rum, ut anima tua jugiter per desertum „ ascendat in Deum, *sicut virgula fumi ex aro„ matibus myrrhae & thuris*, ut de Sponsa in „ Cant. dicitur. " Similiter Jo. Vitalis Card. in Spec. verbo *Devotio* fol. m. 111.

(f) Ita etiam Serm. sive Collat. in Hexaem. ubi in fine memorantur *illustrationes mentales*, & *sublimes excessus*. Item cap. 1. ac 7. Itiner. mentis in Deum.

(g) Vel hoc verbum scriptoris potius natione Itali, quam Galli, ut de simili alia voce notavimus supra in Praefat. §. 4. Ceterum S. Bona. usurpavit quoque vocem *pulverizationis* in Leg. ma. ut ostendimus in Prodromo col. 592.

(h) S. Greg. ibi num. 23.

(i) Ita Cod. Patav. Al. *thus incensi*.

(k) Sic ibi Hugo Vict. & alii.

(l) Idem Hugo ibi, & Cassiodor.

(m) Omnia proxime dicta paucis perstringuntur Serm. 2. Dom. 16. post Pent. inter Sermones sub S. Bonaventurae nomine, ubi idem textus sic explicatur: „ In *myrrha* contritio, in „ *thure* oratio, in *pulvere pigmentarii* diversa„ rum virtutum compositio, in *virgula fumi* „ suavissima devotio significatur. "

(n) *Pronubarum vox, de Salomonis magnificentia colloquentium*, ait Calmet.

Ejus distinctio in tres partes. tres partes, tribus partibus primæ partis consimiles, est distincta. Nam in prima ostendit, quomodo sponsa per suam regiam virtutem, & formositatem, promeruit vocari ad diadema regium, & ad regale cubiculum sponsi. In secunda vero, quomodo a sponso est familiariter requisita ad suscipiendum ejus illapsum ibi: *vox dilecti mei*. In tertia vero, quomodo per sponsi repentinum abscessum ad ejus desiderium & amplexum sublimius est perducta ibi: *At ille declinaverat*. *(a)*

Cant. 5. 2.

Ibidem 6.

§. 152. In prima autem primo ostendit sponsi regalis gloriam *(b)* quantum ad ejus regalem lectum, & solium, & majestativum statum & aspectum, ut sciatur, quomodo sponso regi nubit sponsa regia; quia tota ejus dignitas regalis dependet & derivatur a regia dignitate sponsi. Secundo a sponso ipso commendatur, & per partes describitur regia formositas sponsæ ibi: *Quam pulchra es*. Tertio tamquam ex hoc honore regio digna vocatur ad regium diadema ibi: *Veni de Libano sponsa &c.* Quarto redit sponsus ad consummandam laudem gratiositatis & formositatis sponsæ ibi: *Vulnerasti cor meum soror &c.* Quinto invitatur sponsus a sponsa ad conveniendum in unum, prævinvocato tamen flatu, seu spiritu per verbum ipsius sponsæ, aut sponsi *(c)* ibi: *Surge Aquilo, & veni Auster &c.* Sexto sponsus ostendit se perfecte complevisse desiderium sponsæ, & cum ipsa jucunde consoporatum ibi: *Veni in hortum meum Soror mea &c.*

Omnis sponsæ dignitas oritur a sponso.

Cant. 4. 1.

Ibid. 8.

Ibid. 9.

Ibid. 16.

Cant. 5. 1.

Subdivisio alia.

§. 153. In prima autem parte primo describit sponsi regium lectum. Secundo solium ibi: *Ferculum fecit*. Tertio statum & aspectum ibi: *Egredimini, & videte*. *Lectulum* autem ejus describit ut regium ex duobus, scilicet ex hoc, quod vocat eum *lectulum Salomonis*, qui fuit Rex ditissimus, ac solemnissimus, & summa pace ac quiete securus, propter quod dictus est Salomon, id est Pacificus: *(d)* & quia ex *sexaginta fortibus*, seu strenuis & armatis militibus circa lectum vigilantibus, ipsum dicit more regio custoditum.

Lectulus Salomonis.

Salomon, id est, Pacificus.

§. 154. Vocat autem eum *lectulum* diminutive ad significandam ejus teneritudinem delicatam, & simplicitatem unitam, & indistinctam seu indivisam; & ad innuendum, quod ejus regia dignitas perfectam humilitatem non rejicit, *(e)* sed includit. *Lectulus* autem iste est primo ipsa essentialis *(f)* & æterna bonitas, & felicitas Dei. Secundo Hierarchia Beatorum, *(g)* & mens uniuscujusque Beati. *(h)* Tertio nostra Ecclesiastica Hierarchia, *(i)* & unaquæque sancta mens ejus. *(k)* Quarto Scriptura sacra. *(l)* Et quinto tota universitas creata. *(m)*

Cur dictus ita diminutive.

Quinam hujusmodi Lectulus.

§. 155. Per *sexaginta fortes* designantur Angeli *(n)* circa Deum excubantes, & nostram Hierarchiam custodientes, qui propter perfectionem Divinæ legis in seipsis, & propter perfectionem suorum operum, quæ a nobis in sex diebus hebdomadæ fiunt, & propter perfectam notitiam divinorum operum in primis sex diebus fundatorum, merito *sexaginta* dicuntur, quasi sexies decem, vel decies sex. *(o)*

Quinam sexaginta fortes.

Cur dicti sexaginta.

§. 156. Secundo per hoc designantur omnes Ecclesiæ pugiles incliti *(p)* pro ejus custodia accincti, & mori parati, qui eisdem caussis *sexaginta* vocantur. Aut etiam quia in sex mundi ætatibus currunt, & in sex plenius consistunt. Et quia

---

(a) Al. *jam hiems transiit, & recessit*.
(b) Cod. Patav. *ostenditur sponsi regalis gloria*.
(c) Vid. infra Cap. 4. §. 206.
(d) *Salomon, id est, Pacificus; quia totum regnum in pace possedit*, Procem. in Ecclesiasten prope finem.
(e) Cod. Assisien. *renuit*.
(f) Idem Cod. *exemplaris*.
(g) Uterque Cod. *bonorum*.
(h) Sive cœlestis gloria, & beatitudo, secundum Nyssenum, & ex eo Psellum, Bedam, & Richard. Victor.
(i) Per *lectulum Salomonis* significari *Ecclesiam Christi*, exponit Sa; *pacem & quietem Ecclesiæ* Malvenda. Quibus ex antiquioribus præluxerunt Theodoretus, Philo, Cassiodorus, S. Gregorius, Beda &c.
(k) *Lectulus Christi est mens Sancta*, ait quoque Cornel. a Lap.
(l) Ita Theodoretus: *Lectulus Christi est sacra Scriptura*, apud eumdem. Vid. S. Bon. in fin. 4. Sent.
(m) Vide supra cap. 1. §. 85.
(n) Per *sexaginta fortes ex fortissimis Israel* intelligit *beatissimos Angelos* etiam in Exposit. Evang. S. Lucæ cap. 1. In Commentario item Apocal. cap. 2. sub ℣. 22. de *Lectulo Salomonis*, quem *sexaginta fortes ambiunt* loquens, ait, quod *vallatur Angelorum societate*. Similiterque Aponius.
(o) Heic alludit ad senarium numerum velut primum perfectorum, de quo alibi pluries egit.
(p) Sive *Doctores & Superiores*, ut Cassiodorus, & S. Gregorius; tum *Sancti*, ut Philo.

Et quia unusquisque eorum in sua sexta ætate, cum jam sit annorum sexaginta, est ad custodiam castitatis sponsæ aptior, & fortior, ac discretior. Non enim debent esse hi nisi castissimi & sanctissimi, & in bello contra luxuriam probatissimi. (*a*) Unde

VERSUS OCTAVUS.

§. 157. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: Uniuscujusque ensis* &c. Merito *enses super femur suum* habere dicuntur *propter timores nocturnos*, quia scilicet carnis concupiscentia, non perdurante contemplationis die, sed in nocte sensualium operum & negotiorum, dat improvisos, & repentinos, &insidiosos insultus. (*b*) Quamvis & in hoc ipso omnia tentationum vel maxime insidiosarum genera designentur. Contra quæ oportet istos esse accinctos, & præmunitos, quia aliter lectus regius non potest esse quietus, neque securus.

VERSUS NONUS.

Solii, sive throni Salomonis descriptio.

§. 158. *Ferculum fecit sibi rex Salomon &c.* Ejus solium, sive thronum describit, ut regium ex sex. Primo scilicet ex ejus usu, quia ad solum usum regis Salomonis. Et hoc non solum, ut ibi sublimiter sedeat, sed etiam, ut in eo feratur tamquam in curru regio. Unde signanter vocatur *ferculum*, id est delatorium, seu portatorium.

Ex sua principali materia.

§. 159. Secundo ex sua principali materia, quia de solidis & nobilissimis *lignis* montis *Libani*, id est, albi seu candidi. (*c*) Sic enim est vocatus propter candorem nivium, quibus sæpius operitur. Sicut enim per lectum magnum proprie designatur Ordo Seraphicus, seu amoris seraphici, sive nuptialis, & per fortes custodes Ordo Cherubicus, cujus est omnia videre, & circumspicere; sic per hunc thronum magnum proprie designatur Ordo Thronorum, (*d*) qui de solidissimis & altissimis cedris & lignis Libani, id est de constantissimis, & incorruptibilibus virtutibus sunt constituti. Quamvis generalis Ecclesia, (*e*) & sacra Scriptura, (*f*) & quilibet Sanctus, (*g*) Divinæ majestatis solidus, & altus, præclarus, & patulus delator, & venerator, per hoc *Ferculum* designetur. (*h*)

VERSUS DECIMUS.

Ex suis columnis.

§. 160. *Columnas ejus fecit argenteas &c.* Tertio ex suis tibiis, seu columnis erectis, in quibus sustentatur, per quas omnes stabiles & erectæ affectiones & meditationes ad Dei sedem, id est, ad soliditatem conscientiæ alte & subtiliter sustentandam, intelligi possunt. Et omnes sancti, qui hujus Ecclesiæ onus super humeros portant, & sua doctrina, & eloquentia lucida & sonora,

quasi

(*a*) Vid. laud. Cassiodor. & S. Greg. Exposit. in Cant. ad d. cap. & text.

(*b*) Exposit. in cap. 22. S. Luc. „ Per *gladium* intelligitur zelus veritatis, quem debet „ homo sibi præcingere, per mortificationem „ carnalitatis propriæ, secundum illud: *Accin-„ gere gladio tuo super femur tuum potentissime*. „ Et: *& uniuscujusque ensis super femur suum*, „ *propter timores nocturnos*. “ Pariterque SS. Ambrosius, Hieronymus, & Gregorius.

(*c*) Sic etiam Serm. 1. in ordine autem 13. pro uno Martyre, inter Sermones de Sanctis in communi, nec non in Exposit. Psalt. Ps. 71.

(*d*) *Ordini Thronorum* aptat Interpres noster hunc ipsum textum etiam Par. 1. cap. 4. de Eccl. Hier. De d. triplici Ordine Serm. sive Collat. 21. ac 22. in Hexaem.

(*e*) Sic etiam Cornel. a Lap. Sa, Estius, Malvenda, Menochius, Gordonus &c.

(*f*) Idemmet Interpres noster Tract. in cap. 1. Ezech. de sacræ Scripturæ mysterio infra, ubi *de Salomonis ferculo, Scripturarum scilicet sanctarum vehiculo*, sub num. 14.

(*g*) *Ligna Libani* (heic Cassiodorus etiam exponit) *sunt Sancti candidati, vel dealbati in baptismo, & exornati omnium virtutum pulchritudine*. Ceterum dum heic, sicut & supra, & infra, pluries a me allegatur Cassiodori Expositio in Cant. non ideo a me sub hoc nomine laudatur, quod ego ei adserendam certo credam (me quippe haud latet quod secus probat Cl. P. Joan. Garetius); sed quia tam MSS. Codices, quam Editi, Bibliothecarii fere omnes, aliique etiam melioris notæ Auctores quam plurimi absque ulla controversia eidem Cassiodoro illam adscribunt.

(*h*) Hinc part. 4. de Eccl. Hierar. cap. 7. post init. per hoc *Ferculum* dicit *præfiguratam B. M. Virginem*. Nec non generatim de omnibus Divinæ legi se se subjicientibus, ejusque onera voluntarie gestantibus loquens, inibi par. 1. c. 4. concludit „ Tamquam ergo Throni „ Deum ferimus, quando præceptorum suorum „ onera comportamus. Unde in Cant. *fercu-„ lum fecit sibi Salomon &c.* “ Quodve supra dicit de *solido, præclaro, & patulo delatore*, conforme est ei, quod ait *de Thronis* Serm. sive Collat. 21. in Hexaem. ad finem: *Sedes est electa, quæ est firma, stabilis, præclara, patula ad suscipiendum lumen*.

quasi *argentum* ipsum, (*a*) in sua stabilitate sustentant, (*b*) Quarto ex suo sedili, seu *reclinatorio*, quod fuit *aureum*. Nec mirum, quia rex in illo in majestate sedebat, & recumbebat, per quod Divinissima sapientia Thronorum, & Mentium eis consimilium intelligi possunt. (*c*)

Ex interscalari ejus ascensu.

§. 161. Quinto ex ejus interscalari (*d*) ascensu, qui fuit *purpureus*, id est, colore purpureo intinctus, vel operimento purpureo adornatus. Ascensus enim ejus est per desiderium martyriorum, (*e*) & per sufferentias tribulationum, (*f*) juxta illud Actuum decimo quarto: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. (*g*) Et ideo hæc est tinctura sanguinis effusi; nam purpura fit ex sanguine quorumdam conchyliorum (*h*). Sexto ex intermedia colligantia partium suarum. Sicut enim lapides cœmento colligantur, & pavimentantur; (*i*) sic omnes partes hujus solii, vel ascensus scalaris, (*k*) si ad solium ipsum hic referantur, colligavit, & pavimentavit, & complantavit *caritate* omnium unitiva. (*l*)

Act. 14. 21.

Ex intermedia caritate.

§. 162. Melius tamen est, quod ad unionem omnium partium throni (*m*) hoc referatur, quia omnia unit amor. (*n*) Unde & quidam legunt hic: *loca media* in accusativo, (*o*) ut sit sensus: *media*, id est, medias juncturas *constravit caritate*. Vel *constravit* est idem hic, quod stravit, vel superornavit, sicut alias sternens thalamum tapetis, vel juncis, vel floribus. Et hæc bona est significatio, quia caritas omnia superornat (*p*), nec aliter ornantibus apparet ornatum, nisi appareat amorosum. (*q*)

Caritas omnia superornat.

§. 163. Hunc autem thronum, & hanc constructionem intermediæ caritatis fecit sponsus *propter filias Jerusalem* provocandas ad sui amorem, & venerationem, & visionem. Propter quod subditur adhortatio ad hoc ipsum, quasi ab hoc throno, & ejus partibus, vel a sibi coassistentibus facta, (*r*) dicendo;

VERSUS UNDECIMUS.

Christus verus Salomon diademate coronatus.

§. 164. *Egredimini, & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum* (*s*) *mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. Egredimini*, scilicet de vestris ergastulis, seu de hoc mundo, *& videte regem Salomonem*, id est, Dei unigenitum universi orbis Regem pacificum. Supposito autem, quod jam in throno præfato,

(*a*) Exposit. in Psalter. Ps. 11. & alibi.

(*b*) Ita fere S. Gregor. Huc spectare videtur visio Innocentii tertii dicentis de S. Francisco apud nostrum Interpretem cap. 3. Legen. ma. *Hic est ille, qui opere & doctrina, Christi sustentabit Ecclesiam*. Confer quoque dicenda in Postilla super Apocal. c. 3. sub versic. 12. num. 213.

(*c*) Serm. sive Collat. 23. in Hexaem. ad finem: *Reclinatorium aureum est sapientia contemplativa*. Et *in Thronis Deus residet sapienter judicans*, Par. 1. c. 4. de Eccl. Hier.

(*d*) De hac voce *interscalari* Par. 4. cap. 7. de Eccl. Hierarch. &c.

(*e*) Vid. cap. 3. Incendii sive Incentivi amoris, ubi inter *gradus perveniendi ad soporem pacis* recensetur *appetitus martyrii*.

(*f*) *Facillimum* namque *est homini* (scilicet ita caritatem habenti, & ad thronum Salomonis, ejusque ascensum purpureum pertingenti) *facere omne, quod est perfectionis, sive agere, sive pati, sive vivere, sive mori*, cap. 2. ejusdem Incend. amor.

(*g*) Vulg. *regnum Dei*; sed *regnum cœlorum* etiam Cod. noster Bernard. 40.

(*h*) Infra cap. 7. §. 197.

(*i*) De hoc verbo etiam Plinius Lib. 27. cap. 4. Item Interpres noster infra Tract. de sacr. Script. Myst. §. 14.

(*k*) De hac quoque voce in Prol. Itinerar. mentis in Deum, ac Vitruvius.

(*l*) *Quia impossibile est ad thronum Salomonis*, scilicet *veram & plenam tranquillitatem pertingere, nisi per caritatem* cit. cap. 2. Incend. sive Incentivi amor. Item de adject. *unitiva* in Apolog. Pauper. Vid. Prodr. col. 607. nec non §. mox seq. in not. *n*.

(*m*) Prædictum *ferculum* interpretatur *thronum* etiam Sa; estque hæc interpretatio pariter apud Malvendam.

(*n*) *Omnis amor est vis unitiva*, inquit noster Interpres in 1. dist. 10. dub. 4., nec non art. 2. q. 2. in Fund. & in resol. ibi: *Amor propriissime nexus est*.

(*o*) Apud Estium heic: *Media est accusativus pluralis Hebraice*. Sic in hunc textum accipit *media* etiam Beda.

(*p*) Haud minus *caritatem* commendat in Incend. sive Incenti. amor. c. 2. ubi eumdem textum expendens, ab ipsamet repetit *perfectionem omnis boni, & complementum*. Et cap. 4. Itinerar. loquens de *mente nostra tanquam domo Dei inhabitantis, & Spiritus Sancti templo*, subdit, *quod totum facit sincerissima caritas Christi*.

(*q*) Est etiam in Cathol. F. Joan. de Jan. & Amalth. Onomast.

(*r*) Hinc discimus cujus secundum Interpretem nostrum sint verba quæ sequuntur.

(*s*) Vulg. *illum*; sed *eum* etiam in MS. Missali membr. hujus nostræ Biblioth. Bernardin. Item ipsemet Interpres noster Comment. in Jo. cap. 19. num. 127. ac Serm. 2. in ord. 14. de uno Martyr. nec non Serm. 1. Dom. in Ram. Palmar. ac in Planctu de Passio. Dom. cap. 4.

fato, tamquam rex, sedebat *diademate* suo coronatus: & quod jam esset *dies* regalium nuptiarum ejus cum sponsa sua: & quia Rex Salomon quando duxit filiam Pharaonis Regis Ægypti non habebat patrem in terra, sed solum matrem, ipsum, sicut ex Scriptura habetur, tenerrime diligentem; ideo ad multiplicandum mysterium dicit eum coronatum a *matre*, ut sic mystice innuat Jesum incarnandum ex matre Synagoga, & singularius ex Virgine matre, ex qua accepit non qualemcumque naturam, sed virgineam, purissimam, & incontaminatam, & gloria singulari, quasi corona regia, adornatam. (*a*) Et licet ejus majestas accepta a patre sit longe major & gloriosior; tamen hæc est miro modo amabilis, & familiarior, & notior, & visibilior filiabus Sion. Et est quoddam intermedium speculum sine macula majestatis æternæ. (*b*)

A matre Synagoga, & singularius a matre Virgine.

Sap. 7. 26.

§. 165. Si tamen per *matrem* Salomonis sumatur illa pars Synagogæ, quæ cum Abjathar, & Joab, & Adonia abjiciens Salomonem, fuit sibi per accidens gloriosior caussa regnandi, & diadema regium triumphalius consequendi; tunc mystice per coronam hanc intelligitur triumphalis gloria Redemptoris Christi, quam per passionem promeruit, & in resurrectione accepit. Nam Synagoga *mater* ejus (*c*) cum suis Pontificibus & Principibus ipsum credens corona spinea & abjecta vilificare, (*d*) per accidens & contra suum intentum, singulari nostræ redemptionis, & suæ triumphalis passionis & resurrectionis gloria coronavit. (*e*) Vel a sua *matre* in bona parte accepta hanc coronam accepit, quia ex ea carnem mortalem accepit, & sic quodammodo mortem: ac etiam quia propter eam salvandam, & peccata mundi tollenda mortem accepit. Ad videndam ergo hanc coronam in die nuptiarum Christi adeptam, (*f*) seu potius ipsum sponsum coronatum ex ipsa, filiæ Sion merito provocantur, quia animabus redemptis nil carius & amabilius esse debet. (*g*)

3. Reg. 1.

Synagoga mater ejus.

Dies desponsationis illius.

CA-

(*a*) Idem noster Interpres d. Ser. 1. Dom. in ramis Palmarum „ Filiæ Sion egredimini a „ deformitate peccati, & videte Regem Regum „ nostrum Salvatorem Christum incarnatum, „ in diademate originalis innocentiæ, quo coronavit eum mater sua Virgo Maria, virtu „ te Spiritus Sancti eum concipiendo. “ Et similiter S. Athanas. Philo Carpath. S. Ambros. Exposit. sub nomine Cassiod. S. Gregor. Beda, Alcuin. Honor. &c.

(*b*) Vid. Exposit. nostri Interpretis in cap. 7. Sap. ibi.

(*c*) Infra in d. Comment. super Joan. cap. 19. num. 1217. *quo coronavit eum mater sua, id est Synagoga.* Item Exposit. in Psal. 8. *quo coronavit eum noverca, scilicet Synagoga, spinea corona.* Item cit. Ser. 1. Dom. in ram. Palmar. *Secundo coronavit eum Mater Judaica Synagoga spineo diademate doloris & ignominia in passione.* Ita Philo Carpath. Theodoret. Justus Orgelit. Exposit. sub nomine Cassiod. Apon. Anselm. S. Bernard. &c.

(*d*) Hoc verbo D. Bona. sæpius utitur in Legen. ma. S. Franc. Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. &c.

(*e*) In Bonaventuriano Planctu de Passione Domini cap. 39. *Licet in irrisione coronent; tamen ignorantes & irridentes coronatum regem fatentur, quia regum est coronari.*

(*f*) Ibi cap. 4. „ Dies enim desponsationis „ illius, dies ista est, dies indignationis & „ blasphemiæ, dies tribulationis & miseriæ, „ dies percussionis & doloris, dies vinculorum „ & mortis, dies desponsationis illius est &c. De die autem desponsationis in Incarnatione dicit supra laud. Ser. 1. ipsum a Virgine Maria conceptum *in die desponsationis humanæ naturæ, quæ in unitate personæ copulata est Deo, & conjuncta Verbo, ut Sponsa Sponso, vinculo indissolubili in utero virginali.*

(*g*) Ad majorem prædictorum confirmationem ex ipsomet D. Bona. in cit. Planctu cap. 4. *Vide hunc, o felix anima, in diademate, quo coronavit eum mater ejus, Synagoga videlicet plebs Judæorum.* Nec non Serm. 2. pro uno Martyre in ordine 14. inter Sermones de Sanctis in communi, ad eumdem textum: „ Quis fuit iste „ Salomon, rex pacificus, nisi Christus? quæ „ est mater sua, nisi Synagoga? nam ex Ju„ dæis secundum carnem est. Videamus ergo „ hunc regem spinis coronatum &c. “ Confer etiam Serm. 2. in Vigilia Nativ. Domini, Exposit. in Psalt. Psal. 144. & Lignum vitæ sub tit. *Jesus rex orbis agnitus.* De prædictis Coronis ipsemet noster Interpres in Postilla sive Comment. super Apocal. c. 14. sub versic. 14. De spinea autem Corona, adducto prædicto textu: *in diademate, quo eum coronavit mater sua,* in supra memorato Missali nostro membran.

CAPUT QUARTUM.

1. QUam pulchra es amica mea, quam pulchra es!
Oculi tui columbarum, abſque eo quod in-
trinſecus latet. Capilli tui ſicut greges ca-
prarum, quæ aſcenderuut de monte Galaad.
2. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ
aſcenderunt de lavacro, omnes gemellis fœti-
bus, & ſterilis non eſt inter eas. 3. Sicut
vitta coccinea labia tua: & eloquium tuum
dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ
tuæ, abſque eo quod intrinſecus latet. 4. Sicut turris David collum
tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex
ea, omnis armatura fortium. 5. Duo ubera tua ſicut duo hinnuli ca-
preæ gemelli, qui paſcuntur in liliis. 6. Donec aſpiret dies, & incli-
nentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.
7. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. 8. Veni de
Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Ama-
na, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus
pardorum. 9. Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor
meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. 10. Quam
pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa, pulchriora ſunt ubera tua
vino, & odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata. 11. Favus
diſtillans labia tua, ſponſa, mel & lac ſub lingua tua: & odor veſti-
mentorum tuorum ſicut odor thuris. 12. Hortus concluſus ſoror mea
ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. 13. Emiſſiones tuæ paradiſus
malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo,
14. Nardus & crocus, fiſtula, & cinnamomum cum univerſis lignis
Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis unguentis. 15. Fons
hortorum: puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.
16. Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant
aromata illius.

EXPO-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

Verba Sponsi.

§. 166.

Sponsæ formositas graphice, ac per hypotyposim, descripta.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! &c. Hic formositas sponsæ a sponso commendatur, & describitur primo specialiter quoad septem, scilicet quoad oculos ibi: *Oculi tui.* Et quoad capillos ibi: *Capilli tui.* Quoad dentes ibi: *Dentes tui.* Quoad labia ibi: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Quoad genas ibi: *Sicut fragmen.* Quoad collum ibi: *Sicut turris.* Quoad ubera ibi: *Duo ubera.* Deinde laudat eam generaliter ibi: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

Pulchritudo Sponsæ orta ex pulchritudine Sponsi. 2. Cor. 3. 18.

§. 167. Ista pulchritudo provenit inspecta pulchritudine sponsi, cujus gloriam cum speculatur, in eamdem imaginem transformatur, cum prudenter eligens abjicit temporalia vilia, & pulchritudinem, quam mente conspicit, illam in se exprimit, & illa repletur. (a)

§. 168. Et nota, quod sicut totus hic liber (b) ex corporali conjugio trahit tropum; (c) ita in describendo spiritualem sponsæ decorem trahit tropum ex corporali pulchritudine sponsarum hujus vitæ: & in describendo sequitur naturalem ordinem partium corporis. Licet enim aliqui pili capillorum quo ad suam radicem sint altius in capite, quam sint oculi, plures tamen totaliter sunt inferiores, & etiam omnes quoad ultimam sui partem, saltem in feminis habentibus longos crines.

Oculi sponsæ quid designent.

§. 169. Per *oculos* autem sponsæ designantur ejus virtutes contemplativæ quantum ad affectum & intellectum; & quantum ad portionem superiorem rationis, & inferiorem; & quantum ad intellectum speculativum & practicum. Comparat autem eos *columbarum oculis*, quia illi amorosi sunt & gratiosi, simplices & perspicaces, mobiles agiliter hinc inde, & valde circumspecti, & super aquarum rivos in aquis libenter speculativi. Quia vero aspectus mentis contemplativæ (d) in exteriora protensi, sunt longe inferiores suis intrinsecis aspectibus, qui nos latent, licet sint perspicui sponso; (e) ideo in exaggerationem suæ laudis dicit, quod aspectus ejus forinseci absque suis intrinsecis, qui nos latent, sunt gratiosissimi, sicut *oculi columbarum.*

Quid capilli.

§. 170. *Capilli tui &c.* Per capillos & multos, & longos, & subtiles, collum & caput tegentes & ornantes, designatur innumerabilis multitudo meditationum & desideriorum spiritualium, (f) ad diversas virtutes formandas, se per partes recolligentes, & in longum se diffundentes ad caput mentis ornandum & protegendum. Et sunt spirituales crines Samsonis, (g) in quibus mentis fortitudo spiritualis consistit, quos comparat *gregibus caprarum ascendentium de monte Galaad*, qui interpretatur acervus testimonii. (h) Quia sicut capræ multos & longos habent pilos

Galaad, id est, acervus testimonii.

(a) Iste §. 167. non est in Cod. Patav.
(b) Cod. Patav. *per totum hunc librum.*
(c) Cod. Patav. addit: *Cantici sui.*
(d) Heic designari *meditationem & contemplationem*, observat etiam Cornel. a Lap.
(e) Namque ut textum hunc pariter exponit Sa, *interiora Deus videt, & in justis approbat, quin etiam delectatur.*
(f) *Capillos* significare *contemplationem supernorum* tradit etiam nost. Interpr. in Commen. sup. Apoc. cap. 1. ℣. 14. Sive, quod perinde est, *sanctas cogitationes*, ut habet Exposit. sub nomine Cassiod. Beda, Rich. Vict. tres Anonymi apud Theodoret. Hugo Card. multique Interpretes alii.
(g) Ita etiam idem Hugo Card.
(h) Sic noster Interpres in Psal. 59. Favet Hieronymus in Fragmento 3. Nom. Hebraicor. nec non Index interpret. Hebraicor. Nom. nostri membr. Cod. sacror. Biblior. A. I. 40. Quibus adde Exposit. in Cant. sub Cassiodori nomine sic dicentem „ *Galaad* acervus testi„ monii interpretatur, juxta literam quidem; „ ideo quia cum Jacob recederet de Mesopo„ tania, persecutus est eum Laban, & die „ ter-

pilos aſperitatis & compunctionis, ac per conſequens ſinceritatis ſive puritatis deſignationes: ſicut etiam capræ libenter ardua petunt, & ad ardua erectæ paſcuntur, et acute vident, et greges earum multitudinem in ſe continent copioſam, & inter ceteros greges diſtinctam; ſic & in propoſito eſt myſtice reperire. Et bene aſcendunt *de monte*, & acervo teſtimonii Scripturarum, (*a*) aut illuminationum Divinarum, & Angelicarum, (*b*) vel quarumcumque doctrinarum ſpiritualium.

Quid ſit acervus teſtimonii.

VERSUS SECUNDUS.

Quid dentes.

§. 171, *Dentes tui &c.* Per *dentes* ſignantur virtutes zelatoriæ & increpatoriæ contra malum, ſcilicet in Apoſtolis, & Prædicatoribus (*c*), ac eorum virtutes ſpiritalis cibi inciſivæ & maſticativæ, quas comparat *gregibus* ovium *tonſarum aſcendentium de lavacro* aquarum, quæ omnes ſunt fœcundæ, & hoc in tantum, quod quælibet ſimul peperit *gemellos*, vel eos in utero habet. Et prout ponit, in tali ſimilitudine ſatis ſervat tropum; quia dentes ſunt albi, & humiditate ſalivali, vel aqua ſemper loti ſunt; & quia in utraque mandibula quaſi greges multi, etiam a pilorum vellere ſunt naturaliter attonſi, ſive privati, & quando multum cibum maſticant, quaſi duplicem fœtum intra palatum habere videntur. Sic etiam virtutes tam inciſivæ, quam maſticativæ debent eſſe multæ inſimul quaſi greges, & ab omnium carnalium vellerum mollitie, & temporalium involucrorum & emolumentorum onere attonſæ, & aquis puritatum ſpiritualium (*d*) lotæ, & exinde in alta & ardua aſcendentes, & guſtibus & fœtibus geminæ caritatis, (*e*) Dei ſcilicet & proximi, plenæ: ſeu guſtibus & fœtibus vitæ activæ & contemplativæ, (*f*) & corde, & ſpiritu, ſive ſpiritualium operum prole fœcundæ.

VERSUS TERTIUS.

§. 172. *Sicut vitta coccinea labia tua &c.* Quid labia.
Per *labia* inſtar *vittæ coccineæ* rubentia, ſignantur virtutes Deo & hominibus affabiles & benignæ, quaſi ad dulcia Dei & proximi oſcula aptæ. Per ipſa etiam deſignantur virtutes divinorum ſermonum prolativæ & interpretativæ, quæ igne Divini amoris debent valde rubere, ut ſcilicet totum quod loquuntur, ſit ſpiritualis amor, & ardor, & dulcor, (*g*) juxta quod Chriſtus dicit Joannis ſexto: Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. *Jo. 6. 64.*
Hæc autem *vittæ coccineæ* comparat, non ſolum ratione ruboris ignei deſignati in cocco, id eſt, in vermiculo, ſive rubro, ſed & ratione *vittæ*, qua ſponſarum crines, & genæ vinciuntur, ſeu ligantur, quia caritatis eloquium omnia ligat in unum. (*h*)

§. 173.

„ tertia reperit eum, ibique in teſtimonium „ mutui fœderis acervum lapidum erexerunt. " Vid. Gen. 31. 46. ubi ver. 48. habetur: *idcirco appellatum eſt nomen ejus Galaad, id eſt, Tumulus teſtis.*

(*a*) De *monte Scripturæ*, ſcilicet *duorum Teſtamentorum*, Ser. 2. de Nativit. Dom. inter editos ſub S. Bona. nomine. Et de *Galaad*, id eſt, *acervo teſtimonii*, ut denotat *S. Scripturam*, Juſtus Orgelitanus.

(*b*) Serm. 6. Dom. 1. Advent. inter editos ſub eodem nomine S. Bona. *Montes ſunt Angelorum Ordines*. Et Serm. ſive Collat. 21. in Hexaem. apud eumdem ſimiliter legitur.

(*c*) In Expoſit. ſuper Lucam cap. 10. per *dentes, ſicut greges tonſarum, omnes gemellis fœtibus*, interpretatur *ſecundum ſpiritualem intelligentiam prædicatores, quorum eſt maſticare cibum parvulis*. Item per *dentes* ſignificari *Prædicatores*, tradunt S. Greg. Nyſſen. Philo Carpath. S. Auguſt. Expoſit. ſub Caſſiod. nomine, Juſtus Orgelit. S. Gregor. Beda, Aponius, S. Anſel. Hugo Card. &c. Inſuper per hujuſmodi *dentes* idemmet Interpres noſter Expoſit. in cap. 3. Lament. Jerem. Proph. intelligit *Apoſtolos, quibus quaſi dentibus peccatores erant in corpus Eccleſiæ convertendi*.

(*d*) Sive, ut cum Gloſſa inquit Lib. 4. Sent. diſt. 3. part. 1. art. 1. q. 1. in concluſ. *in baptiſmo*.

(*e*) In Procem. Breviloq. ubi de modo exponendi ſacram Scripturam: *Si dicatur, oves pariunt gemellos fœtus, oſtendat quod oves ſignificant ibi homines, & geminus fœtus geminam caritatem.* Pariterque per *gemellos fœtus* accipiunt *caritatem Dei & proximi*, SS. Auguſtin. & Greg. nec non Expoſit. ſub Caſſiod. nomine, Beda &c.

(*f*) Sic quoque Theodoret. & Hugo Card.

(*g*) Eumdem textum idem Bona. interpretatur de *verbis ardentis caritatis* etiam in Planctu de Paſſione Dñi cap. 31. De *dulcore caritatis inflammantis* cap. 3. Incend. ſive Incent. amoris.

(*h*) Hujuſmodi eſt *caritatis eloquium* in ſacra Scriptura, inquit noſter Interpres ad finem Opuſculi de Reductione artium ad Theologiam; quippe *ad unionem ſponſi & ſponſæ, quæ quidem unio fit per caritatem, terminatur tota intentio ſacræ Scripturæ.* Quodve per prædicta verba *ſicut*

vitta

Quid genæ.

§. 173. Per *genas* vero, quæ partes sunt sub oculis prominentes, & quæ in puellis instar fragmenti malorum granatorum gratiosissime rubent, & aliqualiter (*a*) candent, & aliquantulum pyramidaliter prominent, designantur casti & pudorati rubores, qui faciem virginalem miro modo decorant. (*b*) Nihil enim in virgine decentius, quam verecundia sancta & humilis. (*c*) Et istæ optime subsunt, & subserviunt oculis contemplativis. Comparantur autem *fragmini*, sive *fragmento mali Punici*, id est Phœnicii, seu Africani, (*d*) quia ibi fuit adinventum: quia non solum radicalem candorem castitatis cum prominente rubore pudoris habent admixtum; sed etiam sub incisura pyramidali multa inter se colligunt rubentia simul & candentia genera, cogitationum scilicet, & affectionum pudoratarum. (*e*) Dicit autem: *absque eo quod intrinsecus latet*, quia sponsæ pudorata castitas longe est intrinsecus major & gratiosior, quam illud, quod inde nobis apparet. Quasi dicat: si illud, quod aspectibus hominum patet, est ita gratiosum & pulchrum: quantum est illud, quod intrinsecus latet? (*f*)

Nihil in virgine decentius verecundia sancta & humilis.

VERSUS QUARTUS.

Quid collum.

§. 174. *Sicut turris David collum tuum &c.* Per *collum*, quo caput sustentatur, quia est unitivum medium inter caput & corpus, & quo cibus & potus & inspiratio aeris trajiciuntur in corpus, a quo spirituum respiratio, & sermonum formatio proferuntur ad extra, designatur spiritualis fortitudinis, & finalis perseverantiæ robur. Unde & hoc comparat *turri David* fortissimis *propugnaculis* circumcinctæ, ut non solum de prope, sed etiam procul, & de longe sagittas in hostes emittat. (*g*)

Quid omnis armatura fortium.

§. 175. In qua *pendet omnis armatura fortium*. Ibi enim dependet armatura,

Abel scilicet devotio & innocentia.
Abrahæ fides & obedientia. (*h*)
Jacob filiorum spiritualium fœcunditas.
Joseph inviolabilis castitas.
Josue labor & strenuitas.
David misericordia & pietas.
Prophetarum in corripiendo veritas.
Apostolorum & Martyrum in patiendo pœnalitas.
Confessorum in exspectando longanimitas.
Virginum in continendo puritas.
Anachoritarum in vacando Deo solitudo & singularitas.

Ecce *omnis armatura fortium* in virgine. (*i*) Hinc ergo timebunt gentes nomen tuum, & non solum dæmones, sed & omnes reges gloriam tuam. (*k*) *Psal. 101. 16.*

§. 176. Et ad literam: *Collum* est valde nervosum & forte. In ipso enim omnes nervi a capite in corpus manantes sub forti robore congregantur ad spiritum fortiter immittendum & emittendum, & ad specialem cibum virtuose trajiciendum. Et ad hoc quod omnia nostra robuste, & alte, & finaliter supersupremo (*l*) capiti, & ultimo fini cohæreant, & jungantur, opus est fortitudine invincibili, & perseveranti.

Quid clypei.

§. 177. Et ex hac fortissima *turre* dicit *pendere mille clypeos, & omnem armaturam fortium*. Per *mille*, qui est nu-

vitta coccinea labia tua rite intelligantur *labia caritatis*, patet quoque ex ejusdem Planctu Pass. Dom. sive Vite Myst. cap. 31. num. 111. Vide Prodromum col. 576.

(*a*) Vide d. Prodromum col. 607.

(*b*) S. Greg. Nazian. Orat. adversus mulieres se ornantes: *Unicus color in muliere amabilis est, nimirum rubor ille, quem pudor gignit*. Et Orat. 11. de laudibus Gorgoniæ: *Unus ille rubor placebat, quem pudor affert &c.*

(*c*) Ad *sicut fragmen mali Punici gena tua*, dicit quoque Sa: *id est, verecundæ, & modestæ*.

(*d*) Cod. Patav. *Mali Punici, id est, Malogranati. Dicit Punici, id est, Phœnicii &c.*

(*e*) *Pudoratus* pro *verecundo* est etiam apud Sarisber. Fr. Jo. de Jan. & Eccli 26. v. 19.

(*f*) Vide sis in hunc textum S. Gregorium Lib. 9. Moral. cap. 11. num. 18.

(*g*) De *turri fortitudinis contra arma inimicorum*, quæ est *David*, scilicet *fortitudo virtutis*, & *perseverantiæ*, noster Interpres in Exposit. Psalt. Psal. 60.

(*h*) *Obedientiæ* applicant prædictum textum Origenes, Theodoretus, S. Bernardus, & alii. Quod autem *omnis armatura fortium* sit & ceterarum virtutum, quæ heic ab Interprete nostro recensentur, acies, legere est apud Cornel. a Lap.

(*i*) Scilicet *sponsa*, quæ *virgo* est. Sic Ecclesia est virgo, sponsa, & conjux Christi. Hincque idem noster Interpres præfatam *armaturam* institutam dicit Exposit. in cap. 22. S. Luc. *ad defendendam universalem Ecclesiam*.

(*k*) Totus iste §. 175. desideratur in Cod. Patav.

(*l*) Vide Prodromum col. 172.

merus perfectus, (a) perfectum numerum *clypeorum* designat; quia ex praefata fortitudine habemus perfecta arma protectionis & defensionis in *clypeis* designata, & omnia arma fortis impugnationis, quae ambo sunt necessaria in pugna perfecta. Vel potius hic haec fortitudo per memoriae diligentiam servat in se perfecta exempla Sanctorum & Scripturarum, (b) quantum ad utrumque genus armorum.

VERSUS QUINTUS.

Quid ubera. §. 178. *Duo ubera tua &c.* Per *duo ubera* intelliguntur virtutes propinativae lacteae doctrinae nutritivae infantium: vel propinativae justitiae & misericordiae, seu cujuscumque pectoralis et visceralis (c) gratiae & sapientiae: vel propinativae sapientiae utriusque testamenti: (d) vel beneficiorum temporalium & spiritualium. (e) Comparat autem ea *duobus capreae binnulis* parvulis, & tenellis, & *gemellis*, & aspectu & tactu gratiosis, tum quia secundum suum corticem id satis congruit huic typo: tum quia concors & gemina caritate gemella proles sponsae, (f) assimilatae *capreae*, est satis similis *binnulis*: tum quia affectus & cogitatus sponsae per *ubera* designati, sunt quasi duo tenelli partus ipsius sponsae, *qui in liliis* spiritualium candorum & puritatum *pascuntur*, & reficiuntur, usque quo in luce aeternae gloriae, *umbris* mortalitatum praetereuntibus, plenius reficiantur.

§. 179. Nota autem, quod per praedicta non semper ostendit designari virtutes realiter diversas; sed sufficit, quod sub diversis & congruis rationibus istud fiat. Nota etiam, quod ante septem praedicta praemittit bis: *quam pulchra es*, Cur sponsa bis dicta: quam pulchra.
designans per hoc adverbium *quam* sui decoris quamdam ineffabilem magnitudinem: per *pulchra* vero geminationem, ejus exuberantem redundantiam exprimens, ac etiam quod interiori & exteriori opere & conversatione est *pulchra*. (g)

VERSUS SEXTUS.

§. 180. *Vadam ad montem myrrhae &c.* (h) Post septem praefata laudat generaliter totam ejus fragrantiam, & totum decorem. Cur monti myrrhae, & colli thuris comparata. Nam propter fragrantiam pigmentorum, & unguentorum, quibus sponsa cum suis vestibus est delibuta, comparat eam *monti myrrhae*, & *colli thuris*. Duo enim sunt in sponsa singularis fragrantiae, & puritatis; quorum primum in hac vita superabundantius est *myrrha* amarae compunctionis, & mortificationis, & misericordis compassionis: Myrrha compunctionis, mortificationis, & compassionis. secundum vero quod in hac vita est minus, & ideo *colli*, id est minori monti comparatum, est *thus*, & incensum divinae orationis & devotionis. (i) Thus orationis, & devotionis. Horum igitur fragrantia sponsus excitatus dicit: (k) *Vadam ad montem &c.* Propter vero ejus universalem decorem subdit:

VERSUS SEPTIMUS.

§. 181. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, ubi positive & negative eam commendat. Quo sensu sine macula. Sed cum in hac vita nullus sit absque peccato juxta illud Epistolae primae Joannis capite primo: Si dixerimus quod (vel quia) peccatum non habemus, nos ipsos (vel nosmetipsos) seducimus, & veritas in nobis non est; (l) quomodo dicit, quod 1. Joan. 1. 8.

macula

(a) Ita etiam Comment. in Apocal. cap. 20. sub ℣. 4.

(b) Sic Theodoret. Beda, Corn. a Lap. &c.

(c) De hoc adjectivo in Legen. ma. S. Franc. uti patet ex Prolr. col. 592.

(d) Per *duo ubera* intelligi *duo Testamenta*, inter antiquiores Philo Carpath. Theodoret. Justus Orgelit. S. Greg. Aponius &c., inter recentiores Sa, Calmet &c. De duobus *uberibus caritatis*, ac *tribus generibus hominum ad mensam sacrae Scripturae residentium*, ipsemet Interpres noster Exposit. in Psalter. Ps. 130.

(e) Sive *eleemosyna temporalis*, *qua nutrit corpus*, *& spiritualis*, *quae pascit animam*, interprete Cornel. a Lap.

(f) Pariter Richard. Vict. S. Bernardus, aliique.

(g) Hugo etiam Card. idipsum observat.

(h) Heic omittit exponere quod praecedit, scilicet *donec aspiret dies*, *& inclinentur umbrae*, quia exposuit supra cap. 2. ver. 17. ubi eadem verba sunt.

(i) Ita fere idem Hugo, Tirinus &c. Vide sis nostrum Interpretem Exposit. in cap. 9. S. Luc. ubi praefatum textum intelligit de *anima contemplativa*, quae *abundat devotione*.

(k) Profecto haec sunt verba, non sponsae, ut nonnulli opinantur, sed Sponsi; nam & versu mox seq. ipse sponsae laudes prosequitur.

(l) In 3. Sent. dist. 3. part. 1. dub. 5. ubi etiam legere est in praedicto textu *quod* pro *quoniam*, & *nos ipsos* pro *ipsi nos*, ut in Vulg. Sed & S. Greg. Moral. Lib. 18. cap. 30. num. 49. habet *quia*, & *nos ipsos*; cap. autem 44. num. 71. iterum *quia*, sed *nosmetipsos*.

macula non est in te? Ad hoc est triplex responsio. Prima loquitur de sola macula mortali. *(a)* Secunda est, quia secundum Augustinum in his, qui continue de suis culpis venialibus compunguntur, jam eo ipso illa culpa & macula diluitur, & non est in eis. Et sic exponit illud Job vigesimo septimo: Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea; quia eo ipso, quod de omnibus suis peccatis perfecte se reprehenderat, & reprehendebat, jam non erat reprehensibilis, & eo ipso cessabat remorsus. *(b)* Tertia est secundum eumdem Augustinum, ut eo modo quo dicitur ad Romanos octavo; Spe enim salvi facti sumus, dicatur & spe ab omni macula esse munda. Et hoc modo exponit illud Apostoli ad Ephesios quinto: Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata: *(c)*

Augustinus de Perfectione justitiæ cap. 11. num. 28.

Job. 27. 6.
Aug. de Præsent. Dei Lib. ad Dardanum, seu Epist. 187. c. 8. n. 27. Item Serm. 157. alias 23. de verbis Apostoli per tot. ac etiam alibi.

Ad Rom. 8. 24.
Aug. Serm. 181. al. 29 de verbis Apostoli per tot.
Ad Eph. 5. 27.

VERSUS OCTAVUS.

Sponsæ invitatio ad suscipiendam coronam.

§. 182. *Veni de libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis &c.* Hic sponsam, tamquam ex sua formositate regio diademate dignam, invitat sponsus ad veniendum pro suscipienda corona. Dicit igitur *veni*, tum ad majorem suæ invitationis expressionem, & firmitatem: tum quia venire debet perfecte credendo, sperando, & amando: *(d)* tum quia ad trinum Deum venire debet, & ad trinam gloriam, scilicet veritatis videndæ, bonitatis fruendæ, & æternitatis immobiliter tenendæ, & possidendæ: *(e)* tum ex ratione triplicis invitationis. Et primo, scilicet ex electione caritatis Dei: secundo ex ratione meriti Christi exhibiti, vel præsuppositi: tertio ex ratione proprii meriti ipsius sponsæ a duobus prædictis manantis.

Et ad trinam gloriam.

Ejus invitatio triplex.

Meritum ejus unde fluat.

§. 183. Dicit autem *de Libano*, scilicet de monte candoris & puritatis, *(f)* videlicet electionis caritatis Dei, meriti Christi exhibiti, vel præsuppositi, & sui proprii meriti, insinuat, quod aliunde venire non audeat, quia si in monte purissimi candoris *(g)* non exsistit, nullatenus est digna coronari corona regali. *(h)*

Ad quem montem ipsi eundum.

§ 184. Debet ergo ire ad montem
Sina, propter promulgationem scriptæ Legis.
Sion, propter habitationem summi Regis.
Oliveti, propter orationem *(i)* Pastoris Gregis. *(k)*

Tha-

(a) Excepta tamen vel a veniali macula Beatissima Virgine Maria, uti excipit disertissime noster Interpres cum Augustino ad proxime allegatum textum respondens cit. Lib. 3. Dist. 3. part. 1. art. 2. q. 1. ad 4., ubi etiam fatetur argumentando in favorem orthodoxæ, quam propugnat, sententiæ, ab initio ejusdem quæstionis: „ De nulla anima potest dici: „ *Tota pulchra es amica mea, & macula non est* „ *in te*, congruentius, quam de beata Virgi„ ne Maria. " Id ipsum firmat Ser. 1. in ordine 37. de B. V. M. Admittit tamen adhuc Ser. 5. in ordine 36. de una S. Virgine & Martyre hoc ipsum dici posse, *propter pulchritudinem tam exteriorem, quam interiorem, de anima gratiosa*. Inter Recentiores Interpretes Sa pariter ut supra respondet ajens „ *Macula*; sci„ licet peccati mortalis, unde justi *immaculati* „ dicuntur, Psalm. 118. 1. " Similiterque Gordonus.

(b) Hac secunda responsione utitur etiam S. Gregorius in Exposit. super Cant. Cantic. cap. 4 num. 9.

(c) Sic S. Hieronymus Lib. 3. adver. Pelagian. Maldonatus, Estius, Malvenda, Calmet &c.

(d) Iter, quo ad Deum per virtutes Theologicas Fidei, Spei, & Caritatis itur, docet noster Interpres cap. 4. & 7. Itinerarii mentis in Deum. Unde ad finem Ligni Vitæ sic Christum alloquitur „ In te igitur ut finem „ omnium, credens, sperans, & amans ex to„ to corde, ex tota mente, ex tota anima, & „ ex omni virtute ferar desiderate Jesu; quia „ tu solus sufficis, tu solus salvas: tu solus „ bonus, & suavis es requirentibus, & dili„ gentibus nomen tuum &c. "

(e) In his, eodem auctore cap. 3. Incend. sive Incent. amoris, *consistit perfectio præmii, scilicet summæ pacis tentio, summæ veritatis visio, & summæ caritatis fruitio*.

(f) Serm. 1. pro una S. Virgine qui hunc ipsum textum habet præfixum: *Libanus candidatio interpretatur, qua status meriti signatur, eo quod in candore munditia hominis utriusque accipitur*.

(g) Ibi: *Candor* hic est *purissimus*, quando *splendet in mente, fulget in carne, lucet in opere*: sive quando *est candidus animus, candidum corpus, candidum opus*.

(h) Ibi: *Commendatur ergo primo a merito, quo claruit luculenter in via, cum dicitur: VENI DE LIBANO. Secundo commendatur a præmio, quo sublimata claret in patria, cum additur: VENI CORONABERIS*.

(i) Al. *consolationem*.

(k) Scilicet Christi, de quo Matth. 26. 31. *percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis*.

Thabor, propter contemplationem veræ Lucis. (*a*)
Myrrhæ, propter compassionem afflicti (*b*) Ducis.

Debet ergo ascendere in montem, ut habeat scientiam, qua possit speculari.
Exo. 20. In primo enim monte dedit Deus Legem. In secundo monte Christus docuit Evangelium, in quo est specialis complacentia summi Regis, ut sit ille mons, de quo inquit Psalmus sexagesimus septimus: Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. (*c*) In tertio monte, scilicet Oliveti vadat ad Christum, & oret cum eo. In quarto propter contemplationem veræ lucis, ut assumatur a Christo cum Petro, Joanne, & Jacobo, in montem excelsum seorsum, qui ad literam fuit mons Thabor, ibique contempletur faciem Jesu, quæ resplenduit sicut sol, ut tandem ipsius gloriam revelata facie speculetur (*d*). In quinto propter compassionem, ut compatiatur Christo Jesu afflicto, & pro nobis mortuo, & iste est mons Calvariæ. (*e*)

Psal. 67. 17. — Matth. 26. 36. ac seqq. — Matth. 17. 1. ac seq. — 2. ad Cor. 3. 18.

§. 185. Consonat etiam hoc ei, quod primo vocaverat eam ad *montem myrrhæ, & ad collem Thuris* (*f*); quia secundum Isidorum libro quartodecimo Etymologiarum, *Libanus* est mons Provinciæ Phœnicis altissimus, dictus a *Thure*, quia ibi colligitur. Secundum etiam Papiam *Libanus* alio modo est arbor, quæ dicitur *Thus*, succum aromaticum fundens. Unde & mons, ubi Thura colliguntur, dicitur *Thus*. (*g*)

Isidorus Lib. 14 Etym cap. 8. — Papias.

§. 186. Deinde subdit, ex quibus est coronanda, scilicet *de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon*, sive ex vertice trium montium, & *de cubilibus leonum*, & *de montibus pardorum*, id est in quibus habitant, vel habitaverunt *pardi*. Ubi secundum superficiem hujus tropi ostendit, quia regali corona est dotanda, & coronanda. Sicut enim principales sedes, & urbes Regum, & suorum regnorum, coronam regni vocamus, quæ est utique regalior, quam corona auri, quia ista parum valet, nisi pro quanto est illius veridicum signum: sic sponsæ dantur hic pro suo dotalitio, (*b*) & regali corona, quædam fortes & principales sedes. Unde si allegorice primum pro Ecclesia generali loquamur de summis sedibus Paganorum & infidelium Regum, existit coronata a Christo, quando suas sedes Patriarchales, & suos alios primatus fixit in eis. (*i*) Unde huic significationi bene competunt montes isti. Nam secundum Glossam *Amana* est mons maximus Ciliciæ, qui dicitur *Thaurus*. *Sanir* vero, & *Hermon* sunt montes Judææ, in quibus leones & pardi habitant: (*k*) quamvis secundum Papiam *Sanir* sit idem quod mons *Hermon*. Sed tamen paulo ante dixit, quod *Sanir* & *Hermon* sunt montes Judææ.

Ex quibus est coronanda. — Glossa ordinar. — Papias.

§. 187. Prosequendo autem nostrum morale mysterium, sponsa promittitur coronanda ex singularibus triumphis principalium tentationum, & tentatorum, seu impugnatorum ipsius, & sic per consequens ex præmissis correspondentibus triumphis. Nam per *Amana*, quæ interpretatur *iniquus ei*, vel *coangustans eum*,

Moralis expositionis prosequutio. — Interpretatio Amana, Sanir, & Hermon.

(*a*) Ad hunc *montem contemplationis veræ lucis, Christus assumpsit Joannem, & in Joanne omnes de statu contemplationis, ad affluentiam spiritualis consolationis, in plenitudine gratiæ*, ait D. ipse Bona. Serm. 4. Dom. 2. in Quadrag.

(*b*) Vel *affixi*.

(*c*) Hæc de *monte Sion* interpretatio melior est apud Tirin.

(*d*) Atque ita *ad quietem contemplationis ordinatissime perducatur*, ut inquit eumdem Matthæi 17. textum allegans Interpres Cap. 1. Itiner. *Mons enim est locus eminens, & a terrenis ad cælestia porrectus, & ideo contemplationi & orationi aptus. Talis erat hic Mons. Unde dicitur: DUXIT ILLOS IN MONTEM EXCELSUM SEORSUM &c.*

(*e*) Pariter de hujusmodi montibus Exposit. in Psalt. Ps. 76. ab init. Hic §. 184. non est in Cod. Pat.

(*f*) Supra ver. 6. §. 180.

(*g*) Heic Beda: „ Libanus, si Hebræam sequamur etymologiam, candor interpretatur: „ Si Græcam, Thus. Denique supra, ubi nos „ legimus: *ad collem Thuris*, quidam Codices „ habent: *ad collem Libani*. Utrumque autem „ nomen virtutis industriam sonare videtur. “ Pariter & Exposit. sub nomine Cassiod.

(*h*) De hac voce Cathol. Fr. Jo. de Jan. Lex. J. C. Amalth. Onomast. &c.

(*i*) S. Athanasius in Synopsi sacr. Script. in Cant. censet, hisce montibus Ecclesiam ex Gentibus, sive ex Paganis, & infidelibus undique collectam designari. Namque Gentes ex idolatria, & Gentilismo fuere ad fidem, & Christianismum evocatæ, ut Christi Ecclesiæ insererentur. Ita quoque & Tertullian. Lib. 4. contra Marcion. cap. 11., hoc versu promitti Romæ novæ, id est, Christianæ, perfectam de Roma veteri, id est, Ethnica, ac de universo Imperio victoriam. Idque factum *tempore Constantini*, censet Cassiodorus, vel quis quis alius sit Auctor Exposit. in Cant. sub ejus nomine.

(*k*) Sive *habitare feruntur*, ut habet d. Exposit. sub Cassiod. nomine. Al. *leones abundant*.

eum, designatur avaritia, se, & alios coangustans, & de iniquo mammona sugens. (a) Per *Sanir* vero, qui interpretatur *Deus luminis*, vel secundum Papiam *nocturnalis*, (b) designatur superbia, & inanis gloria volans in humano die, qui est vere nox. Per *Hermon* vero, qui interpretatur *anathema* (c) mœroris, vel tristitiæ, designatur pigritia & accidiosa carnalitas, omnem mœrorem pœnitentiæ a se anathematizans, & in bonis spiritualibus, seu fructuosis laboribus semper tristis, & sua fœditate contristans, & per consequens a divino cultu, & sanctuario anathematizanda.

Papias. Ber. Ser. 6. in Ps. 90.

Sponsæ victoria.

§. 188. Ad sponsam autem spectat non qualitercumque ista vincere, vel vicisse, sed in summo, ita quod summum eorum verticem conculcet, & teneat sub pedibus suis. Nec hoc sufficit, nisi etiam ipsa summa & præcipua loca in potestatem suam redigat, dedicans ea in sedem & sanctuarium Dei; ut sic multi & magni cultores vitiorum & dæmonum per sponsam de potestate tenebrarum eripiantur, & transferantur in regnum sui dilecti.

Ad Coloss. 1. 13.

Contra leones, & pardos.

§. 189. Quia vero ex tribus præfatis oritur rapacitas, vel crudelitas tyrannica, & violenta, Leonibus competens, & rapacitas, ac sævitia versipellis & dolosa, *Pardis* variis & maculosis pellibus competens; ideo bene subdit, quod *de Leonum cubilibus, & Pardorum montibus* est coronanda, quia de illis triumphavit, & eorum sedes præcipuas sponso subegit. (d)

VERSUS NONUS.

Laus ejus completa.

§. 190. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum &c.* Hic redit ad complendam laudem formositatis sponsæ. Ibi enim laudavit ejus, & suorum membrorum formam, in quantum est generosa: hic vero in quantum est deliciosa. (e) Et ideo ibi subnectit ejusdem promerentiam regiæ coronæ: hic vero subnectit promerentiam (f) deliciosi socialis convictus ejus cum sponso suo. Commendat autem eam specialiter quo ad sex, (g) & tandem septimo generaliter sub metaphora horti amœnissimi & fœcundi.

Unus sponsæ oculus, quo sponsi cor vulneratur.

§. 191. Pro duobus ergo primis dicit cor suum amoris jaculo vulneratum (h) *in uno oculorum* sponsæ, & *in uno crine colli sui*. Unus oculus sponsæ est cognitivus, & alius amativus, & gustativus; (i) & hic singulariter tangit cor sponsi. Nam & homo parum reputat se cognosci, respectu ejus quod est amari. Vel sinister oculus sponsæ est ad temporalia & exteriora; dexter vero est ad æterna & interiora. (k) Et hoc est, de quo agitur.

Plus æstimatur amari, quam cognosci.

Unus ejus crinis.

§. 192. Ille etiam *crinis* est virtus, id est, illa subtilium meditationum & desideriorum, quæ directe & immediate uniuntur, & feruntur ad sponsum amandum, & honorandum, & adorandum,

---

(a) Consentit Hugo Card. & membr. quoque Cod. noster Bernardin. sacror. Biblior. de quo mox, pariter lego: *Amana, iniquus ei, vel coangustans, seu concupiscens eum, aut coangustatio ejus.*

(b) Secundum Tirinum *lucerna*; & *avis nocturna*, scilicet *quæ de nocte videt, & de die obcæcatur*, apud S. Antonium Pat. in Psalmos Serm. 78. & Hugonem Card.

(c) Sic Interp. nost. Exposit. in Psalt. Ps. 132. ac idem Hugo Card. Alii aliter prædicta nomina interpretantur; unde mirum haud est, si & alia sit *Hermon* interpretatio in Opusc. de sept. grad. Contempl. Ceterum *Hermon anathema mœroris, vel anathema tristitiæ*, dicitur etiam in Indice interpretat. Hebraicor. Nom. d. nostri membr. Cod. sacror. Biblior. A. 1. 40. Et Lorinus To. 4. Comm. in Psalmos Ps. 132. ver. 3. post etymologiam, quam August. refert se accepisse a peritis Hebrææ linguæ, ut significet Hermon *lumen exaltatum* (quam significationem adhibet etiam idemmet S. Bona. cit. Opusc. de grad. contemplat.) subdit „ Verior etymologia, quam Cassiodor. a Patribus traditam „ testatur, & sequitur etiam Bruno, ut sit „ *anathema &c.* "

(d) Vide sis S. Greg. Exposit. in cap. 4. Cant. Cantic. num. 11.

(e) *Deliciosa* est apud Sedul. in Orat. Domin.

(f) Utrobique *promerentiam* pro *promeritum*.

(g) Scilicet sub metaphora 1. unius oculi; 2. unius crinis; 3. mammarum & uberum; 4. unguentorum; 5. favi, melis, & lactis; 6. vestimentorum spirantium odorem thuris.

(h) *Amoris lancea vulneratum* dicit quoque in Vite Myst. cap. 3. num. 7. & *amoris jaculo* ibi num. 11. in fine.

(i) Alia quoque his similia adjectiva apud D. Bona. passim occurrunt.

(k) Breviloq. part. 2. cap. 12. in fine, *oculum*, qui est *ad temporalia & exteriora* vocat *oculum carnis*; eum vero, qui est *ad interiora & æterna, oculum rationis, & contemplationis*. Confer & sup. §. 97. Eidem quoque interpretationi suffragantur Justus Orgelit. & S. Ambros. in Ps. 118. Serm. 11.

dum, & ad cingendum collum divini cibi gustativum & incorporativum: est ille *crinis*, qui vulnerat cor sponsi. (*a*)

VERSUS DECIMUS.

Ipsius mammæ & ubera.

§. 193. Pro tertio vero dicit: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino &c.* Exuberantia enim pectoralis Sapientiæ sponsæ (*b*) est miri decoris, & saporis transcendentis splendorem omnis Sapientiæ sæcularis cujuscumque alterius inferioris. Vel quia in sponsæ *uberibus* pietas nutritiva signatur, in vino vero justitia mera; claret quod pietas sponsæ est pulchrior & gratiosior sponso, quam nimius justitiæ rigor, (*c*) Pro quarto vero dicit: *& odor unguentorum tuorum*, supple fragrat, *super omnia aromata*. Unguenta, quibus sponsa est delibuta, sunt confectiones suarum suavissimarum devotionum.

Sponsæ pietas gratiosior sponso rigore justitiæ.

Odor unguentorum ejus.

VERSUS XI.

Favus distillans, mel, & lac, labia ipsius.

§. 194. Pro quinto dicit: *Labia tua, sponsa, favus distillans*, scilicet mel divinorum eloquiorum, & *mel & lac sub lingua tua*. Sicut enim Emmanuel butyrum & mel comedet; sic sponsa mel Divinæ (*d*) Sapientiæ & dilectionis, & *lac* puræ Sanctorum vitæ & innocentiæ, habet sub lingua eloquiorum suorum, quibus filios suos nutrit. *Mel* enim per solertiam apum ex frondibus & roridis floribus colligitur; *lac* vero ex ovibus emungitur. Ideo per *mel* Sapientia superior, per *lac* inferior designatur. (*e*) Pro sexto dicit: *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*. Vestimenta sponsæ sunt omnes habitus suarum virtutum, (*f*) & specialiter exterior habitus suæ conversationis, (*g*) qui omnes divinæ devotionis fragrantia sunt conspersi. Per thus enim devotio designatur. (*h*)

Odor vestimentorum ejusdem.

VERSUS XII.

Ipsa hortus conclusus.

§. 195. *Hortus conclusus*. Hic septimo eam generaliter laudat sub metaphora horti. Et primo ex singulari clausura dicens, quod est *hortus conclusus*, & *fons signatus*, id est sub certo sigillo obseratus. Sicut enim hortus sine clausura (*i*) ab omnibus porcis, & aliis bestiis vastatur & conculcatur; sic anima a sordibus & vanitatibus vitiorum & tentationum. (*k*) Indiget autem clausura duplici, scilicet in sensibus, (*l*) & in corde. Ille autem fons Divinæ Sapientiæ, qui de occultis abyssi Dei trahitur, indiget impressiva & sigillari clausura, ut scilicet indeclinabiliter, & inerrabiliter cohæreat archetypæ formæ principalis sigilli. (*m*)

Fons signatus.

VERSUS XIII.

§. 196. Secundo laudat hunc *hortum* ex pullulationibus & fructibus arborum magis communium & domesticarum, dicens: *Emissiones tuæ paradisus*, id est, deliciosissimus hortus, (*n*) *malorum punicorum cum pomorum fructibus*, id est, mar-

Ejus emissiones paradisus, id est, hortus cum fructibus.

(*a*) Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. prope finem relato textu isto *Vulnerasti cor meum &c.* subjungit: *Oculus iste est affe us penetrans usque ad profundum. Crinis est elevatio mentalium considerationum.* Unde & Tirinus: *Vulnerasti me in unione crinium, id est, cogitationum omnium, & affectionum tuarum in illo ad quem omnia dirigis, nempe in Deo.*

(*b*) Cujus scilicet ubera redundant *doctrina & prædicatione*, apud Cornel. a Lap.

(*c*) Sic etiam Richard. Victorin.

(*d*) Cod. Patav. addit: *& Angelicæ*,

(*e*) Pariter Exposit. sub Cassiod. nomine;

(*f*) *Vestimenta, id est, virtutes* etiam Comment. in cap. 16. Apocal. a num. 1192. nec non Exposit. in Psalter. Ps. 103. Per *vestimenta* etiam Nyssenus & Ambrosius intelligunt *virtutes externas*, quæ instar thuris redolent, & ad unius Dei cultum & gloriam assidue offeruntur.

(*g*) Serm. inter alios sub S. Bona. nomine 4. in Epiph. Domini; *Vestimentum est bona conversatio &c.*

(*h*) Ibi; *thus orationis, fumus thuris per devotionem.*

(*i*) Voce *clausuræ* itidem utitur Exposit. in cap. 4. S. Luc. nec non Exposit. in Ecclesiasten, de qua mox. Vid. infra de sacr. Script. Myster. §. 25.

(*k*) Serm. sive Collat. 17. in Hexaem. *Conclusus est hortus*, inquit, *& fons signatus, quia non patet immundis, sed illis, de quibus novit Deus qui sunt ejus.* 2. Tim. 2. 19.

(*l*) Exposit. in Ecclesiasten cap. 2. *clausuram in sensibus* vocat *exteriores clausuras*.

(*m*) Videlicet *caritatis Christi per caritatis indissolubile vinculum*, ut idem ipse hunc textum declarat Serm. 23. in Hexaem. Vel *imagini Trinitatis per fidem, spem, & caritatem, qua imagine sigillatur anima*, uti habet Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. Aut *Crucifixo*, per quem S. P. Franciscus ita sigillatus mansit, *tamquam si ad ignis liquefactivam virtutem præambulam sigillativa quadam esset impressio subsecuta*, ut dicitur in Legen. Min. nec non Lect. 5. Offic. Sacr. Stigm.

(*n*) *Paradisus* enim Græce, *hortus* Latine dicitur.

martyrum, & virginum, vel conventualium, seu communiter viventium, & solitariorum. In malogranatis enim grana rubentia habentibus, & mustum acerbum generantibus, martyres figurantur. *(a)* In musto vero, & ordinato granorum ejus collegio, intra sui corticis claustrum, conventualium collegia designantur. *(b)* In decore vero, & interno candore, & dulcore pomorum, virginitas. In eorum indivisa unitate solitudo signatur, quæ cum in una arbore sint multa, quasi solitarios Anachoritas sub uno Patre, & in uno deserto sæpe legimus multiplicatos. *(c)*

VERSUS XIV.

Species arborum aromaticarum septem

§. 197. Tertio laudat hunc *hortum* ex septem speciebus arborum aromaticarum, distinguens tamen duas ultimas a primis quinque, quia duæ ultimæ sunt aptæ specialiter ad unguenta; quinque vero primæ ad alias pigmentarias confectiones: quamvis ex nardo plerumque fiat unguentum, sicut erat illud Marci decimoquarto, quo Maria *(d)* Christum inunxit. *Marci 14. 3.* Unde autem sic distinxerit est, quia in Dei operibus sex & septem sæpius distinguuntur a quinque, sicut patet in sexta & septima die septem dierum primordialium, quia in sexta die editus est homo rationalis, sic etiam in sexta ætate Christus factus est homo. *(e)* Ut autem in unaquaque harum duarum distinctionum quamdam universalitatem insinuet, idcirco post primas quinque subdit: *Cum universis lignis Libani &c.* (Ligna Libani.) In monte enim illo sunt multæ arbores aromaticæ. Post sex vero, & septem, subdit: *Cum omnibus primis*, id est, præcipuis *unguentis*.

§. 198. Dicit ergo: *Cypri (f) cum Nardo* sunt emissiones tuæ, vel sunt in horto tuo, quia *Cyprus* (Cyprus.) secundum Glossam (*Glossa ordinar.*) est in Ægypto arbor aromatica semine candido & odorifero, quod coquitur in oleo, & exprimitur: unde unguentum regale, quod *Cypricum* dicitur, paratur. *(g)* *Nardus* (Nardus.) vero est arbor aromatica & spicosa: ejus enim cacumina in aristas surgunt, & est odoris optimi, crassa & fragili radice, folioque parvo & denso. *Crocus* (Crocus.) vero est flos aurei sive rubei coloris, & habet vim lætificativam. *(h)* *Fistula* (Fistula.) vero, quæ & *Casia* vocatur, *(i)* est arbor aromatica, sed parva, & corticis robusti, & purpurei, quæ ad curandas viscerum molestias, & ad purgandam choleram valet. *Cinnamomum* (Cinnamomum.) est brevis arbor coloris cinerei, sed odorifera, & delectat: & secundum Glossam (*Glossa ordinar.*) ad medicinæ usum *Fistulæ* duplo præstans.

§. 199. Per has igitur, quinque virtutes significari possunt, & ad præsens sumuntur, secundum quod primis Ecclesiæ statibus coaptantur. *(k)* Ut in semine *Cypri*, (Quid Cyprus designet.) fidei semen, & seminalis veritas designetur. In *Nardo* (Quid Nardus.) vero in Deum, & pro Deo humilitas, spei fiducia pinguis, qualis in martyribus fuit, qui se propter Deum, & ejus fidem, obtulerunt omni confusioni & morti. In *Croco* (Quid Crocus.) caritatis aureæ claritas & jucunditas, qualis sub pace Constantini, & Doctorum sapientia fulsit. *(l)* In *Fistula* (Quid Fistula.) vero purgativa abstinentia & austeritas, *(m)* qualis in Anachoritis fuit. *(n)* In *Cinnamomo* (Quid Cinnamomum.) vero pœnitentia *(o)* & contritionis humilitas, *(p)* quæ est in detestando & vilificando *(q)* seipsum;

N quæ

(a) Sic etiam Gillebertus Abbas, Sermonum S. Bernardi continuator, Serm. 35. in Cant. num. 7.

(b) SS. Greg. & Ansel. Item S. Anton. Patav. in Psalmos Serm. 66. & alii. Quodve *hortus conclusus* sint Religiosorum claustra, est apud Cornel. a Lap. Immo & *Paradisus Domini* ap. D. Bona. Exposit. in c. 23. S. Luc.

(c) De his in Apol. paup. Resp. 2. partic. 2. Ar. 1.

(d) Cod. Patav. *Magdalena*.

(e) Serm. sive Collat. 15. in Hexaem. & cap. 1. Exposit. in Lucam. nec non in Procem. Breviloq. de longit. sacr. Script.

(f) Al. *Cyprus*; sed *Cypri cum Nardo* legitur etiam apud nostrum Interpretem cap. 4. Exposit. Lament. Jerem. Proph.

(g) Sic & Exposit. sub Cassiod. nomine.

(h) Idemmet Interpres noster in cit. Cap. Lament. *Crocus rubeum habet colorem, item & lætificat*.

(i) Ita quoque d. Exposit. sub nomine Cassiodor. Al. *Cassia*; sed *Casia* absque geminatione consonantis *S* etiam apud Virg. Ecloga 2. & Juvenal. Saty. 2. & Ps. 44. 9. Vide infra §. 222.

(k) Ita referre ad diversos Ecclesiæ status nostro Interpreti minime insolitum.

(l) *Has proprietates cypri, nardi, & croci, facile est applicare Fidei, Spei, & Caritati*, inquit Cornel. a Lap. allegans Cassiod. Apon. Angelom. Hailgrin. Cardin. Sabinen.

(m) Sic tres Anonymi apud Theodoretum, quos Hortolanus censet S. Gregor. Nyssen. S. Nilum Monach. S. Crysostomi discipulum, & S. Maximum. Item Apon. Hugo Vict. &c.

(n) In Apol. supra cit.

(o) Ita ipsemet noster Interpres Comment. in Apocal. cap. 18. sub ver. 17. num. 1339.

(p) Exposit. sub Cassiod. nomine, & S. Anselm.

(q) De hoc verbo supra cap. 3. §. 165. in not. d.

Inter spirituales medicinas pœnitentia & contritionis humilitas præstat. quæ & in spiritualibus medicinis duplo prævalet corporali austeritati; quæ & in quinto tempore terrenæ Ecclesiæ valde necessaria fuit. Cum iis autem quinque universitas virtutum *Libani*, id est, candoris & puritatis mentalis, plenarie aggregatur. (*a*)

Libanus universitas virtutum, seu candoris & puritatis aggregatio.

§. 200. Nota autem, quod bene *Nardum* primo conjunxit ad *Cyprum*, ac deinde ad *Crocum*, quia præfata martyrii humilitas subservit fidei, & pro ejus defensione se omni abjectioni exponit, & cum hoc promeretur caritatis festivam & splendidam jucunditatem. Unde etiam simul conjunxit *Fistulam* & *Cinnamomum*, quia carnis mortificatio (*b*) contritioni pœnali debet adjungi, & e contrario.

Carnis mortificatio conjungenda contritioni.

Quid Myrrha.

§. 201. Per *Myrrham* autem, quæ hic sumitur tam pro arbore, quam pro ejus gumma, vel succo, potest hic significari ista singularis amaritudo, qua menti contemplativæ omnia carnalia & temporalia ineffabiliter amarescunt, & etiam omnia creata in respectu ad sui dilecti gustum, & suavitatem (*c*) Item qua de generali desolatione divini cultus, & de nimia perditione animarum instar Rachelis (Jeremiæ trigesimoprimo, & Matthæi secundo) plorantis filios suos, inconsolabiliter lamentatur. Est item, qua cum Christo crucifixo tota transfigitur, bibens cum eo vinum myrrhatum, de quo Marci quintodecimo. Et hæc Myrrha propriissime spectat ad sponsam, (*d*) & ad sextum Ecclesiæ statum: (*e*) & non mirum si ipsa intervenit in *omnibus primis*, id est, summis sponsæ *unguentis*.

Jer. 31. 15. Matth. 2. 18.

Marci 15. 23.

§. 202. *Aloe* vero potest hic pro arbore, vel herba, vel utraque sumi; nam secundum Papiam *Aloe* est arbor Indiæ, & Arabiæ, odoris suavissimi & summi, secundum eumdem, & secundum Isidorum in Libro Etymologiarum. Est etiam herba amarissimi succi, qui succus constringitur ad modum picis, & fere est ejusdem coloris, licet non ita nigra, & valde medicinalis, & specialiter ad purgationem capitis & choleræ. (*f*)

Quid Aloe.

Papias.

Isidorus Lib. 17. Etym. cap. 8.

§. 203. Per utramque simul sumptam potest designari illa finalis suavitas spei, & desiderium transitus ad æternam gloriam cum mortis amaritudine sibi conjuncta. Cujus quidem mortis gustus & memoria est sibi admodum purgativa & medicinalis, & maxime quoad caput finalium intentionum, & quoad choleram audacis iracundiæ. (*g*) Et certe hæc optime competunt sponsæ, & septimo & ultimo statui Ecclesiæ. (*h*)

§. 204. Igitur cum *Myrrha* & *Aloe* sic sumptis, *omnia prima*, id est, præcipua, sponsæ *unguenta*, scilicet virtutes, (*i*) non immerito aggregantur. Unde & sola hæc duo specialiter nominantur

Quid primi unguenta.

(*a*) S. Greg. in Cant. cap. 4. num. 19. *Quid enim per has diversas aromatum species designatur, nisi sanctarum virtutum odor & profectus, qui in sanctis habetur? &c.* Unde & Tirinus „ *Universa ligna Libani*, reliquæ omnes virtutes. “

(*b*) De hac Comment. in cap. 8. Apocal. num. 543.

(*c*) Etenim, eodem auctore Interprete nostro, Serm. 3. Dom. 3. post Oct. Pasch. „ Vix „ invenitur aliqua delectatio terrena, quæ „ non sit respersa amaritudine, vel præ fre„ quenti assuetudine non generet fastidium. „ Ideo Divina Sapientia Christi dicit: *Spiritus* „ *meus*, qui a me procedit; *super mel dulcis*, „ id est, super omnem delectationem creatu„ ræ &c. “ Eccli 24. 27.

(*d*) In Præfat. Ligni Vitæ ab initio. In fine Opusc. de regim. animæ, & init. alter. Opusc. inscripti: *Passio Christi breviter collecta ad modum fasciculorum*.

(*e*) De prioribus quinque supra §. 199.; de sexto vero heic. Tum de septimo & ultimo Ecclesiæ statu paulo infra §. 203. Vid. Serm. sive Collat. 16. in Hexaem.

(*f*) Sic in Spec. Natural. Vincent. Beluac. Lib. 11. cap. 113. ac seqq.

(*g*) De hac inquit Part. 1. Centiloq. Sect. 20. quod *habet oppositionem ad mansuetudinem, & ad patientiam*. Quod si purgetur atque sanetur hujusmodi irascibilis, per eam fit *perpessio mortis ad honorem Christi*, Breviloq. Par. 7. cap. 7. Unde consequitur, quod sicut *rationalis, cujus est modo credere per fidem, tunc videbit aperte, concupiscibilis, cujus est amare, diliget tunc perfecte*; ita quoque *irascibilis, cujus est erigi, & inniti per spem, tunc tenebit continue, & certe*, 4. Dist. 49. Par. 1. Art. 1. Q 5. in concl. Hunc autem transitum ad æternam gloriam præcedat necesse est aliqua passioni ac morti Christi similitudo; nemo enim fit gloriæ Christi particeps, qui non fuerit primum conformis morti ejus, secundum Phil. Carpath. in hunc ipsum textum. Conformis, inquam, per mansuetudinem, & patientiam; sive per passionem martyrii, aut per mortificationem carnis & pœnitentiam, quæ secundum S. Anselmum per *myrrham* & *aloëm* significantur.

(*h*) In quo nimirum *est quies animarum non habens finem*, sive qui *correspondet septimæ diei; in qua requievit Deus ab omni opere, quod patrarat*, in Procem. Breviloq. de longit. Sacr. Script.

(*i*) S. Greg. Exposit. in Cant. cap. 4. num. 19. de illis disserens infert: *Bene igitur virtutes animarum designant, quibus aggregatis, & confectis, & bonus odor opinionis egreditur, & ægris ani-*

nantur inter aromata, quibus Christus sepeliendus, fuit conditus: unde dicitur Joannis decimonono quod venit Nicodemus ferens Myrrhæ mixturam & Aloes, quasi libras centum. (*a*) *Joan. 19. 39.*

VERSUS XV.

Quid fons hortorum. §. 205. Quarto laudat hunc *hortum* ex irriguo *fontis* dicens, quod ipsa, & in ipsa est *fons hortorum*, scilicet plurium hortorum, Animarum scilicet, & Ecclesiarum irrigativus. Et quia iste *fons* de profundis visceribus Divinæ Sapientiæ (*b*) trahitur, ideo subdit, quod est *puteus aquarum*, non mortuarum, sed *viventium*, *quæ fluunt impetu de Libano*, id est, de monte contemplativi candoris & puritatis ipsius sponsæ. Per *impetum* autem notat derivationis abundantiam, & efficaciam, & fervorem. *Quid aquæ fluentes de Libano.*

VERSUS XVI.

Quid Aquilo. §. 206. *Surge Aquilo &c.* Ostensa deliciositate sponsæ, & ejus deliciosa forma, hic subnectit deliciosum sponsi & sponsæ convictum, præfatæ deliciositati sponsæ congruum & condignum. Quia tamen hortus quantumcumque ex se

deliciosus non placet sine flatu auræ amœnæ, fragrantiam aromaticarum arborum facientis redolere, idcirco præmittitur: *Surge Aquilo*, id est, de horto meo recede. Et si sit verbum sponsæ, (*c*) est omnino invocans flatum Spiritus Sancti expellentis flatum diaboli. Si vero sit verbum sponsi, (*d*) tunc est per imperium efficax ad omnem flatum tentationum expellendum, & ad flatum Spiritus Sancti introducendum. *Aquilo* enim tamquam ventus acerbi frigoris, & rigoris, & de regione veniens tenebrosa, quam sol non peragrat, nec inhabitat, significat diabolum, & suarum tentationum flatum, aut molestiam quarumcumque tribulationum, quietem contemplationis impedientium.

§. 207. *Auster* vero calidus, & aromatica faciens evaporare, & de meridionali parte solis procedens, significat hic Spiritum Sanctum, & ejus flatum. (*e*) *Et fluant*, id est, exhalent, & evaporent aromatici fructus, & arbores, sive plantæ, ac reddant virtutum odorem. (*f*) Quia autem decet sponsum desiderari, & humiliter præinvitari a sponsa, antequam veniat, idcirco & hoc subditur, cum sponsa ait: *Quid Auster.*

animabus competens sanitas reparatur. Et Tirinus „ *Omnia prima*, seu pretiosissima, *unguen-* „ *ta*, virtutum actus & effectus, ut fuse do- „ cent Nyssenus, Ambrosius, Rupertus, S. Tho- „ mas, & alii. “ Et inter virtutes præcipue *caritas*, ut habet Exposit. sub Cassiod. nomine.

(*a*) Hoc eodem textu modo d. Exposit. utitur.

(*b*) Sive *Christo*, Comment. in cap. 7. Apocal. prope finem num. 521.

(*c*) Quod sit *verbum sponsæ* censent nonnulli, ut Nyssenus, Theodoretus, Psellus, Rabbini, Genebrardus, Soto Major, apud Cornelium a Lapide. Addit Tirinus Ambrosium & Augustinum.

(*d*) *Verbum* autem *Sponsi* esse, ceteri pene omnes apud eumdem Cornelium arbitrantur.

(*e*) Hæc omnino quadrant iis, quæ habentur inter Sermones sub S. Bona. nomine Serm. 4. Epiph. Dom., ubi dicitur: „ In Aquilone „ tentatio diaboli significatur, qui quandoque „ flatu Spiritus Sancti fugatur: *Surge Aquilo* „ *& veni auster*. “ Item Serm. 2. Dom. 6. post Pentec. „ Auster est Spiritus Sanctus: „ *Veni Auster &c.* “ Sed præstat audire ipsummet nostrum Interpretem in Exposit. Missæ, ubi sic concludit: „ Igitur Evangelium legen- „ dum est, ut *Aquilo* surgat, & *Auster* ve- „ niat, quod est dicere, ut diabolus fugiat, „ & Spiritus Sanctus adveniat. “ Per *Austrum* quoque *Spiritum Sanctum* interpretatur Comment. in cap. 19. Apocal. sub. vers. 17. Huic autem interpretationi præcinuerunt, S. Hieronymus in Comment. Habac. 3. nec non S. Gregorius Exposit. in Cant. cap. 4. num. 21. ac Lib. 9. Moral. cap. 11. num. 17. & Lib. 27. cap. 38. num. 63. atque in Ezech. Lib. 1. Hom. 2. num. 9. Richardus Vict. Exposit. in Cant. Par. 2. cap. 31. S. Antonius Patavinus Serm. in Psal. 156. Consentiunt etiam inter Recentiores Interpretes Estius, Mariana, Menochius &c. Gordonus autem tametsi referat aliam interpretationem secundum Septuag. & Hebr. radicem, ita ut *surge Aquilo* significet *evigilare*, adeoque sponsa advocet ipsum *Aquilonem*, quia corroborata Sponsi verbis non timet adversa, si adsit *Auster*; allegat tamen, nec improbat illam, quæ pro *evigilare* legit *fuge Aquilo*, subditque: *Surge, id est, abi: & recte, si Aquilo Dæmonem, Auster fervorem Spiritus Sancti designat, quem jam Sponsa optat excitata Sponsi verbis*. Sic ergo *nardus sponsæ* (ut etiam loquitur S. Bernardus de Convers. ad Clericos cap. 13. num. 25.) *fragrantissimum præstat odorem, & cetera quoque aromata fluunt; Austro spirante, Aquilone fugato*. Vid. Alex. Alen. sive Hug. Car. in Ps. 125. 4.

(*f*) Sic ipsemet Interpres noster Exposit. in cap. 23. S. Luc. prope finem.

CAPUT QUINTUM.

1. Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in
hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi
favum cum melle meo, bibi vinum meum
cum lacte meo: comedite amici, & bibite,
& inebriamini charissimi. 2. Ego dormio, &
cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis:
Aperi mihi soror mea, amica mea, columba
mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. 3. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? 4. Dilectus
meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad
tactum ejus. 5. Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. 6. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi. 7. Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem: percusserunt me, & vulneraverunt me:
tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. 8. Adjuro vos, filiæ
Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei quia amore
langueo. 9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? 10.
Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. 11. Caput ejus aurum optimum: comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi
corvus. 12. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima. 13. Genæ illius sicut
areolæ aromatum consitæ a pigmentariis. Labia ejus distillantia myrrham primam. 14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.
Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris. 15. Crura illius columnæ
marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut libani, electus ut cedri. 16. Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. 17. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo
declinavit dilectus tuus? & quæremus eum tecum?

EXPO-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

Verba Sponſæ.

§. 208.

Hortus ſponſæ eſt ſponſi.

V*Eniat dilectus meus in hortum ſuum*, id eſt, Sponſam ſuam. *Suum* autem dicit, quia magis eſt ſponſi, quam ſponſæ: (*a*) & etiam quia ipſa ſentit, & in hoc gaudet, quia magis eſt ſponſi, quam ſuus. (*b*) *Ut* (*c*) *comedat fructum pomorum ſuorum*, ſcilicet ſpiritualium (*d*). Nota, quod non dicit, *ut ego comedam*, ſed ut ipſe *comedat* mecum, & fructus ſuos potius, quam meos. (*e*) Refectionem enim in hoc ſponſi quærit (*f*) potius, quam ſuam. Deinde ſponſus non quaſi de futuro tardans dicit: *Veniam*; ſed mox hoc impleviſſe ſe aſſerit dicens:

Verba Sponſi.

§. 209. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa.* Nota hic & ubique, quod per hujuſmodi collocutiones ad invicem factas ſignificantur quædam reales, & mutuæ, & efficaces, & experimentales exhibitiones Dei ad mentem, & mentis ad Deum, in quibus intime mens experiur Deum ad ſe eſſe directe converſum, & e contra. Quando vero unus eorum de ſe, vel de altero loquitur ad alios, tunc per hoc ſignificatur, quod aliis innoteſcat. (*g*)

Mutuæ inter Deum & mentem collocutiones.

§. 210. Sponſus hic oſtendit non ſolum ſe veniſſe, ſed etiam fructus horti ſui ſe collegiſſe, & *favum*, & *mel*, & *vinum*, & *lac*, de quibus ſupra in laudibus ſponſæ præmiſſum eſt, (*h*) ſe comediſſe, & bibiſſe. Non autem dicit *collegi*, ſed *meſſui*, (*i*) ut ſignificet fructuum collectorum abundantiam, & ma-

Sponſi adventus ad fructus colligendos,

Et metendos.

(*a*) Sic etiam Cornel. a Lap. „ Ait *in hortum ſuum*, non *meum*, q. d. meus hortus non „ tam eſt meus, quam ſuus; quia ego quæ „ ſum hic hortus, non tam mea ſum, quam „ ſponſi. “ Sive ergo per Sponſam heic accipiatur Eccleſia, ſive Anima ſancta, utraque quanta quanta eſt, totum dono ac gratiæ Sponſi ferre debet acceptum.

(*b*) *Ex hoc non in ſe, ſed in Domino glorians*, inquit Richardus Vict. Expoſit. in Cant. cap. 32. *Reſervavit enim ſibi Deus* (ait ipſemet Interpres noſter part. 5. Breviloq. cap. 3.) *munera gratiæ liberaliter largienda, ut diſcat homo non eſſe ingratus; nec in ſe quaſi non acceperit, ſed in Domino gloriari.*

(*c*) Vulg. *&*; ſed *ut* Expoſit. ſub nomine Caſſiod. Richard. Vict. Cod. noſter Bernardin. Hugo Card. Jo. Vital. Lyran. antiquiores Biblior. Editiones, nec non ipſemet D. Bona. Expoſit. in cap. 8. Sap.

(*d*) Heic enim ſermo eſt *de fructu Spiritus, id eſt, de operibus devotionis*, cit. Expoſit. in cap. 8. Sap. Sive *de fructu ſapientiæ ſapidiſſimo ad deguſtandum*, Expoſit. in cap. 13. S. Lucæ.

(*e*) Hujuſmodi *fructus* producit *hortus dilecti, id eſt, Jeſu Chriſti*, nimirum *cor devotum, in quo herbæ, flores, & fructus diverſarum virtutum & meritorum*, ut dicitur inter Sermones ſub S. Bona. nomine Serm. 4. Dom. 3. Advent. Porro de operibus meritoriis tradit idem S. Bonav. part. 5. Breviloq. cap. 3. ad finem, quod licet ſint *totaliter a gratia, totaliter a libero arbitrio*, ſunt tamen *principalius a gratia*, & ideo potius ſponſi, quam ſponſæ, & ad illius potius, quam ad hujus refectionem ſpectantes. Sic hujuſcemodi opera ſponſæ, fructus potius ſponſi, quam ſponſæ agnoſcit etiam in d. Expoſit. cap. 8. Sap. ubi poſt adductum Cant. textum: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum &c.*, & alium Sap. ibi: *ſciens quoniam mecum communicabit de bonis*, *ſubdit, ſcilicet ſuis*; & cap. 12. ejuſdem Sap. *Solus Deus communicat ſua, omnis creatura alienum, quia nihil habet ſuum, unde quid habes quod non accepiſti?* Nec non in Opuſculo de quinque Feſtivitatibus pueri Jeſu ad ejus finem concludit: „ In ipſum igitur refunde omnia opera „ tua, tibi nihil retine. Dic cum pura & de„ vota mentis intentione: *Omnia opera mea ope„ ratus es Domine.* “

(*f*) *Quot enim bona facimus opera, tot apponimus Domino fercula; non enim tantus Dominus ſolum debet reverenter recipi, ſed debet etiam bonis operibus abundanter refici*, ſubdit quoque Jo Vitalis Card. ad prædictum textum *ut comedat &c.* in Speculo verbo *Opus bonum* fol. m. 221. retro.

(*g*) In hoc §. 209. nonnulla, quæ deerant in Cod. Aſſiſien. per Patavinum ſupplevimus.

(*h*) Supra §. 194.

(*i*) *Meſſui* ſecundum Vulg.; *collegi* tamen ſecundum Hebr.

Præcipue myrrham & aromata. maturitatem (a). Nominat autem primo *myrrham*, & *aromata*, quia præfata myrrha & puritas sponsæ est id, quod semper complacet sponso. Et etiam quia primo vult ab ea amaritudines virtuales & purificantes, (b) quam jucunditates demulcentes. Illæ etiam virtutes sponsæ, quæ non solum sunt in se bonæ, sed etiam spargunt ulterius fragrantiam optimi odoris & famæ ad omnes, plus complacent sponso.

Sponsus prius vult amaritudines purificantes, quam jucunditates demulcentes sponsæ.

Refectio & ebrietas amicorum sponsi. §. 211. Quia vero non sufficit sponso se solum refici fructibus sponsæ, nisi ejus amici reficiantur, & hoc usque ad summum; ideo subdit: *Comedite amici, & bibite*. Et hoc non semiplene, sed usque ad summum; unde & subdit: *& inebriamini carissimi*. Dicit etiam *comedite &c.* ut ostendat permaximam abundantiam fructuum sponsæ, sufficientem omnibus *amicis* suis, non solum ad necessitatem reficiendis, sed etiam inebriandis. (c)

VERSUS SECUNDUS.

Ejusdem sponsi ebrietas, ecstaticus quietusque sopor. §. 212. Quia vero ebrietas inducit & includit ecstaticum, securum & quietum soporem, (d) ideo sponsus hujus soporis exemplum in seipso præbet suis amicis dicens: *Ego dormio*. (e) Ne etiam credatur, quod hujusmodi sopor tollat perfectissimam vigiliam cordis, sicut utique facit noster somnus communis, ideo subdit: *& cor meum vigilat*. Tunc

Cordis ejus vigilia.

enim cor est in suo perfectissimo actu supremo. (f)

Dei in bonis operibus delectatio. §. 213. Nota, quod delectatur Deus in bonis operibus nostris. Quis autem digne valeat admirari tantam dignationem summi Dei, & Domini nostri, quod ipse in tantum dicat se refici & delectari ex fructibus & dulcoribus sponsæ, ut tamquam inebriatus totus in ea condormiat, & consoporetur, & quod ipse suum soporem amicis suis Angelis, & ceteris Sanctis præbeat in exemplum, ut etiam ipsi in eadem consimiliter soporentur?

Verba Sponsæ.

Secunda pars principalis totius partis secundæ. §. 214. *Vox dilecti mei pulsantis*. Hæc est secunda pars principalis totius partis secundæ, in qua sponsi illapsus describitur. (g) Et primo ut pulsans, & a sponsa exigens sibi cordis ostia (h) aperiri, perurgens eam fortius per rationem, quam inducit ibi: *Quia caput meum*. (i) Secundo sponsa allegante pro se rationem in contrarium, subditur familiarior & fortior requisitio sponsi ad aperiendum. Allegatio autem incipit ibi: *Exspoliavi me*. Requisitio vero ibi: *Dilectus meus misit*. Tertio subditur, quomodo sponsa surrexit, & aperuit sponso ibi: *Surrexi*.

§. 215. Nota, quod sicut modus narrandi istum illapsum differt a modo primæ partis; sic & sponsus secundum rem diversis, prout vult, modis utitur. Iste

---

(a) Significantior ergo Vulg. lectio, quam Hebr.

(b) Mortificationes enim passionum ad purificandam animam, eique inserendas virtutes, præire debent. Quodve sic Christus descendat in hortum animæ sanctæ, atque ex eo colligat myrrham mortificationis, & aromata virtutum, exponunt Nyssen. Theodoret. S. Greg. Justus Orgel. S. Anselm. &c.

(c) Scilicet *alienandis, sicut homo ebrius, qui nescit quid faciat. Unde Paulus nescivit utrum esset in corpore, sive extra corpus*: quando nimirum *anima sentit incomprehensibile solatium*, tale, inquam, quod *nec ipsa possit comprehendere, nec aliis explicare*, ut idem Interpres amplius declarat, eumdem exponens textum, Serm. sive Collat. 23. in Hexaem. Vide hujusmodi ebrietatem amplius explicatam cap. 2. Incendii sive Incentivi amoris, nec non cap. 2. Soliloq. De eadem supra §. 118.

(d) Sic etiam cit. cap. 2. Incend. ex eadem ebrietate deducit *securitatem*, nec non *veram & plenam tranquillitatem, per quam est tanta pax, & requies in anima, ut quodam modo sit in silentio, & somno*. Hinc quoque cit. cap. 2. Soliloq. infert, quod ipsamet fiat *quieta, & somnolenta recumbens in amplexibus Divinis*.

(e) Hæc esse verba sponsi tenent etiam S. Ambrosius, S. Gregorius, Philo Carpathiorum Episcopus, Lucas Abbas Sancti Cornelii continuator Aponii, apud Cornelium a Lapide in hunc textum. *Sponsæ* tamen etiam attribuit noster Interpres post alios Patres in Incendio sive Incentivo amoris cap. 3., & *animæ contemplativæ* in Exposit. cap. 9. Sancti Lucæ, & *in contemplatione dormientibus*, Exposit. in Psalter. Psalm. 4.

(f) De hoc supremo actu inquit Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. circa finem: „Sola affectiva tunc vigilat, & silentium omnibus „aliis potentiis imponit: & tunc homo alienus „est a sensibus, & in ecstasi positus, & audit arcana verba, quæ non licet homini loqui, quia tantum sunt in affectu."

(g) Vide supra §. 151.

(h) *Cordis januam* dicit etiam Philo Carpath. *ostium cordis*, & *intima cordis* Cornel. a Lap.

(i) Heic post longam lacunam, quæ cœpit §. 89., pergit & Cod. Vatic.

Illapsus sponsi altior.

Iste autem pro tanto est altior illo, quia hic sponsus, magis quam ibi, quærit ad sponsæ interiora intrare. Illic enim aliquo modo provocat ad egrediendum, quamvis non egressu distractivo, quia est egressus ad sponsum, & ut sit cum sponso.

Pulsatio sponsi.

Pulsatio autem sponsi est quæcumque sonora, & quasi palpabilis excitatio mentis, per quam sentit aliquam specialem Dei visitationem ad se venire, & eo ipso sponsum velle intrare.

Ut sibi aperiatur.

§. 216. Vox autem sponsi, qua dicit: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea &c.* Significat aliquam expressionem afflatus, per quam sponsus menti ostendit quam singulariter & multiformiter diligit illam, (a) & quam singulariter vult intrare ad ipsam, & esse cum ipsa.

Ratio ad aperiendum inducens.

Ratio autem inductiva, quam subdit, est: *quia caput meum &c.* Secundum superficiem tropicam insinuat sponsum per magnam partem noctis, fere ad partem ejus extremam, versus sponsam venisse, & nocturno rore madidatum esse, & per consequens festinanter sibi aperiri debere.

Ros cœlestis gratiæ.

Secundum rem vero significat se in silentio contemplativæ caliginis, cum plenitudine suavissimi roris cœlestis gratiæ (b) ad eam venire. Qui ros proprie dicitur ros noctium, (c) guttatim veniens, & invisibiliter stillans; quia in contemplationis ecstaticæ caligine (d) invisibiliter & quasi guttatim in capita mentium Sanctorum distillat, & in crines subtilium & multiplicium meditationum (e) & affectionum suarum: a quibus guttis noctium sponsus, in quantum nunc factus homo, & ut tunc quasi jam factus esset prævisus, præ omnibus suis participibus est repletus. (f)

Hebr. 1. 9. ac Ps. 44. 8.

Cincinni nocturnis guttis madidi.

§. 217. Bene autem in capite totum hunc rorem ut aggregatum ponit. (g) *Cincinnos* vero, id est suos longos crines dicit *guttis* quasi distinctis repletos; quia quælibet divina meditatio & affectio, juxta suam destinctionem & proportionem, aliquas guttas divini dulcoris sibi corrispondentes recipit. Tota vero roris dulcedo insimul aggregata, quasi unus ros in tali mente existit.

VERSUS TERTIUS.

Tunica exspoliata.

§. 218. *Exspoliavi me tunica &c.* Hoc quidam exponunt de allegatione timoris sponsæ, quo timet ad peccatum attingere, quum sponsus, ut dicunt, supra pulsando petiit, volens ostia cordium convertendorum & provehendorum sibi aperiri per prædicationem ipsius: quam sponsa ideo fugit, quia hujusmodi occasione timet conversationis & colloquii sæcularium, vel imperfectorum sordibus coinquinari. Unde secundum hoc per *tunicam exspoliatam* conversationem sæcularem a se depositam significat.

Pedes loti.

Per *pedes* vero *lotos* a luto & pulvere suarum affectionum (h) & ope-

(a) *Multiformiter*, inquam, *illam diligit*, quoniam *vocat eam sororem, quia cohæredem habitatione: amicam, quia ferventem dilectione: columbam, quia fertilem operatione: immaculatam, quia fulgentem processione*, forte *perfectione*, ut loquitur noster interpres Serm. de S. Catharina.

(b) De *rore cœlestis gratiæ* locum hunc explicat part. 4. Eccles. Hierar. cap. 5. De simili quoque *rore* tam Exposit. in Ps. 132. quam Opusc. de sept. grad. contemplat Item Lorin. Comment. in Psalmos d. Ps. 132. ver. 3. „ *Ros* „ mystice designat gratiam cœlestem, sicut & „ auctorem ipsius justum Christum, quem Pro„ pheta optabat, ut *cœli rorarent desuper.* " Isa. 45. 8.

(c) Cod. Vatic. *nocturnus*.

(d) De hujusmodi mystica *caligine* supra cap. 1. col 93. ac infra §. 234.

(e) Per *capillos* intelligit *supernorum contemplationem* etiam in Comment. Apocal. cap. 1. ℣. 14 num. 67.

(f) Ibibi quoque num. 66. per prædictum *caput meum* interpretatur *Christum habentem affluentiæ plenitudinem ad fœcundandum.* De qua affluentia Christi capitis ita loquitur Serm. sive Collat. 1. in Hexaem. „ Scriptura dicit Chri„ stum caput. Caput dicit, quia ab eo deri„ vatur omnis sensus devotionis, & omnis mo„ dus sanctæ operationis, & fluunt ab eo omnia „ charismata gratiarum. Influit autem Chri„ stus caput meritorie, secundum quod unitum „ est membris per conformitatem naturæ. In„ fluit etiam Christus effective, secundum quod „ Deus; caput enim Christi Deus. Similiter „ Christus caput, secundum quod Deus & ho„ mo. Diffundit ergo spiritum in membra „ Ecclesiæ &c. " Vide sis in 3. Dist. 13. Art. 2. Q. 1. in concl. nec non infra §. 234. Quod autem per rorem capitis intelligatur gratia, quæ a Christo, quasi a capite, in fideles distillat, interpretantur S. Greg. Nyssenus, Philo Carpath. tres Anonymi apud Theodoret. S. Ambr. Rich. Vict &c.

(g) *Propter plenitudinem superabundantiæ*, quæ in Christo est, de qua in eodem 3. ibi Art. 1. Q. 3. in concl. ex Jo. Evang. cap. 1. ver. 14 ac 16.

(h) Comment. in Jo. Evang. cap. 13. num. 919. itidem ad *pedes lavet*, subdit: *id est, affectus*.

operum proceſſus ab omni terrenitate (a) mundatos ſignificat.

§. 219. Licet autem hujuſmodi ſenſus de ſe ſit bonus; (b) tamen non ita plane conſonat illud, quod ſubditur, ſcilicet quod cum oſtium ſuo dilecto aperuit, ipſe jam abſceſſerat. Quamvis poſſit ad hoc dici, quod ideo plerumque in proximis, cum prædicamus eis, non fructificamus; (c) quia Dei cooperatio ſe ſubtrahit propter noſtrum privatum amorem, quo de nobis ipſis nimium ſolliciti & formidoloſi, & de Dei protectione & providentia diffidimus, & de proximorum ſalute minus debito curamus.

Cur deſit prædicationis fructus.

§. 220. Proſequendo tamen de contemplatione, de qua magis proprie eſt hic ſermo, poteſt dici, quod hoc intelligitur de timore ruendi, quem mens quantumcumque alta habet plerumque in arduis aſcendendis, vel aſſumendis, vel in initiis revelationum ab initio occultarum & abſconſarum; ita quod mens formidat, ne ibi poſſit eſſe illuſio, vel periculum alicujus tentationis, deceptionis, vel temeritatis ad aſcendendum ultra virium ſuarum proportionem, (d) & per hoc timet a perfectione jam acquiſita (e) cadere, & in priſtinam converſationem relabi, & priſtinis ac depoſitis ſordibus inquinari. Quia vero ille timor quando eſt debite commenſuratus, majorem & familiariorem certificationem ſponſi, & ſui illapſus meretur, ideo ſequitur:

In revelationibus periculum illuſionis.

VERSUS QUARTUS.

§. 221. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen*, ſcilicet oſtii, (f) *& venter meus contremuit* (g) *ad tactum ejus*. Utitur enim tropo, ac ſi lectus ſponſæ eſſet juxta oſtium, habens aliquod foramen parvum, per quod manus immiſſa quaſi (h) poſſit contingere ventrem ſponſæ. Per hoc autem *foramen* ſignatur ſubtilis & occultus aditus cordis ſoli divinæ virtuti pervius, in quem tamen manus ejuſdem divinæ virtutis ſic immittitur, ut quaſi (i) ſenſibiliter & palpabiliter *tangat ventrem*, ſeu viſcera cordis, & tota mens *contremiſcat*, tamquam ſentiens *tactum* Dei repentinum & inuſitatum. (k) Unde ex tunc habet omnino ſurgere ad aperiendum *dilecto*, ideo ſubdit:

Quid ſignificet oſtii foramen.

VERSUS QUINTUS.

§. 222. *Surrexi &c.* Iſta ſurrectio eſt fortis mentis erectio ad Dei viſitationem plene recipiendam, & ad ſe exhibendam eidem totaliter perviam & apertam. Quia vero hoc cum ſumma intellectus & affectus puritate fieri oportet, ideo ſponſa ſe hanc habere oſtendit ſubdens: *manus meæ diſtillaverunt* (l) *myrrham &c.* Loquitur ad ſimilitudinem ſponſæ tantum gutta, vel unguento myrrhæ perunctæ, quod defluit, & diſtillat ab ea, juxta quod de ſponſo in Pſalmo quadrageſimoquarto: *Myrrha & gutta, & caſia a veſtimentis tuis*, ſcilicet defluunt & diſtillant. (m) Sicut ergo in myrrha

Quid ſponſæ ſurrectio.

Pſal. 44. 9.

(a) Vel *terrenitate*, de qua voce apud ipſum noſtrum Interpretem in 4. Diſt 24. Par. 1. Art. 1. Q. 1. in concl. & alibi ſæpe. Vid. Comment. in cap. 12. Apocal. num. 817. de quo Vol. 2.

(b) Huic ſenſui ſuffragatur S. Greg. Magn Expoſit. in cap. 5. Cant. num. 6. Item Philo Carpath. Expoſit. ſub nomine Caſſiod. Beda, Anſel., Richard., Honor. &c. Unde vitæ quietæ, & contemplativæ addicti, ut ut prædicationis gratia dotati, ad illam adduci nequeunt, niſi ſuperiorum juſſu coacti, utpote veriti, ne in hominum turba in peccandi pericula prolabantur, contemplationis quiete ab ipſis amiſſa.

(c) Verbum *fructifico* habet etiam Non. Marcell. de propriet. Sermon. nec non Tertull. de Reſur. car. cap. 52. & de Præſcript. cap. 36.

(d) In hanc rem ſcite loquitur Lib. 3. Sentent. Diſt. 9. Art. 1. Q. 6. in concl.

(e) Cod. Vatic. *jam accepta*.

(f) Maldonatus *per rimas oſtii*. Alii apud Malvendam *per foramen oſtii, vel ſeræ, ut ſi poſſet, peſſulum removeret, & oſtium reſeraret*. Menochius *per foramen ſeræ, cui clavis immittitur*. Boſſuet *per foramen ſeræ, quaſi aperturus digito &c.* Et certe conſtat ex Hebræo, Septuaginta, & aliis, id eſſe ad ſolum *oſtium* referendum.

(g) Vulg. *intremuit*; ſed apud Hug. Card. & Lyran. in marg. *al. contremuit*.

(h) Recte additur *quaſi*; quia, ut bene notat Calmet, nuptialis thorus ita prope fores eſſe non ſolet.

(i) Ergo & ante recte additum *quaſi*.

(k) Ita fere Expoſit. ſub Caſſiod. nomine, & S. Gregorius in hunc textum.

(l) Vulg. *ſtillaverunt*; ſed *diſtillaverunt* etiam d. Expoſit. ſub Caſſiod. nomine, S. Greg. in Evang. Lib. 1. Hom. 10. num. 6. Richar. Vict. Expoſit. in Cant. cap. 34. Gillebertus Abbas Serm. 43. in Cant. num. 8. nec non Hugo Card. Lyran. duo Codd. noſtri Bernardin.

(m) Hunc ipſum textum interpretatur de *Sponſo Chriſto* etiam in Expoſit. Pſalterii Pſal. cit. De *caſia* autem abſque geminatione conſonantis *s* ſupra §. 198.

myrrha puritas, & in *myrrha probatissima*, probatissima pietas, sic in ejus distillatione, puritatis & pietatis redundantia designatur. (*a*) Sicut autem in radicali planitie manuum, radices nostrarum virtutum operativarum signantur; sic in digitis inter se discretis virtutum dona distinctione & specificatione designantur, (*b*) quæ omnia in sponsa plena sunt puritate & pietate in alios redundante.

Præmissa igitur surrectione & puritate, tamquam necessariis ad aperiendum, subdit de apertione dicens:

VERSUS SEXTUS.

Quid pessulum. §. 223. *Pessulum*, id est, januam ostii, vel seram, (*c*) vel vectem, sive firmaculum *ostii mei aperui dilecto meo*. *Pessulum*, pro ut est sera lignea, (*d*) seu ferrea ostii, dicitur a *pello pellis*, quia pellitur & repellitur. Prout vero est ipsum ostium dicitur a *pede*, quia habet inferiorem cardinem quasi pedem. Quid apertio. Apertio autem ista est patula dilatatio cordis, (*e*) & sui sensus, & desiderii, ad visitationem sponsi recipiendam.

Quid sponsi declinatio. Tertia pars principalis totius partis secundæ. §. 224. *At ille declinaverat &c.* Hic agitur de tertio modo contemplativi ascensus, qui caussatur ex repentino & insperato abscessu sponsi nimium desiderati. Et in hoc primo exprimitur ejus repentinus & insperatus abscessus. Secundo plenior animadversio, & efficacior prioris locutionis sponsi, ex hoc subsecuta in sponsa ibi: *Anima mea &c.* Tertio sponsi a sponsa multiplex re-

quisitio ibi: *Quæsivi &c.* Quarto sponsi sic requisiti quæsita ab ea descriptio ibi: *Qualis est &c.* Quinto sponsæ super hoc responsio, & singularis decoris & gratiositatis sponsi descriptio ibi: *Dilectus meus &c.* Sexto de locali termino sui recessus, sponsa ab eisdem requiritur ibi: *Quo abiit &c.* Septimo a sponsa responsio redditur, in qua sponsus jam in eam descendisse, & cum ea esse docetur ibi: *Dilectus meus descendit &c.* Dicit ergo: *At ille declinaverat*, quasi scilicet ad aliam viam vel domum, *atque transierat*, id est, discesserat.

§. 225. Nota, quod aliquando Deus incipiens mentem visitare, ante consummationem visitationis repente abscedit; tum quia ex hoc desiderium cordis fortius accendit, (*f*) & ad altiora implenda altius suspendit & sublevat, & tandem plenius illud quod quærit, obtinet, quam optaverat: (*g*) tum quia mens ex hoc aliquando advertit plenius gratiam & efficaciam visitationis inceptæ, quam si perdurasset in ea. Cujus exemplum patet in duobus discipulis euntibus in Emmaus, quibus Christus apparuit in specie peregrini, & tandem cum cœperunt cognoscere, subito avolavit ab eis. Ex quo plenius advertentes quod primo in eis fecerat, dixerunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et hoc ipsum contigit hic sponsæ dum subdit: Accensio desiderii ex dilecti subtractione. Luc. 24 32.

§. 226. *Anima mea liquefacta est*, *ut dilectus locutus est*. (*h*) Ecce quod tunc, dum sibi sponsus loqueretur, aperire

distulit,

(*a*) Hæc supplevimus ope Cod. Patav.

(*b*) Per *discretionem digitorum* designari *diversas virtutes*, discimus quoque ex S. Greg. Exposit. in cap. 5. Cant. num. 9. Quod autem ait de *radicali planitie manuum radices nostrarum virtutum operativarum signante*, accipe ita ut absit *superstitiosa investigatio præscientiæ futurorum*, de qua idem ipse prima par. Centiloq. Sect. 29. Intellige id ergo, non secundum chiromantiam vetitam, sed secundum illam physiognomiæ partem naturalem, quæ per lineas partesque manuum considerat probabiliter corporis temperiem, & ex hac conjectat animæ propensiones, atque ad operandum vires: quam conjectandi artem licitam morum Magistri, vel post damnatam chiromantiam, passim defendunt.

(*c*) *Pessulum, id est, seram*, ait quoque Rich. Vict. ibi cap. 35.

(*d*) De *veteri forma serarum lignear.* ap. Hebr. Lud. Legio. & Malven.

(*e*) Ita etiam Interpres noster in Incend. sive Incent. amor. cap. 2. ad illud implendum *Aperi mihi Soror mea*, docet ut *cor aperiatur*.

(*f*) *Ut majus desiderium excitet sui*, ait etiam Maldonatus.

(*g*) *Ut desiderium ejus amplius excitet, & perfectius impleat*, pariter inquit laud. Richar. Vict. ibi.

(*h*) Consone ad prædicta in Exposit. Evang. S. Lucæ cap. 24. „ In subtractione præsentiæ „ corporalis excitat ad desiderium præsentiæ „ spiritualis, quæ est ex inflammatione desiderii ex recordatione Christi. Et ideo subditur: *& dixerunt ad invicem: nonne cor nostrum* „ *ardens erat &c.* Hunc ardorem concomitatur liquefactio suavissimarum affectionum.... „ *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus* „ *est*. " Sic etiam eadem Exposit. in cap. 10. de *anima ardente* ait, quod *liquefacta est &c.* Et heic animadvertas, quod utrobique in textu additur *dilectus*, quod in Vulgata non exstat. *Ut dilectus locutus est* habet noster Interpres etiam Comment. in Apocal. cap. 1. ver. 12. nec non Serm. 4. Dom. 17. post Pentec. prope finem. Idipsum præfert MS. Cod. hujus

nostræ

distulit, quasi dubitans an ipse esset, & an esset sibi utile aperire. Nunc autem certitudinaliter (a) animadvertit se ex locutione sponsi præ nimio amoris resolventis ardore liquefactam fuisse. (b) Tum sicut in contemplationis primordiis expedit, sponsi illapsum aliquantulum diutius immorari, ut mens in contemplationis amore, & in contemplativo statu fundetur atque firmetur; sic postquam multum est sublimata expedit, hujusmodi illapsum (c) aliquando detruncari, ut mens quantumcumque alta addiscat non præsumere, sed humiliari, (d) & ut in his, quæ incaute egit, formidet sibi aliquam culpam absconsam inesse. Hoc autem ultimum in casu isto & consimilibus, proprie habet locum, quia in eo quod sponsa non statim aperuit sponso, culpam potuit merito formidare; quia difficile est, quod in talibus non interveniat aliqua culpa. (e)

Expedit divinum illapsum aliquando subtrahi.

Tres modi Deum quærendi.

§. 227. *Quæsivi &c.* Tres modos quærendi se habuisse ostendit. Primo propria meditatione, & investigatione. Secundo forti oratione, & invocatione; unde subdit: *vocavi*, scilicet sponsum. Tertio adjurativa, seu obsecrativa multorum de sponso interrogatione, vel potius de ferenda sponso per illos sui in contemplatione languoris denunciatione; (f) unde illa dicit: *Adjuro vos &c.* Quando enim mens sancta per propriam orationem non impetrat illud, quod petit, tamquam se indignam exaudiri existimat. Recurrit etiam ad multitudinem imperfectorum, ut per eorum orationes sponso suum desiderium præsentetur, & quod desiderat, impetretur. Et sicut sponsæ oratio a Deo petens auxilium, altior est, quam sua propria investigatio; sic præfata imperfectorum adjuratio, altioris humilitatis & meriti est, quam sua sola oratio, tum quia humilior, tum quia multorum orationibus circumfulta. Unde hic ponitur pro ultimo gradu quærendi; sed inter hunc, & secundum interponitur unus alius eum acquirendi fortius humilians & accendens.

VERSUS SEPTIMUS.

Qui sint custodes civitatis.

§. 228. *Invenerunt me custodes &c.* Si enim *custodes*, seu vigiles, *civitatis*, pro malis Prælatis & Doctoribus hic sumantur, (g) tunc ab eis sponsæ percussio & vulneratio significat fortem exprobrationem sui contemplativi & inquisitivi ardoris, quem Prælati carnales & reprobi abominantur. Et tamen ex hoc mens sponsæ, desiderio ardens, fortioris amoris jaculo vulneratur; quia sicut obstaculum flumini grandi, & impetuoso oppositum, ejus inundantiam & impulsivam efficaciam excrescere facit, ita quod irrumperet obstaculum, nisi sit prius amotum, ac deinde longe impetuosius quam prius insiliat & decurrat: sic est in proposito.

Ardentius sponsæ desiderium ex Custodum obice.

§. 229.

nostræ Bibl. Tridentinæ Bernardin. sign. A. 1. 40. nec non Editiones Veneta 1476. Lugdun. 1524. 1549. 1568. Item aliæ quatuor Editiones Biblioth. Gentilott. & una Biblioth. Griezen. Accedit Hugo Card. apud quem legitur in textu *dilectus*, & in marg. *non habet dilectus*. Apud Lyranum similiter. Item *dilectus* Exposit. sub Cassiod. nomine, nec non S. Greg. Rich. Vict. Gillebertus Abb. &c.

(a) Vid. supra col. 32. §. 16. not. g.

(b) Cit. Serm. 4. Dom. 17. post Pentec. Et hanc liquefactionem alii quoque Mystici sive Contemplativi fieri censent per Divini amoris incendium, atque vehementiam. Vide sis Richard. de S. Vict. Tract. de grad. Carit. violent.

(c) Quum *illapsum* sæpe memoret vide quid sit *illabi*, & cujus sit mentibus humanis *illabi*, apud eumdem in 2. Sent. dist. 1. art. 3. q. 2., ac dist. 8. part. 2. art. unico qu. 2.

(d) Sic rursum idem Rich. Vict.

(e) Ea nimirum *culpa*, ob quam *tarditas tarditate punitur*, inquit Cornel. a Lap. *In eo quod Sponsa non statim aperuit Sponso, culpam potuit merito formidare; culpam nimirum*, Tirino interprete, *solius ignaviæ, & inurbanitatis*. Hinc scite monet nost. Interp. in Exposit. cap. 9. S. Lucæ: „ Maxime contemplationi necessaria est vigilia, „ quia citissime subtrahitur oblata gratia. Un„ de in Cant. *Pessulum ostii mei aperui dilecto „ meo, at ille declinaverat atque transierat.* “

(f) Triplicem modum quærendi Deum, & acquirendi, tradit etiam in Incendio sive Incentivo cap. 1. 2. & 3. nempe *meditatione, oratione, & contemplatione*, in qua scilicet anima suspirat ad *copulam, osculum, & amplexum dilecti & amatissimi*.

(g) Ita Theodoret., Justus Orgelit. Angelomus, Titelman., Luysius, quos laudat Cornel. a Lap. ceu *melius & germanius* in rem istam loquentes. Item ipsemet Interpres noster in Comment. super Apocal. cap. 13. ver. 11. & cap. 18. ver. 17. Exposuit quidem de bonis Doctoribus, & Superioribus, quod supra cap. 3. ver. 3. dicitur: *invenerunt me vigiles, qui custodiunt Civitatem &c.*; sed, ut animadvertit Estius, *aut non iidem intelliguntur, aut quod factum narratur, diverso tempore factum est. Illic enim interrogantur de dilecto, & interrogantem dimittunt sine molestia. Hic vero percutiunt, & vulnerant, & pallium tollunt.*

Quid ablatione pallii designetur.

§. 229. Per ablationem vero *pallii* intelligitur amotio velaminis (*a*) illius temporis. Sicut enim ex persecutione illata Ecclesiæ a Scribis & Sacerdotibus Judæorum, pelliceum velamen cerimonialium, & literæ occidentis, est fortius ab ea relictum; sic & in omnibus consimilibus consimilia intuere.

2 Cor. 3. 16.

Tollunt etiam ipsi (*b*) pallium erubescentiæ, quo non sic (*c*) inerubescibiliter audebat (*d*) publice prosequi omnia altius competentia statui suo. Unde ex persecutoribus inerubescibilior redditur ad quærendum. Et hoc in tantum, quod etiam a communi vulgo imperfectorum non erubescit quærere sponsum, & sui amoris languorem, quasi quamdam sui miseriam, eorum subsidio relevandam, absque erubescentia propalare. Unde languor amoris dicit amorem tenerum, intimum, & fervidum.

Quid amoris languore.

Si vero per *Custodes* perfecti Prælati, & Doctores, intelligantur; (*e*) tunc quidquid boni primi fecerunt per accidens, scilicet persequendo; idipsum perfecti faciunt efficaciter adhortando. (*f*)

VERSUS VIII. & IX.

Verba Sponsæ, ipsique respondentium.

Custodum petitio.

§. 230. *Adjuro vos filiæ Jerusalem &c. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto*, (*g*) *quia sic adjurasti nos?* Hic imperfecti, seu inferiores, instanter petunt a sponsa descriptionem sui sponsi, incitati ad hoc ex excessivo amoris ardore, quem in sponsa ex sua *adjuratione* (*b*) probaverant. Et hæc est una de caussis, propter quam sponsus aliquando suæ præsentiæ consolationes subtrahat a perfectis, ut scilicet ex hoc compulsi, suorum desideriorum languores inferioribus exprimendo, excitent inferiores ad magna æstimanda & requirenda de sponso, pro cujus desiderio & absentia sic languescunt perfecti.

§. 231. Nota autem, quod bis quærunt: *Qualis est dilectus &c.* quia instanter & vehementer hoc a sponsa addiscere volunt. Nota etiam, quod in prima vice dicunt: *o pulcherrima mulierum*, in secunda vero: *quia sic adjurasti nos*; quia duabus ex caussis excitati sunt ad quærendum hoc a sponsa. Prima est ex summo & singulari decore sapientiæ, & sanctitatis, & perfectionis sponsæ. Non enim videtur falsum, vel frivolum, quod mens talis ac tanta sic excessive quærit & amat. Secunda est præfata adjuratio, qua eos sic cordialiter (*i*) adjuravit.

Cur iterata eorumdem petitio.

§. 232. Nota etiam, quod primo vocat *dilectum* non absolute, sed *dilectum ex dilecto*, scilicet genitum. (*k*) Nec enim alium sensum, ne dicam verum, imo nec verisimilem, poteris dare huic modo loquendi. Salomon enim in tribus libris Divini amoris ab ipso editis (*l*) voluit, more veteris testamenti, caute & ingeniose subinducere personalem

Quare sponsus a sponsa dictus *dilectus ex dilecto*.

Salomon novit Christum velut Deum, & hominem.

(*a*) *Pallium* namque secundum Hebr. est *velamen*, inquit Malvenda.

(*b*) Al. *sibi*.

(*c*) *Non sic* deest in Codd. Vatic. & Assisien.

(*d*) Ita Cod. Patav. modo autem dicti Codd. *audeat*.

(*e*) Sic ex Latinis Cassiodorus, sive alius sub ejus nomine latens, S. Gregorius, Beda, Haymo, S. Anselmus, Rupertus, Gillebertus, ex Græcis autem Philo; Carpathiorum Episcopus.

(*f*) Namque, interprete laud. S. Greg. Exposit. in cap. 5. Cant. num. 13. *Custodes percutiunt sponsam & vulnerant; quia Prædicatores Sancti dum cælestia loquuntur, amantem animam afficiunt, & majori amore sagittant. Pallium tollunt; si quid pompæ secularis residuum erat in corde, exhortationibus suis ab animo auferunt &c.*

(*g*) Filiæ Jerusalem id repetunt; quia *quo ardentius diligunt, ea dulcius verba de eo repetunt, ut per repetitionem dilectionis maximus amor ostendatur*, ait d. S. Greg.

(*h*) Ex hac sponsæ *adjuratione* infert Soliloq. c. 1. versus finem noster Interpres cum Bernardo: *Non operit anima quem diligit, quia præsentem omnibus credit, qui de corde suo non recedit*; & cum Augustino: *impatiens est amor, nec lacrymis sedatur, donec amori detur quod amatur.*

(*i*) Est etiam apud D. Bona. *præcordiale*. Vid. Prodr. col. 560. Item *cordiale, cordialissimus, cordialissime, cordialitas*, apud Glossar. Ducang.

(*k*) Nam Christus ut Deus, *in nativitate divina est dilectus ex dilecto*, inquit Gillebertus Abbas, Bernardi continuator, Serm. 47. in Cant. num. 5. Quod ipsum firmant S. Greg. Nyssenus, Philo Carpath. Beda, S. Anselmus &c. Unde Tirinus „ *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Nempe Verbum Divinum genitum „ ex Patre cœlesti, inquiunt SS. Patres. “

(*l*) Proverbia, sive Parabolæ, Ecclesiastes, & Canticum Canticorum Salomonis *tres libri Divini amoris* dicuntur, quia etsi hujuscemodi Canticum præ ceteris agat de incomprehensibili amore Christi erga sponsam suam, & vicissim sponsæ erga Christum sponsum; eo nihilominus tendunt etiam duo priores, ut per veram Sapientiam, mundique contemptum, Dei amor

nalem proprietatem filii Dei, secundum quam erat incarnandus, & pro nobis in carne passurus. Unde & supra sub hoc ingenio, sive proprietate, signanter dicit eum coronatum a Matre, (a) & infra ultimo (b) de sua Incarnatione & Passione sub eodem ingenio expressius id dicet. Et certe ut omittam redundantiam sapientiæ datam Salomoni a Deo ex promissionibus factis David patri suo, & ejus posteris, poterat nimis scire Christum Dei filium ex Davidis semine esse incarnandum, & se tenere typum illius, & didicit Patrem suum typum Dei Patris. Unde sicut ipse Salomon suo tempore fuit Synagogæ *dilectus ex dilecto;* sic sibi constabat, quod Christus erat toti Ecclesiæ *dilectus ex dilecto*, licet tunc non esset hoc sic explicite, sicut nunc. (c)

VERSUS DECIMUS.

Verba Sponsæ.

§. 233. *Dilectus meus &c.* Hic describitur & laudatur sponsus a sponsa, & sicut in amativis (d) cantionibus fieri solet in principio & in fine, commendat eum breviter, & in summa. In intermedio vero processu commendat specialius eum, & distincte per partes, sequens ordinem partium corporis virilis, quem modum & ordinem sponsus supra in laudibus sponsæ servavit. (e) Primo ergo commendat eum in summa tam absolute, quam respective. Absolute quidem ex colore, qui in pulchritudine corporali, tamquam visibilis, multum præfertur. Dicit ergo, quod est *candidus & rubicundus*. Horum enim colorum proportionata permixtio, seu connexio, est in corpore humano præ ceteris coloribus pulchra & grata. Per hoc autem significatur, quod est plenus candore puritatis, & sapientiæ, & claritatis, & flammeo rubore mundæ caritatis. (f) Respective autem commendat eum dicendo, quod est *electus ex millibus*, id est, præ omnibus, in omni virtute & decore præcellens & præelectus. (g) Deinde commendat eum per partes ponens per ordinem septem partes. Primo scilicet *caput* cum suis *crinibus* & *comis*. Secundo *oculos*. Tertio *genas*. Quarto *labia*. Quinto *manus*. Sexto *ventrem*. Septimo *crura*. Deinde redit ad ejus generalem commendationem ibi: *Species ejus ut Libani*. Dicit ergo:

Sponsus commendatur absolute.

Laudatur etiam respective.

Item per septem partes.

VERSUS XI.

§. 234. *Caput ejus*, id est, suæ Deitatis eminentia, juxta illud primæ ad Corinthios undecimo: Caput Christi est Deus, *aurum optimum*, (h) id est, pretiosum, (i) & supereminens omnibus, sicut

Caput ejus aurum optimum.
1. Cor. 11. 3.

---

amor introducatur. Hinc Proverb. 10. ℣. 12. dicitur: *universa delicta operit caritas*, & Eccles. ultimo ℣. 13. concluditur: *Deum time* (timore utique casto ex Divino amore) *& mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.*

(a) Cap. 3. ad finem.

(b) Seu cap. 8. ab initio.

(c) Hæc omnia apprime cohærent iis, quæ tradit in 3. Sentent. dist. 25. art. 1. q. 2. in conclus.

(d) Hoc adjectivo utitur quoque Serm. sive Collat. 18. in Hexaem.

(e) Cap. 4. §. 166.

(f) Sa „ *Candidus*, scilicet puritate: *Rubi-* „ *cundus*, scilicet caritate. "

(g) 1. Sent. dist. 10. dub. 1. ac in Incend. sive Incent. amoris cap. 3., nec non Exposit. in cap. 9. S. Lucæ, ubi dicitur *præcipue & summe electus*. Vide infra §. 246.

(h) In Compendioso Principio super Libros Sententiarum ait: „ Cum caput Christi sit „ Deus, ut dicit Apostolus, & in Cant. le- „ gamus: *Caput ejus aurum optimum:* corona „ aurea per gyrum est unitas Divinitatis &c. " In Commentario quoque Apocal. cap. 1. ℣. 14. de quo Vol. 2. per *caput ejus aurum optimum* intelligit *Christum*, qui est *caput nostrum*. Et cap. 19. ℣. 12. itidem per *caput ejus* interpretatur Divinitatem. Quærens insuper in 1. Sent. dist. 31. part. 2. dub. 8. an sit *caput ratione Deitatis, aut ratione conformitatis in natura*, respondet „ quod caput, secundum quod „ proprie accipitur, importat rationem in- „ fluentiæ, & conformitatis naturæ; ideo di- „ citur Christus caput totius Ecclesiæ. Sed Hi- „ larius extensiori modo accipit prout caput „ dicit originale principium. Et quoniam Deus „ Pater est principium Filii, & Filius princi- „ pium omnium, ita quod Filius producitur, „ & producit; ideo caput est, & habet ca- „ put. " Item sicut supra etiam Maldonatus ait: *Mystice caput Christi est ejus Divinitas* 1. *Cor.* 11. 3. Vide supra §. 216. in not. f. Ex hac autem interpretatione de *capite Christi* apparet ratio, cur heic sponsi formam a capite incipiendo sponsa descripserit, ubi secus infra init. cap. 7. Sponsus in describenda forma sponsæ exorditur a pedibus; quia scilicet Christus sponsus quodammodo a summo cœlo usque ad inferiores partes terræ demisit humiliavitque se, ac sua Divina Majestas, ut Sponsæ opem ferret, condescendit: Sponsa vero per hanc sui Divini Sponsi condescensionem ex ima terra sursum erat usque ad summum cœlum sublevanda. Vid. Joan. Lorinum To. 4. Commentar. in Psalmos Ps. 143. ver. 5.

(i) Cod. Assis. *opus scilicet pretiosum.*

sicut aurum optimum ceteris metallis, & etiam cuicumque auro non optimo. Comæ ipsius. *Comæ* ejus sunt scilicet sic longæ, & rectæ & latæ, & sic sparsæ, (*a*) semperque splendidæ, & nitentes, *sicut elata palmarum*, id est sicut rami longiores & excellentiores palmarum. Secundum enim Papiam *elatæ* sunt productiores rami palmarum. (*b*) Et sub hoc sensu *elatæ* habent mediam syllabam productam, & dicuntur *elatæ*, (quia elevatæ) ab *effero effers*. Quidam vero dicunt, quod alia translatio habet: *crines ejus sicut abietes*; (*c*) & dicunt, quod *elatæ* Græce, est *abies* Latine, & hi acuunt ultimam. (*d*) Et Papias dicit, quod quidam *elatas* dicunt *abietes*, id est, sicut arbores similes palmis, quia *elatæ* est nomen arboris similis palmæ altitudine vel foliis. *Nigræ quasi corvus*. Hic color in crinibus virorum satis est decens, ut sequamur tropum. Secundum autem Dionysium ultimo capitulo Angelicæ Hierarchiæ, nigredo (sicut & caligo nubis Moysi) significat incomprehensibilem profunditatem Divinæ Sapientiæ. (*e*) Est ergo sensus, quod sapientiales comæ Christi sunt rectæ, & erectæ, & vigorosæ, sicut rami palmarum, aut sicut proceræ abietes: & sunt nobis incomprehensibiles, & ideo sunt nobis obscuræ. Dicit autem *quasi corvus*, ad exprimendum excessum nigredinis: vel ad ostendendum quod sunt magnæ auctoritatis & maturitatis, sicut corvus, qui est grandis & grossæ (*f*) vocis & rostri: vel secundum Glossam sunt nigræ, id est despicabiles mundanis, sicut est illa clamosa & improba avis.

[Margin: Sicut elatæ palmarum. — Papias. — Papias. — Nigræ sicut corvus. — *Dionysius de Cæl. ac Angel. Hier. c. 15.* — *Glossa ordinar.*]

VERSUS XII.

§. 235. *Oculi*, id est, contemplativi aspectus, (*g*) *ejus* sunt gratiosi, & perspicaces, *sicut columbæ* exsistentes (*h*) *super rivos* (*i*) *aquarum*, id est, super rivos omnium creaturarum, naturarum, & gratiarum, & Scripturarum, (*k*) & super omnes rivos, seu derivationes Sapientiæ Dei, quæ super omnia opera Dei sunt effusæ: *quæ* columbæ *lacte sunt lotæ*, id est, sunt albæ & nitidæ, sicut lac. Per quod significatur divinorum aspectuum splendor sincerissimus, & dulcissimus, & recentissimus. *Et resident juxta fluenta plenissima*, id est, juxta abyssalia, (*l*) & redundantia flumina immensæ Sapientiæ Dei. (*m*)

[Margin: Oculi, sicut columbæ super rivos aquarum. — Lacte lotæ. — Juxta fluenta plenissima.]

VERSUS XIII.

§. 236. *Genæ illius*, secundum Glossam modestia & pietas, quod forsitan dicit, quia hæ in genis refulgent: Vel *genæ ejus*, id est, ejus suaves honestates, & condescendentiæ, (*n*) sunt *sicut areolæ aromatum*, id est, aromaticarum plantarum, *consitæ*, id est, complantatæ, (*o*) a pig-

[Margin: Genæ *Glossa inter.* — Sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis.]

(*a*) Assis. ac Patav. *crispatæ*. Pagninus vertit *crispæ*.

(*b*) Ita in Patav.

(*c*) Sic etiam SS. Gregorius Nyssenus & Ambrosius apud Corn. a Lapide.

(*d*) Vide cum accentu in ultima apud eumdem Cornelium.

(*e*) Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. prope finem cum eodem Dionysio *Divinam intelligentiam* vocat *tenebras propter incomprehensibilitatem*.

(*f*) *Grossitudinem* quoque dicit in Tract. de Eccles. Hierarch. Vid. Prodr. col. 534. nec non col. 162. ubi apud D. Bernardum legi animadvertimus *grossa vestes*.

(*g*) Ita de more noster Interpres vitæ contemplativæ laudator & cultor, a quo istud *Canticum Canticorum* cap. 4. Itinerarii mentis in Deum dicitur *factum ad exercitium contemplationis*. De *oculis rationis*, & *contemplationis* idem part. 2. Breviloq. cap. 12.

(*h*) Per ly *exsistentes* datur intelligi, quod vox *columbæ* non est genitivus singularis, sed nominativus pluralis, ut etiam patet ex Hebræo & Græco. Unde subjungitur *quæ lotæ sunt* in plurali, non *quæ lota est*.

(*i*) Vulg. *rivulos*; sed *rivos* idem Interpres etiam Tract. in cap. 1. Ezech. de sacræ Scripturæ mysterio §. 19.

(*k*) Serm. sive Collat. 23. in Hexaem. versus finem: *Oportet habere sagacis desiderii perspicuum contuitum, ut sicut columba videt super aquas residens avem rapacem; sic homo videat in Scripturis*. Sicque pariter cit. Tract. in cap. 1. Ezech. ibi.

(*l*) *Abyssalis* quoque est in Apol. Pauper. ac in Princip. sacr. Script. Vid. Prodr. col. 607. & col. 623.

(*m*) A qua scilicet *plena fit impressio, & coadunatio cælestis luminis in corde hominis, quoad ipsius justificationem: plenior quantum ad illustrationem Sapientiæ, & veritatis inspirationem: plenissima vero quoad consummationem justitiæ, & finalem caritatis in homine perfectionem, & conservationem*, ut ipsemet Interpres loquitur Par. 4. de Eccl. Hier. cap. 6. ubi prædictum Cant. textum una cum aliis ad id comprobandum adducit, ostendens totum hoc procedere *a Christo velut a fonte*; namque *de plenitudine ejus omnes recipimus gratiam pro gratia*. Unde & Tirinus ad præfatum textum subjungit: *Christus fons ille est aquarum viventium, de cujus plenitudine nos omnes accipimus*.

(*n*) Sive *condescensiones*, qua voce D. Bona. sæpe utitur.

(*o*) De hoc verbo supra De Plantat. Parad. §. 8.

a pigmentariis, id est, a confectoribus pigmentorum. Sicut enim prædictæ areolæ sunt in viridariis odoriferæ & gratiosæ; sic honestas & condescendentia Dei, quæ in areolis suorum operum per Angelos, & Prophetas, & Apostolos, *(a)* divinorum pigmentorum confectores, complantatis, miro modo refulgent, sunt summe fragrantes & gratiosæ oculis castis. *Labia ejus sunt lilia distillantia myrrham primam*, id est, docentia, & in auditoribus diffundentia summam & præcipuam puritatem, juxta illud Psalmi undecimi: Eloquia Domini, eloquia casta. *(b)*

Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

Psal. 11. 7.

VERSUS XIV.

Manus tornatiles.

§. 237. *Manus illius*, id est, ejus potentiæ operativæ & largitivæ, sunt *tornatiles*, id est, sic regulatæ, sicut si torno essent formatæ, & sic celeriter ad omne opus bonum & donum gyrabiles, sicut si essent circulares. Sunt etiam *aureæ*, id est ditissimæ, & splendore summæ caritatis, *(c)* & sapientiæ resplendentes. Sunt etiam *plenæ hyacinthis*, id est, præmiis & donis cœlestibus. Secundum enim Isidorum Etymologiarum decimosexto: Hyacinthus est lapis pretiosus coloris cærulei, vel aurei, & ideo per hunc significatur plenitudo donorum pretiosorum, & cœlestium. *(d)*

Aureæ

Plenæ hyacinthis.

Isidorus Etym. Lib 16. cap. 9. Hyacinthus quis lapis, quidve significet.

§. 238. *Venter ejus* contentivus *(e)* suorum scilicet internorum ac Divinorum conceptuum & ciborum, est *eburneus*, id est, solidus, & simul rubeus, & candidus, ac politus, & specularis, sicut ebur. Continet enim conceptus æternos, puros, *(f)* amorosos, *(g)* politos, & speculares, seu exemplares. *Distinctus sapphiris*, id est, sapphiris sub certa distinctione positis adornatus, quasi dicat: licet in se mira contineat, non tamen confusa, sed sub mira distinctione cœlestium considerationum, quæ per sapphirum gemmam cœlestis coloris, *(h)* ut qui secundum Glossam super Apocalypsim in fine, ad radios solis ardentem fulgorem emittit, *(i)* congrue designantur.

Venter eburneus.

Distinctus sapphiris.

Glossa ordinar.

VERSUS XV.

§. 239. *Crura illius*, id est, suæ fortitudinis & constantiæ, quibus innititur, sunt sicut *columnæ marmoreæ*, id est, summe solidæ, & politæ, & in ardua erectæ. *Quæ fundatæ sunt super bases aureas*, id est, super summa, & præfulgida caritate, & sapientia sua. Non quod, prout sunt in Deo, una differat *(k)* ab altera: in Deo enim omnia secundum rem sunt idipsum; sed quatenus exhibent se nobis sub diversis rationibus & habitudinibus. *(l)* Quamquam in Christo, ut est homo, distinctiones virtutum & suarum beatitudinum sit dare. Possunt enim hæc omnia aptari ad ejus Divinitatem, & ad ejus humanitatem, & ad personam Christi, ac mysticum caput, scilicet ipsum Christum cum membris omnium electorum, & cum totali ejus corpore, secundum Apostolum ad Philippenses primo. *(m)*

Crura ut columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas.

Ad Philip. 1. 1.

§. 240.

---

§. 8. nec non ad Rom. 6. 5. *Si enim complantati facti sumus &c.*

(a) Consitæ a pigmentariis, id est, ab Apostolis, & Prophetis, notat etiam S. Anselmus.

(b) Postilla in Psalter. ibi sub nomine Alex. Ales O. M. secundum alios Hug. Card. O. P. *dicuntur casta, quia docent castitatem spiritualem. Unde Jac. 3.* Sapientia, quæ desursum est, primum quidem pudica est &c..... *Item quia faciunt animas castas etiam corporali castitate, Zach.* 9. Quid bonum est ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines, *id est, germinare faciens hoc sacri eloquii.* Similiter Lorinus ait, quod *castitatem docent*, eosdem textus allegans.

(c) Auro designari *caritatem perfectam* docet etiam in Comment. super Apocal. cap. 3. ℣. 18. n. 233.

(d) Secundum Angelomum manus Christi sunt *plenæ hyacinthis*, ob ejus opera cœlestia nos excitantia ad cœlestium spem, & amorem.

(e) Hoc adjectivo utitur in Breviloq. & in Opusc. de Ecclesiast. Hierarch. &c., uti videre est in Prodromo col. 525. ac 534. Item Proœm. in 4. Sententiar. &c.

(f) In eodem sensu *puritatis* apud nostrum Interpretem part. 1. de Eccl. Hierar. cap. 4. *dicuntur Throni eburnei*, nimirum *propter munditiam cordis, & candorem innocentiæ, & castitatis:* ubi & *corda eburnea* accipiuntur pro *mundis & castis*, ac *venter eburneus* pro *virginali utero, in quo Divinitas novem mensibus requievit.* Item part. 4. cap. 7. *Ebur candidissimum, & solidissimum, nihil habens in se concavum, vel porosum, designat munditiam Mariæ virginalem.*

(g) Hoc adject. est in Gloss. Ducang. &c.

(h) Sapphirus dicitur *lapis cœlestis & aerei coloris* part. 1. de Eccl. Hierar. cap. 4., & part. 4. cap. 4. *cœlestem repræsentat puritatem pariter & colorem.*

(i) Itidem in Comment. super Apoc. cap. 21. ℣. 19. n. 1613. de *Sapphiro*, ait, quod *habet cœlestem colorem, & percussus radiis solis, ardentem emittit fulgorem.*

(k) Cod. Vatic. & Assis. *distet*.

(l) Sive *nominibus*, Brevil. part. 1. cap. 8.

(m) Cornelius a Lapide omnia hæc interpretatur de *Christo, & Ecclesia*.

§. 240. Post hæc laudat eum generaliter, dicens: *Species ejus ut Libani*, id est, sic est omnium virtutum virentibus & vernantibus herbis, & arboribus, & rivis, ac fontibus adornatus, sicut est mons *Libani*. Sic etiam est immensus, & solidus, & excelsus, & niveo candore nitens, sicut mons Libani. (*a*) *Electus ut Cedri*, id est, sic est super omnes sanctos, & creaturas prævalens, sicut *Cedrus* ceteris arboribus est altior.

VERSUS XVI.

Guttur

Papias.

Suavissimum.

Totus desiderabilis.

§. 241. *Guttur*. Guttur est radicalis pars faucium, ubi radicaliter consistit virtus gustativa ciborum. Unde secundum Papiam gustus a gutture dicitur. (*b*) *Guttur illius suavissimum*; quia super omnes in sermone nitidissimus fuit, cujus verba suavia in ore audientis, suaviora in ore loquentis, suavissima in corde meditantis. (*c*) *Et totus desiderabilis*; quia desiderabilem se nobis præbet, ut quod studia non capiunt, merita non obtinent, desideria consequantur. (*d*)

Sponsi nomen præcordiale solum Deum amantibus & gustantibus notum.

§. 242. Potest autem generaliter sumi pro toto palatu & ore, ut sic propter tropum nuptialem osculi significetur non solum esse *suavissimum* in se, sed etiam sponsæ. *Et totus desiderabilis*, hoc est vere proprium & præcordiale (*e*) nomen sponsi, solum Deum amantibus & gustantibus notum. Non enim potest in Christo dilecto occurrere, quin sit totum desiderabile. Unde & ab Aggæo Propheta capite secundo vocatur desideratus cunctis gentibus. (*f*) Item sponsa, tamquam de tali sponso glorians ad *filias Jerusalem*, id est, ad omnem multitudinem Synagogæ, vel Ecclesiæ, (*g*) dicit: *talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem*. Quia vero tanta laus sponsi multitudinem audientium, ad ipsum cum sponsa quærendum vehementius incitavit; (*h*) quanto plus advertunt, & considerant permaximum sponsæ decorem, & ejus ad sponsum amorem, tanto amplius admirantur, quomodo talis dilectus potuerit a tali sponsa recedere, & abire. Ideo primo super hoc admirantes quærunt:

Aggæi 2. 8.

VERSUS XVII.

Sponsæ comites.

Investigatio comitum sponsæ.

§. 243. *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?* Secundo tamquam ex prædictis ad quærendum eum illæ, quæ Sponsam comitabantur, accensæ, subdunt: *Quo declinavit dilectus tuus? & quæremus eum tecum*. (*i*) Quoniam autem sponsus non solum præfatum sponsæ

(*a*) In Exposit. super Psalter. Psal. 71. ad finem inquit: *Libanus interpretatur candidatio*, adeoque notat, quod *est candor innocentiæ*: *unde hoc*: *nitidiores nive*. Tum Ser. 1. de uno Martyre in ordine 13. inter Sermones S. Bonaventuræ de Sanctis in communi: *Libanus candidatum interpretatur*, *& signat mentis & carnis munditiam &c.*

(*b*) In Vatic. desunt sequentia usque ad fin. §. hujus.

(*c*) Similia positiva, comparativa; & superlativa, apud D. Bona. sæpius occurrunt; apud quem etiam in Legen. ma. S. Franc. cap. 10. & in fine Serm. sive sect. 4. de Mellif. nom. D. N. J. C. de hujusmodi suavitate.

(*d*) In fine d. Serm. sive sect. relato eodem textu: *Trahit enim Jesus in se omne desiderium*, *& omnem satiat appetitum*. Quippe *nihil appetit humanum desiderium*, *nisi summum bonum*, *vel quod est ad illud*, *vel quod habet effigiem illius*, cap. 3. Itiner. & cap. 4. Soliloq. ex Bernar. Serm. 11. in Cant. post med. „ Qui replet „ in bonis desiderium tuum, ipse futurus est „ rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo „ pacis, memoriæ continuatio æternitatis. " Item ibi prope fin. ex August. L. 22. de Civit. Dei c. 30. „ Ipse est finis desideriorum „ nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione in æternum „ laudabitur. Una enim ibi & tota virtus est „ amare quod videas, & summa felicitas æternaliter habere quod amas. Ibi beata vita „ plena, & perfecte bibitur; unde miro quodam modo & delectabiliter impressa sitis simul „ atque satietas alternatur. Sed longe a siti „ necessitas repellitur, longe a satietate fastidium amovetur. "

(*e*) Vid. Prodr. col. 560.

(*f*) De hoc latius inter Sermones D. Bona. Ser. 2. Dom. 1. Advent.

(*g*) Utraque Expositio apud Cornel. a Lap. videri potest in hunc textum.

(*h*) *Qui de Christi laudibus* (inquit Menochius) *verbum facientes audiunt*, *illius amore capiuntur*, *& ad illum diligentius quærendum accenduntur*.

(*i*) Hugo Card. „ *Quo abiit &c.* Supra adjurat Sponsa adolescentulas, ut si invenirent „ dilectum nunciarent ei, quia languebat amo„ re. Ipsæ autem fervorem dilectionis ejus „ intuentes, quæsierunt qualis esset Sponsus. „ Ad quod respondens Sponsa, eum multipliciter supra commendavit. Modo ergo iterum adolescentulæ ex hac sponsi commendatione amplius inflammatæ quærunt a Sponsa: *Quo abiit dilectus tuus &c.*

sæ desiderium accendens, sed etiam multitudinis memoratæ, circa suæ præconizationis, seu magnificæ prædicationis zelum, (a) quo sponsa totis viribus eum nititur in omnium cordibus imprimere & magnificare; idcirco repente dum prædicta præconia dicit, vel finit, sponsus sic plene descendit in eam, quod ipsa non potest hoc abscondere, vel celare multitudini quærentium eum. Est autem hujus rei frequens exemplum & experimentum, quo dum viri Sancti zelanter conantur aliquos divina docere, ita ut illos invitent ad quærendum; subito multa ab eis quæsita, vel illos docenda, Doctoribus occurrunt, quæ ipsi numquam præcognoverunt, (b) nec existimant, quod eis aliter occurrissent. Propter quod admirantur, & cum gratiarum actionibus recognoscunt (c) repentinos conceptus & notificationes eis divinitus ministratas. (d) Hoc est igitur, quod hic completius ostenditur & impletur; quia cum illi dicerent: *Quo declinavit? & quæremus eum tecum*; ipsa repente ipsum intra se sentiens descendisse, respondit: (e)

C A-

(a) *Multitudinis*, inquam, *memoratæ circa suæ preconizationis, seu magnificæ prædicationis zelum*; quoniam ut amplius declarat Tirinus „ Profusis laudibus Sponsi, quas *filiæ Jerusalem* „ hauserant ex ore sponsæ, jam totæ flagrabant desiderio potiundi fruendique eodem „ sponso. Unde viam, modum, & media ex „ ea quærunt, quibus inveniri possit. *Quo abiit? Quo declinavit?* Quo putas vel suspicaris declinasse dilectum tuum? "

(b) Cod. Patav. *præcogitarunt*.

(c) Phrasis *habendi gratias, & recognoscendi*, est etiam apud Interpretem in 4. Dist. 22. dub. 3.

(d) Sensum heic deficientem in Vatic. & Assisien. per Patav. supplevimus, integrumque reddidimus.

(e) Pariter post *quæremus eum tecum*, subdit laud. Tirinus: *Sed huic posteriori quæstioni respondet Sponsa initio capitis sequentis*.

CAPUT SEXTUM.

1. DIlectus meus descendit in hortum suum ad
areolam aromatum, ut pascatur in hortis, &
lilia colligat. 2. Ego dilecto meo, & dile-
ctus meus mihi, qui pascitur inter lilia. 3.
Pulchra es, amica mea, suavis & decora sicut
Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordi-
nata. 4. Averte oculos tuos a me, quia ipsi
me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex
caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. 5.
Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes ge-
mellis fœtibus, & sterilis non est in eis. 6. Sicut cortex mali punici,
sic & genæ tuæ absque occultis tuis. 7. Sexaginta sunt reginæ, &
octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. 8. Una
est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici
suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicaverunt: reginæ, &
concubinæ, & laudaverunt eam. 9. Quæ est ista, quæ progreditur
quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut
castrorum acies ordinata? 10. Descendi in hortum nucum, ut vide-
rem poma convallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent
mala punica. 11. Nescivi: anima mea conturbavit me propter qua-
drigas Aminadab. 12. Revertere, revertere Sulamitis: revertere, re-
vertere, ut intueamur te.

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

Verba Sponsæ.

§. 244.

D*ilectus meus descendit in hortum suum*, id est, ejus descensus est mentis (*a*) per spirituales consolationes visitatio, in quibus suam præsentiam experimentaliter (*b*) exhibet. *Ad areolam aromatum*, id est, aromaticarum plantarum, quæ in hortis sub parvis terræ areolis ordinantur. Hic autem specialiter nominat, quia sicut supra dictum est, in virtutibus (*c*) longe lateque fragrantiam sui odoris spargentibus, singulariter delectatur, (*d*) ut ibi, ubi & ceterorum expositio ex præcedentibus patet. (*e*)

VERSUS SECUNDUS.

§. 245. *Ego dilecto meo &c.* (*f*) Ubi anima nobis insinuat dilectionis suæ excessum inexplicabilem, & gratæ recompensationis (*g*) successum delectabilem. Primum declarat sensus locutionis defectivæ: (*h*) *ego dilecto meo.* . *Et dilectus meus mihi*, secundum actus mutuæ af-
Locutio defectiva. fectionis (*i*). *Ego dilecto meo;* hæc est enim locutio, in qua anima sine verbo aliquo retinet intra se, quod vult dare intelligere, quod propter magnitudinem
Psal. 30. 20 non valet exprimere: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Psalmo trigesimo.

§. 246. Dicit ergo: *Ego dilecto &c.*, id est, dedi totum cor meum, conse- Sponsæ dilectio erga sponsum.
cravi omnes sensus, affectus, actus, gustus meos. *Ego dilecto* hæsi dulciter, integraliter, inseparabiliter, quia ipse est candidus, & rubicundus, electus ex millibus. (*k*) Candidus propter summam puritatem, rubicundus propter summam caritatem, electus ex millibus, immo ex omnibus, propter omnium gratiarum ubertatem. Tali dedi omnem voluntatem meam.

§. 247. Secundo recompensatio, (*l*) & est ubi ponitur actus amorosæ & Mutua sponsi dilectio erga sponsam.
gratæ recordationis: *& dilectus meus mihi*, id est, ad me conversio ejus: (*m*) Quid gratius poterat dilectus rependere dilectrici, quam ille, qui prius erat aversus, modo sit conversus, & ostendat ei faciem plenam gratiarum? Nam
eo faciem avertente propter peccatum, *Psal.* 103. 29.
turbabuntur, & convertente satiabuntur & consolabuntur, Psalmo centesimoter-
tio. Conversus est furor tuus, & con- *Isa.* 12. 1.
solatus es me, Isaiæ duodecimo.

§. 248. Habet ergo anima de dilecto suo confidentiam indubitabilem: (*n*) pro dilecto suo diligentiam insatiabilem: (*o*) cum dilecto suo adhærentiam inseparabilem. (*p*)

Ego

(*a*) Sive *Anima Sancta*, ut ait Sa, qui etiam *Ecclesiam* per *hortum* significari adseverat, de qua noster Interpres infra cap. 8. §. 361.

(*b*) Adverbium scholasticum conveniens D. Bon. scholastice scribenti.

(*c*) Idem Sa quoque per *aromata* inquit significari *virtutes*.

(*d*) Item: *pascatur, scilicet delectatur*.

(*e*) Supra §. 208. & 236.

(*f*) Vide itidem supra §. 132. Quæ heic sequuntur desunt in Codd. Vatic. & Patav. usque ad *Ego dilecto meo* § 248.

(*g*) Vid. infra §. 247.

(*h*) Dicitur *locutionis defectivæ*, quia in hac *locutione* deficit aliquid, quod supplendum est, ut mox patebit.

(*i*) Al. *mutuationis affectivæ*.

(*k*) Vid. supra §. 233.

(*l*) Hujus vocis usus est apud Interpretem nostrum in Opusc. de præparat. ad Miss. cap. 6. ac alibi. Nec non apud ipsummet est etiam verbum *recompensent* in Apolog. Pauper. ut notavimus in Prodr. col. 607.

(*m*) Infra cap. 7. v. 10.

(*n*) Incend. sive Incent. amoris Cap. 3. „Confidentia te confortet, propter sponsi certitudinem, adeo ut vere possis dicere: *In Domino confido*. Et illud: *In te Domine speravi*. „Et illud Job: *Etiamsi occiderit me, in ipso „sperabo.* " Ubi vox *confidentiæ* eo sensu accipitur, quo a S. Paulo ad Eph. 3. 12.

(*o*) Sive *aviditatem, quando scilicet anima assuefieri cœperit circa illam suavitatem, & nascitur in ea tanta esuries, ut nihil eam possit reficere, nisi eum, quem amat, possederit perfecte*, ibi cap. 2.

(*p*) Ibi cap. 3. „Adhærentia te conglutinet, „propter amoris sponsi fortitudinem, adeo ut

„possis

Ego dilecto meo, scilicet sum conversa, & facie ad faciem conjuncta: *& dilectus meus mihi*, est scilicet facialiter conjunctus. *Qui pascitur*, id est, reficitur, *inter lilia*, scilicet purissimorum conceptuum & affectuum. (a)

VERSUS TERTIUS.

Verba Sponsi.

§. 249. *Pulchra es &c.* Sicut ipsa commendaverat eum omnibus, sic & ipse commendat ejus decorem omnibus. Et hæc est quarta ratio commendationis ejus. Prima enim commendatio, quæ supra quarto capitulo (b) habetur, fuit tam ad monstrandum, quam ad laudandum, quod ejus decorem multum amat & æstimat, ut sic ex hoc familiarem accessum, & amplexum, & gustum in ipso sponso habeat. Unde commendare hoc modo sumptum, est idem quod suum commendativum & æstimativum amorem experimentaliter ipsi sponsæ ingerere.

Prima sponsæ commendatio.

§. 250. Secunda fuit non solum ad præfatum amorem ei ostendendum, sed etiam ad condignitatem & præeminentiam regalis coronæ & potestatis ingerendam, ut ex hoc fiduciam conregnandi cum sponso accipiat, & ut etiam datorem suarum virtutum, & sui meriti, & ipsa munera sibi donata (c) plenius recognoscat, & regratietur, (d) & ut etiam ex suis laudibus ad ampliora promerenda & acquirenda consurgat. Quia quanto plus commendat Deus nostra bona, tanto plus ostendit se velle ea: & eo ipso plus apparent bona, & utilia, & amanda, seu appetenda. Et hoc modo ipsa laus valet ad accendendum nostrum affectum, ad fortius conservandum & augmentandum bona sic Deo grata & complacita, & a Deo sic volita & laudata.

Secunda.

Virtutes sponsæ sunt dona Dei.

§. 251. Tertia fuit quasi pars secundæ, admirandam scilicet ejus deliciositatem talem esse, quod merito Deum ad se allicere & trahere possit, & etiam ejus amicos; ut sic ex hoc fiducialius, & ardentius, & stabilius, (e) & delectabilius sponsa Divinis amplexibus immoretur. Quarta vero hæc est, quod ultra omnes rationes prædictas, quas etiam in se includit, sic adhæret toti communi Dei populo sponsæ laus & perfectio, tamquam ex Dei ore solemnius ostendatur & imprimatur. Quinta vero, quæ subditur in capitulo septimo, est ad ingerendam sponsæ ejus virtutem & idoneitatem (f) ad spiritualem prolem procreandam & regendam, & sponso delectabiliter offerendam; ut sic ex hoc assumeret majorem fiduciam & amorem spirituales filios procreandi, & nutriendi, & Divinis laudibus & beneplacitis dedicandi.

Tertia. Quarta. Quinta.

§. 252. Hic ergo, sicut supra, (g) commendat eam in generali dicens: *Pulchra es*. Secundo commendat eam specialiter, quoad quatuor ejus partes, scilicet *oculos*, *capillos*, *dentes*, & *genas*. Tertio commendat eam iterum generaliter ibi: *sexaginta sunt &c.* Primo igitur commendat ejus decorem & suavitatem, sive delectabilitatem, comparando eam civitati *Jerusalem*, quæ sub Salomone fuit & templo, & muris, & turribus, & domibus valde famosa, & divitiis, ac deliciis, & pace quietissima nimium copiosa. Secundo, ne pax ista credatur esse in sponsa cum inhærentia fragili & pusillanimi, comparat eam exercitui ordinato, & forti, & hostibus valde terribili. Omnes enim virtutes sponsæ (h) sic sunt inter se, & sponsum ordinatæ ad jucunditatem & pacem, quod nihilominus sunt septiformis gratiæ amatura (i) virilissime accinctæ, & semper quasi in procinctu contra

Ejus generalis & specialis commendatio.

Cur comparata Jerusalem.

Cur exercitui ordinato.

„ possis dicere illud Psalmistæ: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Et illud Pauli: *Quis nos separabit a caritate Christi?*

(a) Sicque debemus ei ministrare primum ferculum, quasi de herbis confectum, de liliis honestatis, Exposit. in cap. 8. Sap.

(b) Supra §. 166. ac seqq.

(c) Recolantur quæ supra §. 208. cum Interprete nostro adnotavimus.

(d) *Regratietur* pro *gratias agat*. De verbo *regratiari* pro *gratias agere*, plura afferuntur antiqua testimonia in Glossario Ducangiano.

(e) Cod. Assisien. *securius*.

(f) Vox *idoneitas* pro *facultate*, & *aptitudine*, sive *virtute*, nedum a D. Bona. adhibita; sed etiam in Legibus Luitprandi Regis Longobar. Tit. 74. §. 1. & apud F. Joannem de Janua in Cathol. in Gl. Lat. Gall. Sangerm. in supra d. Glossar. Ducang. &c.

(g) Cap. 4. ver. 1.

(h) Itidem secundum Bedam talis Sponsa est *terribilis*; quia universam virtutum aciem habet instructam.

(i) Sic Breviloq. Par. 6. cap. 3.

contra hoftes, *(a)* & contra omnia vitia & tentamenta. *(b)*

Pulchritudo ejus declaratur.

§. 253. *(c)* Dicit ergo: *Pulchra es amica mea, fuavis &c.*, in quo verbo Chriftus alloquitur animam fuam fponfam. Ubi eam commendat a peccatorum

Pfal. 95. 6.

confeffione ibi: *Pulchra*. Confeffio & pulchritudo in confpectu ejus, Pfalmo nonagefimo quinto, eo quod in con-

Suavitas. *Sap.* 8. 16.

feffione cuncta lavantur. *(d)* *Suavis* in fociali & dulci converfatione; non enim habet amaritudinem converfatio illius.

Gen. 27. 11. Decor.

Non lenis ficut Jacob, fed *decora* per fidei adhæfionem. *Sicut Jerufalem* in fublimium contemplatione. *(e)* *Terribilis* in hæreticorum confutatione. *Ut caftrorum acies ordinata* in univerfali virtutum perfectione. *(f)* Mirabiliter enim virtutum acies in anima, unita *(g)* ordinatur, fcilicet ordinatio affectuum, difciplina morum, armatura orationum, & Sacramentorum *(h)*, robur operis, terror belli, conflictuum affiduitas, *(i)* triumphorum numerofitas. *(k)* Quæ omnia ex fide per baptifmum originem fu-

Triplex fenfus oculorum fponfæ ab fponfo avertendorum.

munt. *(l)* Deinde volens laudem oculorum fponfæ ingeniofe monftrare, fubdit quædam verba in triplici fenfu legenda. Secundum autem primum fenfum jubet oculorum fuorum afpectus in fponfum moderari, dicens:

VERSUS QUARTUS.

§. 254. *Averte oculos tuos*, id eft, oculorum tuorum afpectus, *a me*, id eft, ab illa majeftatis & claritatis meæ tranfcendentia incomprehenfibili. *(m)* Quafi diceret: noli ultra menfuram Primus fenfus. tuarum virium me, & mea arcana infpicere, quia propter hoc a te alias evolavi & abfceffi; ut fcilicet experimento probares, quod non potes me oculis intellectualibus comprehendere, nec per te, nifi quantum tibi ex mea gratia condefcendo, me attingere: *(n)* nec quamdiu es in carcere corruptibili, mecum femper confolatorie, & pro libito immorari. Continetur in hoc magna laus oculorum fponfæ, quia cum fic fint in Deum totaliter & exceffive intenti, non oportet fibi dicere: Averte *Pfal.* 118 37. oculos tuos, ne videant vanitatem; fed averte eos a nimio meo afpectu.

§. 255. Quantum autem ad fecun- Secundus fenfus. dum fenfum jubet & docet omnem vifum,

---

(a) *Ad pugnandum contra univerfalitatem hoftium*, inquit etiam Serm. five Collat. 20. in Hexaem.

(b) Quo ad hanc vocem vid. Pharetram Lib. 2. cap. 23. ac cap. 1. de perfect. vit. ad Soror.

(c) Hic §. abeft a Codd. Vatic. & Patav.

(d) Pariter Serm. 5. in diebus Rogat. inter vulgatos fub S. Bona. nomine habetur: „ Pfal„ mus: Confeffio & pulchritudo &c. Gloffa: „ in confitendo fit homo pulcher. Bernardus: „ ubi confeffio, ibi & pulchritudo, ibi decor. „ Peccata in confeffione lavantur, bona opera in „ confeffione mundantur. " Sic ibi; fed S. Bernardus Epift. 113. ad Sophiam Virginem num. 4. ait ita: *Si peccata funt, in confeffione lavantur: fi bona opera, confeffione commendantur.* Sic in adcuratiff. Edit. Mabillon. De prædicti textus fenfu myftico vid. Lorinum Comment. in Pfalmos To. 3. ibi, ubi cenfet „ Pro pecca„ torum confeffione arbitror myfticum fenfum „ effe, cui bene convenit id nomen cum fe„ quenti *pulchritudinis &c.* "

(e) Serm. five Collat. 22. in Hexaem. „ Pul„ chra dicitur *ficut Jerufalem*; quia affimilatur „ fupernæ Jerufalem per difpofitionem gra„ duum Hierarchicorum. Difponuntur autem „ in anima gradus tripliciter, fecundum afcen„ fum, fecundum defcenfum, & fecundum re„ greffum in Deum, ut lux Divina. Et tunc „ anima videt Angelos Dei afcendentes, & de„ fcendentes per fcalam, ut vidit Jacob in „ mente fua. " Quæ quidem lectio melior videtur quam quæ eft in noviff. Edit. Venet. Ubi pro *ut lux Divina* habetur ut *lex Divina*; & pro in *mente fua* eft *in vita fua*. Heic ego adhibui Edit. Venet. apud Dominicum Nicolinum 1564. De prædicta *difpofitione graduum hierarchicorum ad inftar fupernæ Jerufalem*, ad finem cap. 4. Itiner. men. in Deum.

(f) Quando nimirum eft *manens in Deo*, & *crefcens de virtute in virtutem*, & quia ita *manfiva, ideo terribilis ut caftrorum acies ordinata*, fupra cit. Serm. five Collat. 20. in Hexaem.

(g) Al. *unica*; fed *conjuncta & unita*, Centiloq. part. 3. Sect. 47. ubi idem textus declaratur.

(h) Ita fupra cit. Breviloq. Part. 6. cap. 3. ubi idem textus adducitur, nec non modo cit. loco Centiloq.

(i) In Breviloq. ibi fimiliter dicitur *conflictus certaminis in acie Ecclefiæ*.

(k) Sic ordinatur *ordinatione robufta, pulchra, & jucunda*, fupra cit. Serm. five Collat. 20. in Hexaem.

(l) Cit. loco Centiloq. ubi dicitur: *in adjutorium fidei eft baptifmus*.

(m) Vide fis Dionyfium, five Alium fub ejus nomine, Lib. de Myft. Theol. ad Timoth. cap. 1. & ejus Epift. ad Doroth.

(n) Huic fimilis eft expofitio illa, qua inquit Serm. five Collat. 2. in Hexaemeron verfus finem: „ Debemus habere mentes non haben„ tes oculos (*verba funt laud. Dionyf. cit. cap.* „ *1. de Myft. Theol.*); quia mens oculis intelle„ ctualibus Divinam effentiam afpicere non „ poteft, & ideo amovendi funt, juxta illud „ quod fcribitur in Cant. *Averte a me oculos* „ *tuos, ipfi me avolare fecerunt*. Tunc Chriftus „ recedit, quando mens oculis intellectualibus „ nititur fupernam Sapientiam afpicere. Non „ enim intrat ad eam intellectus, fed affectus. "

sum, quem de sponso hic habet, per quamdam negationem & veridicam humiliationem a Deo avertere, seu segregare, intra se scilicet dicendo: vere nondum eum video, nec aliquid quod ipse sit, immediate attingit aspectus oculorum meorum. (*a*) Propter hanc autem negationem, & negativam aversionem, plenius in sponsa formandam, & semper amplius sursum agendam, sponsus sæpius avolavit ab ea; ut scilicet ex hoc magis adverteret, quod sua visio, quam hic habet, non est visio immediata, & ideo per privationem, & superexcessum oportet mentis oculos diverti ab ea, sicut scilicet aspectum nostrum a perspicuo intermedio avertimus, quando transimus in ulteriora per ipsum aspicienda. (*b*) Continetur in hoc magna laus oculorum ejus, quia tanti ac tales sunt, quod non solum nihil creatum, immo nec aliqua visio Dei mediata, sive per speculum intermedium facta, sufficit eis, sed oportet, quod semper extendantur in ulteriora. (*c*)

Tertius sensus.

§. 256. Quantum ad tertium sensum est rhetoricus & hyperbolicus (*d*) ac passionalis modus loquendi, quo significatur, (*e*) ita captum esse in gratiosis oculis sponsæ, quod quasi expedit sibi, ut avertat eos ab ipsa, quasi diceret: si essem talis conditionis, sicut utique est homo mortalis, ut expediret, me a mea sponsa aliquando discedere, & ab ejus amore nimio me saltem aliquantulum temperare; necesse esset, quod aliquando me non inspiceres, sed potius, oculos tuos a me absconderes, aut quod ego a te avolarem. Hujus autem locutionis tropus est optimus ad exprimendum excessivam gratiositatem (*f*) oculorum sponsæ, & excessivam complacentiam sponsi in eis: (*g*) qui etiam propter modum jam dictum pro tanto verificatur, pro quanto non decet Deum sic se exhibere sponsæ, dum ipsa hic vivit. Et tam hoc non decet, quam quod ipse fugiat & avolet a sponsa tam decora, & tam amante; nisi etiam ipsa, sua discretione, & propria libertate, se ad horam subtrahat ab ecstatico sponsi contuitu & contemplatione, occupando scilicet se ad horam in aliis necessariis, vel condecentibus huic vitæ mortali. (*h*)

VERSUS V. & VI.

Laus capillorum, dentium, genarumque sponsæ.

§. 257. *Capilli tui sicut grex caprarum &c. Dentes tui sicut grex ovium &c. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ &c.* Deinde ejus capillos, dentes, & genas laudat modis, quibus etiam supra in principio capituli quarti; & ideo expositio patet ibi; hoc tamen excepto, quod ibidem de *genis* dicit: *sicut fragmen mali punici*, & hic vero: *sicut cortex*. (*i*) Ut in hoc insinuet ejus castos & pudoratos affectus & affatus, non solum esse pulchros & teneros instar granorum mali punici, sed & propter fidei unitatem, & patientiæ firmitatem, fortes & solidos & servativos, sicut est *cortex* ipsius. (*k*)

Aliud fragmine, aliud cortice mali punici significatur.

VER-

(*a*) Namque *quo amplius videtur, eo magis invisibilis esse cognoscitur, & per hoc tantillum quod videtur, valde longinquus & avolans a nobis, apparet*, inquit S. Greg. Exposit. in cap. 6. Cant. num. 4.

(*b*) Præfatus secundus sensus etiam a D. ipso Bona. indicatur in Incendio sive Incentivo amoris cap. 3. prope finem, & cit. Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. ad finem.

(*c*) Dionys. cit. cap. 1. Myst. Theol. sic loquitur, interprete Ambr. Florent. „ Sensus „ linque, & intellectuales operationes, & sensibilia, & intelligibilia omnia, & quæ non „ sunt, & quæ sunt omnia: & ut illi jungaris qui super omnem substantiam, omnemque scientiam est, ignote pro viribus teipsum „ intende. Enim vero abs te ipso, atque ab „ omnibus libere, & absolute, ac pure excedendo; ad supersubstantialem Divinæ caliginis „ radium, sublatis omnibus, & absolutus ex „ omnibus, evolabis. "

(*d*) De *hyperbole*, *qua* heic Sponsus *designat incomprehensibilem Sponsæ pulchritudinem*, etiam Tirin.

(*e*) Cod. Assisien. *significat*.

(*f*) De hac voce supra cap. 2. §. 111. not. *d*.

(*g*) Hinc inter Interpretes hujus textus etiam Cornelius a Lapide inde infert oculorum sponsæ pulchritudinem, *quæ tanta est, ut cor sponsi in sui amorem abripiant; adeo ut sponsus cordis sui impotens, videat illud avolare in sponsam*.

(*h*) Laud. Tirinus „ Insinuat, caute & circumspecte semper utendum contemplationis dono; cavendumque ne diuturniore mora, vel „ proximo desimus, vel inaniter efferamur, vel „ curiositati obsequamur, vel denique valetudinem lædamus, ut notant SS. Ambrosius, „ Gregorius, & Bernardus. His enim ni pro„ spicias Deum a te avolare facis, cui ejus„ modi indiscretio vel incuria valde displicet. "

(*i*) Idipsum observat etiam S. Greg. supra cit. num. 5. Verum utrobique eadem vox Hebr. & utrobique Sept. *cortex* posuere, ait Mariana.

(*k*) Ita fere d. Greg. & Hugo Card.

VERSUS SEPTIMUS.

§. 258. *Sexaginta sunt reginæ &c.* Deinde rediens ad ejus generalem laudem præfert eam omnibus aliis *reginis*, & *concubinis*, & *adolescentulis* sponsi, tum quia illæ sunt multæ, & magis communes, hæc vero est sponso unica & singularis ita, quod respectu ejus illæ non sunt dicendæ reginæ, nec sponsæ: tum quia est illis omnibus inestabiliter admiranda, & ab omnibus singulariter, & super omnes laudata & venerata. Secundum autem Glossam, *reginæ* sunt, quæ ex caritate Deo junguntur, & Deo generant filios spirituales. Et ideo *sexaginta* numero perfecto (a) dicuntur, quia dilectionem præceptorum Dei, & perfectionem operum habent. Vel quia quinque sensus suos regunt sub duodenario, (b) qui est numerus Apostolicus & abundans, (c) id est, ex suis partibus aliquotis (d) super seipsum excrescens, & sub regula Apostolica, & perfecta, & semper in melius excrescente. (e)

Glossa inter. Quid numero sexaginta reginarum designetur.

Duodenarius numerus apostolicus & abundans.

§. 259. *Concubinæ* vero sunt, quæ ob solam temporalem mercedem Christo serviunt potius, quam ex sincero & conjugali Dei amore. (f) Et ideo *octoginta* dicuntur, quia octogenarius in malo acceptus (g) temporalium curas & implicamenta significat, (h) pro eo quod sicut decursus hujus sæculi quatuor temporibus agitur, & quatuor climatibus consistit, (i) & ex quatuor elementis; (k) sic numerus iste quadruplici vicenario continetur. (l) Qui vicenarius in malo acceptus transgressionem Decalogi designat, & iterum pœnam, seu pœnæ debitum, & reatum correspondentem eidem. (m) Vel per *sexagenarium* significatur perfectæ ætatis maturitas, per *octogenarium* vero decrepita ætas, vel nimia appropinquatio juxta illam.

Quid numero octuaginta concubinarum.

§. 260. Per *adolescentulas* vero designantur animæ bonum incipientes, (n) & in eo excrescentes & proficientes. Aut etiam multitudo vanorum, qui sub nomine Christi vanitatem & voluptatem adolescentiæ suæ, sive stultitiæ suæ sequuntur, quorum *non est numerus*; quia non sunt in libro vitæ annumerati, nec sub aliqua Dei certa & distincta mensura & regula comprehensi. Aut quia quoad bonos, aut etiam quoad utrosque bonos & malos sunt innumerabiles, non Deo, sed nobis. (o)

Quid per adolescentulas sine numero.

VER-

(a) Cornel. a Lap. *Sexagenarius enim est numerus perfectus, quia conflatur ex duobus numeris perfectis, scilicet ex senario & denario in se mutuo ductis & multiplicatis. Congrue ergo datur reginis.*

(b) De mysterio hujusmodi *duodenarii* agit in 4. Sent. dist. 47. art. 1. q. 1. Item in Exposit. super Lucam cap. 9. ac Serm. sive Collat. 23. in Hexaem. prope finem.

(c) Sic etiam noster Interpres Comment. in Apocal. cap. 21. num. 1636. nec non Exposit. in cap. 9. S. Luc. &c.

(d) Similiter de *numero senarii ex suis partibus aliquotis*, cap. 2. de sex alis Seraphin. *Aliquotus* est etiam in Amalth. Onomast.

(e) Exposit. sub Cassiod. nomine de *reginis* numero *sexaginta* sic habet „ Hic numerus, „ id est, sexagenarius ex duodenario quinquies „ ducto conficitur; nam quinquies duodeni, „ vel duodecies quini sexaginta fiunt. *Reginæ* „ ergo *sexaginta esse* dicuntur; quia illos significant, qui in Ecclesia constituti, quinque sui „ corporis sensus juxta institutionem duodecim „ Apostolorum caste disponere noverunt. “

(f) Haud secus idemmet Interpres noster Ser. sive Collat. 14. in Hexaem. per *reginas* & *concubinas* accipit non *Salomonis uxores ad literam*, sed *mysterialiter animas perfectas, & imperfectas*. Unde & S. Greg. Nyssenus, S. August., S. Gregor., Rupert. & alii per *concubinas* accipiunt illas, quæ ex timore inferni, alteriusve damni, aut spe mercedis, legem Dei servant. Similiter etiam d. Exposit. sub Cassiod. nomine.

(g) Laud. Cornel. a Lap. *Octogenarius conflatur ex denario, qui est perfectus, & octonario, qui est imperfectus; apte ergo tribuitur concubinis, utpote uxoribus imperfectis.* Sic etiam cit. Exposit. sub Cassiod. nomine, de qua mox iterum.

(h) Cod. Patav. *designat.*

(i) Hugo Card. *Octoginta, quia Decalogi doctrinam ad terrenam curam invertunt, quæ quatuor temporibus, & quatuor mundi climatibus noscitur agitari &c.*

(k) Ita Glossa ordinar. apud Lyran.

(l) De eodem *Concubinarum* numero sic ait, prædictaque confirmat Exposit. sub Cassiod. nomine „ *Concubinæ* eos significant, qui non sincere Christum prædicant, sed propter lucra „ temporalia, vel propter laudes populares...... „ Et bene octogenario numero comprehenduntur; nam hic numerus ex denario & octonario conficitur. Octogenarius in malo accipitur aliquando propter quaternarium, quo „ multiplicato consistit. Quaternarius enim „ temporalia quæque, & præsentia significat „ propter quatuor mundi climata, vel quatuor anni tempora. Recte ergo *Concubinæ* „ istæ *octoginta* esse dicuntur; quia (ut dictum „ est) propter sola temporalia & visibilia prædicant, & spiritualia minus curant. “

(m) De prædictis *Concubinis octoginta* idem Cornel. *His octonarius circumcisionis, id est, purgationis peccatorum contra Decalogum admissorum additur.*

(n) Sic idem Cornel. Tirin. &c.

(o) Pariter sæpe d. Exposit. sub Cassiod. nomine.

VERSUS VIII.

Ecclesia una generalis.

§. 261. *Una est columba mea &c.* Sponsa autem ex triplici caussa dicitur *una*, quarum alia soli competit Ecclesiæ generali, quæ non potest esse nisi *una*; (a) quia quicumque non continetur in ipsa sicut pars in uno suo toto, aut sicut membrum in uno hominis corpore, non spectat ad Deum, nec ad domesticam familiam ejus. (b) Duæ vero caussæ reliquæ non solum spectant ad ipsam, sed etiam ad quamcumque animam, vel particularem Ecclesiam, in contemplativæ simul & activæ perfectionis culmine singulariter præexcellentem. Quæ quidem dicitur *una*; quia soli uni sponso unitissime vacat, (c) eligens scilicet optimam partem Mariæ, de qua dictum est Lucæ decimo: Porro unum est necessarium. (d)

Nec extra ipsam salus.

Et una particularis, sive Anima, sive Ecclesia.

Luc. 10. 42.

§. 262. Dicitur etiam *una*, id est, singularis respectu gradus superlativi; quia scilicet sola respectu aliarum in superlativo gradu & statu exsistit, & ideo ad singularem, id est, superlativum Dei nuptialem amorem est a Deo assumpta & prælecta. Dicitur autem *una est matris suæ, electa genetricis* (e) *suæ*, aut quia est singulare membrum Ecclesiæ generalis; aut quia licet sit pro præsenti tempore generalis, seu universalis, ad præteritam Ecclesiam tamen se habet sicut filia unigenita ad matrem suam, & sicut se habuit Ecclesia Christi ad Synagogam, (f) & Synagoga exsistens sub tempore Salomonis ad præteritam Ecclesiam priorum temporum; aut respectu Cœlestis Jerusalem, quæ est mater nostra. (g)

Una matris suæ.

Gal. 4. 26.

VERSUS IX.

Verba Chori Sodalium Sponsi & Sponsæ. (b)

§. 263. *Quæ est ista &c.* Descripto tertio ascensu sponsæ spectante ad totam secundam partem principalem hujus libri, subditur hic exclamatio admirativa hujus trinæ ascensionis, & specialiter tertia, tamquam aliarum suprema; (i) juxta quod in fine primæ partis principalis consimilem exclamationem subjecit. Sicut autem illic (k) sub metaphora fumi aromatici recte & unite ascendentis in altum, expressit illum sponsæ ascensum; sic in hoc loco exprimit istum sub metaphora lucis (l) ascendentis, seu excrescentis usque ad summum. Ut scilicet primo sit *quasi aurora consurgens*, sicut lux auroræ celeriter ascendentis & consurgentis super hemisphærium nostrum: secundo sit *pulchra ut luna*, id est, sicut lux lunæ plenæ, seu in lumine ascendentis usque ad plenilunium suum: tertio sit *electa ut sol*, quo scilicet juxta tropum sumptum ex luminaribus mundi, nec est dari majus, nec æquale; nisi insimul omnia luminaria, instar unius magni exercitus, comprehendas, quam quidem comprehensionem subdit, dicens:

Ascensus sponsæ, ut lux auroræ.

Lunæ.

Solis.

§. 264. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Non solum autem sicut *acies castrorum*, sed sicut *acies ordinata*; quia fixæ mansiones & tentoria castrorum suorum habent in se magnum & regium apparatum, & munimentum præbent & robur non modicum aciei. Acies enim confusæ & inordinatæ multitu-

Et velut acies ordinata.

(a) Ipsemet noster Interpres Exposit. super Lucam cap. 17. ait, quod *in unius Ecclesiæ designationem dicitur: Una est columba mea.* Et Serm. sive Collat. 15. in Hexaem. *In Cantico tripliciter laudatur Ecclesia, quæ unica tantum est, nec sunt, nec possunt esse plures.* Nec non ad significandam *Ecclesiam per omnes terras dilatatam*, hunc ipsum adhibet textum Exposit. in cap. 1. Sap. Idque de *Ecclesia catholica* etiam Bossuet interpretatur.

(b) In eadem Exposit. super Lucam cap. 17. cum Augustino adseverat, quod *nullus sanari potest nisi intra Ecclesiasticam unitatem &c.* Vide, quæ in hunc locum monuimus col. 731. num. 3. Prodromi.

(c) Nimirum *simplicitate desiderii*, Serm. de S. Cathar.

(d) Legesis Interpretem nostrum in hunc textum similiter loquentem in Exposit. super Lucam cap. 10.

(e) Vulg. *genetrici*; sed *genitricis* etiam Cod. noster Bernard. 40. & Exposit. sub Cassiod. nomine, Hugo Card. &c.

(f) Idem Hugo, Malvenda &c.

(g) Hæc interpretatio magis placet eidem Malvendæ, quam & amplectitur Sa, habetque Exposit. sub Cassiod. nomine.

(h) Sic Menochius.

(i) Cap. 4. Itiner. mentis in Deum commemorat *tres exclamationes, quæ fiunt in Cant. Canticorum* de quibus infra cap 8. §. 328.

(k) Cap. 3. ℣. 6. Porro sicut illic secundum Calmet sunt verba sponsæ comitum, ita heic.

(l) Cod. Assisien. *luminis*.

titudinis parum valet, imo plurimum obest etiam sibi ipsi. Nihil autem melius est in acie, quam debitus ordo, & ordinata connexio ejus. Adverte autem, quod metaphoram militaris & equestris & castrensis exercitus hic tangit, ut jam a nobis observatum, primo scilicet, cum circa principium libri dixit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te;* & in parte hac, paulo tamen ante, cum ait: *Pulchra es sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata*: ut sic eam non qualemcumque reginam, sed & reginam magni regni & exercitus esse ostendat.

In acie nihil melius, quam debitus ordo.

Cant. 1. 9.

§. 265. Nota etiam, quod super lucem *solis* posuit lucem *aurora*, sed gradatim; quia *aurora* lux est lux *solis* in aere, nocturnis tamen tenebris permixta; lux vero *luna* est lux, solis lumine immissa. Sed si per *castrorum acies* accipias solem cum universis planetis & stellis, adhuc solum lumen solis est, sicut verisimile est omnes illuminari a sole. (*a*) Per hoc igitur convenienter significatur gradatim accessus illuminationum sponsæ; ut primus sit in cognitione sui, secundus in cognitione Ecclesiæ, seu de Ecclesia, tertius vero in cognitione Dei, seu contemplatione, quartus vero in Dei & in omni universalissima & ordinatissima contemplatione. Vel ut primus sit in sui ascensus initio, in quo adhuc aliquarum tentationum & ignorantiarum tenebris permixta, semper tamen ab illis magis ac magis discedens; secundus vero ut sit in suo profectu; tertius vero & quartus in sua consummatione.

Illuminatio sponsæ ad instar gradationis lucis solaris, ejusque significatio.

VERSUS X.

Verba Sponsæ (b).

§. 266. *Descendi in hortum &c.* Hæc est pars tertia principalis, in qua agit de nuptiali amore, prout est prolis spiritualis procreationi & gubernationi insistens. Et hæc habet tres partes principales. Quia primo ostenditur, quomodo ex suis virtutibus & conatibus est ad hoc idonea & exercitata, & quomodo per hoc ad finalem fructum Divinæ prolis pertingit. Secundo, quomodo suis orationibus & invitationibus sponsum ad Divinæ prolis procreationem sibi attraxit, ibi: *Veni dilecte mi.* Tertio, quomodo omnia hæc a singulari merito & virtute sponsi sui habuerit & obtinuerit, (*c*) ibi: *Sub arbore malo &c.*

Tertia pars principalis de nuptiali amore ad spiritualis prolis procreationé ordinato.

Cant. 7. 11.

Cant. 8. 5.

§. 267. In prima, quinque per ordinem ostenduntur. Primo scilicet sponsæ (*d*) ad prolis procreationem & gubernationem descensio. Secundo ejus super hoc formidolosa conturbatio, ibi: *nescivi*. Tertio ejus ad hoc a sponso confortatio, ostendendo scilicet sibi suam virtutem & idoneitatem ad opus istud, ibi: *revertere, revertere*. Quarto ad majorem ejus confortationem & inductionem ostendit sponsus se vehementer

In prima parte hujus tertiæ partis quinque demonstrantur.

(*a*) Hæc secundum opinionem veterum quorumdam Astrologorum, de quibus ait Serm. sive Collat. 13. in Hexaem. „ Quidam Astrologi dicunt, quod omnes stellæ, & luna recipiunt lumen a sole, & veritatem istius quæstionis nullus scit. Verumtamen tam stellæ, quam luna aliquod lumen habent, & stellæ non sic obumbrantur ut luna; quia hoc habet luna per vicinitatem ad nos, & motum suum. „ Item secundum eamdem opinionem Serm. 3. de Apostolis loquitur de corpore *solis*, tamquam *fonte & principio luminis* comparate ad *stellas*. Unde ait quoque par. 4. de Eccl. Hier. cap. 7. quod *sol cætera sidera præcellit*. Cæterum cujus naturæ sint stellæ fixæ, videlicet an proprio congenitoque, num potius mutuatitio ac alieno fulgore resplendeant, non omnino inter Philosophos convenit. Sunt quidem inter ipsos, quibus persuasum est, eas omnes lumine fulgere suo; non desunt tamen secus opinantes, ut olim Metrodorus apud Plutarcum Lib. 2. de placitis Philos. cap. 16., *stellas omnes non errantes a sole lumen habere*. Me non latet priorem opinionem verisimiliorem censeri, ac Recentiores communiter eidem favere; at id nihil officit, quia D. Bonaventuræ ævo potuerit *verisimilis* contraria videri. Lege sis Cl. P. Fortunatum a Brixia Phys. partic. Par. 1. Sec. 6. num. 3637. Edit. Venet. 1756. Item Phys. partic. Tract. 1. Differt. 3. Sect. 7. Edit. Brixien. 1736. ubi *plurimi contendunt, stellas fixas corpora esse solida, ac penitus opaca, quæ lumen, non secus ac Luna, cæterique minores planetæ, a Sole recipiunt*.

(*b*) Alii *Sponsi*, alii *Sponsæ* verba esse autumant. Ex antiquioribus, qui *Sponsæ* verba esse crediderunt, est præ cæteris Theodoretus; inter Recentiores autem Mariana inquiens: *Hac verba Sponsi esse quidam putant: ego Sponsæ potius crediderim, cum Theodoreto & aliis &c.* Gordonus vero ait: *Aliqui Sponsum hic loqui putant; at non male Sponsæ putantur verba.*

(*c*) Bene notandum, quod eas ipsas, quas paulo ante vocaverat *suas virtutes, & conatus, suas invitationes, & orationes, hac omnia* heic diserte fatetur sponsa, se *a singulari merito & virtute sponsi sui habuisse & obtinuisse*.

(*d*) Ita præter paulo ante laudatos Exposit. sub Cassiod. nomine, Cosmas Damianus, Genebrardus &c.

ter appetere deliciosos fructus ejus, & totam deliciositatem ipsius: *dixi ascendam*. Quinto sponsa ex ore sponsi laudem sui fructus accipiens, per modum commendatorium & congratulatorium, sponso illum exhibet & præsentat, ibi: *dignum dilecto meo*.

§. 268. Dicit ergo: *Discendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, ut inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica*. (*a*) Nota, quod de plenitudine mysteriorum hujus libri est, quod per idem signum multa significentur, sic tamen quod, secundum quod spiritualia loca magis exigunt, aliquam propriam expositionem illis correspondentem in suis locis singularius servent. Licet ergo per *hortum* sponsæ significetur tam ipsa sponsa, ut virtutum fructibus fœcunda, aut ejus Ecclesia specialis, vel generalis; (*b*) hic proprie tamen stat pro Ecclesia quacumque per ipsam regenda, vel gubernanda. Quamvis tam hic, quam supra, stet veraciter pro utraque: quia sicut supra de sua regia dignitate est habere hortos Familiarum, & Ecclesiarum, & spirituales vineas ab ea exultas, & esse turrim totius civitatis Dei, & esse coronatam de principalibus & capitibus Ecclesiarum Dei; sic de ejus finali perfectione est, quod sic intendat Ecclesiarum, vel animarum regimini, quod seipsam exercere, & regere non desistat.

Hic liber plenus mysteriis.

§. 269. Hoc igitur supposito, sensum huic parti magis proprium prosequaris. (*c*) Post hæc igitur secundo nota, quod quia medium & finis præsupponunt radicale principium, (*d*) & quia completivum & finalius perficiendorum regimen magis proprie spectat ad sponsam, quam prima initiatio rudium, vel convertendorum ad fidem; ideo ut Scriptura breviter omnia complectatur, & celerius appropinquet, non agit hic de prima plantatione horti Ecclesiastici nisi præsuppositive, (*e*) ex sua scilicet maturitate & termino eam insinuans. Et hoc dico quantum est de propriori significatione hujus tropi. Hortulani enim, vel Dominæ curam eam de suis hortis jam plantatis habentes, pro tempore germinationibus fructuum apto, visitant hortos suos, ut videant jam in germinibus fructuum si perfective, vel defective procedant: ut si perfective congaudeant & congratulentur; si vero defective reparent & emendent.

Medium & finis præsupponunt principium radicale.

§. 270. Per tria vero germinum genera hic subjuncta, tres ordines, vel tria exercitia perficiendorum intelligi possunt, scilicet regularis subjectionis & obedientiæ, (*f*) virginalis munditiæ & sanctimoniæ, fraternæ compassionis & colligantiæ, vel castrensis militiæ ad martyria se animantis, & prælia Domini præliantis. Et primum quidem in *convalle*, (*g*) vel *convallibus* (*h*) *pomorum* rotundorum, ac per consequens mobilium & gyrabilium. Secundum autem in *vineis* (*i*) *florentibus*, & vinum germinans virgines suo flore promittentibus. Tertium autem est in *malis punicis*, sive malogranatis, multa & ordinata granorum rubentium, & acerbum mustum generantium, collegia continentibus. Si vero per hæc germina intelligas primos & novellos partus Ecclesiarum sponsæ subjectarum, juxta quod ad eas multi assidue vocantur, & in eis per gratiam renascuntur; adhuc ad hoc nihilominus tria prædicta eis congruunt, quia etiam a principio in hujusmodi exercitiis, aut saltem in eorum desideriis sunt initiandi. (*k*)

Tria germinum genera, eorumque significatio.

Zach. 9. 17.

§. 271. Quia vero rarum & difficile est etiam perfectissimis & sanctissimis in

Rarum ac difficile mus-

(*a*) Lectionem hanc *in hortum meum* habent nedum Expositio altera in Cant. Canticorum apud Divum Thomam, ac Speculum morale nostri Jo. Vitalis Card. duoque sacrorum Bibliorum membranei Codices nostræ hujus Bibliothecæ S. Bernardini Tridenti 21. ac 40.: sed etiam idemmet noster Interpres Cap. 2. Exposit. in Ecclesiasten, & Cap. 2. ac 9. in Luc. tam Editionis Venet. 1754. pag. 140. col. 1. quam Editionis Lugdun 1668. pag. 116. col. 2. Item cap. 18. Comment. in Joan. num. 1145. &c. Accedit sacror. Biblior. Editio Colonien. Petri Quentel 1527. Biblioth. Gentilott.

(*b*) Vide supra §. 244. in not. *a*.

(*c*) Al. *prosequamur*.

(*d*) De hoc plura in Prol. Apocal. num. 32. in not. de quo Vol. 2.

(*e*) Habet quoque *præsuppositorie* in Apol. Pauper. Prodr. col. 607.

(*f*) Heic intelligi posse varia virtutum genera in religiosorum hominum societate, notat etiam Maldonatus.

(*g*) In singulari habet *poma convallis* Exposit. in cap. 2. ac 9. S. Luc. & sic etiam Symmach.

(*h*) In plurali secundum Vulg. *poma convallium*, Exposit. in Ecclesiasten. cap. 2.

(*i*) Vulg. *floruisset vinea*; sed quonam pacto *florent vineæ*, declarat etiam S. Gregorius.

(*k*) Cod. Patav. addit: *ac fundandi & enutriendi*.

torum regimen absque distractione ac turbatione. *Exo 18. 18. & Deut. 1. 10. ac seqq. Ad Rom. 8. 35. ac seqq. 2. ad Cor. 11. 23. ac seqq.*

in multorum regimine non distrahi, (a) nec turbari, sicut plenius patet in Moyse divinissimo, qui sæpissime ad Deum clamare compellitur, se non posse portare onus populi suo regimini traditi: aut sicut patet in Paulo divinissimo, summas angustias, quas in Ecclesiarum propagine & gubernatione patiebatur, in suis Epistolis exprimente; idcirco sponsa se hoc ipsum passam ostendit, subdens:

VERSUS XI.

Duplex caussa desolationis sponsæ in suscepto regimine.

§. 272. *Nescivi.* Ubi se in regimine desolatam (b) asserit ex duplici caussa. Prima est ex defectu, quem in seipsa invenit, & propterea subdit: *nescivi*, scilicet hoc onus regiminis tam grave, & tam discriminosum (c) esse, sicut nunc probavi. (d) Vel *nescivi* vires meas ita impares (e) oneri, sicut nunc per experientiam scio. Vel *nescivi*, scilicet circumspecte & inerrabiliter regere. (f) Et tunc dicit hoc secundum existimationem & formidinem suæ districtæ conscientiæ, vel meræ & exactæ Dei justitiæ. Vel *nescivi*, scilicet meipsam, & Deum meum, quasi diceret: hoc regimen me distrahit ab illa pura & serena contemplatione interiorum meorum, & Dei mei, quam prius habebam, cum soli mihi, & Deo meo vacabam. Secunda caussa suæ desolationis est perfectio Divini regiminis in lege Dei, & in perfectis populi Dei Patribus & Principibus expressa & exemplata. (g) Et propter hoc subdit:

Quinam sit Aminadab.

§. 273. *Anima mea conturbavit me propter qudrigas Aminadab.* Aminadab de tribu Juda (h) fuit, pater Naasson, princeps tribus Juda in exitu de Ægypto & in deserto. (i) *Aminadab* etiam interpretatur *populus meus spontaneus*, vel *populi mei vota*. (k) Per *Aminadab* ergo intelliguntur non solum Principes, sed Patres Principum populi Dei, & tribus regiæ, qui sic perfecte populum regunt, populum spontaneum & devotum ad Dei cultum & servitium, ut ex amore plus serviant, quam ex timore.

Ejus interpretatio.

Quænam ejus quadrigæ.

§. 274. *Quadrigæ* autem, seu equestres currus ipsius, sunt Divinæ legis præcepta jubentia & exigentia quadraturam militarium virtutum, & agiliter & circulariter rotantium, & currentium, & ad invicem stabiliter connexarum, & pondus equitum & vecturarum solide portantium; & præcipue Lex Evangelica in quadriga quatuor Evangeliorum contra Judaismum contenta. (l) *Quadrigæ* item sunt quatuor ejus principalia collegia & exedria, perfectam quadrigaturam, & rotaturam, & soliditatem virtutum in se habentia, quæ quidem in quatuor rotis, & quatuor animalibus Divini currus, & eorum quatuor faciebus figurantur Ezechielis primo (m)

Quadriga quatuor Evangeliorum contra Judaismum.

Ezech. 1.

Unde sponsæ conturbatio.

§. 275. Consideratio autem perfectionis harum quadrigarum, & talium Patrum ac Principum, conturbat sponsam; quia timet se non posse tantam perfectionem assequi & implere: & præ-

---

(a) Quid agendum *Prælato*, qui *præpeditur variis curarum distractionibus*, docet in Opusculo de sex Alis Seraphim cap. 8. versus finem.

(b) Hæc esse verba Sponsæ etiam censent tres Anonymi apud Theodoretum.

(c) *Opus regiminis vocat sarcinam gravem, & quasi importabilem* quoque in Epist. ad Ministr. Provin. & Custod.

(d) Ita Codd. Assisien. & Patav.; Vaticanus autem: *sicut experta sum*.

(e) In d. Epist. *humeros imbecilles*.

(f) De *circumspecta discretione, & provida faciendorum consideratione necessaria rectori animarum*, cap. 7. Opusculi cit. de sex Alis Seraphim per totum.

(g) Hujus verbi frequens usus apud nostrum Doctorem in Libris Sentent. in Itinerar. mentis in Deum, in Legen. S. Clar. &c.

(h) Cod. Patav. *Judæ regia*.

(i) Ita Lyranus, & Hebræi.

(k) Exposit. sub Cassiod. nomine: *Interpretatur Aminadab, populi mei spontaneus*. Aquila: *Populi sponte imperantis*. Apud S. Hieronymum de Nominibus Hebraicis: *Aminadab populus meus spontaneus*. Et sane *Aminadab*, vel ut Hebr. est, *Amminadib*, significat *populum spontaneum, liberalem Principem*. In Exposit. altera Ps. 118. inter Opera D. Bona., quam tamen ei non adserimus: *Aminadab interpretatur populi mei concupiscentia, vel voluntas*. Nec non in Indice interpret. Hebraicor. nom. membr. nostri Cod. sacror. Biblior. A. 1. 40. *Aminadab populus meus sponte, vel populi mei vota*.

(l) Sic secundum communem Patrum sensum, scilicet Phil. Carpat. Justi Orgelit. Cassiod. sive alterius sub ejus nomine, S. Greg. Bedæ, S. Ansel. Rupert. &c. Item idemmet noster Interpres Exposit. Psalter. Psal. 67. ad illud *Currus Dei decem millibus multiplex*, subdit: Currus significat Evangelium, unde in Cant. „ *Turbata est anima mea propter quadrigas Aminadab*, id est, admirationem Evangelii. "

(m) De his noster Interpres Serm. sive Collat. 13. in Hexaem., in Prologo Breviloquii ubi de latit. S. Scripturæ, in Procemio super Evang. S. Lucæ &c.

Aminadab Christi figura.

præcipue ipsam perfectionem Christi, qui per Aminadab, a quo secundum carnem descendit, (a) hic præ ceteris designatur. (b) Ipse enim est proprie pater & dux quadrigarum, & exercitus Dei. Et hoc est, quod sponsa super omnia timet, scilicet se non posse debite imitari perfectionem sui sponsi, qui regit perfectissime universum.

VERSUS XII.

Verba Sponsi, & comitum.

Ecclesia Dei regenda a perfectis.

§. 276. *Revertere &c.* Quia Ecclesiæ Dei non solum expediens, immo necessarium est, ut a perfectis regatur, quod nequaquam fieret, si solam suam distractionem & insufficientiam, & imperfectionem, & instar Christi regimen habendum attendentes, vocationem regiminum totaliter (c) formidarent; idcirco sicut in parte bonum est, quod periculum timeant, sic etiam expedit, quod suam sufficientiam, & Ecclesiæ regendæ necessitatem, & Dei super hoc præceptum & beneplacitum recognoscant. (d) Primo igitur instanter requiritur sponsa ad regiminis onus reverti. Supponitur enim, quod ea quasi omnino a regimine ipso fugiat.

Dei beneplacito in suscipiendo regimine acquiescendum.

Reversio ab imo statu culpæ ad supremum statum gratiæ.

§. 277. *Revertere, revertere, Sunamitis, (e) revertere &c.* Hic in his verbis etiam revocat animam peccatricem a

profundo culpæ, ut revertatur ad excelsum gratiæ, & hoc per modum pœnitentiæ. (f) Nam primo exprobratur damnabilis lapsus ex vocis interpretatione ibi: *Sunamitis.* Secundo exspectatur possibilis reditus ex vocantis interrogatione ibi: *revertere.* Tertio explicatur optabilis remeatus ex desiderantis inspectione: *ut intueamur te.*

§. 278. Circa primum notandum, quod Dominus vocat eam in gratiam, scilicet animam peccatricem exsistentem, non eo modo, quo dicit animam quandoque filiam, quandoque sponsam, quandoque sororem. Hanc autem, scilicet peccatricem, non sponsam, quia cecidit a caritate; non filiam, quia cecidit ab hæreditate; non sororem, quia cecidit a germanitate; sed *Sunamitem* vocat miseram, vel captivatam, vel mortificatam; quia positam in miseria & captivitate. Sic enim interpretatur: (g) Voca Sunamitem hanc, quarti Regum quarto, & ibi: Ecce Sunamitis illa absque liberis est. *Sunamitis* dicitur, (h) primo servilitate (i) peccati, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati, Joannis octavo. Secundo, quia nullum fructum facit Deo acceptum. Tertio, quia anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, Ezechielis decimo octavo. Igitur vocat eam peccatricem non nomine proprio, sed *Sunamitem* exprobrative. Psalmo centesimo trige-

Anima peccatrix quam infelix.

4. Reg. 4. 12. & 25.

Cur anima peccatrix dicatur Sunamitis.

Joan. 8. 34.

Ezech. 18. 4.

(a) Fuit enim Princeps tribus Juda tempore Moysis in transitu maris rubri. Supra §. 273.

(b) Ita plerique Interpretes apud Cornel. a Lap. Unde sæpe memorata Exposit. sub Cassiod. nomine sic ait: „ *Aminadab* significat „ Christum, qui spontaneus fuit populi sui; „ quia cum esset Deus, sponte factus est ho„ mo: cum esset Conditor, & Creator, sola „ benignitate sua factus est portio populi sui.

(c) *Totaliter* etiam in Opusc. de perfect. vit. ad Soror. ut in Prodr. col. 560. Item in Leg. ma. Prodr. 592.

(d) In supra cit. Epistola Encyclica inquit: „ Licet insufficientiam meam ad ferendum onus „ impositum cognoscerem manifeste .... quia „ tamen durum est contra stimulum calcitra„ re, tantæ Congregationis, & Summi Ponti„ ficis, ac per hoc & altissimi Dei voluntati „ pertinaciter resistendo, sarcinæ gravi, & „ quasi importabili humeros supposui imbecil„ les, sperans de adjutorio Dei omnipotentis.

(e) Legitur *Sunamitis* apud nostrum Interpretem etiam cap. 1. Soliloquii, item Exposit. in cap. 1. S. Lucæ, ac in Comment. super Apocal. cap. 2. ℣. 21. Insuper apud Hugonem Cardinalem, nec non in utroque Comment. Cant. Cantic. apud Divum Thomam. Præterea *Sunamitis* habent duo nostri Codd. Bernardin. multique alii apud Cornelium a Lapide. Insuper Biblior. Editiones, quas præ manibus habemus Veneta 1476. Lugdunenses 1524. 1549. 1568., & alia sine nota temporis & loci. Quibus accedunt tres Biblioth. Gentilott. Nurnbergen. 1478. Venet. 1484. Basileen. 1509. nec non Venet. 1481. Biblioth. Griezen. Item multi antiqui Patres apud Jacobum Tirinum. Profecto inter Patres etiam apud S. Greg. magn. Exposit. in cap. 6. Cant. num. 14. est *Sunamitis*; ut nihil dicam de Cassiod. sive de Auctore Exposit. sub Cassiod. nomine. Sed de nomine *Sunamitis*, sive *Sulamitis* rursum infra §. 282.

(f) Cit. cap. 1. Soliloq. & in Comment. Apocal. ibi. Sicque SS. Ambrosius & Bernardus, Hugo Vict. &c.

(g) Eodem cap. 1. Soliloquii: „ *Revertere*, „ *revertere Sunamitis*, id est, per peccatum mi„ sera effecta, vel captivata, vel mortifica„ ta. “ D. Gregorius ibi quoque, ac Rupertus, *Sunamitis* vertunt *captiva, despecta*. Item & d. Exposit. sub Cassiod. nomine interpretatur: *Sunamitis captiva, vel despecta &c.*

(h) Talis scilicet anima peccatrix.

(i) Hanc vocem usurpat quoque in 3. Dist. 34. Par. 2. Ar. 1. Q. 2. in Concl.

Psal. 136. 8. trigesimo sexto: Filia Babylonis misera, scilicet sterilitate morbida, carnalitate mortua. (*a*)

Cur dicitur quadrupliciter revertere.

§. 279. Dicitur autem sic quater (*b*) *revertere*, tum quia ad inquisitionis grandem instantiam: (*c*) tum quia a quatuor generibus personarum requiritur, scilicet a sponso, & a suis, & ab Ecclesiarum Principibus, seu principalioribus, & ab inferioribus, seu popularibus: tum quia ex quatuor rationibus, quibus ipsa moveri debet, requiritur. Prima est, quia est a Deo de captivitate Diaboli, eruta & redempta. Secunda est, quia est, & esse debet Deo subjecta, & in sui Redemptoris & Salvatoris obsequium captivata. Et ad has duas rationes significandas vocatur *Sunamitis*, id est, captivata & mortificata; ut scilicet secundum Apostolum, qui vivunt, jam non sibi vivant, *2. Cor. 5. 15.* sed ei, qui pro ipsis mortuus est, secunda ad Corinthios quinto. Et secundum hoc nomen bene bis dicitur *revertere, revertere*: Tertia ratio est utilitas exempli, quam inferiores ex sola visione sanctitatis suæ & vitæ accipient. Quarta est glorificatio Dei, qui eam talem fecit, ex suæ perfectionis pleniori demonstratione & visione in omnibus subsecutura. Et has duas conditiones exprimit iterum bis dicendo; *revertere, revertere*. (*d*)

Quatuor obligationes sese Deum convertendi.

§. 280. Vel dicas, quod quater *revertere* dicit. propter quatuor obligationes, pro quarum qualibet sic peccator teneatur convertere se, & reddere se Deo. Scilicet prima propter creationem, qua recipit totum esse. Secunda propter redemptionem, in qua Christus dedit se totum tibi: tradidit semetipsum pro nobis, ad Ephesios quinto. *Ephes. 5. 2.* Tertia propter præmiationem, (*e*) quia promisit se dare majora, quam valeas tu. Quarta propter promissionem, quam fecisti in baptismo, scilicet renunciare Diabolo, & pompis ejus. (*f*)

§. 281. Dicit ergo per Isaiam quadragesimo quarto: Formavi te serve mi, *Isa. 44. 2.* ideo *revertere* ad me, quia creavi te, & redemi te. Sed proh dolor! De homine conqueritur dicens: Induraverunt super petram facies suas, & noluerunt reverti, Jeremiæ quinto. *Jer. 5. 3.* *Revertere* ergo, quia aufert culpam & calamitatem: unde *revertere*. Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen *Jer. 3. 1. & seq.* revertere ad me, dicit Dominus, (*g*) & leva oculos tuos in directum, & vide, ubi nunc (*h*) prostrata sis, scilicet in fœtore sordis, languore pestis, timore mortis, ardore ignis. Subinducit: *ut intueamur te*, id est, tuam sanctitatem & vitam perfectam. Deinde ne de insufficientia (*i*) sua ad tale opus formidet. Et hoc primo in generali, cum dicitur ibi:

C A-

(*a*) Duo isti §. 277. ac 278. absunt a Codd. Vatic. & Patav. Quod autem per *Filiam Babylonis miseram* significetur *peccatrix*, ex eo probat Lorin., quia scribit Sapiens Prov. 14. 34. quod *miseros facit populos peccatum*. Sed & de epithetho *misera* per *confusionem peccatorum* Cassiod. Exposit. in Psalmos ibi.

(*b*) Al. *quadrupliciter*; sed *quater* etiam Cod. Assisien.

(*c*) Cornel. quoque a Lap. observat, quod *invitatur a Christo quater, id est, instanter & continue ad pœnitentiam.*

(*d*) Sequentes §. 280. & 281. in Codd. Vatic. & Patav. desiderantur.

(*e*) Hac voce quoque utitur in Breviloq. ut diximus in Prodromo col. 525.

(*f*) Cap. 1. Soliloq. ait: „ *Revertere*, o anima, ad me, ego sum creator tuus: *revertere*, ego sum redemptor tuus: *revertere*, ego sum consolator tuus. Et si hæc modica videantur, *revertere* ultimo, quia ego sum tam liberalis remunerator tuus. *Revertere* igitur ad me, ego sum, qui te tam nobiliter creavi. *Revertere*, ego sum, qui te tam misericorditer per mortem meam amarissimam, de morte æterna liberavi. *Revertere* ad me, ego sum, qui te bonis spiritualibus & corporalibus tam multipliciter ditavi. *Revertere* ultimo ad me, o anima, ego sum, qui te jam per præparatam felicitatem tam liberaliter remuneravi. "

(*g*) Vulg. *dicit Dominus, & ego suscipiam te. Leva oculos &c.*; sed *& ego suscipiam te* deest quoque tam apud Hugonem Card. quam apud Lyranum, recteque notat idem Lyran. *In aliquibus libris non est de textu, quia non est in Hebræo, nec in libris correctis, sed subintelligitur: propter quod aliquis Expositor posuit hic per modum Glossæ interlinearis, quæ postea inserta fuit textui per imperitiam Scriptorum.* Caret quoque ly *& ego suscipiam te* Edit. Biblior. Basileen. 1509. Vid. & Brugensem.

(*h*) Vulg. *non*; sed *nunc* ipsemet noster Interpres Comment. in Jo. cap. 11. num. 824. ac Comm. in Apocal. cap. 1. num. 55. & cap. 3. num. 236. ubi pro hac variante lectione plura:

(*i*) *Insufficientiam* habet ab init. jam cit. Epist. ad Ministr. Provincial. & Custod. nec non in Opusc. de perfect. vit. ad Soror. Vid. Prodr. col. 560. ac supra §. 276. not. *d*.

CAPUT SEPTIMUM.

1. QUid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?
Quam pulchri sunt gressus tui in calceamen-
tis, filia principis: Juncturæ femorum tuorum
sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artifi-
cis. 2. Umbilicus tuus crater tornatilis, num-
quam indigens poculis. Venter tuus sicut acer-
vus tritici, vallatus liliis. 3. Duo ubera tua
sicut duo hinnuli gemelli capreæ. 4. Collum
tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut pi-
scinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus
sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. 5. Caput tuum
ut Carmelus, & comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.
6. Quam pulchra es, & quam decora, charissima, in deliciis! 7. Sta-
tura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris. 8. Dixi: ascendam
in palmam, & apprehendam fructus ejus: & erunt ubera tua sicut bo-
tri vineæ, & odor oris tui sicut malorum. 9. Guttur tuum sicut vi-
num optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & den-
tibus illius ad ruminandum. 10. Ego dilecto meo, & ad me conver-
sio ejus. 11. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in
villis. 12. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruerit vinea, si
flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ube-
ra mea. 13. Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia
poma: nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi.

EXPO-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

Verba Sponsi. (a)

§. 282.

QUid *videtis* (b), vel *videbitis*, (c) *in Sunamite*, (d) id est, in persona prius peccatrice, sed postea in Christi obsequium totaliter captivata & mortificata, (e) *nisi choros*, id est, acies, vel cuneos ordinatos, *castrorum*, quasi diceret: tuus est nimis magnus exercitus militaris, & fortis, circummunitus, & bellandi arte peritus, scilicet exercitatus, non lasciviis vacans, sed in castris excubans semper. Quidam dicunt, quod in hoc versu, & præcedentibus debet esse *Sulamitis* cum *l.*, non tamen cum *n.*, & sic dicunt, quod est in Hebræo. Et tunc dicunt, quod dicitur *Sulamitis*, quasi *Salomitis* a Salomone, id est, pacifica, non autem *Sunamitis*, quasi diceret: sua civitate exiens; sicut quarti Regum quarto matrona aliquando serviens Elisæo vocatur *Sunamitis*, & tertii Regum primo Abisag virgo serviens David seni eadem ratione dicitur *Sunamitis*. Et secundum hoc tam hic, quam supra, in nomine *Sulamitis* significatur duplex ratio sufficentiæ (f) suæ, propter quam merito reverti, & confidere debet. Prima est, quia maximum est in statu hujus miseriæ summam pacem cordis & carnis, & pacem Dei, quæ exsuperat omnem sensum, in se habere. Secunda est, quia adhuc majus est posse pacem in alios facere, & discordias & tempestates Dæmonum ab eis posse repellere. Qualis utique est illa, quæ (instar summi Salomonis, id est, Christi pacifici, qui secundum Apostolum ad Ephesios secundo, est pax nostra, pacem evangelizans, & faciens his, qui longe, & his, qui prope) est *Sulamitis*, seu pacifica. Et certe in tali *Sulamite*, seu pacifica, non videntur *chori* lasciviæ, sed *castrorum* hostiles turbines repellentium, & terram in plena pace & securitate servantium. Sed tamen *Sulamitis* in Hebræo interpretatur integra. (g)

Opinio dicentium semper vocandam Sulamitem, non Sunamitem.

4. Reg. 4.

3. Reg. 1.

Duplex in Sulamitis nomine ratio sufficientiæ.

Ad Philipp. 4. 7.

Eph. 2. 14. & 17.

Sulamitis pacifica

& integra.

§. 283. Deinde ostendit ei suam sufficientiam in speciali, & quasi per partes. Et sumitur hic metaphora seu tropus ex generosa dispositione corporis muliebris, ex qua est apta, & fortis ad prolem fortem & nobilem procreandam. Et quia partus est ad inferiora, ideo hic incipit ad inferioribus membris, ascendens per ordinem usque ad supremum. (h) Ac deinde ibi: *quam pulchra es*, redit suo more ad generalem commendationem suæ sufficientis dispositionis proli expedientis. Primo igitur incipit a pedibus dicens: *filia principis*, id est, de omnibus principantis, id est: O sponsa regiæ formæ, tamquam summi regis filia, *quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis*, id est, quam pulchri & decentes sunt tui pedes, cum tuis pulchris

Eius commendatio in pedibus.

(a) Tametsi tres Anonymi, R. Salomon, Genebr. & Sanchez apud Cornel. a Lap. censeant hæc esse verba adolescentularum Sponsæ pulchritudinem celebrantium; melius tamen alii apud ipsum sentiunt esse verba Sponsi.

(b) Vulg. *videbis*; sed *videtis* etiam Serm. sive Collat. 20. in Hexaem. & apud Malvend.

(c) Sic Hebr. & Septuag.

(d) Vulg. *Sulamite*; sed *Sunamite* rursum est in Exposit. sub Cassiod. nomine, nec non apud S. Greg., Hug. Card. & ipsummet Interpretem nostrum cit. Serm. sive Collat. Insuper in duobus Codd. nostris Bernardin. 21. ac 40. atque in pluribus antiquis Biblior. Editionibus tam nostræ Biblioth. Bernardin. quam Gentilott. Item in Edit. Venet. 1481. Biblioth. Griezen.

(e) Itidem apud S. Antonium Patavinum in Psalmos serm. 106. ac 109. *interpetratur mortificans, vel mortificata*.

(f) Vox *sufficientiæ* est 2. Cor. 3. 5. ac 9. 8. nec non 1. ad Tim. 6. 6. Item apud Tertul. Lib. 1. ad uxor. cap. 4.

(g) Sive *perfecta*. Unde Lyranus „ In Hebræo sic habetur: *Revertere revertere Sulamitis*, et si trahatur ad proprietatem Latinam, „ dicitur *Sulamitis*, id est, integra, vel perfecta. “

(h) Vid. supra cap. 5. §. 234. in not. *b*.

chris & decentibus calceamentis, & quam pulchre & condecenter incedunt! (a)

Quo pacto in ea designetur anima.

§. 284. Assimilatur enim anima *filiæ Principis*, vel sponsæ, si habet puritatem virginalis munditiei. Nam sicut lilium inter spinas non amittit decorem; ita nec sancta anima inter spinas, id est, carnis punctiones & tentationes in lilio figurata. Si habet multiformitatem cœlestis influentiæ: In me omnis gratia vitæ (b) & veritatis, Ecclesiastici vigesimoquarto. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, Psalmo quadragesimo quarto, ab interno, non ab ornamentis exterioribus, quæ carnem marcidam componunt & velant, sed in fimbriis aureis, id est, perfectionibus caritatis, circumamicta virtutum varietate. (c) Si habet suavitatem lætitiæ, Psalmo quadragesimo quarto: Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Propterea dicitur illud Zachariæ nono: Exsulta satis filia Sion. Si habet humilitatem filialis obedientiæ; unde Psalmo quadragesimo quarto: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.

Eccli 24. 25. — *Psal.* 44. 14. — *Ps.* 44. 8. — *Zach.* 9. 9. — *Psal.* 44. 11.

Pulchri gressus sponsæ quoad potentiam cognitivam.

§. 285. *Pulchri ergo sunt gressus tui, filia principis.* Quantum ad progressum & egressum potentiæ cognitivæ, qui sunt cogitatus; & isti pulchrificantur (d) in contemplationibus claris. Ecce tu pulchra es: ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum, clare & simpliciter Deum intuentes. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus, & oculi tui sicut columbæ. Quantum ad progressus potentiæ affectivæ, qui sunt appetitus casti; & isti pulchrificantur in delectationibus puris, de quibus hic: *quam pulchra & quam decora, charissima, in deliciis*! scilicet spiritualibus. Consummatio desiderii est per amorem, quando amans transformatur in amatum. Unde Hugo de Arrha sponsi & sponsæ: Ea vis amoris est, ut talem te esse necesse sit, quale est illud, quod amas, & cui per affectum conjungeris, (e) in ipsius similitudinem ipsa quodammodo dilectionis societate transformeris. Et ego mater pulchræ dilectionis, scilicet de illa dilectione, quæ est sponsi & sponsæ. Et sponsus respondet: Pulchra es amica mea, & suavis, & decora, sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata; quia pulchritudo cœlestis Jerusalem est ex influentia lucis & pacis & virtutis.

Cant. 1. 14. — *Ibi* 15. — *Cant.* 5. 12. — Et quoad potentiam affectivam. — *Infra ver.* 6. — *Hugo de Arrha animæ non longe a principio.* — *Eccli* 24. 24. — *Cant.* 6. 3.

Quoad potentiam interpretativam.

§. 286. Quantum ad progressus potentiæ intellectivæ, sive interpretativæ, qui pulchrificantur ex eruditionibus & sermonibus veris. Unde quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino. (f) Duo ubera duorum testamentorum doctrina, (g) de qua patet illud Judith undecimo: Non est talis mulier super terram in pulchritudine. Habemus ergo ubera veritatis, sive prædicationis, (h) ut de quolibet nostrum dicatur: Nephtali, sive Nephtali cervus emissus, & dans eloquia pulchritudinis, Genesis quadragesimo nono. Quantum ad progressus potentiæ affectivæ, & effectivæ, sive exsecutivæ, qui pulchrificantur in conversationibus sanctis: (i) Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. In genis pulchris est albedo & rubeitas. (k) Et quid ornat faciem conversationis, nisi albedo castitatis, & rubedo caritatis? Unde Sapientiæ quarto: O quam pulchra

Cant. 4. 10. — *Judith* 11. 19. — *Gen.* 49. 21. — Quoad potentiam execucutivam. — *Cant.* 1. 9. — *Sap.* 4. 1.

(a) Sequentes §. 284. 285. & 286. non sunt in Codd. Vatic. & Patav.

(b) Vulg. *in me gratia omnis viæ & veritatis*; sed ut supra ipsemet S. Bona. Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. Serm. 2. in ordine 38. de B. M. V. ad finem, nec non in Collat. de sept. don. Spir. Sanct.; ut dicam nihil de Speculo ejusdem B. M. V. inter Opuscula sub ejusdem Bona. nomine &c. Item Hugo Card. Lyran. ac antiquæ Biblior. Editiones tam nostræ Biblioth. Bernardin. quam Gentilott.

(c) Sic rursum idem S. Bona. Serm. 3. Dom. 23. post Pentec. ubi textum hunc: *quam pulchri sunt &c.*, similiter interpretatur. Vide sis S. Gregor. Lib. 6. in 1. Reg. cap. 1. num. 10.

(d) Pro *pulchri fiunt* legere est etiam in Glossar. Ducang. sed & *pulchrificat* dicit noster Interpres Serm. 1. in Hexaem. &c.

(e) *Conjungeris*, inquam, non *contigeris*, ut habet Amatorium S. Bonav. To. 5. noviss. edit. Ven. pag. 779. col. 1. post Sixtin.

(f) Supra ibi §. 193.

(g) Supra §. 178.

(h) Aut *Prædicatorum Evangelicorum, ex quibus sugitur lac sapientiæ & doctrinæ*, ut loquitur Comment. in cap. 1. Apocal. num. 62.

(i) Vid. D. Bona. Serm. 3. Dom. 23. post Pentec. ubi exponens prædicta verba: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*! similiter in anima distinguit *potentiam intellectivam, affectivam, operativam* (hæc supra vocatur *effectiva, sive executiva*) nec non *gressus, scilicet cogitationes, affectiones, & operationes, quibus graditur, & procedit*.

(k) Similibus Scholæ vocabulis scatent D. Bonaventuræ quatuor Libri Sententiarum.

chra est casta generatio cum claritate. *Cant. 4. 7.* Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. (*a*)

Regiarum sponsarum gloria.

§. 287. Secundum enim tropum exteriorem hic in mundanis multum attenditur gloria & decentia regalium sponsarum & puellarum. Non enim laxe, & rusticaliter, & incomposite calceantur, & non incedunt sicut faciunt vetulæ rusticanæ, nec de vili & inordinata materia calceantur, sicut faciunt inopes mulieres; immo de valde pretiosis & pulchris. *Spiritualis sensus.* Per hoc autem spiritualiter designatur perfecta compositio, & restrictio, & moderatio regularis disciplinæ, quæ instar calceamentorum nobilium fundamentales processus nostrorum affectuum & actuum, mirabiliter pulchrificant & adornant.

Calceamenta animæ.

§. 288. (*b*) *Calceamenta* animæ velantis humanitatis, Psalmo quinquagesimo nono: *Psal. 59. 10.* In Idumæam extendam calceamentum meum. (*c*) Ornantis honestatis: *Ezech. 16. 9. & 10.* Unxi te oleo, & vestivi te discoloribus, & calceavi te hyacintho, (*d*) Ezechielis decimo sexto. Supportantis (*e*) *Deut. 33. 24. & 25.* caritatis: Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum: Ferrum & æs calceamentum ejus, Deuteronomii trigesimo tertio. Informantis veritatis, ad Ephesios *Eph. 6. 15.* sexto: Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. (*f*) Conjungentis unitatis. (*g*) *O quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis.* (*h*) Revocantis pietatis: *Luca 15. 22.* Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus, Lucæ decimo quinto. Vel per hoc possunt designari regulares & exemplares (*i*) informatoriæ prædicationis & visitationis processus, juxta illud Isaiæ quinquagesimo secundo: Quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem. *Isa. 52. 7.* Et ad Ephesios sexto: Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. (*k*) *Eph. 6. 15.*

Alius sensus spiritualis.

Junctura femorum, earumque significatio in sponsa.

§. 289. Deinde in *juncturis* feminum, seu *femorum*, quæ in viris femora, in feminis femina vocantur, (*l*) *sicut monilia in manu artificis*, id est, artificiosissime *fabricata*. Quod enim homo, vel femina stet, vel incedat interioribus partibus femorum bene, & concorditer, ac proportionaliter (*m*) junctis, facit ad decorem & stabilitatem; & est signum constantiæ & vigoris. Per hoc autem castitatis junctura, seu custodia, seu clausura significatur. (*n*) Et ideo bene dicit, quod sunt *sicut monilia*, quibus clauduntur pectora matronarum, dicta a monendo, (*o*) quia monent castitatem: vel a muniendo, quia nuditatem muniunt pectoris ab exteriori vento & tactu, & aspectu. *Monilia, eorumque significatio.* Vel ideo dicta *monilia* artificiosissime *fabricata*, quia in sponsa Christi nihil ornatius ac decentius ista junctura. Duo autem *femora* sunt aspectus & affectus castitati, vel luxuriæ insistentes. Et sicut qui vacant luxuriæ sunt insatiabiles, & hiatu voraci aperti, & teste Ezechiele *Ezech. 16. 25.* decimo sexto, omni transeunti se divaricantes; sic cum firmissime & perfectissime se continent, sunt concordissime, & decentissime, & indivisibiliter juncti. (*p*) Vel per hanc juncturam potest significari concordia vitæ activæ & con-

(*a*) Pariter jungit hunc utrumque textum tam Sap., quam Cant., etiam Exposit. in Lib. Sapient. ibi.

(*b*) Quæ subduntur in hoc §. 288. desiderantur in Codd. Vatic. & Patav.

(*c*) Confer Exposit. in Psalter. ibi, ac in 3. Dist. 22. in Exposit. text. Dub. 5. nec non Expositor. ac PP. apud Lorin.

(*d*) Vulg. *janthino*; sed *hyacintho* unus ex Codd. nostris Bernardin. Editionesque antiquiores.

(*e*) De prædicto verbo *supporto* ait Cassiodor. in Ps. 54. ver. 13. quod de humanis calceamentis id verbum solet usurpari.

(*f*) Vid. quoad prædictum utrumque textum D. Greg. Moral. Lib. 34. cap. 9. num. 19.

(*g*) Al. *veritatis*.

(*h*) *Una per fidem*, ut habet Interlin. apud Lyran. Vel *ad laudem Ecclesiæ conjunctæ*, ut inibi dicit Glossa ordinar.

(*i*) *Exemplares*, inquam, quia *anima quasi calceata, & informata exemplis Sanctorum, provocatur ad pie cogitandum, recte loquendum, & bene operandum, & talibus itineribus pervenitur ad salutem*, cit. Ser. 3. Dom. 23. post Pentec.

(*k*) Similiter Exposit. in cap. 15. S. Luc. ubi itidem prædicti textus una cum hoc Cant. allegantur.

(*l*) Etiam Hugo Cardinalis heic legit: *Feminum tuorum*, notatque similiter: *in viris femora, in feminabus femina*; & quod *femen debet dici*. Porro *Femen feminis* n. Plin. (Lib. 11. cap. 10.) vulgo *coscia*, est in Vocab. Taurin. Archigymn. Vide sis quoque Amaltheam Onomast. Josephi Laurentii Lucensis verbo *Femen*, *Femina*. Franc. Luc. Brugen. „ *Junctura femorum* „ *tuorum*. Alii scribunt *feminum*. “ Sic & Exposit. sub Cassiod. nom. & ap. Malven.

(*m*) *Proportionaliter* quoque Doctor noster in Tract. de Eccles. Hierarch. Prodr. col. 534. ac etiam alibi.

(*n*) In Cod: Assisien. *claustra significantur*.

(*o*) Sic & S. Anselmus.

(*p*) Pariter Philo Carpath.

contemplativæ, a qua manant gressus supradicti, in quarum radicali connexione & consistentia est vis conceptiva prolis spiritualis. (a)

VERSUS SECUNDUS.

Umbilicus, & ejus significatio.

§. 290. *Umbilicus tuus* &c. Deinde de *umbilico* ejus dicit, quod est sicut *crater*, id est, sicut scyphus *tornatilis*, id est, rotundus, & in torno formatus & rotundatus: (b) *numquam indigens poculis*, id est, semper vino plenus, & numquam vino evacuabilis, seu exhaustibilis, (c) quasi scilicet semper remanet plenus. Utitur autem hoc tropo, quia *umbilicus* habet quamdam rotundam concavitatem, habentem in sui medio quamdam prominentem incisuram, (d) seu cicatricem, sicut scyphi quidam lignei habent. Per *umbilicum*, qui est medium ventris, signatur vis spiritualium conceptuum contentiva, quæ in sponsa semper est spiritualibus conceptibus superplena, & ad omnia consideranda, vel ad potum omnibus ministrandum, (e) facile gyrabilis, & ad Divini torni regulam rotundata, ut sic sit capacior & regularior.

Sponsæ venter, ut acervus tritici vallatus liliis, ejusque significatio.

§. 291. Quarto de toto ejus ventre dicit, quod sit *sicut acervus tritici, vallatus liliis*. Hoc tropo utitur, quia venter instar *acervi* tumescit, quasi semicirculariter & pyramidaliter; & quia color carneus quoad aliquid sui est quasi color *tritici*; & quia caro generosa & delicata se habet ad alios sicut *triticum* ad hordeum, vel lolium, vel legumina. Propter vero candorem pellis, ventrem operientis, comparat eum *acervo vallato*, aut operto, seu circumclauso & circumtecto *liliis*. Per *ventrem* autem intelligitur venter mentis, (f) acervo Divini tritici, id est, solidi cibi, & sementinæ sapientiæ plenus, vel qui est quasi horreum grano tritici plenum, ad agros Ecclesiæ seminandos. Habet autem pro fulcimento vel tegumento, candorem sanctimoniæ purissimæ.

VERSUS TERTIUS.

§. 292. *Duo ubera tua* &c. Quinto de ejus *uberibus* dicit, quod sunt *sicut duo binnuli gemelli capreæ*, per quæ virtutes, scilicet divini lactis propinativæ, designantur, quæ lactis copia intumescunt, de quibus sufficiat quod supra dictum est capite quarto. (g)

Duo ubera ejus sicut duo hinnuli quid significent.

VERSUS QUARTUS.

§. 293. *Collum tuum* &c. Sexto de *collo* ejus dicit, quod est *sicut turris eburnea*, per quod spiritualis fortitudo supra capite quarto (h) descripta intelligitur. Quia vero supra dixit, quod est sicut turris David, hic dicit, quod est *sicut turris eburnea*. Ebur enim est solidum os animalis maximi & fortissimi, scilicet Elephantis, (i) quod quidem os est valde pulchrum, & politum, & speculare, & candore aliquantulum flavo nitescens. Et certe talis est, & esse debet fortitudo mentis perfectæ, ut scilicet sit solida, & provida speculatione, cauta, tuta, & fervore flammea, & puritate candida. (k)

Quid collum ut turris eburnea.

Quid ebur.

§. 294. Septimo de *oculis* ejus dicit: *sicut piscinæ*, quales erant *in Hesebon*, *quæ sunt in porta filiæ multitudinis*, id est, in porta civitatis, magna multitudine populi abundantis. In talibus enim locutionibus *filius* & *filia* abundantiam significat, ut cum in Scriptura dicitur filius olei, filius iniquitatis. *Hesebon* autem erat civitas terræ Moab, sicut patet Isaiæ decimo quinto, & Jeremiæ quadragesimo octavo, ubi agitur de onere Moab. Fuit tamen altera *Hesebon* in terra Metropolis regni Regis Seon Amorrhæi, (l) prout habetur Deute-

Illius oculi, sicut piscinæ, eorumque significatio.

Hesebon.

Isa. 15. 4. *Jer.* 48. 2.

(a) Sa „ *Junctura femorum*, id est, virtus „ generandi filios in Christo. "

(b) *Rotundatus* a verbo *rotundo* apud Ciceronem, Horatium, Vellejum Paterculum &c.

(c) Extat *exhaustibilis* apud ipsum D. Bona. in ejus Princip. Sacræ Scripturæ, sicut in contrario sensu *inexhaustibilis* Exposit. in cap. 7. Sapient.

(d) Vox *incisuræ* est apud Plinium ipsum Lib. 11. cap. 39.

(e) *UMBILICUS*, ait Tirinus, *designat in anima, sui quidem respectu, studium fovendi forman dique pios conceptus, desideria, proposita: respectu vero proximi, curam & solertiam fovendi, instruendi, formandique recens conversos ad fidem & pietatem. Unde vocatur hic CRATER, qui cibo & potui recipiendo, aliisque præbendo serviat &c.*

(f) Sive apud Hug. Card. *memoria*.

(g) Scilicet §. 178.

(h) §. 174. & seqq.

(i) Et Hugo Cardinalis notat heic, quod *de Elephante est Ebur*.

(k) Quod *ebur notet elephantinam (Elephas enim ferarum & animalium castissimus est) castitatem, puritatem, & munditiem*, ait quoque Cornel. a Lap. Vid. Arist. Lib. 5. de Hist. animal. cap. 14.

(l) Hanc tamen *Hesebon* alteram a priori non censet

Deut. 3. 2. & 6. Judic. 11. 19. teronomii tertio, & Judicum undecimo. Interpretatur autem cingulum tristitiæ, vel cogitatio mœroris. (a) Per *oculos* autem sponsæ, ejus virtutes contemplativæ, & prudentiæ gubernativæ intelliguntur: qui oculi sunt speculares, (b) & mundi, & lavativi, & irrigativi, & sitibundorum satiativi, sicut aquæ piscinarum toti orbi aquam ministrantium. Suntque in porta civitatis populosæ, ad circumspiciendum scilicet omnes ingredientes & egredientes, & ad prompte, & ad propinque se omnibus ingredientibus & egredientibus exhibendum & propinandum. Hæ autem sunt in Hesebon, id est, in cingulo & cogitatione tristitiæ & mœroris, (c) juxta Ecclesiastæ septimum: Cor sapientum ubi tristitia est, scilicet crucis & passionis, & pœnitentiæ, & ubi est jugis meditatio mortis & luctus.

Hesebon interpretatio.

Eccl. 7. 5.

Sponsæ nasus ut turris Libani, ejusque significatio.

§. 295. Octavo subditur de ejus *naso*, per quem vis discretiva veræ & falsæ opinionis, & famæ, & bonarum & malarum herbarum, & spiritualis discretio invisibilium spirituum, quasi invisibilium vaporum discernendorum signatur. Quæ quidem discretio in canibus venaticis, & in quibusdam aliis animalibus sensibiliter comprobatur. Unde & Job trigesimo nono de forti equo dicitur, quod gloria narium ejus est terror futuri prælii, quod occulto odoratu præsentit. Unde & Gregorius dicit, quod res non visa naris odore deprehenditur. (d) Merito per nares, fidei & spei nostræ cogitationes signantur, quibus venturum judicium, quod nondum oculis cernimus, credendo & sperando prævidemus. (e) Dicit ergo hic: *ficus turis Libani, quæ respicit contra Damascum*. Illa enim turris, tamquam in alto monte sita, erat apta pro specula, & ad de longe speculandum hostes, (f) qui ex locis aliis non sic possunt videri. Bene etiam comparatur turri, quia ejus discretio magnum, instar turris, præstat (g) munimen, & robur, & tutamentum. *Turris vero Libani*, id est, montis candidi, quia sine grandi & solida eminentia puritatis non potest haberi perfecta discretio contra vitia, præcipue contra carnalia, signata in *Damasco*, quæ sanguinem bibens, vel propinans, vel sanguinis potus, vel poculum, (h) vel sanguinis saccus, vel saccus sanguineus, interpretatur. (i)

Job 39. 20.

Gregorius Lib. 31 Moral. cap. 26. n. 51.

Quid designet Libanus.

Quidve Damascus.

VERSUS QUINTUS.

§. 296. *Caput tuum &c.* Nono dicit: *Caput tuum ut Carmelus*, id est, sic pinguis & fertilis, sicut erat mons Carmelus, qui in herbis & pascuis valde abundat, per quod significatur exuberans pinguedo, & fertilitas spiritualium devotionum & meditationum, in vertice montis spiritualis, scilicet mentis (k) exsistens. Et quia *Carmelus* interpretatur mollis, vel tenellus, vel sciens circumcisionem; (l) significat teneritudinem & suavitatem devotionum, expe-

Sponsæ caput, ut Carmelus, ejusque significatio.

Carmeli interpretatio.

censet Adrichomius in Descriptione Terræ Sanctæ pag. 127. num. 31.

(a) Sic & Hugo Card. inde eliciens: „ Oculi ergo debent esse sicut piscinæ in Hesebon, „ id est, in abundantia bonarum cogitationum, „ & affluentia lacrymarum, ut non solum pro „ suis, sed pro omnium orent, & defleant peccatis. “ Noster autem Interpres paulo infra concludit *tristitiam crucis, & passionis & pœnitentiæ &c.* nec non Exposit. in Ecclesiasten Cap. 2. per *Piscinas* pariter intelligit *lacrymas multas*; ubi itidem allegat: *oculi tui sicut piscinæ in Hesebon*.

(b) Cod. Assisien. *speculatores*; ac hujusmodi *oculos* spectare ad *contemplativos* innuit quoque ipsemet Interpres noster cit. cap. 2. in Ecclesiasten.

(c) *Cingulum tristitiæ, vel cogitationem mœroris* etiam interpretatur index noster Biblic. Nom. Hebraic. pariterque D. Antonius Pat. in Psalmos Serm. 101. & ante ipsum S. Greg. &c.

(d) Sic ibi S. Gregorius quoad sensum. Verba ejus formalia sunt: „ Sæpe id quod non „ videmus, odore comprehendimus, ita ut non- „ nullæ res etiam cum longe jaceant, fragran- „ tia nobis suæ qualitatis innotescant. “

(e) Similiter Hugo Card.

(f) In Exposit. cap. 14. S. Lucæ per præfatum *nasum*, & *turrim contra Damascum*, significari ait idemmet noster Interpres *consilium contra insidias inimici*. Namque in turri Damasci Regiæ Syriorum Urbis *erant* (inquit Tirinus) *Judæorum perpetui speculatores, qui si quid novarum rerum a Syris Judæorum juratis hostibus tentaretur, extemplo Judæis renuntiabant, & obviari curabant*. Vide S. Ambros. Chrysost. & Cassian.

(g) Cod. Patav. *præbet*.

(h) S. Hieronymus de Nominibus Hebraicis: *Damascus sanguinis poculum*.

(i) S. Gregorius: *Damascus sanguineus interpretatur, & peccatrici genti dicitur: manus tuæ plenæ sunt sanguine*. Item cit. noster Index Hebraicor. Nom. *Damascus sanguis sacci, vel saccus sanguineus*. Et iterum: *Damascus sanguinem bibens, vel sanguinem propinans, sive sanguinis potus, aut sanguinis osculum*. Unde Cornel. a Lap. *Damascus Hebræum idem est quod sanguinis saccus, vel potus, vel osculum, vel præda*. Al. *sanguis sacer, vel sacratus sanguine*.

(k) Ita idem S. Gregor.

(l) Sive, ut apud S. Gregor. Hugon. Cardinalem

experimentaliter scientium circumcisionem omnium carnalium & superfluorum.

Comæ ipsius ut *purpura regis*, earumque significatio.

§. 297. Decimo de *comis* ejus dicit, quod sunt *sicut purpura regis vincta canalibus*. Per *purpuram* literaliter significatur aut sanguis cujusdam conchylii purpureus, aut materia sericorum filorum sanguine purpureo canalibus intinctorum. (*a*) Per utrumque autem horum significatur, quod grandes & oblongi pili seu crines, id est, meditationes & affectus sponsæ, sunt compassiva memoria sanguinis Christi, & electorum suorum, & desiderio martyrii intincti, & ad hanc intinctionem plenius recipiendam, concavis pietatis & humilitatis canalibus applicati. Dicit autem *purpura regis*, tum ad notandam hujus purpuræ singularem pretiositatem & dignitatem; tum quia est vere sanguis Christi regis nostri. (*b*) Per *canales* possunt etiam intelligi Scripturæ Sacræ, (*c*) vel earum Doctores, Christi passionem mystice, & hystorice exprimentes (*d*). Vel per hujus sanguinis *canales* intelliguntur quæcumque intermedia specula vel memorialia passionis Christi, quibus crines cordis nostri, id est, ejus cogitatus & affectus, sunt jungendi, (*e*) ut intingantur ejus viscerosa (*f*) compassione, & ejus imitatoria passione.

Cur dicitur purpura regis.

§. 298. Ex decem autem prædictis patet, sponsam universitate perfectarum virtutum, & supernorum actuum esse plenam, & per consequens regendæ Ecclesiæ idoneam. Post hæc igitur commendat eam iterum generaliter, & hoc sub illo respectu, sub quo

est etiam aptior ad prolem delectabiliter confovendam & refocillandam, unde subdit:

VERSUS SEXTUS.

§. 299. *Quam pulchra es, & quam decora, charissima, in deliciis!* Quasi dicat: Tu es pulcherrima, & pulcherrimis, & suavissimis deliciis plenissima, deliciis scilicet spiritualibus (*g*). Magna ejus pulchritudo.

VERSUS SEPTIMUS.

§. 300. *Statura tua assimilata est palmæ.* Cur assimilata palmæ. Sicut in corpore puellari optime stat statura recta & erecta, prout decet, strenua & generosa instar *palmæ*; sic etiam spiritualiter sumpta optime stat in sua mente. Vel *statura* ejus similis est *palmæ*, quia secundum Gregorium Moralium Libro decimo nono super illud Job: Et sicut palma multiplicabo dies: Palma in hoc a ceteris arboribus differt, quia minori amplitudine in suis imis inchoat, & juxta ramos & fructus ampliori latitudine & robore consurgit; ceteræ vero arbores deorsum sunt vastæ, sursum vero angustæ. Secus reprobi fortes ad inferiora acquirenda subsistunt, & ad superiora deficiunt. Nonnulli enim bona inchoantes, paulisper & successive decrescunt, & tandem deficiunt. At proficiens vita justorum plus finiendo peragit, quam proponit inchoando; & si tepide prima inchoat, ferventius extrema consummat. Semper enim inchoare se æstimat, & idcirco infatigabiliter in novitate perdurat. (*h*) Sic & palma, quæ

Gregorius Lib. 19. Moral. cap. 27. n. 49. super illud Job c. 29. 18.

tan-

nalem, Cornel. a Lap. ac ipsum S. Bona. Exposit. in cap. 13. S. Luc. *scientia circumcisionis*. Item Cod. noster sacror. Bibl. 40. in Ind. interpretat. Nom. Hebraicor. ita habet „ *Carmelus* mollis vel tenellus, seu cognoscens cir„ cumcisionem, aut scientia circumcisionis. “

(*a*) Exposit. in cap. 16. S. Lucæ ex Beda ipsemet Interpres noster inquit: „ Purpuram re„ gii habitus esse colorem marinis e conchyliis „ tinctum, nemo est fere qui dubitet. Nam „ conchylia ferro circumcisa lacrymas purpu„ rei coloris, quibus lana tingitur, emittunt.

(*b*) *Sanguis Christi purpura est*, S. Ambr. in Ps. 118. Ser. 17. Sic & Theod. Honor. Rupert. &c.

(*c*) Tirinus: *Per hos canales intelligit S. Gregorius Scripturas sacras*.

(*d*) Quatenus nempe *purpura passionis per eorum prædicationem ad mentes fidelium, ut tanquam canales eam recipiant, derivatur*, ut inquit S. Antonius Patav. in Psalmos Serm. 164.

(*e*) *Jungendi* secundum heic variantes lectiones. Ad prædicta enim Vulg. verba *vincta canalibus*, notat Franc. Luc. Brugensis „ Lati„ norum librorum quidam *vincta* habent; qui„ dam *juncta*: quidam sic, ut nescias *vincta* ne „ legendum sit, an *juncta*: ex quo varietas „ nata esse videtur &c.

(*f*) *Viscerosa* extat & in ejus Legen. ma. S. Franc.

(*g*) Sic Exposit. in Ecclesiasten cap. 2. ac 5.

(*h*) Quoad relata Gregorii verba plures sunt variantes Tomo 1. Maurinæ edit. Paris. 1705. col. 630. ac seq. Videri quoque potest S. Greg. Exposit. in cap. 7. Cant. num. 12. Porro prædicta ipsemet D. Bona. illis etiam ejusdem S. Gregorii verbis Lib. 22. Moral. cap. 2. circa fin. confirmat Lib. 1. Phar. cap. 34. de Proficientibus: *Si lacescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus*. Quo etiam spectat quod idemmet ait D. Bona.

Expo-

tandem proficit, sed diu in viriditate persistit. (a)

Cur ubera ejus botris.

§. 301. *Et ubera tua botris*, scilicet sunt assimilata; propinant enim vinum dulcoris & lætitiæ spiritualis. Ostensa igitur perfecta sufficientia sponsæ ad regimen maternæ prælationis, (b) subdit sponsus exuberantiam fructuum & deliciarum ejus, esse sibi & suis miro modo gratam & desideratam. Unde ait:

VERSUS VIII.

Sponsi ascensus in palmam.

§. 302. *Dixi*, interno scilicet desiderio & consensu: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Ascendit quidem vel in suis membris, quando arduos fructus sponsæ ascendere facit: vel etiam pro tanto secundum seipsum, pro quanto ad fructus ejus apprehendendos ascendit, non quasi ad rem vilem & infimam, sed tamquam ad pretiosam & altam. Aut quia effectus suæ potentiæ gubernativæ, per quam omnia reducit ad se, & ad suam gloriam, & in infimis infimus, & in mediis medius, & in supremis est supremus. Et sic pro tanto in effectibus suis ascendit, cum supremum effectum efficit, & ad se reducit. Vel ascendit *in palmam*, id est, in crucem, (c) ut & sponsam faciat ascendere ad fructus ejus apprehendendos (d).

Ubera sponsæ sicut botri vineæ.

Et erunt ubera tua, scilicet mihi & meis placita, & dulce vinum, seu lac propinantia, *sicut botri vineæ.*

Odor oris sicut malorum.

Et odor oris tui, id est, tuorum spiritualium & ferventium eloquiorum, *sicut odor (e) malorum*, id est pomorum.

VERSUS IX.

Guttur sicut vinum optimum.

§. 303. *Guttur tuum*, id est, tuæ sapientiæ gustus & potio (f) est *sicut vinum optimum*, in superlativo scilicet gradu. Sponsa igitur ex his & præmissis fortissime tracta, & ad summam fiduciam sublevata, rapit verbum ex ore sponsi (g) dicens: *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque ac dentibus ejus (h) ad ruminandum.*

Dignum dilecto.

Sicut enim vini amatores quando habent optimum vinum, non sufficit eis illud bibere, immo curant illud inter dentes & labia ducere, ut diutius & plenius ejus saporem degustent, & gustui suo immisceant; sic juxta hunc tropum loquitur hic sponsa. Est autem hic subintelligendus hic tropus, ac si sponsa tenens scyphum aureum plenum vino optimo, quod tamen desideraretur, & commendaretur a sponso, sponsus sic dicat: Quam optimum est hoc vinum! Ipsa tamen non valens se continere, subito offerat ori sponsi dicendo: *Dignum dilecto meo &c.* Unde & sponsa subdit, se nunc facialiter (i) & immediate conversam, seu conjunctam, ad sponsum dicens:

VER-

Exposit. in cap. 9. S. Luc. *Quotidie pœnitentia crucis debet esse nova & recens, ita ut qui crucem tollit, dicat semper: nunc cœpi. Sicut B. Franciscus, qui in morte dicebat, quod incipiebat bene facere &c.*

(a) Serm. 4. Dom. in Ram. Palmar. inter editos sub S. Bona. nomine: *Palma diutissime perseverat, ut tandem fructum habeat.* Hinc per *palmam* inibi significatur *perseverantia*. De eadem *palma* dicit quoque D. Bona. Exposit. in Psalter. Ps. 91. quod *quanto plus premitur inferius, tanto magis extensa in altum fructificat; sic Sancti &c.*

(b) Hisce verbis indicat id intelligi etiam posse de Ecclesia, sicut de eadem posse accipi censet quoque Hugo Card. inquiens „ De „ Ecclesia exponamus, cujus *ubera* sunt Prælati, sed *botris* plena, vel similia; ut in quantum *ubera*, lac simplicis doctrinæ parvulis, „ in quantum *botris* comparata, vinum profundioris, & subtilioris scientiæ provectioribus „ propinet. “ Ubi tamen e vestigio subdit „ Vel *ubera* fidelis animæ, sunt gratia docendi, & gratia consolandi. “

(c) Pariter ipsemet Interpres noster in Exposit. Missæ nec non Philo Carpath. Exposit. sub Cassiod. nomine, S. Gregor., Aponius, Beda, S. Anselmus, Rupertus &c. Vid. ipsiusmet nostri Interpretis Opusculum, cujus initium: *Fasciculus Myrrhæ &c.* Fascic. 3. ubi de ascensu Christi in Crucem. Sed & de eodem *exaltato in crucem* in Tract. de Vite Myst. cap. 5. num. 24. & *de palma crucis, & fructibus ejus*, ibi cap. 46. num. 164. De quo Tract. Vol. 3.

(d) Sic & Hugo Card.

(e) Vulg. absque *odor; sed sicut odor malorum* duo Codd. nostri Bernardin. cit. Hugo Card. Lyran. & antiquæ Biblior. Editiones.

(f) Cod. Patav. *& prædicatio.*

(g) Similiter Hugo Card. & Hieronymus Almonacirius cum Ruperto Tuitiensi Abbate. Interpres etiam noster in Planctu de Passione Domini sive in Vite Myst. cap. 45. dicit: „ In „ Cantico Canticorum, ubi ipse sponsus ad „ sponsam ait: *guttur tuum sicut vinum optimum*, „ illa statim respondet: *dignum dilecto meo.* “

(h) Vulg. *illius*; sed *ejus* quoque in Planc. de Pass. Dom. sive in Vit. Myst. ibi.

(i) *Facialiter* adverbium Scholasticum, quo tam bene uti potuit Bona. quam vox *facialis* est apud Isid. & Gloss.

VERSUS X.

Vox Sponsæ.

Conversio sponsæ ad sponsum, & vicissim.

§. 304. *Ego dilecto meo*, supple sum conversa & dedicata: *& ad me conversio ejus*, scilicet est facta. Et designatur per hunc honestum tropum loquendi, illa spiritualis & ineffabilis copula nuptialis, quæ est inter divinissimam mentem, & Deum in puncto ecstatici & contemplativi excessus. Nota, quod in oblocutione, qua dicit: *dignum dilecto meo*, potest intelligi, quod illud offerat & propinet Christo in suis filiis per eam nutriendis, & quod ex hoc promeruerit sponsi nuptialem complexum, de quo subdit: *Ego dilecto meo &c.*

VERSUS XI.

Secunda pars tertiæ partis principalis.

§. 305. *Veni dilecte mi &c.* Hæc est secunda pars tertiæ partis principalis, qua ostenditur, quomodo sponsa suis invitationibus & orationibus sponsum sibi attraxit ad prolem divinam sibi procreandam. Et in hac primo invitat sponsum, ut secum vadat ad regimen Ecclesiarum. Glossa: *Veni*, id est, qui assumptam pro me humanitatem in cœlo locasti, præsentia (a) Divinæ gratiæ visita me, ut in agrum mundi semen verbi tui possim spargere, & *villas* cohabitationis tuæ in una fide (b) constituere. Secundo ad ipsum flectendum promittit se esse daturam, seu oblaturam seipsam, & omnia: *ibi dabo tibi*. Tertio sperat & exoptat ipsum sibi dari, non solum in socium, sed in *fratrem* visibilem, & palpabilem, & singularem ibi: *quis mihi det?* Quarto fiducialiter asserit, se tunc ipsum plenarie habituram, & ipsi tunc plenarie propinaturam, ibi: *apprehendam te*. Quinto dicit, se ejus copulam & amplexum, juxta quod optabat, obtinuisse, ibi: *læva ejus*. Sextо adjurantur omnes a sponso, ne inquietent sponsam a quiete jam adepta, ibi: *adjuro vos*. Septimo subditur exclamatio admirativa sui præalti ascensus ibi: *quæ est ista?*

Glossa ordinar.

§. 306. Pro primo ergo dicit: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum*, scilicet Mundi, vel Ecclesiæ (c) excolendum: *commoremur in villis*. Villa enim est proprie domus circa agros, vel rura, in qua exteriores agricolæ commorantur, unde & Villani, & Rustici vocantur. (d) Petit ergo sponsa, quod non transitorie secum vadat in agros Ecclesiæ excolendos, sed cum diutina mora.

Villa, ejusque significatio.

VERSUS XII.

§. 307. *Mane surgamus ad vineam.* (e) Quod petiit sub metaphora *agri*, petit nunc sub metaphora *vineæ*, ut sub rationibus diversis plenius significetur idipsum. Quamvis in primo possit significari cooperatio ad solidiorem cibum justitiæ Dei Ecclesiæ ministrandum: in secundo vero cooperatio ad suaviorem potum, juxta quem divina nobis sic nunc diversimode offeruntur. (f)

§. 308. Quia vero non sufficit egredi & immorari, nisi adsit matutina, seu accelerata invigilatio, ideo dicit hic: *mane surgamus*. Quia etiam adhuc oportet, ut adsit profectus, vel non profectus subditorum provida circumspectio; ideo subdit: *videamus si floruerit* (g) *vinea*, id est, si primos conceptus propositi habent nostri subditi; & *si flores*, id est, præfata proposita, *fructus parturiunt*, id est, si cum principali & forti conatu sua bona proposita ad opus perducunt. (h) Unde Gregorius hoc loco: Non est intuendum si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum convalescant; quia mirum non est, si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perseveret. (i)

In vinea animæ Christi sponsæ non soli flores attendendi, sed fructus expectandi.

Gregorius Lib. 13. cap. 53. n. 61.

§. 309. *Si flores fructus parturiunt*, id est, si exercentur opera, ne fides otiosa inveniatur, quia multoties flores fructus non sequitur. *Videamus si floruerit*

Fides non est relinquenda otiosa.

(a) Cod. Patav. *præstantia*. Eadem Glossa apud Lyranum *per præsentiam*.

(b) Apud eumdem *in unam fidem*.

(c) Hugo Card. *Per agrum generaliter Ecclesia accipitur, ad quam instruendam debet egredi, qui Divina sapientia est imbutus &c.*

(d) De *Villa* in prædicto sensu Varro, Cicero, Plinius, & Columella.

(e) Vulg. in plurali *vineas*; sed in singulari *vineam* etiam membr. Cod. noster Bernard. 40.

(f) Heic Codices valde mendosos offendimus, ex quorum mutua collatione præfatum sensum eruimus.

(g) Vulg. *floruit*; sed *floruerit* etiam Cod. noster 40.

(h) Desiderantur sequentia in Codd. Vatic. & Patav. usque ad finem §. 310.

(i) In Edit. Maur. *perduret*.

ruerit vinea. Flores autem ſunt ſex gradus contemplationis, quos aſſignat Bernardus, qui ſunt vacatio, intuitio, admiratio, dilectio, delectatio, anhelatio. (a) Vel primus Dei illuſtratio, ſecundus cordis calefactio, tertius cordis ebullitio, quartus cordis elevatio, quintus cordis evacuatio, ſextus in Deum transformatio. (b)

Bernardus. Sex contemplationis gradus.

Triplex vini genus.

§. 310. Et iſta vinea culta propinabit triplex genus vini. Primum eſt vinum compunctionis, (c) quod animam mundat, Pſalmo quinquageſimo nono:
Pſal. 59. 5. Potaſti nos vino compunctionis. Secundum eſt vinum devotionis, (d) quod
Cant. 8. 2. animam lætificat: Dabo tibi poculum ex vino condito. Vinum conditum eſt vinum devotionis, quod fiet ex beneficiorum recognitione, de quo in Pſalmo
Pſal. 103. 15. centeſimo tertio: Et vinum lætificat cor hominis. (e) Tertium ferventis dilectionis, quod inebriat, (f) Zachariæ
Zach. 9. 17. nono: Quid enim bonum eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, id eſt, perfecta Dei cognitio, & vinum germinans virgines, id eſt, dilectio inebrians affectum, quæ germinat virginales mentes?

§. 311. *Videamus* etiam *ſi floruerunt mala punica*, id eſt, ſi ſunt in eis deſideria ſufferendæ (g) perſecutionis, & martyrii, (h) & fraternæ unitatis & caritatis, cum omnibus ſuis circumſtantiis initiandæ & promovendæ. Invitare
Neceſſitas petendæ gratiæ. autem ſponſum ad iſta eſt idem, quod petere ſponſum ſibi in omnibus iſtis perfecte aſſiſtere & cooperari, quia ipſemet Joannis decimo quinto ait: Sine
Joan. 15. 5. me nihil poteſtis facere. (i)

VERSUS XIII.

§. 312. Deinde ſponſa tria ſponſo promittit, ſcilicet lac ſuorum *uberum*, & odorem ſuarum *mandragorarum*, ſeu ſuas *mandragoras* valde odoriferas, & *omnia poma ſua*. Pro primo dicit: *Dabo tibi ubera mea*, id eſt, ſicut in tuis uberibus hauſi triplex lac ipſorum; ita & tuis ipſis nutrimentum uberum propinabo. (k) Tunc enim animarum Rectores libenter ſalutarem doctrinam eis infundunt, quando ipſas debite proficere, & Dei gratiam & providentiam eis abunde cooperari & aſſiſtere vident. Vel ibi *dabo tibi ubera mea*, id eſt, totam dulcedinem cogitatuum & affectuum pectoris mei in te, præ gaudio, cum gratiarum actione effundam.

§. 313. Pro ſecundo dicit: *Mandragoræ dederunt odorem ſuum in portis noſtris*. (l) Per *mandragoras* odore gratas,
Mandragoræ, ac earum ſignificatio. ſed ad eſum inſipidas & ineptas, (m) odor bonæ famæ ſignificatur, quæ quidem utilis eſt ad alios provocandos ad bonum, & ad Dei gloriam & honorem; non autem ad hoc, quod quis in ſua fama inaniter condelectetur. Igitur odor bonæ famæ Doctorum ſeu Recto-

---

(a) Sic ex Bernardo abſque allegatione loci Centiloq. Part. 3. Sect. 46. Adducto textu prædicto præſentis Cant. pariter Card. Jo. Vitalis in Speculo verbo *Contemplatio* pag. 48. retro ſubdit: *Nota proceſſum animæ aſcendentis per gradus contemplationis ad florem ſapientiæ.*

(b) Amplior prædictorum declaratio videri poteſt in præfato Speculo pag. 49 ac ſeq. De aliis ſex gradibus idem S. Bona. cap. 1. Itiner mentis in Deum; de aliis cap. 2. Incend. ſive Incentivi amoris, de aliis quoque Expoſit. in cap. 9. S. Luc. De ſeptem autem aliis cit. loc. Centiloq. ac cit. Expoſit. in S. Luc. nec non ſingulari Opuſc. de ſept. grad. Contempl.

(c) De *vino ſpirituali, ſcilicet compunctionis*, Expoſit. in Pſalter. Pſ. 59.

(d) De *vino devotionis* Comment. ſive Poſtil. in Jo. Evang. cap. 2. ſub ver. 10.

(e) Hunc textum interpretantur apud Lorinum pariter de *lætitia ſpirituali* præter Nicetam SS. Hieronymus, atque Gaudentius Brixienſis Epiſcopus.

(f) Ita fere inter vulgatos ſub S. Bona. nomine Serm. 2. Dom. 1. poſt Epiph.

(g) Cod. Patav. *ſufferentiæ*.

(h) Ita & Hugo Card.

(i) Conſone ad hoc ait in Opuſc. de quinque ſolemnitat. pueri Jeſu „ In ipſum refun„ de omnia opera tua, tibi nihil retine. Dic „ cum pura & devota mentis intentione: „ Omnia opera mea operatus es Domine. In „ conſpectu tuo nihil ſum, nihil poſſum; de „ tuo munere eſt quod ſubſiſto, ſine te nihil „ agere poſſum &c." Vid. Prodr. col. 575.

(k) *Tuis*, inquam, *ipſis, ut jam non ſint mea, ſed tua, quaſi totum tibi attribuam, nihil mihi. Johan. 7. 6. Mea doctrina non eſt mea.* Idem Hugo.

(l) Duo noſtri Bibliorum Codices MSS., ac editio Veneta 1475. in membranis, quam vidi apud PP. Carmelitas Diſcalceatos Tridenti; alia Venet. 1476. Nurnbergen. 1478. Biblioth. Gentilott: Venet. 1481. Biblioth. Griezen. alia Venet. 1484. ac præter alias Lugd. 1524., nec non Expoſit. ſub Caſſiod. nomine, S. Thomas, Hugo Cardinalis, multique alii ad *mandragoras* itidem referunt ly *in portis*. Per quas *portas* ſignificari *Prælatos, & Prædicatores, vel Doctores Eccleſiæ*, docet laudatus Hugo. Sed Vulg. refert ad *poma*, & non habet *ſuum*.

(m) Ita S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 56.

ctorum est valde utilis proli nutriendæ, & valde honorificus Christo.

Quid poma nova & vetera.

§. 314. Pro tertio dicit: *omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi*. Per *poma nova & vetera* intelliguntur documenta & exempla Patrum, atque mysteria novi & veteris testamenti: (*a*) vel Patrum præcedentium & sequentium, seu veterum & novorum. (*b*) Nam sicut nova ex sua recenti novitate plus auditores reficiunt & delectant; sic vetera ex sua antiquiori, & pro tanto evidentiori auctoritate, plus auditores confirmant ad nova ipsa firmiori fide sumenda. Quæ, nisi a Doctoribus (*c*) prius fuerint recollecta, & memoriter (*d*) conservata (& hoc magis pro Dei honore & gloria in pluribus, vel in eisdem, altius dilatanda, & pro ædificatione Ecclesiæ Dei magis, quam pro propria scientia & gloria curiose & inaniter cumulanda) non possunt, cum expedit, fructuose & debite ministrari. Tria igitur præfata insimul sumpta merito sponsum provocant & inducunt ad veniendum & cooperandum regimini Prælatorum illorum, quos hic sponsa designat.

Quidve novitas & antiquitas præstet.

C A-

(*a*) Sic Theodoret. d. Exposit. sub Cassiod. nomine, Justus Orgelit. Beda, cit. Hugo, Hortolan. Sa &c. Sed audiendus inter recentiores Interpretes longe celeberrimus R. P. D. Augustinus Calmet O. S. B. Congregationis SS. Vitoni & Hydulphi „ *Nova & vetera* ingentem „ copiam significant. Ita pollicetur Judæis „ Moyses fore, ut si datam Deo fidem ser- „ vent, ipse veteres novosque fructus illis lar- „ giatur, atque ea quidem copia, ut cum no „ vi fructus colligantur, veteres projiciendi „ sint, ut locum faciant novis. (Levit. 26. „ 10. *Comedetis vetustissima veterum, & vetera* „ *novis supervenientibus projicietis*.) Cœlorum „ Regnum Christus cum Patrefamilias com- „ parat, cujus horrea vetustis novisque messi- „ bus referta sunt, Matth. 13. 52. qui scilicet „ copia omnium abundat. Hebræus: *Et pro* „ *foribus nostris omnia dulcia sunt, nova & ve-* „ *tera, Dilecte mi, condidi tibi*. Veterum no- „ vorumque pomorum nomine (Theodoret. „ Ansel. Aponius, alii plerique) intelliguntur „ veteris & novi fœderis Volumina. Christi „ Ecclesia veteris Legis figuras, & nova my- „ steria amicis aperit: Christum in Prophetis „ ceu sub velamine latentem, tum reducto ve- „ lamine apertum in Evangelio ostendit. “

(*b*) Similiter supra cit. Exposit. sub Cassiod. nomine, Justus Orgelit. Beda &c.

(*c*) De prædictis *Doctoribus* supra §. 313. qui, interprete quoque Philone Carpath., recte per *mandragoras* accipi possunt: *quia dum* (inquit) *bene scrutantur sacras Scripturas, & ex iis bonam & suaviter olentem frugem Ecclesiæ filiis parant ac mandunt, vera fidei suavissimum odorem fructumque diffundunt*. Item laud. Calmet post prædicta e vestigio sic pergit „ Denique eruditus „ Ecclesiæ Doctor similis Patrifamilias est, „ nova & vetera ex horreis proferenti, Matth. „ 13. 52.

(*d*) Seraphicum Doctorem nostrum vetus novumque Testamentum memoria tenuisse Petrus Galesinius in ejus Vita testatur Capp 7. ac 11: ut in Prodr. animadvertimus col. 117. Neque id novum in eo, sed multo ipsomet antiquius; namque *quis eam negabit* (verba sunt Cl. P. Ansaldi de authent. sacrar. Scripturar. apud SS. PP. lectionib. Lib. 1. cap. 4.) *in Scripturis legendis, memoriaque mandandis, assiduitatem summis in Ecclesia Magistris, maximis illorum temporum Doctoribus, quam Hieronymus Virgunculis, Tertullianus Feminis concessit, quamve Clerici ac Laici, Frontonis testimonio, habuerunt?*

CAPUT OCTAVUM.

1. QUis mihi det, te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat? 2. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. 3. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. 4. Adjuro vos filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. 5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum. 7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. 8. Soror nostra parva, & ubera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? 9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. 10. Ego murus: & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. 11. Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos. 12 Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus ejus. 13 Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam. 14. Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum.

EXPO-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

Verba Sponsæ.

§. 315.

Quis mihi det &c. Quia sponsæ non sufficit qualiscumque præsentia & cooperatio sponsi, nisi sit talis & tanta, quod vere ipse naturam ipsius humanam induat & assumat, quia aliter ab omni despectu peccatorum originalium & actualium nequit esse libera & immunis, nec ejus visibili præsentia frui pro voto; ideo sponsa tamquam hoc medullariter (*a*) sciens & sentiens, suspirat & clamat: *Quis mihi det te fratrem meum*, id est, sic quod sis voce & corporaliter frater meus? *Fratrem* dico *sugentem ubera matris meæ*, id est, secundum carnem lactandum & alendum lacte materno. (*b*)

Suspirium clamorque sponsæ.

§. 316. *Ut foris inveniam te solum*, (*c*) id est, non solum intus in sinu patris, sed etiam foris in sinu matris, & in agro Ecclesiæ. (*d*) *Inveniam te solum*, id est, singularem in gratia & Divinitate, quam nemo potest in se, sicut verus Deus, habere, nisi tu solus. (*e*) Vel *solum*, ab omni scilicet strepitu turbarum, id est, ut per solitudinem contemplationis soli tibi tota vacarem. (*f*) *Et ideo deosculer te*, id est, tamquam fratri meo, & naturali filio matris meæ, possim tibi fiducialiter jungi; quia aliter non audeo, nec præsumo, nec possum. (*g*)

Ab omni strepitu turbarum per solitudinem contemplationis soli Deo vacandum.

§. 317. *Et jam me nemo despiciat*, scilicet pro aliqua mea culpa priori, quasi dicat: quando Deum ex meo genere filium hominis factum, & pro me satisfactorem habuero, tunc nemo me poterit despicere, tamquam devinctam aliquo reatu, aut tamquam Dei societate & solatio destitutam. (*h*) Dicit autem

(*a*) *Medullariter* pro *medullitus*, sive *intime*, a *medullaris* apud Apulejum, & apud ipsum D. Bona. Opusc. de laude Mellifl. Nom. D. N. J. C. Ser. sive Sect. 2. num. 17. de quo Vol. 3.

(*b*) Ex prædictis verbis elicit Auctor Exposit. sub Cassiod. nomine „ totum hoc carmen Di- „ vinum esse & spirituale, & nihil in se quod „ juxta literam intelligi possit, habere. Quæ „ enim umquam amatrix hoc optavit, ut is, „ quem diligit, parvulus efficiatur, & ejus „ frater; & in infantem versus, sugat ubera „ matris suæ? “ De quo supra in Præfat. col. 59. §. 17. Censet ergo d. Exposit. Auctor, quod ea sit *vox illius Ecclesiæ, quæ adventum Christi præcessit*, de qua infra §. 319.

(*c*) Hoc *solum* legitur etiam in uno ex nostris MSS. Codicibus, in editionibus Biblior. Venet. an. 1475. & 1476. nec non Lugdun. 1524. & 1568. Præterea in eorumdem Editionibus Biblioth. Gentilott. Venet. 1484. Basileen. 1509. Colonien. 1527. Insuper in Venet. 1481. Biblioth. Griezen. Item apud Hugonem Card., Sanctum Thomam, Nic. Lyranum &c., immo & apud nostrum Interpretem cap. 1. Soliloquii. Desiderantur tamen in ejus Exposit. cap. 9. S. Luc. quamquam inibi textus iste ad declarandum illum *inventus est Jesus solus* adhibeatur.

(*d*) S. Ambros. de instit. Virg. cap. 1. *Foris*, inquit, *factus est, qui erat intus. Vide illum intus, quando legis, quod in sinu est Patris: cognosce illum foris, quando nos quærit ut redimat &c.*

(*e*) Hugo Card. „ *Te solum*, non alium. „ Ps. Deus cordis mei & pars mea &c. Et ali- „ bi: Unam petii a Domino &c. “ Ps. 72. 26. & Ps. 26. 4. Et Hailgrinus Card. Sabin. „ Invenire desiderat eum solum, in Divina vi- „ delicet natura, in qua solus est &c.

(*f*) Similiter D. Bona. in Opusc. de perfectione vit. ad Soror. cap. 4. & Exposit. in cap. 9. S. Luc. atque Exposit. in cap. 3. Lament. Jerem. Proph. &c. Tales fuerunt prisci Anachoretæ, quorum meminit Bossuet, scilicet *illi, qui Joannis Baptistæ exemplum secuti, longe a convictu etiam piorum, uni Deo vacare totis animi viribus studebant*.

(*g*) Namque per solam Filii Dei id fieri potuit incarnationem, qua ipse Dei Filius factus est filius hominis. Hujusmodi enim *deosculationis origo est in Verbo incarnato, secundum illud: Quis mihi det te fratrem meum &c.*, inquit idem noster Interpres Exposit. in cap. 15. S. Luc. Pariterque ut supra Serm. sive Sect. 1. de laude Mellifl. Nom. D. N. J. C. num. 10. de quo d. Vol. 3. Supplemen.

(*h*) Sed & ut *Deo reconciliata*, & ut *consequuta amissam familiaritatem*, Comment. in cap. 5. Apocal. num. 318.

tem indeterminate: *quis mihi det?* tamquam non audens hoc ab ipso, nec a Deo patre petere; sciens, quod hoc nimium transcendit omnem dignitatem meritorum, & orationum suarum, & etiam totius mundi. (*a*)

§. 318. Si vero quæras, quomodo hæc petitio spectat ad sponsam, prout fuit post Christi incarnationem? Resp. Dicendum quod tripliciter. Primo scilicet, quia tanta est unitas mystici corporis, scilicet Ecclesiæ, quod illud, quod est proprium unius partis, omnes habent in illa; quia quod est unius, est omnium. Sicut visus oculi non solum est oculi, immo & totius corporis. Unde & omnes gaudent de illo sicut de suo, & ille servit omnibus sicut suis, & sicut sibi. Desideria ergo Ecclesiæ Christum præcurrentis sunt totius Ecclesiæ juxta modum præfatum.

§. 319. Secundo, quia sicut omnes redempti debent referri ad suam redemptricem passionem, tamquam ad rem præsentem, ac si præsentialiter (*b*) offerretur pro illis, ex eo quod ita est illis ad peccatorum suorum expiationem applicanda, sicut si nunc offerretur pro eis; sic debent cetera omnia ad Christum pro suo tempore principaliter referre, & ultra hoc quasi Divinæ æternitati (*c*) conformes, sic omnia tempora & sæcula contemplatione circuire, ac si quodlibet eorum præsentialiter esset: ita quod secundum contemplationem similiter cum prioribus Patribus in tempore ante Christum forment in se desideria adventus Christi in carnem. (*d*) Unde & Ecclesia in Ecclesiastico Officio id docet & repræsentat; quia in Dominica Septuagesimæ ita celebrat & commemorat mundi creationem, & primum hominis lapsum, sicut si præsentialiter esset ibi. Et sic in sequenti Dominica facit de Diluvio, & Arca Noe. Sicut etiam ante Natale celebrat Christi adventum; (*e*) sic etiam debet celebrare Christi Natale ac si ipsa die recenter & præsentialiter esset natus. Tertio, quia in eo quod gaudet de Christi adventu, & in eo quod sentit ipsum esse natum sibi, se illo promerendo indignam sentiens, per quamdam æquivalentiam desiderat ipsum.

§. 320. Sciendum tamen est, quod Scriptura veteris Testamenti mystica & prophetica sic debuit omnia sæcula, & universa Dei solemnia opera in unum complecti, quod tamen hic & ibi, quasi per quædam retis foramina, seu per quasdam cœli stellulas seu oculos, debuit aliquod proprium nunc de isto tangere, nunc de illo; ita quod ex eorum propriis ipsorum distinctio suo tempore intelligi posset, & eorum singularitate juncta, unum in altero semper occurreret, sicut rota in rota. (*f*) Scriptura veteris & novi Testamenti mystica & prophetica. Novum Testamentum in veteri, sicut rota in rota.

§. 321. Optime autem nonnisi de procreatione Divinæ prolis Ecclesia agit, & facit mentionem de ejus prole principali, sine cujus respectu & merito nihil habet, nec etiam seipsam. (*g*) Optime etiam positum est hoc in eo loco hujus partis, ubi Ecclesia invocat sponsum, ut secum veniat, & cooperetur ad fœcunditatem ipsius.

VERSUS SECUNDUS.

§. 322. *Apprehendam te*, scilicet cum invenero te mihi datum in fratrem modo præfato, *& ducam in domum matris meæ*. Hæc supra, in fine scilicet primæ partis principalis, sunt satis exposita. (*h*) Vel dicendum: *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ*, quod ap-

(*a*) 3. Sent. Dist. 4. Art. 2. Q. 1. in conclus. ab initio.

(*b*) *Præsentialiter* in Breviloq. Vid. Prodrom. col. 525.

(*c*) Cui scilicet omnia sunt præsentia, & ipsa omnibus est præsentissima; namque *æternum est præsentissimum, nec habet præteritum, nec futurum, sed esse præsens tantum*, ut ait Itinerar. cap. 5.

(*d*) Loc. supra cit. Comment. in Apocal. eod. num. 318 ubi loquitur de septem rationibus, propter quas *Sancti Patres desiderabant adventum Christi*. Sed & S. Athanas. in Synopsi, Philo Carpath. Theodoret. Cassiod. sive Exposit. sub Cassiod. nomine, S. Gregor. Beda &c., prædicta verba tribuunt Patriarchis incarnationem Christi desiderantibus.

(*e*) In d. quoque Comment. in Apocal. ibi adhibet hoc exemplum *Christi adventus ante Natale*. Illud ipsum pariter usurpat Exposit. in Psal. 17. Exposit. autem in Psal. 33. ait: *Christus liberavit antiquos Patres ante adventum in certa spe, cum promitteret; in sufficientia, cum offerret; in efficientia, cum liberaret*.

(*f*) In Opusculo, cui tit. *Principium Sacræ Scripturæ* itidem ait, quod *novum Testamentum continetur in veteri, sicut rota in rota*. Vide quoque in 3. Sent. Dist. 25. Art. 2. Q. 1. ad 1.

(*g*) Sequentia desiderantur in Cod. Patav. usque ad fin. §. 326.

(*h*) Scilicet §. 143. Quæ sequuntur usque ad finem §. 323. nequidem in Vatic. habentur.

Christus per fidem habitat in nobis, & per dilectionem manet. 1. Jo. 4. 16.

apprehensio hæc est in fide & dilectione; quia per fidem habitat Christus in cordibus nostris: per dilectionem manet, primæ Joannis quarto, quia qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. Ducitur *in domum matris suæ*, quando per bona opera inducitur in conscientiam, quæ est domus gratiæ matris suæ. Gratia enim nos generat Deo, faciens de filiis perditionis filios adoptionis.

Gratia mater est filiorum Dei.

§. 323. *Ibi me docebis*, scilicet sapientiam quid credam, quid diligam, quid faciam. *Et dabo tibi poculum ex vino condito*, reddens tibi totum esse, velle, nosse, posse meum. *Mustum malorum granatorum meorum*; propinat enim anima Deo *mustum* deliciosum, cum super omnia gloriamur non in nobis, sed in Deo. In secreto ergo conscientiæ docet doctrinam sapientiæ, donec ad illam sapientiæ doctrinam veniamus, ubi non docebit ultra vir proximum suum, quia omnes erunt docibiles Dei. (*a*)

A gratia totum velle, nosse, ac posse animæ sanctæ.

Jer. 31. 34.
Joan. 6. 45.

§. 324. Sciendum tamen, (*b*) quod signanter ponitur hic, & ibi, quod omnis spiritualis sponsa, vel Ecclesia, circa suæ spiritualis initiationis, & transformationis solemne primordium singulariter afficitur ad consimilem transformationem Ecclesiæ, vel Religionis, aut etiam parentalis (*c*) agnationis, de qua est naturaliter, vel spiritualiter nata. Et ratio est circa finem, quia tunc tamquam de hoc mundo cito abitura, singularius est anxia. Et licet antequam abeat, non videat alios secum in Christo; nihilominus tanta regali gloria circumfertur, & tantum de obduratione parentum jam in sui principio parta diffidit timetque, ut etiam indignetur, quod non ita curent insistere conversioni suorum ipsorum.

§. 325. Hæc autem expressius & generalius locum habent in Ecclesia Christi respectu Synagogæ matris suæ, quæ

postquam per primitivum ascensum fuit specialiter Christi lumine & decore plenius confirmata, singulariter insistit & optat, Christum introducere in domum, & in cubiculum Synagogæ, ita ut Paulus ad Romanos nono dicat: Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. (*d*) Et licet hoc ex toto Ecclesia non obtinuerit, tamen in aliqua sui parte. Circa finem autem debet desiderium in ea fortius revocari, & spes convertendi matrem suam (non qualitercumque, sed ad Christi transformativam & ecstaticam unionem) dabitur ei. Et sicut nunc optat, ita tunc obtinebit ad plenum; nam teste Paulo Apostolo ad Romanos undecimo, tunc omnis Israel salvus fiet. (*e*)

Rom. 9. 3.
Rom. 11. 26.

§. 326. *Ibi me docebis*, doctrina scilicet altiori & experimentaliori. *Et dabo tibi poculum ex vino condito*, scilicet aromaticis speciebus; (*f*) *& mustum malorum granatorum meorum*. Nota, quod usquemodo non fecit mentionem de *vino condito*, & de *musto malorum granatorum meorum*; sed solum de vino simplici, & de arboribus, & fructibus, & generibus malorum punicorum. Dulcor enim contemplationis, & expressum mustum difficillimorum & acerbissimorum martyriorum circa tempus conversionis Judæorum, & circa tempus Antichristi, debent Christo singularius ministrari. Tunc enim, teste Christo Matthæi vigesimo quarto, tanta erit tribulatio, ut si fieri potest, in errorem inducantur etiam electi. Et Gregorius Moralium trigesimo secundo super illud Job quadragesimo: Stringit caudam quasi cedrum, præmittens, quod per caudam illam Antichristus significetur, subdit caussam, qualiter tribulatio electorum sub eo erit major, quam præcedens. Nunc enim fideles nostri mira faciunt, cum perversa patiuntur; tunc autem Behemoth hujus (*g*) satellites, etiam

Matth. 24. 24.
Gregorius Lib. 32. Moral. cap. 15. n. 24.
Job 40. 12.
Antichristi tempore quarta futura electorum tribulatio.

(*a*) Opusc. de laude Mellifl. Nom. D. N. J. C. Ser. sive Sect. 4. num. 29. ad hunc ipsum textum similiter. De quo Opusc. ut supra dixi §. 315. not. *a*. ac §. 316. not. *g*. Vol. 3.

(*b*) In Cod. Assisien. *Sciendum quoque est*.

(*c*) Id est, ad parentes spectantis; unde *parentela*, qua voce alibi quoque noster Interpres utitur etiam in cit. Opusc. de laude Mellifl. Nom. D. N. J. C. Serm. sive Sect. 1. num. 10. Item Capitularis Caroli Calvi cum notis Sirmundi, nec non Cod. LL. antiquar.

(*d*) Secundum Glossam interlinear. apud Lyranum: *pro fratribus meis a Christo errantibus*. De quo Apostoli textu consuli potest noster Interpres 3. Dist. 29. Art. 1. Q. 3. in fine.

(*e*) Sic S. Gregor. Apon. S. Ansel. Hugo Card. Hortolan. & alii id referunt ad conversionem Judæorum in mundi fine. Quin & verba ipsa præcedentis vers. intelligunt de conversione Judæorum in fine, S. Ambros. Apon. S. Ansel. Rupert. Honor. Hortolan. nec non ipsi prisci Rabbini apud nostrum Galatinum Lib. 3. cap. 28.

(*f*) Ita quoque Sa, Mariana, Menochius &c.

(*g*) De hoc *Behemoth* apud Job loquitur noster Interpres, utens itidem Gregorii expositione, in 2. Sent. dist. 12. art. 1. q. 2. ad arg.

cum perversa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo, quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr & corpus tormentis subjicit, & tamen ante ejus oculos tortor miracula facit. Cujus virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is, qui flagris cruciat, signis coruscat? Hæc Gregorius. Item Moralium trigesimo quinto super illud Job ultimo: Et addidit Dominus omnia quæcumquæ fuerant Job duplicia, dicit: Sancta quippe Ecclesia etsi multos nunc percussione tentationis amittit, tamen in fine hujus sæculi ea, quæ sua sunt, duplicia recipiet, quando susceptis ad plenum gentibus, ad ejus fidem currere omnis, quæ tunc inventa fuerit, etiam Judæa consentiet. Hinc in Evangelio quoque Matthæi decimo septimo veritas dicit: Elias veniet, (a) & restituet omnia.

Gregorius Lib 35. Moral. cap. 14. n. 24.

Matth. 17. 11.

VERSUS III. & IV.

Verba Sponsæ, ac Sponsi.

§. 327. *Læva ejus &c. Adjuro vos &c.* Hi versus expositi sunt supra capite secundo. (b) Hic sciendum quoad secundum versum: *Adjuro vos &c.*, qualiter ista adjuratio fit in principio, & in fine, & non in medio status animæ spiritualis. Posuit bis, scilicet in prima parte principali, (c) & in hac tertia semel: in parte autem media non posuit, quia in contemplationis primordiis necesse est mentem ab omnibus distractionibus fortius absolvi, & quietari, ut in contemplativi status habitu firmius radicetur. Et ideo adjuratio de ipsa non inquietanda bis posita est in prima parte, in fine scilicet sui primi ascensus, & in fine sui tertii. In media vero tamquam sufficienter firmatæ non sic sibi obest, aliquando ad aliorum informationem *evigilare*. Cum etiam tunc ejus regalis gloria omnibus innotescens, sufficientem ex se timorem & reverentiam ingerat subditis, ut non audeant ipsam, nisi juxta suum beneplacitum excitare; non oportuit ibi adjurationem hanc superaddi. Quia vero in tertia parte regimini prolis Ecclesiasticæ vacat, (d) ideo bene pro tempore expedit sibi, quod sponsi soporativis complexibus vacet, (e) ac oportuit ejus *filias adjurari*, ne tunc ipsam inquietarent. Rursus quia & in principio, & in fine tribulationes magis sæviunt, idcirco (sumendo *filias Jerusalem* pro carnalibus & persequentibus) magis adjurandæ, id est, divinitus reprimendæ sunt in principio, & in fine. In principio tamen plus, propter principii teneriorem imbecillitatem.

Prælato prolis Ecclesiasticæ curam habenti pro tempore expedit, ut orationi vacet.

VERSUS QUINTUS.

Verba comitum Sponsæ.

§. 328. *Quæ est ista &c.* Hic subditur tertia exclamatio admirativa ascensus sponsæ, (f) quod Salomon signanter in fine priorum partium posuit ad innuendam distinctionem principalium partium hujus libri, & ad quamdam plenam totalitatem, (g) & consummationem præscripti, & præcurrentis ascensus insinuandam. In hac vero tertia parte principali non posuit hanc exclamationem in ultimo fine suo, in fine scilicet tertiæ partis suæ, sicut in duabus prioribus fecit. Cujus prima ratio est, quia ultimus ascensus sponsæ, quæ est in ultimo termino vitæ hujus, non spectat ad hanc vitam, nec ad contemplationem sibi possibilem; sed potius ad æternam, quæ erit in alia vita. Et ideo liber iste potius facit in verbo sponsæ significare recessum, & desiderium

Exclamatio admirativa ascensus sponsæ.

(a) Vulg. *venturus*; sed *veniet* Codd. Corbejen. Brixian. &c.

(b) Id est §. 96. & seqq.

(c) Cap. 2. ℣. 7. & cap. 3. ℣. 5.

(d) *Necesse est* (ait Serm. sive Collat. 15. in Hexaem. prope finem) *Quod Rachel pariat filios in finali Ecclesia*.

(e) De sex alis Seraphin cap. ult. ubi rationes afferuntur ad inducendos Prælatos, variis curarum distractionibus præpeditos, saltem interdum, ad orationis studium.

(f) *Tres* enim, inquit noster Interpres cap. 4. Itin. mentis in Deum, *sunt exclamationes, quæ fiunt in Cant. Canticorum. Quarum prima fit per superabundantiam devotionis, per quam fit anima sicut* (cap. 3. ℣. 6.) *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris. Secunda per excellentiam admirationis, per quam fit anima sicut* (cap. 6. ℣. 9.) *aurora, luna, & sol, secundum processum illuminationum suspendentium animam ad admirandum sponsum consideratum. Tertia per superabundantiam exsultationis, per quam fit anima suavissimæ delectationis* (heic videlicet) *deliciis affluens, innixa totaliter super dilectum suum.*

(g) *Totalitatem* habet etiam in Apol. pauper. Vid. Prodrom. col. 607.

rium receſſus, & tranſitus ab hac vita, quam in verbo cujuſcumque admirantis contemplationem hujus vitæ aſcenſus.

§. 329. Secunda eſt, quia introducta Chriſti incarnatione, & ejus cum ſponſa plena conjunctione, non immerito debuit ſummus hujus vitæ contemplativus aſcenſus exclamatione, admiratione, & jubilatione deſcribi. Unde ex hoc non poteſt aſcendere quaſi ſola; ſed potius tamquam *innixa* ſuper ſuum ſponſum. Tertia eſt, ut ſequens pars, quæ eſt tertia pars hujus tertiæ partis, quamdam per ſe totalitatem inueretur habere. Nam recte a Chriſti paſſione omnis fundationis, & ædificationis cujuſcumque Eccleſiæ primitiva inchoat, ac demum primariam fundationem, ſeu initiationem, & augmentum, & incrementum, & finalem terminum Eccleſiæ generalis, (*a*) & quarumcumque ſpiritualium, quaſi in quadam brevi & epilogatoria ſumma deſcribit. (*b*)

Chriſti paſſio initium omnis fundationis & ædificationis cujuſcumque Eccleſiæ.

Richardus Victor de Arca Myſtica Lib. 5. cap. 5

Triplex modus aſcendendi ad contemplationis exceſſum.

§. 330. Notandum autem, quod ſicut Richardus in Libro de Arca Myſtica Moyſi dicit: Triplici ex cauſſa, vel modo, aſcenditur ad contemplationis exceſſum. (*c*) Primus eſt præ nimia devotione (*d*) non valente ſe intra ſe, nec infra menſuram ſuorum communium limitum continere: Quæ devotio ex amoris igne ferventius affectus mentis incendente, & reſolvente, & inſtar unguentorum ebullientium exſilire extra ſe faciente gignitur. Et ideo prima exclamatio ſuperius facta ſponſæ aſcenſum deſcribit ſub tropo fumi pigmentarii ex incenſione ignea reſoluti, & ſurſum exhalantis & inſilientis. Secundus eſt præ nimietate (*e*) admirationis viſionum & apprehenſionum ſtupendarum, mentem totaliter ſuſpendentium in res viſas & miras, & per quamdam exceſſivam obſtupefactionem ipſam alienantium a ſemetipſa. Et hunc ſecundum modum exclamatio ſecunda expreſſe deſcribit, quæ miras illuminationes, & illuminationum proceſſus admiratur in ſponſæ aſcenſu. Tertius eſt præ nimietate dulcoris & gaudii mentem inebriantis, & nihil aliud ſentire aut cogitare ſcientis, niſi ſolum dilectum, & jucunditatem ſui ſolatii, ac tenerrimi & ſuperdulcis amoris. (*f*) Et hoc proprie oſtenditur (*g*) in hac tertia exclamatione. Unde ſponſa dicitur hic aſcendere ut *deliciis* non ſolum plena; ſed *affluens*, & ut tota *innixa*, ſeu familiari amplexu appodiata (*h*) *ſuper dilectum ſuum*.

Secundus.

Tertius.

Arbor amoris myſtica.

§. 331. Amor igitur igneus & ſuperfervidus eſt radix, & ſtipes ſolidus, & procerus, atque ramoſus contemplativi aſcenſus. Admirabilium vero illuminationum & viſionum ſuſpenſio eſt ejus efflloratio radioſa dans ramis expanſis, & toti arbori (*i*) mirabilem venuſtatem, & quaſi regalem gloriam & coronam. Ejus vero gaudioſa (*k*) & ſuperdulcis jubilatio, & inebriatio, eſt ejus ſaporoſiſſimus (*l*) ac delicioſiſſimus fructus. Et hic eſt ſponſus in ſua plena & expreſſa forma & maturitate inventus. Hic eſt enim de quo matri dictum eſt: Benedictus fructus ventris tui. (*m*)

Luc. 1. 42.

Tertia pars tertiæ partis, quomodo ſponſa per Chriſti crucem ſuſcitata.

§. 332. *Sub arbore malo &c.* In hac parte, quæ eſt tertia pars tertiæ partis, primo oſtenditur, quomodo ſponſa per Chriſti crucem a morte ſuſcitata eſt,

---

(*a*) Ser. ſive Collat. 15. in Hexaem. prope finem, ubi ſecundum hunc ipſum textum triplex diſtinguitur *laus Eccleſiæ initiatæ, dilatatæ, conſummatæ*. Vide infra §. 362. ac 363.

(*b*) infra §. 364. ac 365.

(*c*) Prædictum Richardi *Librum* laudat idem Interpres etiam in Expoſit. cap. 9. Sancti Lucæ, ubi agit de *gradibus contemplationis*. Trithemius inter Richardi Victorini Scripta recenſet: *In Arcam Myſticam Lib. V. Myſticam illam Moyſi*.

(*d*) *Devotione* legendum ſecundum Edit. Pariſien. Operum ejuſdem Rich. 1518. non *exultatione* ſecundum noſtra MSS.

(*e*) Hanc vocem adhibet ipſemet Interpres noſter Expoſit. in Pſalter. Pſ. 136. &c. Vide ſupra cap. 2. §. 94. not. *i*. col. 123.

(*f*) Hactenus non ad verbum, ſed ad ſenſum noſter Interpres ex laudato Richardo, quorum ſimillima apud ipſummet Interpretem videri poſſunt in Opuſc. de perfectione vitæ ad Sorores Cap. 5.

(*g*) Cod. Patav. *traditur*.

(*h*) Hoc verbo Auctor alibi quoque utitur, puta ſemel iterumque Ser. 1. Dom. in Quinquag. in fine. Vid. ſupra c. 2. §. 95. ac ſeq.

(*i*) Ita alludere ad *Arbores* conſuevit noſter Interpres in aliis quoque ſuis Operibus, nempe in Ligno vitæ, in Speculo animæ, ſive Arbore mala, in Vite Myſtica &c.

(*k*) Uſurpat & *gaudioſum* in Opuſculis de quinque Feſtivitatibus pueri Ieſu, & de laude Mellflui Nominis D. N. J. C.

(*l*) *Saporoſum* quoque dicit in d. Opuſculo de perfectione vitæ ad ſorores, ſive ad Sororem, & *maturitatem ſaporoſam* in alio de Ligno vitæ. Vid. Prodr. col. 560.

(*m*) Serm. ſive Collat. 14. in Hexaem.

quomodo corroborata, & quomodo usque in finem custodita.

est, & vivificata. Secundo, quomodo est postmodum a sponso corroborata & augmentata, ibi: *Soror nostra parvula est.* Tertio, quomodo est perfecte & pacifice usque in finem custodita & gubernata, ibi: *Et vinea fuit pacifico*. In prima autem primo ostendit suscitationis ejus caussam & veritatem. Secundo, ejus in hoc a sua matre segregativam (a) singularitatem, cum ait ibi: *corrupta est.* Tertio, ex hoc exigit remunerativam gratitudinem, ostendens ejus efficaciam & utilitatem, ibi: *Pone me &c.* Dicit ergo:

Verba Sponsi ad Sponsam. (b)

§. 333. *Sub arbore malo*, id est, pomo, *suscitavi te*, ac si sub umbra illius arbori: ipsam dormientem reperisset, & eam excitasset. Et est sermo multorum (generalium scilicet & spiritualium) mysteriorum, & crucis aggregativus. Nam Eva mater nostra, seu natura humana priorum parentum sub arbore pomifera, cujuscumque speciei vel generis illa fuerit, est a diabolo per peccatum, id est, per esum fructus illius ligni, *corrupta*. Et tunc ibi fuit caussaliter (c) mortua omnis anima, vel Ecclesia a Christo regenda. Et ideo Deus pro illo peccato tunc ordinavit Christum in ligno crucifigendum, & pro tunc, quantum ad Dei prædestinantis (d) propositum, adfuit ibi tunc crux Christi, & suscitatio omnis Ecclesiæ electorum. (e) Rursus tamen Synagoga Ecclesiæ mater, quæ Christum in ligno crucifixit, est ita mortua & *corrupta*, ut tamen sub umbra & refrigerio crucis omnis prædestinata anima, & Ecclesia suscitetur a morte culpæ & pœnæ æternæ. (f)

§. 334. Item prout Christi crux in ejus membris est ab initio mundi usque ad finem impressa & imprimenda, (g) reperies *matrem ibi corruptam*, & sponsam suscitatam, ut verbi gratia in Noe, (h) Abraham, Moyse, David, Isaia, Jeremia, (i) in suis tribulationibus imitatoribus crucis, mortua est generatio deridens crucem eorum, & persequens, & quasi crucifigens veritatem eorum. Unde prima generatio periit in diluvio. Secunda vero, scilicet Chaldæorum extincta est in idololatriæ sacrilegio. Tertia vero, scilicet Ægyptiorum submersa in mari rubro. Quarta vero, scilicet Saulis, & sequentium ejus, in montibus Gelboe ruit. Quinta vero, scilicet decem Tribuum, & duarum, quantum ad partem idololatrantium, per Sennacherib fuit captivata. Sexta vero per Regem Babylonis. Et consimiliter in temporibus, quæ post Christum fuerunt, & futura sunt, poteris speculari.

§. 335. *Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua; ibi* idem ac *sub*, (k) id est, quasi sub umbra carnaliter voluptuosa constuprata fuisset ab aliquo, qui suæ integritatem virginitatis, & florem sibi tunc corrupisset & violasset. Et patet ratio mystica tunc loquendi, quia tunc sinceritatem & integritatem fidei, & suæ puritatis perdidit, sponso vero relicto, & adulterans cum diabolo. Quia vero hoc reparare est summum beneficium, & singularis gratia, ideo sponsus volens eam cordi sponsæ firmiter imprimi, subdit:

VERSUS SEXTUS.

§. 336. *Pone me ut signaculum super cor tuum*, id est, *ut signaculum* tibi impressum, vel ut signum altum & amabile, a te semper inspiciendum; & *ut signaculum super brachium tuum*, id est, sic me tibi imprime, quod ita corde, & extra in tuorum brachiorum complexibus semper me bajules. Vel super *brachium*,

Vult sponsus imprimi, velut signaculum, super cor, ac brachium sponsæ.

(a) Adjectivo etiam *segregativi* utitur in Breviloq. Vid. Prodr. col. 525.

(b) Sic secundum omnes vulgo Patres Veteresque, contra Massoretas Judæos contendentes hæc dici a sponsa; siquidem a sponso dicta videbant ad crucis gloriam pertinere. Gordonus, Calmet &c.

(c) In Apol. pauper. Vid. Prodr. col. 607. ubi itidem *caussaliter &c.*

(d) Cod. Patav. *prædestinativum*.

(e) Quod *tunc crux Christi* decreta fuerit, & in Cantico Canticorum ita designata, ut concupiverit *sponsa degustare de fructu hujus ligni*, habetur Serm. 1. Invent. sanctæ Crucis inter Sermones de Sanctis D. Bona. Sed & *Patres omnes per arborem malum accipiunt arborem crucis*, inquit Cornel. a Lap.

(f) Exposit. in cap. 14. Sapient. post initium, ac Lib. 1. Pharetræ cap. 4.

(g) Exposit. in cap. 14. Sancti Lucæ.

(h) Exposit. in cit. cap. 14. Sapien.

(i) Exposit. in Sacræ Missæ mysteria. Vide quoque in Planctu de Passione Domini cap. 46.

(k) Sic apud Malvendam.

chium, id est, super fortitudinem tuorum operum, & tuarum potentiarum operativarum. (a)

Divini amoris efficacia, atque præstantia quintuplex.

§. 337. Ne autem sola ratio debitæ gratitudinis allegetur a sponso, subdit rationem aliam utilitatis, scilicet ex hoc consequendæ. Hujus autem singularis memoria seu impressio & fit per amorem, & accendit, & nutrit, & auget amorem: quem ut ostendat non modice appretiandum, ostendit ejus quintuplicem, & singularem gloriam & efficaciam. Nam in divisivis, seu separativis; & in zelativis, seu punitivis; & in illuminativis, seu incensivis; & in præservativis, seu triumphativis; & in appretiativis, seu pretiosis; (b) tenet admirabilem principatum.

Prima inter divisiva, sive separativa.

§. 338. Pro primo dicit, quod est *fortis ut mors*. Mors enim repente, & in uno instanti tria fortissime & carissime juncta dissolvit, (c) scilicet animam a suo corpore, & sensus a suis sensibilibus, & totum hominem morientem a suis amicis & parentibus. Et hoc quantum est ex se, facit pro tota sempiternitate (d) futura. Sic ergo & Dei amor, & maxime cum ferventer est accensus, separat hominem a seipso, (e) ut nullo modo se diligat propter se, & vitiose, sed solum in ordine ad Deum, & propter Deum. Separat etiam ab omnibus concupiscentiis & amicitiis, in quantum Divino amori contrariis; & ejus impeditivis. (f)

Secunda inter zelativa, sive punitiva.

Pro secundo dicit, quod *æmulatio*, id est, Dei dilectio zelativa & quasi zelotypa, est *dura*, id est, dure & severe punitiva, omnis scilicet peccati Divino amori contrarii: *ut* (g) *infernus*, qui utique æternaliter, (h) & implacabiliter, & horribiliter affligit & punit.

Tertia inter illuminativa, sive incensiva.

Pro tertio dicit, quod *lampades ejus sunt lampades ignis atque flammarum*, id est, maximo igne & flammis plenæ. Officium autem lampadis est lumen directivum, & templi Dei, ac sui cultus honorativum, præclare & præfulgide ministrare. Ignis vero lampadis in sui fomentum semper oleum pingue quærit, & iterum lignum, seu lychnum sibi substratum, in fumum & cineres totaliter redigit & resolvit. Et facile est applicare, quod talis est Dei amor. (i) Pro quarto dicit, quod

Quarta inter præservativa sive triumphativa.

VERSUS SEPTIMUS.

§. 339. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Aquam* ponit tamquam contrariam igni, & tamquam singulariter fortem ad ignem extinguendum. *Flumina* vero ponit propter rationem jam dictam, tum quia suo impetu quidquid directe attingit, de sede sua dissolvit & obruit, nisi fortissime sit fundatum. Vult ergo dicere, quod nullum genus tribulationis, aut tentamenti (k) potest caritatem fortem (l) extinguere, aut superare, juxta illud ad Romanos octavo: Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? Et post: In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Et post: Certus sum, quia neque mors, neque vita &c. poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. (m) Pro quinto vero dicit:

Rom. 8. 35.

Ibidem 37. & 38.

Quinta inter appretiativa, sive pretiosa.

§. 340. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*: quasi diceret: habens fortem & accensam caritatem Dei, non commutaret hunc amorem pro tota altera

---

(a) *Ut videlicet numquam desinas operari, numquam fatigeris laborare pro nomine Domini Jesu; sed cum operata omnia fueris, tunc primum incipe, quasi nihil feceris*, cap. 6. de perfect. vit. ad Soror.

(b) Al. *in appretiabilibus, seu pretiis, & pretiosis*.

(c) Cod. Patav. *dividit*.

(d) Similiter *sempuernaliter*, & *sempiternalis* in Breviloq. de quibus in Prodr. col. 525.

(e) Serm. 2. de S. Mar. Magdal.

(f) Serm. sive Collat. 2. in Hexaem.

(g) Vulg. *sicut*; sed *ut* ipsemet S. Bona. Ser. 4. Dom. 17. post Pentec. nec non in Collat. de septem donis Spir. Sanc. num. 49. de quo Vol. 2.

(h) *Æternaliter* in 4. Dist. 44. Par. 2. Art. 1. Q. 1. ac etiam alibi.

(i) Quem proinde textum allegans part. 1. de Eccl. Hier. cap. 1. vocat *flammam inextinguibilis caritatis*; nec non *perfectæ caritatis ardorem* in Apologia Pauperum secund. respons. 1. partic. Art. 1. item *insuperabile amoris incendium* in Legenda S. Francisci c. 13.

(k) Cap. 1. de perfect. Vit. ad Soror. &c.

(l) Eodem textu utens *validam* dicit in Legenda ibi; atque *perfectam* Comm. in Apocal. cap. 22. sub ver. 1. Porro etiam Exposit. in cap. 3. Lament per *aquas* intelligit *tribulationes*. Item Serm. 2. de plur. SS. Confess.

(m) Tam hunc Apostoli textum, quam prædictum præsentis Cant. simul jungit, ac unum per alterum declarat pariter in Collat. de septem donis Spiritus Sancti, ubi de 4. dono fortitudinis. Vide etiam in Incend. sive Incentivo amoris cap. 3.

tera universitate creata, vel pro quocumque pretio, vel appretiabili; quod est, quando Deum, & ejus amorem super omnia amat. Nec sufficit dicere, quod non commutaret ipsum pro illis, nisi & diceret, quod respectu ejus cetera omnia simul sumpta *despiciet quasi nihil*. (a)

§. 341. Ex quo patet, quod etiam in Testamento veteri erat notum, immo & propositio per se nota, quod perfecta caritas sponsæ includit in se semper Evangelicam paupertatem quoad suum actum interiorem, (b) quem, nisi adsit legitimum obstaculum, vel impedimentum, actus suus exterior semper & necessario habet sequi. Hoc enim est de natura perfecti actus interioris nostræ voluntatis.

Evangelica paupertas quoad affectum.

§. 342. Possunt etiam hæc intelligi de amore, quo Christus sponsam diligit & dilexit, ut sic sumatur ratio inductiva ex suo amore activo, qui est ita fortis, ut eum faceret mori pro nobis, & qui est sponsæ ita zelotypus, quod durissime punit, vel puniret quidquid adulterinum, quod videret in ea. Cetera satis patent.

VERSUS VIII.

Verba Sponsi. (c)

§. 343. *Soror nostra &c.* Hic ostendit, quomodo a sponso corroborata est, & ad debitum augmentum perducta. Primo autem præmittitur ejus parvitas indigens augmentari, & hoc quoad duo, quæ secundum tropi superficiem sunt necessaria puellæ nubili & desponsandæ, scilicet sufficiens corporis magnitudo, & debita intumescentia uberum ejus, (d) sine qua non est apta ad prolem lactandam. Dicit ergo:

§. 344. *Soror nostra parvula est*, (e) *& ubera*, scilicet tumida, *non habet*: (f) quasi diceret, quia nondum habet perfectam magnitudinem virtutis, nec sapientiæ regimen. Deinde quærit pro his perficiendis quid poterit sibi fieri, quasi super hoc ab aliis consilium quærens. Per tales autem tropos non signatur in Deo aliqua prævia dubitatio, & inquisitio certificanda; sed potius plenitudo liberi, & maturi, & circumspecti consilii in omnibus consulte, & sapienter agendis. Tunc tamen singularius hæc in Scripturis ponitur, quando res agenda singulari consilio eget: & tunc per hoc designatur arduitas rei agendæ, & consilii, per quod est agenda. Quantum autem & quam singulare consilium exigatur ad imperfectas Animas vel Ecclesias usque ad culmen roboris vel perfectionis ducendas, noverunt soli experti, qui hujusmodi cum Paulo & Moyse pro posse (g) insudant. Deinde autem proponere hanc quæstionem aliis, significat aliquando idem, quod immittere eis sollicitudinem consulendi, & æstimationem, seu notitiam difficultatis, & dubietatis, & arduitatis rei consiliandæ. Dicit autem:

Magno opus consilio in animabus ad perfectionem ducendis.

§. 345. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* id est, quando alloquiis instructoriis est ad nuptias contrahendas vel consummandas præparanda & informanda. Tunc enim manifeste indiget in prædictis perfici & augeri.

VER-

(a) Serm. sive Collat. 23. in Hexaem. ac Procem. in Ecclesiasten.

(b) Exposit. in cap. 14. S. Lucæ, ubi de *necessario terrenorum contemptu*, sive *omnibus relinquendis quantum ad affectum*. Nemo unus ignorat, qui Divi Bonaventuræ Opera vel a limine salutaverit, quam strenuus ipse fuerit *Evangelicæ Paupertatis* vindex. De *paupertate in veteri Testamento quoad actum interiorem in Job*, idem S. Bona. in Apol. Pauper. tert. responsion. tert. partic. Art. 1. ex S. Gregor. inibi allegato.

(c) Tametsi Hebræi, & Græci, & Latini plures, censeant esse verba Sponsæ adultæ, scilicet Ecclesiæ, de sponsa novella, nimirum Synagoga Judæorum ad Christum in fine mundi convertenda; nihilotamen secius Cassiod., sive alius sub ejus nomine latens, S. Greg. Beda, Rupertus, Hugo Card. &c. sentiunt esse verba Sponsi de Ecclesia primitiva, ejusque paucitate. Quodve *verba possint esse Sponsi*, affirmat quoque inter Recentiores Maldonatus.

(d) De qua Ezech. 16. 7. *Ubera tua intumuerunt*.

(e) Sic etiam MS. Codex A. II. 21. nostræ hujus Bibliothecæ. Alius autem A. I. 40. nec non editio Lugd. 1524. habent quidem *parvula*, sed sine verbo *est*.

(f) Exposit. in Psalter. Ps. 71. habet: *Soror mea tenera est, nec adhuc habet ubera*. Et hæc, ut inibi ait, *Ecclesia dicitur, quia in principio fuit parva* (& ut supra, etiam *parvula*) *postea crevit*. Item Bossuet: *Sororem parvulam S. Thomas intelligit nascentem sub Apostolis Gentium Ecclesiam*.

(g) *Pro posse* in Legen. ma. S. Franc. ut in Prodr. col. 592.

VERSUS IX.

§. 346. *Si murus est &c.* Secundo subdit duo ei fienda, (*a*) in quibus designatur perfectio roboris superadditi, & superaugendi, & utitur altero tropo, scilicet urbis *murata*, & *ostiis* obseratæ. Perfectio autem murorum est insuper additione *propugnaculorum* in summo, & in circuitu ejus exsistentium. Secundum autem Isidorum Etymologiarum libro quinto decimo capite secundo, *propugnacula* sunt sicut pinnæ, id est, summitates & culmina murorum, sic dicta quia ex his (*b*) propugnatur; & sunt idem quod dentilia murorum. Curriculæ etiam, & quædam lignea, vel lapidea pulpita, quasi formam folii habentia, & in supremis & forinsecis partibus murorum infixa, *propugnacula* vocantur. Sicut igitur per *murum* urbis intelligitur porta obstans hostibus, ne possint urbem libere introire, & instar muri apta ad custodiam, & protectivam continentiam civitatis; sic per *propugnacula* intelligitur ardua perfectio hujusmodi. Dicuntur vero *argentea* propter resonantiam doctrinæ, hostium contradicentium convictivæ, & civium ad bellum, & ad sui custodiam instructivæ, & incitativæ, & convocativæ.

Isidorus Lib. 15. Etym. cap. 2.

Quid sponsæ propugnacula argentea.

§. 347. Quia vero custodia & defensio civitatis non solum eget muris perfectis, sed etiam ostiis, seu januis solidis & firmis, & nullum foramen seu rimulam habentibus; ideo pro suppositione initiationis, jam factæ in sponsa dicit: *Si ostium est, compingamus*, id est, firmius conjungamus, & solidemus *illud tabulis cedrinis;* quasi dicat: barremus illud solidis barris, seu lignis. (*c*) Vel quasi dicat: duplicemus illud infigendo ei alias tabulas fortiores. Et quia ostium non solum est ad resistendum hostibus, sed etiam aperitur ad recipiendum cives & domesticos; ideo per *ostium* non solum significatur sufficientia ad resistendum hostibus, sed etiam ad recipiendos & incorporandos Ecclesiæ Dei. Per *tabulas* autem *cedrinas* intelligitur solida & incorruptibilis latitudo caritatis & spei efficax ad hostes excludendos, & ad alios domestice recipiendos. Ideo sponsa ostendit prædicta jam in se esse facta, & impleta, dicens:

Quid ejus tabulæ cedrinæ.

Quid ostium.

VERSUS X.

Verba Sponsæ.

§. 348. *Ego*, supple, sum, *murus*, scilicet civitatis Dei, & *ubera mea* non sunt parva, aut debilia, immo sunt *sicut turris*, ad defensionem scilicet & corroborationem Ecclesiæ, lac solidæ, & perfectæ, & fortificativæ doctrinæ, (*d*) & validæ orationis, (*e*) propinantia. Sum, inquam, talis, *ex quo facta sum coram eo*, id est, coram sponso, *quasi pacem reperiens*. *Quasi* tenetur hic expressive, (*f*) non defective; sicut & alibi: quasi unigeniti a patre. (*g*) Id est, ex illo tempore, quo sibi sum nuptialiter copulata, & pacem nuptialis fœderis, & protectionis ab ipso & in ipso reperiens sum *murus* & *turris* Ecclesiæ Dei.

Sponsa velut murus, & ejus ubera sicut turris.

Jo. 1. 14.

VERSUS XI.

§. 349. *Vinea fuit pacifico &c.* Ostensa sponsæ augmentatione perfecta, hic ostenditur usque in finem ejus gubernatio pacifica. Ostenditur autem sub metaphora *vineæ* Salomonis pacifici, unde dicit: *Vinea fuit pacifico*, id est, Christo, (*h*) qui pacem Ecclesiæ suæ dedit, & promovit, & conservavit. Fuit quidem *in ea*, scilicet terra, vel in

Pacificus, id est, Christus.

(*a*) *Fiendus* pro *faciendus* etiam apud alios Veteres in Glossar. Ducang. nec non apud ipsum met S. Bona. par. 2. Breviloq. cap. 2. prope finem &c.

(*b*) Cod. Patav. *ex eis*.

(*c*) Apud Glossarium Ducang. „ *Barræ* dicuntur præsertim repagula, & septa, quæ „ ad munimenta oppidorum & castrorum, „ vel ad eorum introitus ac portas ponuntur, „ ne inconsultis custodibus in eas aditus quibusvis pateat &c. " Hinc verbum *barrare*, scilicet hujusmodi *repagulis & septis* munire.

(*d*) Scilicet per *Scripturam*, Comment. in Apocal. cap. 21. sub ver. 12.

(*e*) Exposit. in Psalter. Ps. 79.

(*f*) Sic etiam S. Thomas ait: „ *Coram eo*, „ id est, Christo: *quasi*, expressive dictum, id „ est, pro certo. "

(*g*) In Comment. super Apocal. cap. 5. ℣. 6. num. 338. „ Sed nota, quod *tamquam* est ex„ pressivum veritatis, id est, vere occisum, si„ cut Joannis primo: *gloriam quasi unigeniti a* „ *patre*, id est, vere unigeniti. " Sicque infra Comment. in cap. 1. Joan. num. 35. in fine.

(*h*) Ita Exposit. sub Cassiod. nomine.

Vinea, id est, Ecclesia. in eademmet *vinea*, id est, Ecclesia (*a*); *quæ habet populos*, id est, quæ est valde populosa, & diversos in se populos urbium comprehendens.

§. 350. Subdit autem tria ad gubernationem ejus spectantia. Primum est *custodum* & agricolarum sufficiens provisio, quia *tradidit eam custodibus*. Secundum est sufficiens eorum locatio, quia *vir*, id est, dominus vineæ, *affert pro fructu ejus* obtinendo, scilicet pro agricultura custodum, *mille argenteos*. Per quod significatur perfectio doctrinæ eis pro hac re traditæ, & etiam perfectio præmii sibi correspondentis. Nam *mille* est numerus perfectus, & ideo perfectionem significat. (*b*) In *argenteo* vero puro & fulgido & resonante, doctrina pura & clara & eloquens designatur. (*c*) Dicitur autem *vir* potius quam dominus, ut sub altero tropo ipsum sponsum vineæ hujus ostendat. Tertium est ipsius domini immediata & principalis circa vineam conservandam & gubernandam speculativa & circumspecta immoratio, unde subdit:

VERSUS XII.

§. 351. *Vinea mea coram me est*. (*d*) Deinde ostendit se supererogasse in custodum pretio ultra *mille argenteos*, addens *ducentos*, ut sic de decem centenariis ad duodecim pertingat. Per decem autem perfecta justitia præceptorum Divinæ legis; (*e*) per *ducentos* vero superadditos supererogatio consiliorum, & supererogativa perfectio geminæ vitæ activæ & contemplativæ significatur. (*f*) Quamvis & per hoc significentur mille ducenti anni, qui a Jacob usque ad transmigrationem, vel circa, & a Samuele usque ad desolationem Jerusalem factam sub Tito, (*g*) similiter totidem a Christo usque ad beatum Franciscum (*h*) reperiuntur. Sed sub alio mysterio, sive tropo significantur etiam *mille tui pacifici & ducenti*, juxta quod Apocalypsis vigesimo pacis Ecclesiæ mille anni dantur a ligatione Satanæ, ne seducat gentes, usque ad solutionem ejusdem ibidem computati; (*i*) juxta quod etiam in Psalmo centesimo quarto dicitur, quod Dominus Deus verbum & pactum testamenti sui, quod disposuit ad Abraham, & Isaac, & Jacob, de prole scilicet eorum regenda, mandavit in mille generationes, quæ ab illis (*k*) scilicet temporibus usque ad Christum: vel a Constantino (*l*) usque ad consummationem duodecimi centenarii, in quo & similibus notatur universitas: (*m*) vel secundum eamdem universitatem, Jacob jam defuncto a Jo-

Computatio annorum a Christo Domino usque ad B. Franciscum.

Apoc. 20. 2.

Ps. 104. 8.

(*a*) Ita eadem. Vid. infra §. 352. in not. *c*.

(*b*) Idipsum noster Interpres in Comment. super Apocal. cap. 20. ℣. 4. & alibi; secundum S. Gregorium Moral. Lib. 9. cap. 3. num. 3. Lib. 22. cap. 20. num. 50. ac Lib. 35. cap. 16. num. 42. ac demum Exposit. in Cant. in hoc cap. & text.

(*c*) De hoc supra §. 346. ad finem, nec non Exposit. in Psalter. Ps. 11. ubi dicitur: *in argento eloquium*. Vid. quoque Comment. in cap. 3. Apocal. num. 215. ac supra cap. 3. §. 160.

(*d*) Hæc verba esse Sponsi censent ex Græcis Philo Carpathior. Episc. ex Latinis vero S. Ambros. Auctor sæpe d. Exposit. sub Cassiod. nomine, S. Gregor. Rupertus &c.; alii tamen, quod sint verba Sponsæ, contendunt secundum Hebr. Vid. mox seq. §. 351. in not. *b*. col. 274.

(*e*) Cit. Comment. in Apocal. cap. 13. ℣. 1. num. 916. de quo Vol. 2. ac Serm. de Corp. Chr. num. 10. de quo Vol. 3.

(*f*) Sic loquitur de *duodecim centinariis*; quia ut ait 4. Dist. 47. Art. 1. Q. 1. in Resp. ad arg. ad Q. lat. *duodecim est numerus superabundans: partes enim ejus excrescunt: & rursus dividitur in duos senarios; in quo significatur perfectio in duplici vita, scilicet in activa, & contemplativa cum supererogatione consiliorum*. Al. *supererogativa perfectio geminæ caritatis signatur*.

(*g*) Si ineatur numerus secundum Rationarium temporum Dionysii Petavii To. 1. part. 1. Lib. 1. cap. 1. ac seqq. a matrimonio Jacob cum Lia, ex qua suscepit Judam, de cujus stirpe natus est Christus, nempe annis ab orbe condito 2191. cum secundum eumdem Petavium ibi cap. 3. transmigratio Babylonica contigerit an. 3396. hinc ab hoc numero 3396. subductis prioribus 2191. habentur 1205. qui fluxerunt a Jacobo ad usque Babylonicam transmigrationem, sicque *mille ducenti anni*, *vel circa*. Haud secus cum secundum laud. Petav. ibi cap. 6. natus sit Samuel ante Christum an. 1134. statuaturque Jerosolymitana desolatio secundum ipsum Lib. 5. cap. 4. an. Chr. 71. ex horum numerorum conjunctione itidem habentur an. 1205. ab ortu Samuelis usque ad Jerosolymitanam eversionem, adeoque iterum *mille ducenti anni*, *vel circa*. Namque ly *circa* admittit aliquid plus, & aliquid minus.

(*h*) Hisce verbis Auctor noster satis prodit se se Franciscanum.

(*i*) Cit. Comment. in Apocal. cap. 20. sub ver. 2. ac 4.

(*k*) Sic Vatic. & Assisien. sed Patav. *a Salomonis*.

(*l*) Lyranus illud: *ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, interpretatur similiter *ex tempore Constantini*.

(*m*) In 4. dist. 47. art. 1. q. 1. ad arg.

Joseph rectore fratrum pacifico usque ad Joseph florem odoris suavissimi, *(a)* vel circa, reperiuntur. Prædictos autem *argenteos* vocat hic *pacificos*, vel *pacifico* *(b)* superadditos, & ad pacem *vineæ* conservandam & promovendam, & *custodes* cum Deo, & cum ejus *vinea* firmiter & pacifice colligandos.

§. 352. Dicit autem *tui*, ut ostendat, quod hujusmodi *argentei* sunt ipsius *vineæ*, seu Ecclesiæ, quamvis sint specialiter deputati his, qui custodiunt eam. *(c)* Unde & supra cum dicit: *vir affert pro fructu ejus mille argenteos*, potest intelligi, quod affert eos Ecclesiæ, ut pro fructu suo det eos custodibus suis. Nam & doctrina Scripturarum, & sapientia Fidei catholicæ, est totius Ecclesiæ, & toti Ecclesiæ data. Deinde ex doctrina præfatorum *argenteorum* *(d)* Ecclesiæ, suis quoque *custodibus* data, quam delectabilis resonantia *(e)* Divinæ eruditionis & laudis inde exeat, ostendit subdens:

VERSUS XIII.

§. 353. *Quæ habitas in hortis* (in quo ejus quoad se deliciositatem & quidem

hortulanam, seu rectoris Ecclesiarum curam & sollicitudinem insinuat) *amici*, scilicet sponsi tui, id est, Angeli *(f)* *auscultant* te, scilicet desiderabiliter & delectabiliter, *fac me audire vocem tuam;* quasi dicat: mihi sponso, & amicis meis, & tuis, est valde gratiosa & desiderabilis vox tuæ doctrinæ & laudis; & ideo volo & rogo, quod eam in auribus meis exhibeas & frequentes. Quia ergo hoc verbum sponsi *(g)* pacificum solam pacem Divini & Ecclesiastici cultus videtur quærere & curare; hoc autem sponsæ non sufficit, nec sufficere debet: ideo sponsa petit ab hac vita cum sponso ad aliam gloriam superiorem & deliciositatem transmigrare; *(h)* unde subdit:

VERSUS XIV.

Verba Sponsæ.

§. 354. *Fuge dilecte mi*, scilicet ab hac vita. *(i)* Patens est, quod sic hic relicta non petit sponsum ab ea fugere; sed unitatem corporis mystici cum capite Christo insinuat, *(k)* ex qua totum unum corpus mysticum appellatur. Ideo

(a) Scilicet virginem sponsum B. V. Mariæ. Unde heic legere maluerim *Joseph*, quam *Josue*, ut in MSS. Profecto S. Joseph rite respondet Joseph Ægyptio.

(b) Ita dicere videtur, si ly *tui pacifici* non sit nominativus pluralis, sed genitivus singularis, denotetque Salomonem Christi Domini typum, quasi dicat, ut inquit noster Smitsius „ *Mille tibi Salomoni*, aut *o Salomon*, ut Hæ„ bræum: LXX. *Mille Salomoni*. " Similiterque ex Hebr. Maldonatus & Malvenda: *mille tibi, o Salomon;* quibus subaudiendum censet idem Malvenda *sint* &c. Secundum autem hanc lectionem ex Hebr. *o Salomon*, id est, *o Christe*, non verba sponsi esse, sed sponsæ, monet Cornel. a Lap. Bossuet autem legens & ipse ex Hebr. *o Salomon*, adhuc censet, quod *loquitur Sponsus*. Idipsum sentit & Calmet: Quinimmo ipsemet noster Interpres Exposit. in cap. 20. S. Luc. pag. 597. col. 1. Ed. Ven. Noviss. legit: *Mille tui pacifice*; id est, *tui*, vel *tibi*, *o pacifice*, sive *o Salomon*.

(c) Per hujusmodi *vineam* noster Interpres *Ecclesiam* intelligit etiam in modo cit. cap. 20. S. Luc. ubi ait: *Hujus* (scilicet *vineæ*) *coloni in Ecclesia, quæ vinea Domini est, sunt Episcopi & Sacerdotes*. Certe sicut Salomonis vinea Synagogam significat; ita (interprete etiam Calmeto) vinea Christi Sponsi Christiana Ecclesia est. Idipsum sentiunt præter cit. Auctorem sub Cassiod. nomine SS. Ambros. & Gregor. Beda, Apon. &c.

(d) Alludere videtur ad illud Ps. 11. 7. *Eloquia casta: argentum igne examinatum &c.* Quodve *doctrinæ conveniant hæc Evangelicæ exactissime*, lego apud Lorin. ubi etiam S. Hier. *argentum* interpretatur *de doctrina Scripturarum*.

(e) Supra §. 350.

(f) Sic noster Interpres Exposit. in cap. 1. Jerem. Proph. item Rupert. Hugo Card. nec non Card. Jo. Vital. in Spec. sacr. Scripturar. verbo *Angelus* fol. 4. retro.

(g) Tres Anonymi apud Theodoret. legentes cum Septuag. *Qui habitas in hortis*, autumant verba esse Sponsæ ad Sponsum; at secundum textum Hebræum, Vulgatam versionem, Arabicum, Interpretem nostrum, aliosque, patet verba esse Sponsi ad Sponsam.

(h) Secundum hanc interpretationem non id intelligendum videtur de primo Christi in cœlum ascensu in Ecclesiæ adolescentia; sed de secundo in die judicii, quando Ecclesia jam adulta, immo perfecta, adeoque statim beanda, & glorificanda, in cœlum cum Christo conscendet; quemadmodum exponunt S. Ambros. Theodoret. Apon. S. Bernard. Honor. & alii ex Neotericis apud Cornel. a Lap. Quodve id etiam accipiendum sit de animæ desiderio ex vita, ac sæculo, in cœlum evolandi; præter cit. Honor. etiam interpretatur laud. S. Ambros. Lib. de Bono mortis cap. 5. num. 18.

(i) Sive *terra hac immunda in cælos*, ut habet Chald. & Sa.

(k) Cod. Patav. *sed propter unitatem corporis mystici cum capite Christo, ex qua &c.*

ſponſi fuga fugam ſponſæ includit. (*a*) Et eſt etiam apud omnes uxores modus loquendi, quod ſi vir debeat cum tota domo ſua ad alteram tranſmigrare patriam, quod eam totam inſinuent ex ſola viri tranſmigratione, dicendo: Domine, recedatis (*b*) hinc cito. Hoc etiam ſponſa ex ſimilitudine ſubjuncta magis aperuit dicens:

§. 355. *Aſſimilare capreæ, binnuloque cervorum*, aſcendentium ſcilicet *ſuper montes aromatum*, id eſt, aromaticis plantis conſitos, quaſi dicat: Sicut cervulus tenellus & gratioſus cum capra aſcendit agiliter & celeriter ſuper montes odoriferos; ſic tu qui es tenerrima & gratioſiſſima proles ſanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, & ſpecialiter Archangelorum (*c*) & Angelorum, qui ſunt agiles ſicut cervi, aſcende mecum, quæ ſum ſicut capra ad montes, id eſt, ad ſupernos Angelorum Ordines (*d*) & manſiones cœleſtis gratiæ & gloriæ, ubi omnia ſunt aromatica, & ſpiritali odore ſummi boni plena & redundantia. (*e*)

§. 356. Hic etiam deſcribit ſponſa conditiones aſcendentis. Agilitatem potentiæ cum dicit: *fuge*. Subtilitatem ſapientiæ cum aſſimilat cum *capreæ*. Alacritatem gratiæ cum dicit: *binnuloque cervorum*. Sublimitatem gloriæ cum dicit: *ſuper montes aromatum*. In *fuga* velocitas motus. In *capra* perſpicacitas aſpectus. In *binnulo cervorum* agilitas ſaltus. In *monte* ſublimitas ſtatus. Et hæc in nobis innuunt, quod fugiamus celeriter omnia terrena per mentis averſionem: conſideremus perſpicaciter cœleſtia per mentis contemplationem: iiſdem inſiſtamus alacriter per mentis devotionem: & coronemur finaliter ac ſublimiter per mentis renovationem. (*f*)

§. 357. Fuge ergo carnis delicias, mundi concupiſcentias, diaboli fallacias, inducentes fratrum miſerias, in quorum figura Chriſtus fugit de Bethleem in Ægyptum. *Quæ fuga animæ neceſſaria, ut ſponſo fruatur.* Carnis delicias fugere debemus, quia corpus ſubjiciunt ſervituti, animam brutalitati, ſpiritum anxietati. *Deliciæ carnis fugiendæ.* De primo: Fugite de medio Babylonis, ut (*g*) ſalvet unuſquiſque animam ſuam, Jeremiæ quinquageſimo primo. *Jer. 51. 6.* De ſecundo: Grex porcorum impetu magno mortuus eſt in aquis: paſtores autem fugerunt, Matthæi octavo. *Matth. 8. 32, & 33.* De tertio: Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius eſt, & ſcitote eſſe judicium Dei, Job decimo nono. *Job 19. 29.* Gladius eſt ſtimulus carnalis concupiſcentiæ, qui ſpiritum vexat, (*h*), juſto Dei judicio.

§. 358. Divitiæ fugiendæ, quia habent ex parte materiæ vilitatem, ex parte finis infructuoſitatem, ex parte durationis brevitatem. *Divitiæ fugiendæ.* De primo: Efficiamur Divinæ conſortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem, ſecundæ Petri primo. *2. Petri 1. 4.* Et primæ ad Timotheum ſexto de ſecundo: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli &c. *1. ad Tim. 6. 9* Sequitur: Tu autem, o homo Dei, hæc fuge. *Ibi 11.* De tertio: Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt, & non viderunt bonum, Job nono. *Job 9. 25.*

§. 359 Fallaciæ diaboli fugiendæ ſunt in tribus, quæ ſunt, elatio cordis, detractio oris, ſimulatio operis. *Fallaciæ diaboli fugiendæ.* De primo: Juvenilia deſideria fuge, ſectare vero juſtitiam, ſecundæ ad Timotheum ſecundo. *2. ad Tim. 2. 22.* Juvenilia deſideria ſunt elatio mentis, & curioſitates. De ſecundo: Mendacium fugies, innocentem & juſtum non interficies, (*i*) Exodi vigeſimo *Exo. 23. 7.*

Menochius: *Dum ait fuge, ſignificat ſe ſecuturam*. Unde & S. Ambroſ. paulo ante laud. ait „ Hortatur ut fugiat Sponſus, quia jam „ ſequi poteſt etiam ipſa terrena fugientem. „ Dicit autem ut ſimilis ſit damulæ, quæ evadit de retibus. Vult enim & ipſa fugere, „ & evolare ſupra mundum. “

(*b*) Scilicet ut & nos *recedamus*.

(*c*) Al. *Apoſtolorum*.

(*d*) Sic S. Bernard. Serm. 9. in Pſ. *Qui habitat*.

(*e*) Ea, quæ ſequuntur deſiderantur in Codd. Vatic. & Patav. uſque ad finem §. 359.

(*f*) Iterum apparent ſimiliter deſinentia apud D. Bona. quam frequentiſſima. De ſcholaſtico adverbio *finaliter* alibi quoque a D. Bona. adhibito vid. Prodr. col. 607.

(*g*) Vulg. pro *ut* habet *&*; ſed *ut* legere quoque eſt in Cod. noſtro Bernardiniano, antiquioribus ſacror. Biblior. Editionibus &c.

(*h*) Al. *ſemper vexat*. Sicut autem, interprete S. Greg. Lib. 34. Moral. cap. 8. num. 17. *in Scriptura Sacra aliquando per gladium tribulatio temporalis, aliquando antiqui hoſtis perſuaſio deſignatur*; ita per ſupradictum gladium ab Interprete noſtro recte accipi potuit *ſtimulus carnalis concupiſcentiæ*, de qua 1. ad Cor. 7. 28. *Tribulationem carnis habebunt hujuſmodi*; 2. ad Cor. 12. 7. *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet*; ad Gal. 5. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum &c.*

(*a*) Vid. Comment. in Jo. Evang. cap. 7. num. 515.

simo tertio. Ex mendacio siquidem procedit detractio, quæ bona aliena vel mutat, vel diminuit. De tertio: *Dan. 4. 11.* Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres cœli de ramis ejus, Danielis quarto. Arbor ista hypocrita est, qui ramos, id est suas affectiones abscondit, & ponit in terra: arbor succiditur, & rami ejus præciduntur, quando habitus virtutum deficiunt in ejus animo in abscondito, & exercitium boni operis.

Hypocrita arbori comparatus.

§. 360. In hoc ergo transitu ad spiritualis connubii in cœlis arcanum (*a*), recte finitur hic liber, quia non possumus Phase Domini celebrare, nisi in transitu ex Egypto ad patriam repromissam, (*b*) & in transitu ex hoc mundo ad Patrem, (*c*) qui cum Unigenito suo, & Spiritu Sancto, in Trinitate beatifica vivit & regnat Deus gloriosus, & glorificatus, (*d*) & glorificandus in sæcula sæculorum. Amen.

ALLEGORICI SENSUS

Cantici Canticorum.

§. 361. Morali mysterio, utcumque dedit Pater luminum, expedito, de Allegoricis in summa aliquid sufficiat prælibare. Sciendum ergo, quod totus hic liber potest diversimode applicari ad Ecclesiam Dei. (*e*) Primo quidem ab initio mundi usque ad finem, ut scilicet tres partes hujus libri tribus ejus partibus coaptentur. (*f*) Prima scilicet legi naturæ, secunda legi scripturæ, tertia legi gratiæ.

Totus hic liber potest diversimode ad Ecclesiam Dei applicari.

§. 362. Secundo ut omisso statu naturæ, prima pars coaptetur Synagogæ, secunda Ecclesiæ Christi de Gentibus, tertia Ecclesiæ finali, & reliquiis Judæorum, & Gentium, in perfectionis Evangelicæ spiritu consummandæ.

§. 363. Tertio ut unicuique prædictarum partium totus liber coaptetur, juxta quod quælibet prædictarum Ecclesiarum potest dividi in principium, medium, & finem; ita quod prima pars hujus libri coaptetur solemni initio, & media medio, & tertia fini. (*g*)

§. 364. Quarto potest cuilibet spirituali statui, vel Religioni coaptari, secundum sui principium, medium, & finem, liber iste coaptari.

§. 365 Quinto potest accipi una persona, vel Congregatio spiritualior, vel principalior, quæ sic habeat nomen, quod ceteri sint ejus familia, & sponsi socii & amici, & quod nihilominus ipsa familia sumatur pro corpore sponsæ membra diversa habente.

§. 366. Sexto potest hic liber coaptari ad Ecclesiam Angelorum, & Hominum, & Viatorum, & Beatorum, insimul sumptam, ita quod cœlesti Hierarchiæ applicetur quidquid sibi decenter & anagogice potest coaptari, juxta quod Abbas Vercellensis (*h*) Librorum Dionysii Expositor in quadam Expositiuncula sua fecit. *Abbas Vercellensis.*

§. 367. Prædicta autem possunt modis pluribus subdistingui, (*i*) & multis aliis modis variari, ut sic ex paucis seminibus seu granis, segetes segetum, & mes-

---

(*a*) Supra de Plantat. Parad. §. 14. Unde inquit S. Ambros. Lib. de Bono mortis cap. 5. num. 20. *Sponsus animæ Dei Verbum est, cui anima legitimo quodam connubii fœdere copulatur.*

(*b*) Supra de stud. Divinar. Literar. §. 48. not. *l.*

(*c*) Similiter cap. ult. Itinerar. ment. in Deum.

(*d*) Cod. Patav. *glorificans.*

(*e*) Sic *unanimiter Veteres* apud Cl. Wilhelmum Smitz in Prolegomenon hujus Cant. Cap. 3. Art. 3. num. 37. Instar omnium sit S. Bernardus Serm. 1. in Cant. num. 8. inquiens „ Divinitus inspiratus (Salomon,) Christi & Ecclesiæ laudes, & sacri amoris gratiam, & æterni connubii cecinit sacramenta; simulque expressit sanctæ desiderium animæ: & epithalamii carmen, exultans in spiritu, jucundo composuit elogio, figurato tamen. Nimirum velabat & ipse instar Moysi faciem suam, non minus forsitan in hac parte fulgentem; eo quod illo adhuc in tempore nemo, aut rarus erat, qui revelata facie gloriam istam speculari sufficeret. “

(*f*) Verbo *coaptentur* utitur ab initio cap. 1. de Eccl. Hier. & alibi.

(*g*) Ipsemet D. Bona. Serm. sive Collat. 15. in Hexaem. sic loquitur „ In Cantico tripliciter laudatur Ecclesia, quæ unica tantum est, nec sunt, nec possunt esse plures. Laus Ecclesiæ initiatæ: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi?* (c. 3. 6.) Secundo Ecclesiæ dilatatæ: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna electa ut sol?* (c. 6. 9.) Tertio Ecclesiæ consummatæ; unde dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* (c. 8. 5.) Necesse est enim, quod Rachel pariat filios in finali Ecclesia &c. “

(*h*) Supra cap. 1. §. 7.

(*i*) Hic dividendi subdividendique modus nostro Interpreti perquam familiaris.

& messes messium crescant & exuberent in immensum.

§. 368. Rursus sciendum, quod membra sponsæ & sponsi, per modum supra expositum, aut aliquem alterum sibi similem, possunt aptari ad diversas personas diversorum statuum, vel officiorum, aut diversarum prærogativarum, secundum Angelicas aliquas aut spirituales virtutes: aut etiam ad diversa officia ejusdem personæ, juxta quod Paulus fuit Apostolus, & Propheta, & Martyr, & activus, & contemplativus: & juxta quod aliquis habet simul plures Ordines, est enim Diaconus, Sacerdos, & Pontifex; & sic de aliis.

Modus interpretandi allegoricus, quem Magistri sequuntur.

§. 369. Et hunc modum Glossæ omnes Magistri sectantur. Nam per *oculos* intelligunt Doctores, qui velut cœli luminaria dirigunt & illuminant homines. (a) Per *dentes* vero eos, qui vitam carnalium macerant & terunt, (b) & tandem trajiciunt & incorporant Christo Jesu & Ecclesiæ suæ. (c) Per *crura* vero eos, qui meritis & exemplis, vel temporalibus subsidiis, vel patientia & doctrina, vel quibuscumque famulatoriis obsequiis, sustinent & supportant Ecclesiam Dei. Per *ubera* vero eos, qui lacte doctrinæ & pietatis beatificæ nutriunt animas hujusmodi alimoniis indigentes. Per *crines* possunt intelligi simplices, & mites, & meditativi, & perseverantes in longum, qui etsi exterius magnalia opera non faciunt, miro tamen modo venustant, & ordinant caput divini cultus, & collum Ecclesiæ suæ. Per *pedes* etiam possunt intelligi perfecti activi circa terram humiliter & in supportationem totius Ecclesiæ procedentes. Vel *pedes* sunt Prædicatores Evangelici in paupertate spiritus, & nuditate ipsius, pro spirituali supportatione (d) Ecclesiæ hinc inde discurrentes. *Collum* vero nervosum & robustum, ut *turris*, sunt Martyres, aut quicumque Ecclesiæ fortes, & strenui pugiles, præditi armis virtutum omnium, & Scripturarum; & sic de aliis.

§. 370. Qui autem hoc perlegerit (e) gustando & experiendo divinissimum amorem sponsi & sponsæ, & suavissimum jubilum Cantici Canticorum in eorum nuptiis, mutuis colloquiis decantatum, (f) obsecro per ejusdem sponsi & sponsæ indivisibilem (g) caritatem, ut in suis devotionibus recordetur (h) pauperculi, (i) qui hæc scripsit, sed modicum aut nihil inde gustavit. Quamvis quidquid ibi est veri, divinitus acceperit, & quasi repente, nihil ibi suum habens, nisi solos defectus. (k) Quos ut spero & deprecor, ut sponsi pietas sic ad plenum abstergat, ut cum electis ceteris ducat eum ad vitæ fontes aquarum, quas qui bibet non sitiet in æternum, Joannis quarto.

Interpretis nostri modestia.

Apocal. 7. 17.

Joan. 4. 13.

Explicit Postilla super Canticum Canticorum Fratris Bonaventuræ.
Amen. Amen.

SERA-

(a) Par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 5.

(b) Cod. Assisien. ac Patav. *mactant & tergunt.*

(c) *Dentes*, ait Exposit. in cap. 3. Lament. Jerem. Proph. *id est, Apostoli, quibus quasi dentibus peccatores erant in corpus Ecclesiæ convertendi.*

(d) In Opusc. de Sandaliis Apostolorum. Vocem *supportationis* alibi quoque D. Bona. usurpat. Vid. Prodr. 534.

(e) Cod. Patav. *perlegerint.*

(f) Vatic. & Assis. *decantantium*. Verbum *decantare* pro *cantare*, adhibet quoque D. Bona. cap. 4. sui Itinerar. ubi itidem loquitur de *Cantico Canticorum.*

(g) Patav. *indicibilem.*

(h) Patav. *recordentur.*

(i) Heic quoque prodit se se Minoriticæ paupertatis professorem. Unde & ab init. Prol. Legen. ma. S. Franciscum vocat *vere pauperculum.*

(k) De Seraphici Doctoris modestia jam diximus in Prodromo col. 138. Unde similiter etiam in fine d. Procem. in Breviloq. concludit: *Si quid igitur imperfectum, vel obscurum, vel superfluum, vel minus rectum ibi fuerit, venia occupationi, & brevitati temporis, & pauperculæ scientiæ concedatur: si quid vero rectum, soli Deo honor & gloria referatur.* Nec non in fine Præfat. de quinque Festivit. Pueri Jesu: *In quo Tractatu brevi & humili, si vel modicum devotionis meditando dulcissimum Jesum quis legendo concipiat; ipsum tanquam omnium bonorum principium, fontem, & auctorem laudet, glorificet, & benedicat: si nihil, vel minus sufficienter, & digne; scribenti, vel forte sibi minus devote & humiliter, legenti, imputet, & ascribat.*

SERAPHICI DOCTORIS SANCTI BONAVENTURÆ

TRACTATUS IN CAP. I. EZECH.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ MYSTERIO.

ADMONITIO.

SI *Codicum MSS. omnium altum esset silentium de præsentis Tractatus Auctore, ejusque nomen penitus reticuissent Nomenclatores omnes; adhuc tamen ex stilo, methodo, contentaque doctrina* Seraphicus Doctor D. Bonaventura *satis deprehenderetur hujus fœtus legitimus parens: tanta in hoc relucet cum aliis ejus germanis Operibus stili similitudo, methodi atque doctrinæ consonantia. Idque nedum suadent jam dicta in Prodromo col. 731. ac seqq. sed & amplius, nisi me fallit animus, evincent Adnotationes plures suis quæque locis heic opportune apponendæ. Innumeris quidem a me primo inventum adhibitumque MS. Codicem Venetum* Biblioth. S. Bonaventuræ O. M. R. *offendi a capite ad calcem infartum mendis, quæ vel post improbum laborem vix aut ne vix quidem omnia potui repurgare; sed quid tum? Nemo enim nescit vel mediocriter in MSS. Codicum lectione versatus, esse verissimum quod testantur doctissimi longeque celeberrimi* Maurini Editores Operum Omnium Sancti Gregorii Papæ I. in fine Lib. 23. Moral. not. e, *quod scilicet* mendis crassissimis scatent Codices ipsi vetustissimi. *Et ne aliunde petam exempla, testimonium perhibuerunt ipsi* Franciscani Editores Opusculorum S. Bonaventuræ, jussu Reverendissimi P. F. Francisci Zamoræ ejusdem Ordinis Generalis Ministri, Venetiis apud Dominicum Nicolinum M. D. LXIV. *quod nimirum ipsa* vetustiora S. Doctoris exemplaria mendis fuerint quam plurimis referta. *Quod si hujusmodi errata in memoratis Codicibus & Exemplaribus auctoritatis pondus & pretium aliquanto quidem elevent, non tamen eis fidem penitus abrogent; quid ni idipsum sentiam de præfato Codice Veneto? Non ergo detrahendam fidem censui tali, ut ut corruptissimo, Codici; quinimmo ipsa imperiti ejus librarii manifesta vitia, mihi argumento fuerunt, ipsum fuisse desumptum ex multo antiquiori, eoque suis mendis nequaquam carente, quem ipse oscitanter exscripsit, ac identidem magis magisque deformatum reddidit. Quodve mea non me deceperit opinio, probat longe* vetustioris MS. Codicis Vaticani 918. *scripti circa initium sæculi XIV. exemplar, quod ad me, dum hæc scriberem, auspicato pervenit, atque examussim ad ejusdem Vaticani fidem mihi transcribendum curavit* Cl. P. D. Petrus Aloysius Galleti Romanus Ord. S. Benedicti Congr. Casinensis Abbas S. Mariæ Rotundæ de Ravenna in Bibliotheca Vaticana linguæ Latinæ Professor. *Tametsi enim talis Codex Vaticanus omni fide dignus habeatur, plurima tamen, vel in eo ipso, non desunt sphalmata, quibus identidem inquinatus dignoscitur. Et utinam tertius, isque castigatior, mihi præsto fuisset Codex, cujus diligenti collatione sinceriores completioresque lectiones, aliorumque duorum corruptiones innotuissent; sane ab ingenti, quam in iis castigandis passus fueram, molestia me liberasset. Quanta vero ea fuerit ex duorum tantum, adeo labefactorum, emendatione; doctus quisque, & in hac re satis expertus, facile intelliget, maxime laudatus* Abbas Galletus, *vir siquis alius in his peritissimus, qui in describendo exemplo, Originali suo Vaticano apprime conformi, multum laboravit, mihique quam humanissime communicavit. Ne quis*

vero adducatur, ut credat, mibi nimiam licentiam in prædictis duobus Codicibus corrigendis sumpsisse; noverit me ex una parte semper babuisse præ oculis cum alia certa D. Bonaventuræ Opera, *ex alia vero* Henrici Stephani Librum de origine mendorum; *atque cavisse quam maxime a vitio illorum, qui audiunt & sunt apud* Germonium Codicum corruptores: *adeoque emendationes aut tantum a me fuisse factas ad Grammaticæ leges, aut dumtaxat prout talium tantopere vitiatorum exemplarium sensus ac verba ferebant. Quippe in* Annotatis post Epistolam S. Vigilii Episcopi Tridentini ad S. Simplicianum Episcopum Mediolanensem de Passione SS. Sisinii, Martyrii, & Alexandri MM. in Majo Bollandiano vigesima nona Maij *sic lego:* Quamvis nulla suppeterent MSS. cum quibus collata impressa expurgarem nonnullis quæ irrepserunt sphalmatis; correctionem tamen iis credidi adhibendam esse ex conjectura, potius quam in contextu obscuritatem tantam relinquerem. *Hinc veniam facile daturum lectorem spero, si sensus omnino perfectus non ubivis ad votum appareat, vel aliquod etiam verbale vitium in banc ipsam Editionem irrepserit. Malui enim, ubi manifestus error non videbatur, fidem illorum duorum exemplorum servare, quam ut aliquis mecum de præfata nimia licentia jure posset expostulare. In boc autem Tractatu (cætera inter notabiliora) egregie differit* Doctor Seraphicus de Christo septiformi sacræ Scripturæ Medio; de septuplici ejusdem Scripturæ clausura & apertione; de septem Dei effectibus, per quos dignoscitur, & in eadem Scriptura repræsentatur; de multiplici ratione quare Scriptura sub velamentis similitudinum est formata & tradita &c. *Quibus accedit illud, quod in fine innuitur, præ reliquis notatu dignissimum, nempe* Tractatus de Clavibus Scripturarum, & de modo ducendi eas, *qui Vol. III. bujus Supplementi, secundum optimæ notæ MS. Codicem Assisiensem a* Cl. V. P. Joanne Hyacintho Sbaralea Ord. Minor. Convent. Magistro, *feliciter detectum, diligenterque exscriptum, a me primum, superis bene juvantibus, publica luce donabitur.*

INCI-

INCIPIT TRACTATUS.

§. I.

Ezech. 1. 1.

CUm *essem in medio captivorum juxta flumen (a) Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.*

2. Cor. 12. 2. ac 4.

Conscendere cum Paulo volentibus in tertium cœlum ad videndas visiones & revelationes Domini, & ad audienda arcana verba, quæ non licet homini loqui; convenienter verbum istud proponitur, quod scriptum est Ezechielis primo. In quo quidem laus & commendatio totius Pauli doctrinæ, immo & totius Scripturæ sacræ, sub solemni & evidenti mysterio, (b) demonstratur.

Divisio in sex partes.

Hic enim docetur, primo quod sit hujus doctrinæ deductivum medium: secundo, quod effectivum principium: tertio, quod experimentale & manuductivum exemplum, seu speculum: quarto, quod sit velamenti seu obstaculi amotivum & revelativum: quinto, quod ejus subjectum contentivum, (c) & principale, & summum objectum: sexto, quod ejus finale complementum.

Divisionis declaratio

1. ad Timoth. 2. 5.

§. II. Ejus enim deductivum medium est primo mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, verus Dei Filius, sub nomine *medii* hic designatus (d). Ejus vero effectivum principium fuerunt secundo Prophetæ & Apostoli sub nomine *captivorum* hic figurati. Ejus vero experimentale & manuductivum exemplum, seu speculum manifestans, est tertio sensibilis decursus Divinarum & humanarum rerum hic sub nomine *fluminis Chobar* expressus. Sui vero velamenti, seu suæ clausuræ, revelativum est quarto apertio signaculorum, quibus sacræ Scripturæ hujus veritas contegitur, & obumbratur, quæ hic sub nomine *apertionis cælorum* inducitur. Ejus vero subjectum contentivum sunt opera virtutum (e), in quibus claritas Divinæ majestatis resulget ac si in cœlis: Ejus vero principale & summum objectum est quinto Deus in ratione apprehensibilis (f). Finale complementum est sexto contemplationis gloriosæ actus sub verbo *vidi* hic designatus.

Quadruplex genus caussæ.

§. III. Ex his autem perfecte & sufficienter apparere poterit, quæ sit ejus caussa efficiens, a qua exit; quis modus formalis, secundum quem procedit; quæ materia, de qua tractat & scribit; quis finis & fructus, quem intendit, & ad quem ducit. (g)

Sacræ Scripturæ præstantia ex ejusdem medio petita.

§. IV. Qui autem videre desiderat hujus Scripturæ medium (h), sciendum quod ipsum est tale, quale debet esse medium altissimæ Scripturæ (i). Est enim altissimum, seu primum, & universalissimum in esse; virtuosissimum in efficacia; profundissimum, seu summum & intrinsecum in præsentiali assistentia; notissimum, & clarissimum in dubiorum evidentia; commensurativum, & modificativissimum in omni circumstantia; summe uniforme, & adæquatum ad extrema; summe pacificum inter contraria & discordantia. (k) Cum autem sic Scriptura sit altissima, nobilitatem mediorum scientialium & doctrinalium in se altissime comprehendere debuit. (l)

Septiforme Scripturæ medium, quod est Christus.

§. V. Est ergo primo Medium Metaphysicum, & hoc est Medium essentiæ, quod est abstractissimum. & altissimum (m) Est etiam secundo Medium Physicum, & hoc est Medium naturæ, quod est virtuosissimum. (n) Est etiam tertio Medium Mathematicum, & hoc est Medium distantiæ, quod est profundissimum. (o) Est & quarto Medium Logicum, & hoc est Medium doctrinæ,

(a) Vulg. *fluvium*; sed & apud Hug. Card. al. *flumen*.

(b) Heic apparet hujus Tractatus titulus.

(c) Adjectivum a D. Bona. pluries adhibitum, de quo in Prodr. col. 525. 534. 560. &c.

(d) Serm. sive Collat. 1. in Hexaem., Exposit. in cap. 24. S. Lucæ, ac alibi passim.

(e) De his infra §. 51.

(f) Eod. §. 51.

(g) Prædictarum quatuor caussarum frequens mentio est apud D. Bona.

(h) Scilicet Christum Dei Filium, de quo §. 2.

(i) Quo pacto sacra Scriptura sit *alta*, *altior*, *altissima*, in Proæm. Breviloq. ubi de sublimit. ejusdem.

(k) Sive *in discordiarum concordia*, secundum Cod. Venetum.

(l) Ibi, nec non in Princip. ipsius Script.

(m) Nimirum ob *altitudinem immaterialitatis suæ*, qua *est immaterialissimum*, infra §. 35.

(n) Sive *summæ virtutis & potestatis*, infra §. 40.

(o) *Et summe intrinsecum*, infra §. 16. ac §. 36. *&* *humillimum*, *&* *modicissimum*, eod. §. 10.

næ, quod est notissimum. (*a*) Est & quinto Medium Morale seu Ethicum, & hoc est Medium modestiæ, seu circumstantiæ, quod est modificatissimum. (*b*) Est & sexto Medium Legale seu Politicum, & hoc est Medium justitiæ, quod est adæquatissimum: (*c*) de qua scilicet lance, quod suum est, unicuique reddendum. Est etiam septimo Medium Theologicum, & hoc est Medium universalis concordiæ, quod est pacatissimum. (*d*) Licet enim Scriptura omnium prædictorum rationes habeat in se, tamen hoc specialiter est suum. Non enim aliæ scientiæ intromittunt se ad differendum de Deitate, nec de reconciliatione humani generis per Christum.

Sacra Scriptura quantum prælter aliis scientiis.

Medium Scripturæ abstractissimum.

§. VI. Ad ostendendum autem, quod Medium hujus Scripturæ est abstractissimum, & altissimum dicitur Exodi vigesimo quarto, quod septima die vocavit Dominus Moysen de medio caliginis: erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardentis (*e*) super verticem montis; & quod ingressus Moyses medium nebulæ, ascendit in montem, & fuit in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Caligo enim & nebula, in cujus medium intravit Moyses, est vertex summus & excelsus; (*f*) & summa est abstractio Divinæ essentiæ propter lucem, quam inhabitat inaccessibilem. Non enim potest plene attingi, nisi per abnegationes omnium entium, & omnium conceptuum, secundum quod vult Dionysius de Mystica Theologia, & de Angelica Hierarchia (*g*).

Exo. 24. 16. ac seqq.

1. ad Tim. 6. 16.

Dionysius in Myst. Theol. c. 3. ac in Angelica sive cælesti Hierarch. cap. 2.

§. VII. Quia autem ad hoc Medium non ascenditur, nec intratur, nisi post agnitionem senariæ considerationis, & illuminationis Divinorum operum, quæ in sex diebus originalibus, seu quæ in sex sæculi ætatibus facta sunt; idcirco septima die de medio caliginis, quam dicitur intrasse, vocatus est (*h*). Propter quod etiam post dies sex assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos, (*i*) stans in medio Moysi, & Eliæ; ibique, postquam

Exo. 24. 16.

Matth. 17. a ver. 1. ac Marci 9. a ver. 1.

(*a*) *Habens* videlicet *superexcessum, & superabundantiam veritatis & claritatis, quamvis sub experientiam sensuum cadere non possit.*

(*b*) Scilicet *plene virtuosis circumstantiis, & rationabilibus modis*, sive quoad *omnes circumstantias & rationes Divinæ Providentiæ &c.*, infra §. 39.

(*c*) *Summæ adæquatum per justitiam extrema adæquantem*, infra §. 37.

(*d*) *Summe pacificum*, infra §. 14. ac 38. Hactenus autem recensitum ipsissimum septuplex Medium tradit noster Interpres nedum in cit. Princip. Scripturæ, sed & in Serm. sive Collat. 1. in Hexaem., ut vel hinc arguere liceat eumdem auctorem. Id quod etiam comprobat repetitio superlativorum prædictis similium, ab ipsomet D. Bona. alibi quoque crebrius adhibita. Ex eodem desumpsisse videtur illud ipsum Medium S. Bernardinus Commeat. in Apocal. cap. 14. sub versic. 6. Namque vel apud ipsum inibi notatur „ Medium septiforme, „ scilicet essentiæ, naturæ, distantiæ, doctrinæ, modestiæ, justitiæ, concordiæ. Primum de consideratione Metaphysici; secundum est Physici; tertium est Mathematici; „ quartum est Logici; quintum Ethici; sextum Politici; septimum Theologici. Primum „ medium est æternali origine primarium; secundum virtuali effusione pervalidum; tertium est centrali positione profundum; quartum rationali manifestatione præclarum; „ quintum morali electione præcipuum; sextum „ judiciali recompensatione æquatum; septimum universali conciliatione pacatum. Primum medium attribuitur Christo in æterna „ Generatione; secundum in Incarnatione; „ tertium in Passione; quartum in Resurrectione; quintum in Ascensione; sextum in „ futura Examinatione; septimum in sempiterna Beatificatione. “ Confer cum iis quæ tradit de eodem *Septiformi Medio*, ut paulo ante dixi, D. ipse Bona. cit. Princip. sacr. Script. ac Serm. sive Collat. 1. in Hexaem. ubi prædicta latius declarantur; videbisque quam Bonaventuriana doctrina vel in hoc usui fuerit D. Bernardino, quamve eidem accepta. Insuper deprehendes, vitiatum in typis D. Bernardini textum, ad instar Bonaventurianæ inibi doctrinæ, me attulisse rite emendatum.

(*e*) Vulg. *ardens*; sed *ardentis* in utroque Cod. Veneto & Vaticano.

(*f*) *Supreme incognitum, & lucidissimum, atque eminentissimum verticem*, vocat etiam Dionysius L. de Myst. Theol. c. 1. ab initio; deque ingressu, ac raptu etiam spiritus nostri *in caliginem & excessum*, loquitur itidem Doctor noster Seraphicus Breviloq. par. 5. cap. 6. ad finem, & alibi quoque. Vid. supra de Plantat. Parad. col. 5. not. *a*.

(*g*) In Incend. sive Incent. amor. cap. 3. ubi Dionysium laudat, nec non ad finem Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. Vid. Exposit. in Cant. §. 255.

(*h*) In Itiner. ment. in Deum cap. 7. ac Serm. sive Collat. 3. in Hexaem.

(*i*) Simili plane modo idem Auctor agens de gradibus ascensionis in Deum cap. 1. sui Itiner. ment. in Deum inquit „ Necesse est hos „ gradus ascendere ad senarium, ut sicut Deus „ sex diebus perfecit universum mundum, & „ in septimo requievit; sic minor mundus sex „ gradibus illuminationum sibi succedentium ad „ quietem contemplationis ordinatissime perducatur. In cujus rei figura...... post sex „ dies

quam ingressi sunt medium nubis lucidæ, audierunt vocem de altitudine hu-
Matth. 17. 5. jus Medii: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Tanta etiam est abstractio hujus Medii, quod magis potest attingi affectualiter, quam intellectualiter; & magis per sensualem gustum, quam per visualem aspectum (a). Et ideo species gloriæ Domini dicta est ignis ardens, per quem signatur caritas effulgens seu lucens; licet sub nomine ignis, seu sub nomine speciei gloriæ Domini, summa Dei claritas exprimatur.

§. VIII. Quia igitur in solo excessu amoris Medium istud cernitur, ideo di-
Exo. 3. 2. citur Exodi tertio: Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis de medio rubi. Omnis enim creata essentia se habet ad ipsum, sicut rubus ad ignem (b). Ipse est Medium demonstrativum & expressivum, non consumptivum omnis crea-
Exo. 3. 1. tæ essentiæ. Apparuit autem sibi, cum minasset gregem ad interiora deserti, hoc est, cum per subtractionem sive abstractionem omnis cogitatus, affectus, & sensus, se recollegisset ad intima non solum sui, sed etiam Dei (c). Et ibi dicit nomen suum esse: Ego sum Exo. 3. 14.
qui sum (d). In quo sic ostendit se habere essentiam, & esse, & perpetuitatem; quod est Medium effectivum omnis essentiæ (e). Et omnis essentia relativa etiam ad hoc Medium, est tamquam nox. Vel hæc est illa nox me- Matth. 25. 6.
dia, in qua clamor factus est, & sponsus venit, Matthæi vigesimo quinto. Idem enim significat hæc nox, quod supra caligo. (f)

§. IX. Ipse etiam est Medium vir- Medium virtuosum ac virtuosissimum.
tuosum. (g) Unde ipse est tamquam firmamentum in medio aquarum, (h) influens firmitatem omni Hierarchiæ, tam Angelicæ, quam Ecclesiasticæ, (i) quam omni creaturæ. De quo Genesis secundo: tamquam lignum vitæ est in Gen. 2. 9.
medio Paradisi, inferens lumen veræ gratiæ, & gloriæ, omni participanti eum secundum capacitatem suam (k). De quo Apocal. vigesimo secundo: Osten- Apoc. 22. 1. ac seq.
dit mihi fluvium (l) aquæ vivæ (m) splen-

„ dies vocavit Deus Moysen de medio caliginis. Et Christus post sex dies, ut dicitur „ in Matthæo, duxit Discipulos in montem, „ & transfiguratus est ante eos. " Item Exposit. in cap. 9. S. Luc. „ In numero dierum intelligi dantur gradus contemplationum „ succedentium sibi, sicut dies succedit diei. „ Et secundum Matthæum numerantur sex dies „ ad insinuandum sex dies contemplationis, „ quos exprimit Richardus &c. ," Lib. 1. de arca cap. 6.

(a) *Non enim intrat ad illam intellectus, sed affectus*, Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. Item Opusc. de 7. grad. Contemplat. *Affectio quæ nescia est speculi, intrans unitur &c.* Ubi postea subdit, quod per illam *gustantibus, & magis desiderantibus, magis Divina bonitas seipsam immittit*.

(b) In Cod. Veneto additur *medium*.

(c) Itiner. ment. in Deum cap. 7. ac cit. Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. in fine.

(d) Cap. 5. ejusd. Itiner. *Qui est, est primum nomen Dei. Unde dictum est Moysi: Ego sum qui sum*.

(e) Ibi: *Est universalis omnium caussa efficiens, exemplans, & terminans, sicut caussa essendi; ratio intelligendi, & ordo vivendi. Est igitur omnimodum, non sicut omnium essentia, sed sicut cunctarum essentiarum superexcellentissima, & sufficientissima caussa*.

(f) Supra scilicet §. 6. De hac *nocte*, & *caligine* part. 5. cap. 6. Breviloq. in fine „ Desiderio ferventissimo, ad modum ignis spiritus noster non solum efficitur agilis ad ascensum, verum etiam quadam ignorantia docta, supra se rapitur in caliginem & excessum, ut non solum cum sponsa dicat: *In odorem unguentorum tuorum curremus*; sed etiam „ cum Propheta psallat: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*. Quam nocturnam & deliciosam illuminationem nemo novit nisi qui probat &c. " Nec non cit. cap. 5. Itiner. *Ipsa caligo summa est mentis nostræ illuminatio; sicut quando videt oculus puram lucem, videtur sibi nihil videre*. Vid. Exposit. in Cant. cap. 1. §. 41. in fine.

(g) Immo *virtuosissimum* infra colon. 290. not. *h*.

(h) Par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 6. ubi agitur, quod *Firmamenti nomine significatur Christus*.

(i) 3. Dist. 13. Art. 2. Q. 3. in concl. „ Concedendum est, quod gratia capitis redundat „ in omnes cives supernæ Jerusalem, licet secundum plus & minus: nam magis in homines qui redimuntur, quam in Angelos, „ qui reintegrantur &c. " Item paulo supra " „ Ex hoc eodem Angelis mysteria multa revelantur, & gaudia multa referuntur de restauratione sua, quæ invenitur facta per „ Christum. " Hinc in Procem. Breviloq. de sublimit. sacr. Script. *Jesum Christum* vocat *unum Hierarcham, qui non tantum ratione humanæ naturæ assumptæ, est Hierarcha in Ecclesiastica Hierarchia, verum etiam in Angelica &c.*

(k) Serm. 1. Dom. 3. Adventus Domini, nec non Ser. sive Collat. 1. in Hexaem. ac in Princip. Script. Quo autem pacto sit *lignum vitæ inferens lumen gratiæ, id est, in Ecclesia militante*; ac etiam *gloriæ, scilicet in Ecclesia triumphante*, fusius edisserit in Comment. super universam Apocal. cap. 22. v. 2. num. 1670. ac seq.

(l) Vatic. *flumen*.

(m) Vel hic textus Apocal. 22. una cum

præ-

didum tamquam cryſtallum, procedentem, de ſede Dei, & Agni, in medio plateæ ejus &c., ſcilicet influentem nutrimentum & rorem cœli cum omni ſapientia omnibus habitantibus in plateis Civitatis ſanctæ (*a*). Ipſe enim (*b*) *Pſal. 73. 12.* ſecundum Pſal. operatus eſt ſalutem in medio terræ; (*c*) ut ſicut ſol eſt in medio Planetarum, & terra in medio elementorum, & cor in medio animalium (*d*); ſic Chriſtus in medio terræ *Pſal. 109. 2.* emittet virgam virtutis ſuæ dominari in medio inimicorum ſuorum (*e*). Omnes enim rivuli influentiarum ab eo exeuntium continuantur ſuo medio ad ipſum (*f*), ſicut lineæ circuli ad centrum, & punctum. (*g*) Et quoniam Medium eſt abſtractiſſimum, neceſſario ſequitur quod ſit virtuoſiſſimum (*h*). Ideo Sapientiæ decimo octavo dicitur, *Sap. 18. 14. ac ſeqq.* quod cum quietum ſilentium tenerent vel continerent (*i*) omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet ſive perageret (*k*), omnipotens ſermo tuus, Domine, exiliens (*l*) de cœlo a regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit: gladius acutus inſimulatum imperium tuum portans & ſtans replevit omnia morte, & uſque ad cœlum attingebat ſtans in terra. Virtute enim ſuæ mortis Chriſtus (*m*) expulit mortem culpæ, nec non pœnæ æternæ.

§. X. Eſt & Medium profundiſſimum & ſumme intrinſecum, & in hoc ſemper apparet eſſe humillimum & modiciſſimum; cum tamen hoc ipſo veraciter ſit immenſiſſimum, tamquam ſimpliciſſimum, & ab omni diviſione, & diviſibilitate ſegregatum (*n*). *Medium profundiſſimum & ſumme intrinſecum.* Unde Lucæ vigeſimo ſecundo: Ego autem in *Luc. 22. 27.* medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Et eiſdem contendentibus de primatu ſtatuit parvulum in medio eorum, dicens eis, quod niſi efficerentur ſicut *Matth. 18. 2. & 3.* parvulus ille, non intrarent in regnum cœlorum, prout habetur Matth. decimo octavo (*o*). Et tamen hoc regnum eſt ſumme immenſum. Propter hoc vidit Joannes in medio throni, & *Apocal. 5. 6.* qua-

---

præcedente Gen. 2. ad hoc ipſum probandum allegatur cit. Ser. 1. Dom. 3. Adventus Domini. Vulg legit *aquæ vitæ*; ſed *vivæ* ipſemet noſter Interpres tam in d. Comment. Apocal. quam alibi. Vide eumdem Comment. in Apocal. cap. 22. num. 1663. in not. nec non cit. Princip. ſacr. Script. ſive de ſacr. Script. præſtantia ab init.

(*a*) *Id eſt*, (eodem Interprete in d. Comment. Apocal. ad hunc textum) *generaliter in omnes Sanctos.*

(*b*) Venet. *etiam*.

(*c*) *De ſalute per Chriſtum exponi poſſe locum ratione prædeſtinationis æternæ, æternæque promiſſæ vitæ ante tempora ſæcularia*, cenſet etiam Lorinus. Item ipſemet D. Bona. Comment. in cap. 1. Apocal. num. 60. Vid. mox ſeq. §. not. *o*.

(*d*) Hujuſmodi ſimilitudines una cum prædicto textu Pſaltis idem uſurpat Auctor Serm. ſive Collat. 1. in Hexaem. Videſis quoque ſimilitudinem cordis una cum eodem Pſaltis textu adhibitam pari modo d. Ser. 1. Dom. 3. Adv. De eadem *ſimilitudine cordis* propter *generaliorem ejus influentiam* 3. Diſt. 13. Art. 2. Q. 3. ad 1.

(*e*) Sic Caſſiod. ac etiam laud. Lorin.

(*f*) De eodem *Medio ad communiter influendum* in d. Comment. Apocal. cap. 1. num. 60.

(*g*) De ipſomet tamquam *centro* cap. 5. d. Itiner. ac ejus *centrali profuſione* Serm. ſive Collat. 1. in Hexaem. nec non velut *puncto* Part. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 6.

(*h*) Quippe *eſt in eo omnis virtuoſitas*, eod. cap. 5. Itinerar. ad finem.

(*i*) Vulg. *contineret*; ſed *tenerent omnia* ipſemet Interpres noſter Expoſit. in Pſal. 38. ac S. Anton. Patav. Serm. 187. in Pſalmos. *Continerent* autem idem noſter Interpres Expoſit. in cap. ipſum 18. Sap. ac Serm. 2. Dom. 3. Adventus inter editos ſub S. Bona. nomine. Item duo membr. Codd. noſtri Bernardin. 21. & 40.

(*k*) *Haberet* eſt in Vulg.; *perageret* vero etiam apud S. Anton. Patav. ibi.

(*l*) Ly *Domine exiliens* in Vulg. deeſt; ſed eſt apud ipſummet noſtrum Interpretem cit. Expoſit. in cap. 18. Sap. nec non in cap. 2. S. Luc. Eſt quoque apud Hug. Card. & Lyran. in prædictis noſtri MSS. Codd. ac in antiquioribus Biblior. Editionibus tam noſtræ Biblioth. Bernardin. quam Gentilott. ac Griezen.

(*m*) Prædictum textum noſter Interpres allegorice exponit de *adventu Chriſti in carnem*, etiam cit. Expoſit. in Lib. Sap. ad d. cap. & tex.

(*n*) Cap. 5. Itinerar.

(*o*) Serm. ſive Collat. 1. in Hexaem. „ In „ profundo medio ſalus eſt, quia recedens a „ medio humilitatis, damnatur. Unde Chri- „ ſtus dicebat: Ego in medio veſtrum ſum, ſi- „ cut qui miniſtrat. Et in Evangelio ſecun- „ dum Matthæum: Niſi converſi fueritis, & „ efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in „ regnum cœlorum. In medio nempe humi- „ litatis crucis, Chriſtus ſalutem operatus eſt „ &c. " Videlicet ſecundum illud Prophetæ Pſ. 73. 12. *Deus rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ*. Item Ser. 1. Dom. 3. Advent. „ Ita virtute humilitatis ſe firma- „ vit, quod licet perflarent venti altiſſimæ ſu- „ perbiæ; defoſſam tamen ejus humilitatem „ nunquam potuerunt attingere. Nam cum „ eſſet Rex altiſſimus, pauperibus, & piſcato- „ ribus ſe ſociavit, immo miniſtravit. Doctor „ ſapientiſſimus, ad modum pueri ſimpliciſſimi, „ Doctores audivit. Princeps fortiſſimus, ad „ crucis patibulum ſe duci permiſit. Unde „ ipſe dicit de ſeipſo: Ego autem in medio „ veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat &c.

quatuor animalium, & in medio Seniorum, agnum stantem tamquam occisum. Et quod Michææ sexto dici-
Mich. 6. 14. tur: Humiliatio tua in medio tui, huic potest aptari (*a*), cujus aspectus & consideratio summe humiliat mentes. Ad sui profundationem (*b*) sæpissime stat pro membris, (*c*) & e contra; & in omnibus membris suis, & operibus repræsentatur, & e contra. (*d*)

Medium notissimum & clarissimum. §. XI. Est etiam Medium summe notum; unde de sapiente dictum est Ecclesiastici quinto decimo, quod in
Eccli 15. 5. & 50. 6. ac seqq. medio Ecclesiæ aperuit (*e*) os ejus, & quod fuit quasi stella matutina in medio nebulæ, (*f*) & quasi sol, & quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.
Habac. 3. 3. Et de eo dictum Habacuc tertio: In medio annorum notum facies, vel secundum aliam literam bonam: In medio eorum, sive duorum animalium innotesceris, sive cognosceris (*g*). Venit enim in medio temporis, & annorum, ad tempora distinguenda, & notificanda. Et fuit tamquam lapis angularis *Eph. 2. 14. ac 20.*
in medio duorum populorum, ad eos spirituali sapientia imbuendos, & conjungendos. Et Ezechielis primo dicitur, quod aspectus rotarum quatuor *Ezech. 1. 16.*
quasi rota in medio rotæ (*h*). Sicut enim centrum est medium ad certam notitiam sumendam de sphæra, vel circulo, & quanto aliqua sunt propinquiora centro, tanto citius & evidentius possunt certificari per centrum; sic Christus est tamquam centrum in *Christus centrum Scripturarum.*
medio Scripturarum: (*i*) & circa ipsum immediate existit rota Angelicæ Hierar-

---

(*a*) Cum Michææ textus apud ipsum D. Bonaventuram in Formula aurea de gradibus virtutum cap. 4. reddat hunc sensum „ *Humilia-* „ *tio tua in medio tui*, id est, materia humilia- „ tionis sit in corde tuo, scilicet defectus tui “ hinc necesse est eumdem adire in 3. Dist. 15. Art. 1. QQ. 1. 2. ac 3. ut sciamus, de quibus *defectibus a Christo assumptis* loquatur, ad hoc ut d. textus eidem aptari possit. Sed & potest in sensu tropologico accommodari, quatenus scilicet ut ait S. Bernard. Epist. 87. num. 11. *Humilitas, ad quam utique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum.*

(*b*) Sic in utroque Cod. Vaticano ac Veneto pro *profunditate*.

(*c*) *Stat pro membris*, sive *intelligitur de Christo ratione membrorum*, illud *Psalmi: In te Domine speravi*, ait idemmet Interpres noster 3. Dist. 31. Art. 2. Q. 2. ad 1. *Gessit personam nostram*, secundum S. Athanas. apud Lorin., dum dixit Ps. 21. 2. *Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum*. Et ita exponitur, ut *stat pro membris*, sive ut *gessit personam nostram*, etiam in Quincup. Psalter. Jac. Fabri Stapulen. Item illud Isa. cap. 53. 11. *Iniquitates eorum ipse portabit*; nec non illud Jo. 1. 29. *Ecce qui tollit peccata mundi &c.* Unde rursus inquit ipsemet noster Interpres Serm. sive Collat. 16. in Hexaem. *Cum Christus nunquam prævaricatus fuerit, quomodo sibi correspondet prævaricatio Adæ? Hoc transferri debet a capite ad membra*. Et Serm. sive Collat. 14. in Hexaem. versus fin. *Quando non potest aliquid mysticari in capite* (nempe Christo) *transferendum est ad membra*. Sed præstat audire S. August. Enarrat. in Ps. 40. num. 1. „ Commendamus sæpius, nec nos piget itera- „ re quod vobis utile est retinere, Dominum „ nostrum Jesum Christum plerumque loqui „ ex se, id est, ex persona sua, quod est ca- „ put nostrum; plerumque ex persona corpo- „ ris sui, quod sumus nos & Ecclesia ejus; „ sed ita quasi ex unius hominis ore sonare „ verba, ut intelligamus caput & corpus in „ unitate integritatis consistere, nec separari „ ab invicem; tamquam conjugium illud, de „ quo dictum est: (*Gen. 2. 24. Ephes. 5. 31.*) „ Erunt duo in carne una. Si ergo agnosci- „ mus duos in carne una, agnoscamus duos „ in voce una &c. “ Vide sis in hanc rem Cl. P. Luydl Instit. Theol. Dissert. 1. de Script. sac. cap. 5. pag. 203. ac seqq.

(*d*) Hæc postrema desunt in Cod. Veneto.

(*e*) Vulg. *aperiet*; sed *aperuit* etiam init. Ser. sive Collat. 2. in Hexaem. & alibi. Hic quoque textus abest a Cod. Veneto.

(*f*) Haud secus supra cit. Ser. 1. Dom. 3. Advent. de eodem medio una cum ipsomet textu.

(*g*) Utramque translationem allegat Serm. sive Collat. 1. in Hexaem., & alibi secundum LXX.

(*h*) In Proœm. Breviloq. de latit. sacr. Script. & alibi.

(*i*) Est enim *Christus*, ut in suo Princ. Script. loquitur noster Interpres, *finis novi & veteris Testamenti; quia finis legis Christus est ad justitiam omni credenti*. Nec non, ut inibi ipsemet subdit: *De Domino Jesu Christo est tota Scriptura sub ratione medii septiformis*. Quodve Christus sit *in medio*, ac velut *in profundo centri*, ait etiam Serm. sive Collat. 1. in Hexaem. sive *velut in puncto circuli*, ut loquitur Par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 6. Vid. seq. Tract. de sacr. Script. materia §. 7. Hinc illud est consectarium quod ipsemet ait ab initio Prol. sive Proœm. in Breviloq. quod scilicet „ Ex notitia Jesu Christi „ originaliter manat firmitas & intelligentia „ totius Scripturæ sacræ. Unde & impossibile „ est, quod aliquis in ipsam ingrediatur agno- „ scendam, nisi prius Christi fidem habeat sibi „ infusam, tamquam ipsius totius Scripturæ „ lucernam, januam, & etiam fundamentum. „ Est enim ipsa fides omnium supernaturalium „ illuminationum, quamdiu peregrinamur a „ Domino, & fundamentum stabiliens, & lu- „ cerna dirigens, & janua introducens: secun- „ dum cujus etiam mensuram, necesse est, men- „ surari sapientiam, nobis Divinitus datam; „ ne quis sapiat, plusquam oportet sapere, „ sed

rarchiæ, & postea rota contemplativæ & finalis Ecclesiæ; & rota Ecclesiæ, quæ est de gentibus, & post hoc Synagogæ. *(a)* Et quælibet quanto Medio propinquior, tanto secundum se notior: Finalis *(b)* quanto universalior, *(c)* tanto notior. Ibidem etiam dictum est, quod visio discurrens in medio erat ut splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Quatuor enim sunt facies Scripturarum, quasi facies quatuor animalium, *(d)* in quarum medio videtur Christus, sicut splendor ignis, & Spiritus ejus de ipso procedens, sicut fulgur de igne egrediens. Ex splendore hujus Medii ipsa animalia sic fiunt splendida, ac si undique oculatissima. Et ideo Apocalypsis quarto dicitur, quod in medio sedis, & in circuitu sedis, erant quatuor animalia plena oculis ante & retro, & quod in circuitu, & intus plena sunt oculis. *(e)* Quia etiam ipse est Medium, ex quo notificantur septem Ecclesiastica tempora tam novi, quam veteris Testamenti eorumque mysteria. *(f)* Ideo Apocalypsis primo dicit Joannes, quod vidit in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, scilicet Christum; *(g)* & quod facies ejus sicut sol lucet in virtute sua; *(h)* & quod septem candelabra septem Ecclesiæ sunt. Propter ista ergo non immerito dicitur, quod post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem. *(i)* Stupebant autem omnes super prudentia & responsis ejus.

Ezech. 1. 13. — *Ezech.* 1. 18. ac 10. 12. — *Apocal.* 4. 6. — *Apocal.* 1. 13. — *Apocal.* 1. 16. — *Apocal.* 1. 20. — *Luc.* 2. 46.

§. XII. Est etiam Medium commensurativum. Unde ipse est medium cognoscendi vitia & virtutes, *(k)* tamquam cui conformantur, aut a quo deficiunt. *(l)* Et de hoc potest intelligi quod dicitur Proverb. decimo quinto: auris, quæ audit

Medium commensurativum. — *Prov.* 15. 31.

„ sed sapiat ad sobrietatem, & unicuique sicu- „ Deus divisit mensuram fidei. Mediante igi- „ tur hac fide, datur nobis notitia sacræ Scrip- „ turæ. secundum influentiam beatissimæ Tri- „ nitatis.

(a) Est quippe *Christus* (teste eodem Interprete Comment. in Apocal. cap. 4. sub ver. 6. num. 286.) *medium beatorum, medium contemplativorum, medium justorum, universæ medium Ecclesiæ militantis: nam omnes isti accipiunt influentiam a Christo, sicut extrema a medio. Omnis enim virtus consistit in medio, quia omnis virtus est ab ipso.*

(b) Al. *finis*.

(c) In Cod. Veneto *uberior*.

(d) In Prol. Breviloq. *de latitudine sacræ Scripturæ* sic lego „ Vidit Ezechiel rotam quatuor „ facierum, & rotam in medio rotæ, quia ve- „ tus testamentum est in novo, & e converso. „ Nam in libris Legalibus, & Evangelicis est „ facies Leonis, propter excellentiam auctori- „ tatis. In Historialibus est facies Bovis, „ propter exempla virtutis. In Sapientialibus „ est facies Hominis, propter prudentiam sa- „ gacem. In libris Prophetalibus est facies „ Aquilæ, propter intelligentiam perspicacem. *De quatuor faciebus Scripturarum* etiam Serm. sive Collat. 13. in Hexaem.

(e) *Plena fuisse oculis leguntur, quia Viri Angelis Cherubim comparati, circumspectionis gratia & providentiæ dono circumdati, undique sunt luminosi, ut non solum propria, verum etiam & aspiciant vigilanti studio aliena.* Part. 1. cap. 3. de Eccl. Hierarch. ubi pariter fit allegatio *Ezech.* 1. *ac* 10., & *Apocal.* 4. Sed & Dionys. de Cœlest. Hierarch. cap. 6. *Cherubin oculis plurimis præditos* vocat.

(f) De septem temporibus novi & veteris Testamenti, sive de temporibus legis naturæ, legis scriptæ, & legis gratiæ, & earum septem ætatibus in Prœm. Breviloq. de longit. sacr. Scriptur. nec non Par. 2. cap. 5. ac Serm. sive Collat. 15. ac 16. in Hexaem. Quod autem ex d. medio, nempe Christo, omnium temporum veritas certo notificetur, patet ex Serm. sive Collat. 12. in idem Hexaem. ubi inquit: *Quia Doctor est, ipse docet infallibiliter, & certificat sic quod impossibile est aliter se habere, secundum sententiam omnium Doctorum. Christus est Doctor internus, nec scitur aliqua veritas, nisi per Christum; non loquendo sicut nos, sed interius illustrando &c.* Unde & Serm. 1. Dom. 3. Advent. dicitur *Doctor sapientissimus ad illuminandum verbo doctrinæ*. Et Comm. in Apocal. ibi, quatuor Evangelistæ per quatuor animalia designati *doctrinas suas ab ipso traxerunt*. Et hoc maxime verum quoad sacr. Script. *mysteria;* quandoquidem ait etiam Exposit. in cap. 24. S. Luc. *Hæc profunda mysteria in Scriptura nullus intelligit nisi per Christum crucifixum & suscitatum, & Gentibus per Spiritum Sanctum divulgatum; quia de ipso sunt Scripturæ, & propter ipsum, & ideo ab eo explicantur &c.*

(g) *Christum similem filio hominis mortalis, cum tamen non esset amplius mortalis*, Comment. in Apocal. ibi num. 59.

(h) Hinc dicitur *lux manifestissime declarans, vel repræsentans*, etiam d. Serm. vel Collat. 12. in Hexaem.

(i) Vulg. addit. *eos*; sed absque *eos* idemmet D. Bona. Exposit. in Luc. ibi. Item absque *eos* etiam Cod. noster Bernardin. 40. nec non Codd. Vercellen. & Forojulien. atque Editio Biblior. Basileen. 1509. Biblioth. Gentilott.

(k) Cit. Serm. 1. Dom. 3. Advent. „ Christus fuit congruum medium regularis disci- „ plinæ in conversatione, nunquam recedens a „ medio virtutis in locutione: a medio hone- „ statis in operatione: quia semper medium „ tenuit in omni genere virtutum perfectionis.

(l) Vitia quippe, & peccata, eodem auctore, consistunt in defectu, & privatione debitæ rectitudinis, & conformitatis.

audit increpationes vitæ, in medio Sa-
pientium commorabitur. Hoc eſt me-
Pſal. 100. 2. dium domus David, in quo perambu-
labat in innocentia in medio cordis ſui.
Hoc eſt medium maris rubri, de quo
Exo. 15. 19. Exo. decimo quinto: Filii autem Iſrael
ambulaverunt per ſiccum in medio ejus.
Hoc enim ſiccum eſt deſiccatio paſſio-
num ſubmergentium currus & equites
Pharaonis.

Medium juſtitiæ ſumme adæquatum. §. XIII. Eſt etiam ſextum Medium
juſtitiæ ſumme adæquatum; eſt enim
ſummus Legiſlator, & lumen ſimul &
exemplar omnium judiciorum & legum.
Pſal. 81. 1. (*a*) Ipſe eſt enim Deus, qui ſtetit in Syna-
goga Deorum, (*b*) id eſt, Hominum,
non Angelorum (*c*), in medio (*d*)
Deos dijudicans. Unde & Diabolum
proſtravit, & ea quæ ad idololatriam
pertinent; per inſcitiam crucis potius,
quam per magnificentiam meræ pote-
ſtatis. Hoc eſt, de quo Lucæ tertio,
& Joannis primo dicitur Phariſæis, qui
Luc. 3. 7. erant genimina viperarum: Medius ve-
Jo. 1. 26. ſtrum ſtetit, quem vos neſcitis (*e*).
Contra quos tenet ventilabrum in ma-
Luc. 3. 17. nu ſua, & ita quod ſecuris ad radicem
arboris poſita eſt, prout habetur Lucæ
Matth. 3. 10. tertio, & Matthæi tertio.

Medium ſumme pacificum. §. XIV. Eſt etiam ſeptimum Medium
concordiæ ſumme pacificum, in cujus
ſignum ſtetit in medio Diſcipulorum,
& dixit eis: Pax vobis, oſtendens eis
Jo. 20. 19. *& ſeq.* manus & latus in ſignum factæ recon-
ciliationis, prout habetur Joannis vi-
Ad Eph. 2. 14. geſimo. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui
fecit utraque unum, ad Epheſ. ſecun-
do. (*f*) Ideo novi Teſtamenti mediator *Ad Hebr.* 9. 15.
eſt, ut, morte intercedente, in redem-
ptionem earum prævaricationum, quæ
erant ſub priori Teſtamento, repromiſ-
ſionem accipiant, qui vocati ſunt, æter-
næ hæreditatis, prout habetur ad Hebr.
nono. Et in tantum hoc medium con-
cordiæ nobis patet, in quantum Matth.
decimo octavo dicit: ubi ſunt duo vel *Matth.* 18. 20.
tres congregati in nomine meo, ibi
ſum in medio eorum. Unde Salomo-
nis ferculum, Scripturarum videlicet
ſanctarum vehiculum, (*g*) media cari- *Cant.* 3. 9. *& ſeq.*
tate conſtratum, id eſt, pavimenta-
tum (*h*) dicitur propter filias Jeruſalem,
quæ eſt Civitas pacis, Cant. tertio.
In mandato enim caritatis & concor- *Matth.* 22. 40.
diæ univerſa lex pendet & Prophetæ,
prout habetur Matth. vigeſimo ſecundo.
In hujus ſignum poſuerunt Jeſum in *Jo.* 19. 18.
medio latronum, (*i*) prout habetur Joan.
decimo nono. Quia etiam cum his *Pſal.* 119. 7.
qui oderunt pacem, eram pacificus.

§. XV. Hoc autem Medium merito Effectivum principium ſub captivorum nomine.
eſt, & dicitur Medium captivorum &
transſmigratorum, per quos Prophetæ,
& Apoſtoli, & omnes Scriptores ſacri
congrue deſignantur. (*k*) Eſt enim cap- Captivis ſeptiformis proprietas miro modo correſpondens ſeptiformi rationi hujus medii.
tivis ſeptiformis proprietas miro modo
correſpondens ſeptiformi rationi hujus
Medii. (*l*) Captivi enim primo ſunt,
& ideo (*m*) privati paterna & humana
hæreditate. Secundo propria libertate
& poteſtate. Tertio omni exteriori
dignitate. Quarto per hoc ſunt proba-
ti (*n*) experientia difficilium & difficil-
limorum, & ideo patientes. Quinto
indi-

(*a*) Immo Eod. Serm. ſive Collat. 12. in Hexaem. *exemplar omnium rerum, jus rectiſſime præmians, & judicans; ideo habet apud ſe normas directiſſimas*. Et ibi paulo poſt iterum: *Eſt jus rectiſſima remunerationis, per leges juſtiſſimas. Si ergo juſte præmiat, neceſſe eſt, ut habeat leges juſtiſſimas*. Nec non inibi paulo infra tertio: *Habet normas directiſſimas. Unde Apoſtolus & Jeremias: Dabo leges meas in viſceribus eorum, & in corde ſuperſcribam eas*. Ad Hebr. 8. 10. & Jer. 31. 33.

(*b*) *Deus* eſſentialiter, *Deorum* nuncupative, ait S. Greg. Magn. Lib. 1. in Ezech. Hom. 8. num. 3. ac Lib. 2. Hom. 3. num. 7. ubi itidem per *Deum* intelligit *Chriſtum*. Vid. infra Comment. in Joan. Evang. cap. 10. num. 749. ac num. 760.

(*c*) Ita Sermon. 5. in Hexaem. Cod. Vatic. *Sanctorum & Angelorum*.

(*d*) Vulg. *autem*; ſed abſque *autem* etiam Pſalter. Hebr. in Quinc. Pſalter. Jacobi Fabri Stapul.

(*e*) Hunc textum: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*, ſubdens præcedenti: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum &c.*, in rem noſtram ſic loquitur Expoſit. in Pſalter. ſupra cit. Pſal. 81. *Dicitur ſtare in medio ...... ſuper omnia, quia omnibus præſidet*. Porro ſi *ſuper omnia, quia omnibus præſidet*; ergo eſt *ſummus Legiſlator &c.* ut ſupra. Sed & *Chriſtus Deus ſuper omnia* dicitur a laud. S. Greg.

(*f*) Cit. Ser. 1. Dom. 3. Advent. ubi itidem de *Chriſto*, ut eſt *medium colligantiæ* ſic ait „ Ipſe eſt pax noſtra, qui utraque fecit unum; „ & propter hoc, multo melius quam Moyſes, poteſt dicere Chriſtus, per quem gratia „ reconciliationis, & veritas incarnationis facta „ eſt, illud: *Ego medius fui, & ſequeſter inter* „ *vos & Deum*. " Deut. 5. 5.

(*g*) Idem Expoſit. in Cant. cap. 3. ver. 9. §. 159.

(*h*) Ibi ſub ver. 10. §. 161.

(*i*) Cit. Serm. 1. Dom. 3. Advent.

(*k*) Cod. Venet. *congruenter ſignificantur*.

(*l*) Supra §. 5.

(*m*) In Cod. Veneto pro *& ideo* eſt *omnino*.

(*n*) In Cod. Vatic. *pleni*.

indigentia laborantes necessariorum. Sexto participes diversarum gentium, terrarum, & morum. Septimo sunt facile mobiles, absque rebellione, ad imperium præsidentium Potestatum seu Dominorum. Primum disponit ad percipiendum Medium abstractissimum, pro eo quod tales sunt abstracti omnino a temporalibus; maxime quando hujusmodi captivatio fit ab interna voluntate. Secundum disponit ad cognoscendum Medium virtuosum; quia non innituntur virtuti propriæ, sed Divinæ. Tertium disponit ad cognoscendum Medium summe profundum & intrinsecum; quia longe sunt ab inflatione exteriorum dignitatum. Quartum disponit ad intuendum Medium notissimum; quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. *Rom. 5. 3. ac seq.* Quintum disponit ad cognoscendum Medium modificativum, & etiam ad habendum; Caritas (a) enim rerum docet abstinere, B. Isaac Libro suo de contemplatione. *Isaac L. de Contemplatione.* (b) Sextum disponit ad cognoscendum Medium adæquatissimum; experientia enim diversarum consuetudinum, gentium, & terrarum, & diversorum modorum Divinæ providentiæ circa diversos, & comparare diversis extremis, reddit hominem æqualem, & medium ad extrema. Septimum obtinet Medium pacatissimum, quia potius sunt apti ad obediendum, quam ad rebellandum.

§. XVI. Quod autem hujusmodi captivis singulariter detur hujus Medii notitia, figuratum est ante legem in Joseph, qui fuit septimus filius inter filios liberarum, & interpretator circa abdita somniorum, & specialiter de septem spicis, & vaccis, in quibus septem priora tempora ventura, & septem subsequentia figurata sunt. *Joseph ante legem. Gen. 35. 23. ac seq. Ibi 40. 12. & 41. 26. ac seq.* (c) Post legem autem in Daniele, & tribus pueris, quibus Deus dedit scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia; Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum, sicut habetur Danielis primo. *Daniel post legem cum tribus pueris, aliisque tribus, Ezechiele, Tobia, & Mardochæo. Dan. 1. 17.* Et in ipsomet Ezechiele, cui dictum est: Speculatorem domui Israel dedi te. *Ezech. 3. 17.* Et in Tobia cæco & illuminato, qui loquens de gloria futuræ Jerusalem dixit: Luce splendida fulgebis. *Tob. 13. 13.* Et in Mardochæo, simul & Esther, quæ tamquam parvus fons crevit in fluvium magnum, qui in lucem solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit. *Esth. 10. 6.* (d) Cujus tempore Judæis nova lux oriri visa est. Et isti sunt post legem septem Viri notabiles & in Chaldæos, (e) & Assyrios transmigrati, (f) quos ætas subsequuta est præsignans totum testamentum (g) Scripturarum sanctarum. Unde & in ipsa videntur finiri historiæ temporis prioris, posteriorisque, scilicet in Libris Machabæorum, qui non fuerunt plene de Canone (h). Sunt etiam alii septem de transmigratione redeuntes, *Alii septem de transmigratione reduces.* & ipsi notabiliter in notitia hujus Medii illustrati, videlicet Zorobabel, (i) Jere-

(a) Sumpta pro *penuria*. Cod. Venet. *raritas*.

(b) Sic in utroque Codice Vat. ac Ven. ac ita etiam allegatur a Fr. Hugone de Dina in Disput. de Paupert. FF. Minorum apud Spec. Minorum. At nusquam alibi reperire potui d. Isaac *de contemplatione* scribentem; sed unice inveni in Opusc. de sept. don. Spir. Sanc. edito sub S. Bona. nomine, de dono Pietatis cap. 2. allegatum *Isaac in Libro de contemptu Mundi in principio*, ac in marg. *Isaac Syrus de contemptu Mundi cap.* 1.

(c) Supra §. 11. De eodem autem Joseph. ut typo Christi Serm. sive Collat. 14. in Hexaem. nec non Exposit. in cap. 24. S. Luc. Cod. Venet. pro *figurata* habet *signata*.

(d) Vide sis circa hunc textum Proœm. sive Prol. nostri Interpretis in Lib. 1. Sent. ejus Princip. Script. nec non Serm. sive Collat. 13. in Hexaem. ubi sic habet „ *Fons parvus crevit* „ *in fluvium magnum* (al. *maximum*; sed nec „ *maximum*, neque *magnum* in Vulg. lego) „ *& in aquas plurimas redundavit*. Scriptura „ fuit *fons parvus* in legis datione, quia par„ vus est liber legis præceptorum; sed post „ *crevit in fluvium magnum* (ergo & supra le„ gendum *magnum*) in libro Josue, Judicum, „ Regum, Esdræ, Judith, Thobiæ, Esther, „ Machabæorum. Et post *conversus est in lu*„ *cem* Prophetarum; nam Propheta lux est. „ Et post *in Solem*, scilicet in Evangelio. Et „ multæ intelligentiæ postea elicitæ sunt, *&* „ *in aquas plurimas redundavit*. Istam multifor„ mitatem vidit Ezechiel &c.

(e) Cod. Venet. *Chaldæam*.

(f) Idem *transmigrantes*.

(g) Idem *textum*.

(h) *Non fuerunt plene*, seu *ex toto*, *de Canone*; quia ex quatuor Machabæorum Libris, qui circumferuntur, soli duo priores Canonici censendi sunt, alii duo posteriores minime. Secundum Librum Machabæorum ceu Canonicum laudat Doctor noster in 4. Dist. 14. par. 2. Art. 1. Q. 3. ad arg. ac primum Mach. Serm. sive Collat. 20. in Hexaem. Hos quoque ceu Canonicos innuit in Princ. Script. ac Ser. 13. in Hexaem. nec non in Centiloq. par. 3. Sect. 32. Sicque innumeri SS. PP. apud Bellarminum atque Serarium. Sed & de Machabæor. Libris in mox seq. Tract. §. 25. ac 26.

(i) De hoc infra §. 32. Ipsi templi fabricam

Jeremias (*a*), Eſdras, Nehemias, Aggæus, Zacharias, (*b*) & Malachias. Licet enim Malachias ſecundum quoſdam ſit idem qui Eſdras; (*c*) tamen a Canone non eſt certum. (*d*)

Malachias ſecundum quoſdam idem qui Eſdras.

Ad notitiam hujuſmodi medii opus eſt captivatione fidei.

§. XVII. Ad hoc autem ut hujuſmodi Medium captivis hujuſmodi potiſſime referetur, (*e*) opus eſt captivatione fidei, ſine qua non poteſt clare & ſine errore hoc Medium apprehendi. Propter quod apud Apoſtolum dicitur ſecundæ ad Cor. decimo: ſe habere arma potentia ad redigendum in captivitatem omnem intellectum in obſequium Chriſti. Per tales igitur Scriptura ſacra eſt tradita, & a ſolis talibus poteſt exponi, & ſoli tales poſſunt ad ipſam addiſcendam intelligentiam inferre. (*f*)

2. ad Cor. 10. 4. ac ſeq.

Speculum experimentale.

§. XVIII. Experimentale autem ſpeculum hujuſmodi Medii, & hujus Scripturæ, (*g*) convenienter hic ſub figura *Fluvii* deſignatur. (*h*) Invenies enim in Scripturis primo, fluvium eſſentiarum, ſeu entium. Secundo, operationum, ac propagationum, tam naturalium, quam mirabilium. Tertio, bellorum, (*i*) & regnorum ſibi ſuccedentium. Quarto, doctrinarum, & ſcientiarum. (*k*) Quinto, morum, & affectionum. Sexto, legum, (*l*) & ſectarum. Septimo, beneficiorum, & gratiarum. (*m*) Quamvis autem in quolibet iſtorum poſſit homo ſpeculari Medium hujus Scripturæ ſecundum omnes proprietates præmiſſas; ſpecialiter tamen poteſt homo ſpeculari in primo fluvio ejus abſtractionem, & univerſalitatem. In ſecundo, ejus efficaciam, & virtutem. In tertio, ejus profunditatem, & humilitatem, per quam omnibus ſe ſubjicit, & omnia quantumcumque alta dejicit. In quarto, ejus evidentiam, & claritatem. In quinto, ejus modum, & commenſurabilitatem. In ſexto, ejus juſtitiam, & æquitatem. In ſeptimo, ejus amicitiam, & ſuavitatem. Fluvius autem ille ſeptiformis dicitur *Chobar*, qui interpretatur *gravitudo*, (*n*) vel elementum aquarum, (*o*) quaſi gravis de ſe, ſicut eſt omnis effectus creatus; (*p*)

Chobar, ejuſque interpretatio.

cam reſumenti prædixit Aggæus, de quo mox, Meſſiam ex ejus ſtirpe naſciturum, qui templum illud ſua præſentia, doctrina, ac miraculis condecorabit &c.

(*a*) Nomine *Jeremiæ* intellige *Baruch* ejus ſocium, & Scribam, qui ſolet a Conciliis & Patribus *Jeremiæ* nomine comprehendi; ac certe *Baruch* Babylonem ſe contulerat ex Ægypto poſt *Jeremiæ* mortem, ut monet Sa in Cap. 1. Baruch.

(*b*) Aggæum & Zachariam fuiſſe coævos, e Babylonica captivitate reduces, ambos templi Jeroſolymitani inſtaurationem urſiſſe, celebreſque fuiſſe Prophetas, certum eſt.

(*c*) Eſſe unum eumdemque Prophetam Malachiam cum Eſdra Sacerdote & Scriba putarunt quidam Hebræi, ac S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Ribera &c.

(*d*) Adeo *a Canone non eſt certum*, ut ſecus ſentiant Chryſoſtomus, Auguſtinus, Theodoretus, Caſſiodorus ſive Caſſiodorius, Lyranus, Vatablus, Clarius, Arias &c. Quin vel ipſemet Interpres noſter diſtinguit *Malachiam* ab *Eſdra* par. 3. Centiloq. Sect. 32. ac etiam alibi. Vide ſis in hanc rem Cornel. a Lap. Porro Malachias non ex Zabulon poſt ſolutam captivitatem, ſed ex Levi ante inchoatam illam natus, inſtaurato per Zorobabel templo, & florente iterum Synagoga, plura vel ipſe de Chriſti adventu prædixit. Cod. Vatic. habet *a Canone non eſt citatus*.

(*e*) Sive *reveletur*.

(*f*) Cod. Venet. *afferre*.

(*g*) Sacra Scriptura *experimentali ſpeculo* comparatur, utpote *ſubſternens ſibi philoſophicam cognitionem, & aſſumens de naturis rerum, quantum ſibi opus eſt ad fabricandum ſpeculum, per quod fiat repræſentatio Divinorum*, in Procem. Breviloq. de ſublimit. ſac. Script. Sed & de ejuſdem ſacræ Scripturæ *ſpeculo* in ſeq. Tract. §. 3.

(*h*) Quod *Scriptura ſacra ſit ſimilis fluvio latiſſimo, qui ex concurſu aquarum multarum aggregatur magis ac magis, ſecundum quod longius decurrit*, idem adſerit Auctor in eodem Procem. Breviloq. *de latitudine ſacr. Script.* Sed & de *fluviis Scripturarum* in Princip. ſacr. Scriptur.

(*l*) In ſingulari Comment. in cap. 5. Apoc. De Scripturarum ſanctarum dignitate & excellentia §. 8., de quo Vol. 2., dicitur, quod *omnia prælia, & præliorum exercitia ei ſubſerviunt.* Vid. infra §. 20.

(*k*) Ibi §. 9. quod *omnes ſcientiæ ſubſerviunt ei in omni genere ſcibilium.*

(*l*) Ibi quod *ſubſerviunt ei omnia genera præceptorum, & legum.* Infra §. 23.

(*m*) Ibi §. 7. quod *ſubſerviunt ei omnia dona.* Infra §. 24.

(*n*) *Vel gravitas*; namque S. Gregorius Lib. 1. Hom. 2. in Ezech. num. 6. ait: *Chobar interpretatur gravitudo, vel gravitas*. Eſt etiam *gravitudo* in Indic. noſtro Bibli. *Gravitudo* pro *gravitate*, & *pondere*, eſt apud Vitruvium, Apicium &c. Eſt autem talis fluvius *Euphrates*, quem *tradunt* apud Plin. Lib. 6. cap. 26. *Cobaris præfecti opere diductum, ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret.*

(*o*) Sive *aquarum copia, & abundantia*; dictus eſt enim *Chobar ab aquarum copia*, inquit Cornel. a Lap.

(*p*) Cap. 1. Itinerar. ment. in Deum „ Aſpectus contemplantis res in ſe ipſis conſiderans, videt in eis pondus, numerum, & menſuram. Pondus quoad ſitum ubi incli-

„ nan-

vel juxta electum, (a) quia est juxta hoc *Medium* elevatum & separatum, videlicet ab omnibus aliis, per quemdam superexcessum suæ summæ nobilitatis.

De primo fluvio essentiarum, ac secundo operationum.

Dan. 7. 10.

§. XIX. De duobus primis fluviis, potest assumi, quod dicitur Danielis septimo: Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus: millia millium ministrabant ei, & decies (b) centena millia assistebant ei. Est enim igneus (c) a summitate essentiarum, rapidus in efficacia operationum & virtutum. Substantiæ autem cum suis virtutibus & operationibus, & maxime Angelicæ, & Cœlestes, sunt millia millium vero Deo

Ps. 45. 5.

ministrantium, & assistentium. Impetus autem hujus fluvii lætificat Civita-

Ps. 64. 10.

tem Dei. (d) Flumen enim Dei repletum est aquis, hoc est, multitudine

Cant. 5. 12.

entium & essentiarum. (e) Columbæ etiam sanctæ stant super rivos (f) istarum aquarum multarum, & resident juxta fluenta plenissima, prout habetur Cant. quinto. (g)

De tertio flu-

§. XX. De tertio habetur Matth. septimo: Venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam (scilicet sapientis, verba Christi facientis) & non cecidit; fundata enim erat supra firmam petram, id est, super solidam humilitatem hujus Medii.

vio bellorum, & regnorum.

Matth. 7. 25.

E contra autem domus fundata super arenam cecidit, & fuit ruina illius magna, Matth. septimo. Et hujus fluvii fluctibus operiebatur navicula Petri, sed non submergebatur. (h)

Matth. 7. 27.

Matth. 8. 24.

De quarto fluvio doctrinarum & scientiarum.

Eccli 24. 40. ac seqq.

§. XXI. De quarto, habetur Ecclesiastici vigesimo quarto: Ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvius Dorix, (i) & sicut aquæductus exivi de Paradiso. Et post: Factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare; quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino, narrabo illam usque in longissimum. Et Job vigesimo octavo: Profunda fluviorum scrutatus est, & abscondita produxit in lucem. (k)

Job 28. 11.

De quinto fluvio morum, & affectionum.

§. XXII. De quinto, Psal. super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus,

---

„ nantur, numerum quo distinguuntur, & „ mensuram qua limitantur. Ac per hoc vi„ det in eis modum, speciem, & ordinem, „ nec non substantiam, virtutem, & operatio„ nem: ex quibus consurgere potest sicut ex „ vestigio, ad intelligendam potentiam, sa„ pientiam, & bonitatem Creatoris immen„ sam. “

(a) In cit. Indic. Bibl. *Chobar gravitudo, vel juxta electum.*

(b) Vulg. addit *millies*; sed absque *millies* uterque Cod. Vatic. & Venet. Mariana „ Græcus „ dicit, *decies centena millia*; hoc est, millio.“

(c) De hujusmodi Scripturarum sanctarum *fluvio igneo, quem viderat Daniel egredi a facie Domini*, idem Auctor in cit. Princip. Script. ubi & *ignitissimus* vocatur *propter fervores ardentissimarum operationum.*

(d) Sic eodem Princip. Script. ad probandum, quod Scriptura sit *fluvius impetuosissimus propter vigores sublimissimarum elevationum*. Prædictum autem textum *de cælesti civitate intelligi mystice posse*, admittit Lorinus, *sicut in ea describitur flumen esse crystallinum* (Apocal. 22. 1.) *propter Beatorum copiosam voluptatem*. Unde & in eodem sensu utrumque textum exponit ipsemet Interpres noster Comment. in Apocal. loc. cit.

(e) In d. Comment. ibi „ Flumen æternæ „ gloriæ est flumen Dei, plenum congregatio„ ne Sanctorum. Psalm. *Flumen Dei repletum* „ *est aquis.*

(f) Vulg. *rivulos*; sed *rivos* habet quoque Auctor noster Exposit. in Cant. cap. 5. ver. 12. §. 235. Ubi pariter *Columbæ* in plurali nominativo sumuntur.

(g) Ibi similiter eumdem textum interpretatur de *rivis omnium creaturarum, naturarum, & gratiarum, & Scripturarum.*

(h) *Ecclesia, quæ designatur per Petri naviculam, licet concutiatur, tamen non naufragatur*, ait etiam idemmet D. Bona. Exposit. in cap. 22. S. Luc.

(i) Vulg. *Dioryx*; sed *Dorix* vide etiam supra de Plantat. Paradisi §. 8. in not. *f.* item Procem. in 1. Lib. Sententiar. &c.

(k) In cit. Principio sacr. Scriptur. sive Isagoge in sacras Scripturas itidem ait „ In Scrip„ tura vir sapiens profunda fluviorum perscru„ tatur, & abscondita producit in lucem. “ Audi virum sapientem nempe Cassiodorum, sive Cassiodorium, qui dicenti præfatas doctrinas & scientias non inveniri in sacra Scriptura, ita respondet „ Inveniuntur plane in „ virtute sensuum, non in effatione verborum. „ Sic enim vina in vitibus, messem in semi„ ne, frondes in radicibus, fructus in ramis, „ arbores ipsas sensu contemplamur in nucleis. „ Merito ergo esse dicimus, quæ inesse nihi„ lominus virtute sentimus. Nam & Aposto„ lus vetat nos seduci per vanam sapientiam „ (1. Cor. 3. 18.): ista vero non abnegat in „ Literis esse Divinis. Cognoscite ergo Ma„ gistri sæcularium Literarum hinc (ex Scrip„ tura scilicet) schemata, hinc diversi gene„ ris argumenta, hinc definitiones, hinc disci„ plinarum omnium profluxisse doctrinas, quan„ do in his Literis posita cognoscitis, quæ an„ te Scholas vestras longe prius dicta fuisse „ sentitis. “ Sic lego in Tract. De Schematibus & Tropis, nec non & quibusdam locis Rhetoricis S. Scripturæ, quæ passim in Commentario Cassiodorii in Psalmos reperiuntur. Vide sis in supradictum textum Job eumdem nostrum Interpretem Procem. in 1. Lib. Sententiar.

Pſ. 136. 1. mus, dum (*a*) recordaremur tui Sion.
Iſa. 8. 6. ac ſeq. Aliæ enim ſunt aquæ Siloe, quæ vadunt cum ſilentio, (*b*) aliæ Regis Aſſyriorum, cujus ſunt aquæ fluminis fortes & multæ, ſicut habetur Iſai. octavo.
4. Reg. 5. 12. Et meliores erant Naaman Abana & Pharphar, fluvii Damaſci, omnibus aquis Iſrael &c., (*c*) ut habetur quarti Regum quinto.

De ſexto fluvio legum, & ſectarum. §. XXIII. De ſexto poteſt aſſumi quod legitur Joannis ſeptimo: Qui cre-
Jo. 7. 38. & 39. dit in me; ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant, qui eſt lex virtutum (*d*) noſtrarum. Unde & quadrageſimo die datus eſt, (*e*) ſicut & lex Moyſi in
Pſ. 1. 2. ac ſeq. monte Sinai (*f*). Unde & vir, qui die & nocte meditatur in lege Domini, dicitur tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Hic
Apoc. 22. 1. eſt fluvius, qui procedit de ſede Dei, & Agni, quantum ad rectas et ſanctas leges. (*g*) Pro aliis enim dictum Apocal. decimo ſeptimo: Aquæ, quas vi- *Apoc. 17. 15.*
diſti ubi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ. Eorum enim & leges, & ſectæ fluctuant, ſicut aquæ multæ, de peccato in peccatum. (*h*)

§. XXIV. De ſeptimo & ultimo: Ecce declinabo ſuper eam quaſi flumen pacis, & quaſi torrentem inundantem *De ſeptimo fluvio beneficiorum, & gratiarum.*
gloriam gentium, quam ſugetis. Et *Iſa. 66. 12.*
hic eſt fluvius, qui egrediebatur de lo- *Gen. 2. 10.*
co voluptatis ad irrigandum Paradiſum, Gen. ſecundo. (*i*) Omnia flumina gra- *Eccle. 1. 7.*
tiarum (*k*) intrant in mare Scripturarum ſanctarum, (*l*) & mare non redundat. Immo ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant, prout habetur Eccleſiaſtes primo. Quæ omnia ſicut a Deo exeunt, ita reducuntur ad Deum. (*m*) Et ſicut a ſanctis Scripturis originem trahunt, ſic & ei ſubſerviunt. (*n*)

tentiar. nec non S. Gregor. Lib. 18. Moral. cap. 39. num. 60.

(*a*) Vulg. *cum*; ſed *dum* etiam in Cod. noſtro Bernardin. in Editionibus ſacror. Biblior. antiquioribus &c.

(*b*) Vel *currunt cum ſilentio* Serm. ſive Collat. 19. in Hexaem. ubi ſimiliter alludit ad hujuſmodi aquas. Recte autem, ubi ſermo eſt de ſacræ Scripturæ Myſterio, & de fluvio morum & affectionum, *aquæ Siloe* laudantur; quia de talibus ait idem Interpres etiam Serm. ſive Collat. 17. in Hexaem. *Aquæ currentes cum ſilentio ſunt ſacræ Scripturæ, quæ niſi in ſilentio addiſci non poſſunt, & ibi fit illuminatio. Illuminatio*, inquam, *quæ ad guſtum procedit, & interius per gratiarum dona reficit, de qua: Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: Hoc dixit de Spiritu Sancto, quem accepturi erant credentes in eum.* (Jo. 7. 38. ac ſeq.) *Iſtæ ſunt aquæ de fontibus Salvatoris, ſcilicet notitiæ gratiarum reficientes animas.* Ita ibi ad probandum, *quomodo Scriptura reficit intellectum, & affectum.*

(*c*) Sed ibi Aquæ Iſrael per miraculum Eliſei fuere multo meliores oſtenſæ, curato per eas Naamano leproſo, ejuſque moribus in meliora mutatis, dum ad veri Dei cultum tranſivit. Ideoque *deſignat gentium populum Sacramento Baptiſmi decorum factum, & omni fœditate mentis & corporis expurgatum*, inquit ipſemet D. Bona. Expoſit. in Cap. 4. S. Luc.

(*d*) Cod. Vatic. *virium.*

(*e*) Scilicet quia *hunc tunc dedit occulte; ſed poſt daturus erat abundanter & aperte, ſcilicet poſt decem dies, in quibus ſe debebant ad illam plenitudinem præparare*, ut idem Auctor loquitur Expoſit. in Cap. 24. S. Luc. verſus finem. *Et hoc quidem fuit in die Pentecoſtes*, eodem Interprete 4. Diſt. 7. Art. 1. Q. 1. ad arg. Quæ quidem omnia ab ipſo confirmantur 2. Diſt. 29. Art. 3. Q. 2. in concl. ad d. loc. Jo. 7. nec non in Comment. ſuper Joan. Evang. ad eumdem textum.

(*f*) Serm. 1. in Hexaem. *In Exodo ſcriptum eſt: ingreſſus Moyſes medium nebulæ fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; & hoc fuit Chriſtus in Aſcenſione, quando nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.*

(*g*) Præcipue in ſacra Scriptura contentas, aut ipſi conformes. Vid. Comment. Apocal. ad hunc locum, & textum, nec non cit. Princip. Script. ubi ab eodem textu initium ducitur.

(*h*) Similiter Comment. in Apocal. ibi.

(*i*) Idem Auctor in eod. Princip. ſac. Script. vocat *Scripturas Fluvium voluptuoſiſſimum propter dulcores ſuaviſſimarum delectationum, ac Paradiſum fidelis animæ, & militantis Eccleſiæ.* Videri quoque poteſt ejuſdem Sermo ſive Collat. 17. in Hexaem.

(*k*) Recte dicuntur *flumina gratiarum*; quia ad hunc textum Expoſit. in cap. 1. Eccleſiaſtes idem Interpres inquit: *Flumina iſta ſunt flumina gratiarum.*

(*l*) De *mari ſacræ Scripturæ* ipſemet Auctor Serm. ſive Collat. 13. in Hexaem. ubi eumdem textum adducit. Pariter in d. Princ. Script. cum Gregorio ſuper Ezechielem, *ſacra eloquia viſioni maris ſimillima* dicit.

(*m*) Præd. Expoſit. in cap. 1. Eccleſiaſtes ſubdit: *mare, a quo flumina habent ortum, eſt Divinæ largitatis immenſitas...... Ad hoc mare redeunt flumina gratiarum actionum, ut iterum fluant.* Nec non d. Serm. ſive Collat. 13. in Hexaem. de præfato mari ſacræ Scripturæ: *Sacra Scriptura eſt illuminativa omnium, & reductiva in Deum.*

(*n*) Cit. Serm. ſive Collat. 13. in Hexaem. ubi ait, quod *omnes intelligentiæ ſpirituales ſunt flumina*, etiam diſertiſſime inquit, quod *omnes intelligentiæ ſpirituales originem habent a Scriptura,*

Apertio ſignaculorum, quibus veritas ſacræ Scripturæ contegitur.

§. XXV. Ad videndam autem apertionem clauſuræ, *(a)* per quam Scriptura hæc eſt velata & clauſa, oportet prius videre, quod eſt contentivum *(b)* internæ veritatis ejus, & quæ ejus clauſura, ſeu velamentum ejus. Sicut enim ſeptem ſunt cœli Planetarum, in quorum quolibet eſt unus Planeta, *(c)* per quem pervenitur ad octavam ſphæram, in qua eſt ſtellarum multitudo innumerabilis; *(d)* ſic ſunt principaliter partes hujus Scripturæ, in quarum qualibet continetur aliqua ſingularis refulgentia *(e)* Divini luminis, ſeu Divini jubaris, ſeu Divinæ veritatis, per quas pervenitur ad octavam reſurrectionis, *(f)* & gloriæ, ubi Deus ſecundum ſuam incomprehenſibilem claritatem, omnibus innumerabiliter & ineffabiliter refulget.

Septem ætates.

§. XXVI. Iſtæ autem partes currunt ſecundum ſeptem ſtatus, & opera ſeptem ætatum. Unde in prima deſcribitur, & traditur creaturæ naturalis inſtitutio & propagatio. In ſecunda humani generis exterminatio facta in diluvio aquarum, & ſubverſione Sodomorum, & deſtructione Ægyptiorum, & Chananæorum. In tertia regni localis procreatio. In quarta ejuſdem magnifica gubernatio. In quinta Divinæ protectionis ab eodem ſubtractio ſeu abſconſio. In ſexta humani generis redemptio. In ſeptima animarum beata quietatio. *(g)*

Septuplex clauſura.

§. XXVII. Erat etiam ſeptuplex clauſura, quam aperire oportebat ad hoc, ut Divina claritas ſibi plenarie refulgeret. Erat enim clauſa primo, ſub miranda materialitate. Secundo, ſub miranda inamicabilitate, ſeu extraneitate. *(b)* Tertio, ſub miranda propinquitate, & caritatis amicabilitate. *(i)* Quarto, ſub varia exultatione, & jucunditate. Quinto, ſub apparenti diſcordantiarum, & contrarietatum infelicitate. Sexto, ſub miranda impoſſibilitate. Septimo, ſub inexplicabili inapprehenſibilitate, & inexperimentabili inviſibilitate. *(k)*

Hujuſmodi ſeptuplex clauſura explicatur, & primo quoad mirandam materialitatem.

§. XXVIII. Licet autem in omnibus ſeptem prædictis partibus cucurrerit, & currat hæc ſeptiformis clauſura; ſpecialiter tamen creatio rerum materialiter explicatur, ut nulla fiat expreſſa mentio de Spiritibus Angelicis. *(l)* Et ſicut hic narratur ordo creationis, ac ſi Deus non poſſet omnia creare ſubito, ſed ſolum unumquodque in die ſuo; ſic etiam traditur ibi creatio animæ intellectualis, ac ſi non eſſet niſi flatus aereus, aut quoddam ſpiraculum vitæ, *Gen. 2. 7.*
& ſic de aliis. Ubique tamen Scriptura materialibus utitur multis ad expreſſionem rerum immaterialium. *(m)*

Secundo quoad mirandam inamicabilitatem, ſeu extraneitatem.

§. XXIX. Subſequens vero exterminatio generis humani facta propter peccata ipſius ſubtraditur, ac ſi naturæ humanæ per ſe irritaretur, & ita ut dicat Deus: Pœnitet me feciſſe hominem. *(n)* Et ſic de aliis exterminationibus factis a lapſu Adæ uſque ad Abraham *Gen. 6. 7.*

---

ra, & per Scripturam confirmantur, & per illas aliæ intelligentiæ habentur. Et Præfat. in Pſalt. de ſacræ Scripturæ præcellentia loquens, ait: *Si quis diligenter attendit, poteſt percipere, quod omnes artes tam liberales, quam naturales, ei tamquam Dominæ famulantur.* Quo ſpectat & ſingulare Auctoris Opuſculum *de reductione artium ad Theologiam.* Vid. ſupra col. 301. not. *i.*, ac ſeqq.

(a) Voce *clauſuræ* nedum D. Bona. alibi utitur, uti patet Expoſit. in cap. 4. Cant. §. 195.; ſed & Caſſiodor. Lib. 2. Epiſt. 5.

(b) Vid. ſupra §. 1.

(c) Breviloq. par. 2. cap. 3.

(d) 2. Diſt. 14. Part. 2. Art. 1. Q. 1. ad 5.

(e) Hanc vocem nedum alibi quoque habet D. Bona. ſed & Apulejus &c.

(f) De *reſurrectionis octava* in Prol. ſive Proœm. Breviloq. de longit. ſacr. Scriptur.

(g) Ita alludere ad ſeptem mundi ætates alibi paſſim Auctor noſter conſuevit. Vide inter cetera cit. Prolog. ſive Proœm. Breviloq. ibi, ac par. 2. cap. 2. &c. Vocabulo autem *quietationis* idem Interpres etiam utitur Comm. in Apocal. cap. 22. ver. 1. num. 1665. Et de *complacentia quietante propter Sponſi pulchritudinem* in Incend. Amor. cap. 3. loquitur.

(b) Hoc *extraneitatis* vocabulo idem Auctor utitur in 3. Diſt. 10. Art. 2. Q. 1. in concl. ac ſupra Expoſit. in cap. 2. Cant. §. 116. &c.

(i) Hanc circa vocem *amicabilitatis* vide Prodromum col. 592.

(k) Similiter deſinentia, quorum uſus apud D. Bona. perquam frequens.

(l) In Breviloq. par. 2. cap. 5. *nihil explicite narrat de conditione ſupernorum Spirituum, maxime cum deſcribit univerſum in eſſe productum.*

(m) Ibi: *Secundum ſpiritualem intellectum deſcribitur in illis tribus naturis primo productis, Hierarchia Angelica, nomine cœli; & Eccleſiaſtica, nomine terræ; & gratia, perquam irrigatur utraque, nomine aquæ. Rurſus per ſeptenarium numerum dierum, intelligitur ſeptiformis Eccleſiæ ſtatus, ſecundum decurſum ſeptem ætatum &c.* De prædicta autem rerum ſucceſſiva creatione ejuſdem Breviloq. par. 2. cap. 2.

(n) Vulg. *feciſſe eos*; ſed *hominem* S. Greg. Lib. 9. Moral. cap. 11. num. 12. ac Lib. 20. cap. 32. num. 63. nec non in Ezech. Lib. 1. Hom. 8. num. 21. Item *hominem* in membr. Cod. noſtro Bernardin. A. II. 21. ubi tamen deprehenditur recentioris manus litura.

ham & Moyſen. Unde & a gentibus idololatris, quæ non erant de progenie Iſraelis, ſic ſe oſtendit extraneum, ac ſi non eſſet earum Deus, & Dominus naturalis. Sicque ſemper ſeparavit Iſraelem ab eis, ac ſi tamen ſecundum naturam eſſent inaſſociabiles Deo.

Tertio quoad mirandam propinquitatem, & caritatis amicabilitatem.

§. XXX. Propter quod ejus regni non regalis procreatio ſic in eadem Scriptura traditur carnaliter, ac ſi ille populus ſecundum carnem eſſet Deo amicabilis, & propinquus. Et breviter tam mandata, ſeu leges, quam promiſſiones, ſeu donationes, & conſilia, ſic traduntur ibi carnaliter, ac ſi Deus de nullo alio curaret, niſi de carnali vita, & amicitia Judæorum. Unde ſpiritualis Dei amicitia & inimicitia ſub iſtis & conſimilibus velabantur.

Quarto quoad variam exultationem, & jucunditatem.

§. XXXI. In regni autem ejuſdem regalis ſublimatione, & ſublimationis conſummatæ temporibus, Meſſiæ futuri prædictione, & promiſſione, tanta introducitur varietas laudum, lætitiarum, & canticorum, ut de ſola gloria & felicitate temporali videantur Scripturæ cantare; & hoc in ſummo exceſſu, unde vera felicitas, & jucunditas ſub his conſimilibus velabantur.

Quinto quoad apparentem diſcordantiarum, & contrarietatum infelicitatem.

§. XXXII. Quando autem populus idem Judaicus in tranſmigrationem ivit, & quando Zorobabel (a) in terram ſuam rediit, tam in Prophetarum promiſſionibus, quam in prædictis omnibus, incepit apparere mira infelicitas, & contrarietas; quia non fuit facta populi & templi reſtauratio, ſecundum illum ſuperexceſſum felicitatis, vocetenus per Prophetas promiſſum. Non etiam tunc apparuit propinquitas illa, quam Deus videbatur habere ad populum ſuum Judaicum, nec inimicitia ſeu extraneitas, quam dixit ſe habere ad alios.

Sexto quoad mirandam impoſſibilitatem.

§. XXXIII. Ex quo autem Chriſtus venit in mundum, genus humanum redempturus, tradidit hominibus multa credenda, tam in factis, quam in verbis, tam in vita, quam in doctrina, quæ ſumme impoſſibilia videntur intellectibus hominum ratiocinantibus ex principiis per ſenſuum experimenta collectis, ſeu procedentibus ſecundum elementa hujus mundi. *Coloſſ.* 2. 3.

Septimo quoad inexplicabilem inapprehenſibilitatem, & inexperimentabilem inviſibilitatem.

§. XXXIV. Illa vero quæ ad ſeptimam ætatem ſpectant, ad quietem ſcilicet animarum in altero ſæculo, (b) omnino ſunt inviſibilia, ita quod nullo modo poſſunt cadere ſub noſtram experientiam ſecundum omnem curſum hujus ſtatus. Iſtis igitur clauſuris ſeptem, clauſæ erant Scripturæ, ſecundum prædictas ſeptem partes ſuas; velut cœlos (c).

Apertio primæ clauſuræ per Medium ſummæ abſtractionis.

§. XXXV. Statim igitur in *Medio* ſummæ abſtractionis aperitur omnis materialitas. Quicumque enim intuetur medium illud, quod eſt immaterialiſſimum, ſeu altitudinem immaterialitatis ſuæ, ſtatim in tota materialiate Scripturaram ſanctarum relucet abundantiſſime immaterialis & ſuperintellectualis Divinorum intelligentia.

Apertio ſecundæ clauſuræ per Medium profundiſſimum & ſumme intrinſecum.

XXXVI. Statim autem in *Medio* profundiſſimo (d) & ſumme intrinſeco aperitur omnis extraneitas (e) ſeu inamicabilitas; quia confeſtim apparet qui infra omnia, & extra omnia eſt, & qui ipſe eſt ſupra omnia, & infra omnia, (f) omnibus condeſcendens, (g) juxta proportionem ſuæ capacitatis; & ipſe non elongatur ab animabus, niſi propter tumorem, & vanitatem ſuperbiæ, & iniquitatis. (h)

Apertio tertiæ clauſuræ per Medium ſumme adæquatum.

§. XXXVII. Statim vero in *Medio* ſumme adæquato, per juſtitiam extrema adæquantem, aperitur omnis carnalis

---

(a) De hoc ſupra §. 16.

(b) Supra §. 26.

(c) *Sacram Scripturam* per *cœlum* ſignificari, tradit Interpres Comment. in Apocal. cap. 11. ſub ver. 19. nec non *cœlorum* nomine *Doctores ſacræ Scripturæ* Par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 5. Unde nil mirum, heic ab ipſomet *Scripturarum partes* vocari *cœlos*. Recolatur ſimilitudo ſupra petita §. 25. ex ſeptem cœlis Planetarum, & octava ſphæra, nec non videantur dicenda §. 43.

(d) Ordo hujuſmodi Medii ſeptiformis heic & in ſeqq. diverſus eſt ab ordine ſupra §. 5. Non ita tamen immutatur ordo, quin maneat idem medium.

(e) Supra §. 27.

(f) Sic ad finem cap. 5. Itinerar. Vide quoque ejuſd. D. Bona. Expoſit. in Pſalter. Pſ. 81.

(g) Sive *omnia in omnibus*, d. cap. 5. Itiner. Porro eodem ſenſu adhibet *condeſcenſionem* in Ligno Vitæ, & in Leg. S. Franc., ut in Prodromo diximus col. 560. ac 592. Verbum autem *condeſcendere* uſurpat in Proœm. Breviloq. &c.

(h) Serm. ſive Collat. 2. in Hexaem. *Neceſſe fuit, Divinarum Scripturarum Sapientiam eſſe multiformem in multitudine figurarum, varietate Sacramentorum, pluralitate ſignorum, ut veletur ſuperbis, reveletur humilibus.* Similia legere quoque eſt in Breviloq. ubi in ejus Prol. ſermo eſt *de profunditate ſacræ Scripturæ*. Nec non in Princip. ſacr. Script. ubi verbis ex Auguſt. de Gen. ad lit. Lib. 5. cap. 3. num. 6. petitis ait:

nalis familiaritas & propinquitas; quia in omnibus oportet Deum æqualiter æquivalentia mala odire, & fugere, & bona diligere, & remunerari, inter duo, carnem & spiritum, tamquam inter duo extrema. Et qui comparat Divinæ bonitati carnem Judæi, & carnem Gentilis, inveniet majorem propinquitatem cujuscumque carnis; nec secundum naturam intimiorem esse Deo unum spiritum altero, aut unam carnem altera, nisi secundum quod plus excedit in naturalibus suo generi & speciei competentibus. *(a)*

Apertio quartæ clausuræ per Medium summe pacificum,

§. XXXVIII. Statim autem in *Medio* summe pacifico aperitur omnium una exultatio. Qui enim sentit pacem hominum & Angelorum, & eorum beatam felicitatem, in tota exultatione Scripturarum evidentissime cernit & gustat exuberantiam Divinæ pacis & felicitatis; ita quod inebriatur homo ab ubertate domus Dei, torrente voluptatis Dei potatus.

Ps. 35. 9.

Apertio quintæ clausuræ per Medium summe modificatum.

§. XXXIX. Statim vero in *Medio* summe modificato aperitur omnis contrarietas, seu falsitas, quæ in Scripturis apparet. Ei enim qui intuetur omnes circumstantias, & rationes Divinæ providentiæ, & processuum, suorumque verborum, quod prius videbatur repugnans ac falsum, apparet miro modo esse consonum & verum. *(b)* Unde contrarietas, quæ de transmigratione, & templi restauratione apparuit, veniebat ex hoc, quod verba Prophetarum accipiebantur, tamquam non plene virtuosis circumstantiis, & rationabilibus modis verificata. Ac si enim de solis temporalibus, & de solo ipso populo, & de solo uno tempore, & de solo uno sensu loquantur (& non spiritualiter, nec pro multorum salute, nec de tota æternitate, nec cum profunditate occultissimorum sensuum) sic arbitrabantur verba eorum prolata illi, qui plenam veritatem & concordantiam in eorum verbis intueri non possunt. *(c)*

Apertio sextæ clausuræ per Medium summæ virtutis & potestatis.

§. XL. Statim vero in *Medio* summæ virtutis & potestatis aperitur omnis impossibilitas. Confitenti enim Divinæ virtutis infinitam immensitatem ad ea, quæ Christus docuit & fecit, nihil est in eis, quin summe appareat possibile. Nam non potest possibilitas in eis negari, quin negetur summa infinitas suæ virtutis in Deo; tollitur enim Deo eo ipso aliquid velle posse, quod nos, secundum Augustinum, fateamur investigare non posse *(d)*.

August. Epist. 137. alias 3. ad Volusianum cap. 2. in fine.

Apertio septimæ clausuræ per Medium summe notum.

§. XLI. Statim autem in *Medio* summe noto aperitur clarissime omnis inapprehensibilitas eorum, quæ experientia nostrorum sensuum non possumus intueri. Cernitur enim, quod hoc *Medium* Domini habet in se superexcessum, & superabundantiam *(e)* veritatis *(f)* & claritatis, *(g)* quamvis sub experientiam sensuum cadere non possit. Immo intuenti, quod si sub experientiam hujusmodi caderet, claritatem ejus non haberet, manifeste apparent radii, & emanationes, & influentiæ

---

ait: *Sacra Scriptura sic loquitur, ut altitudine sua superbos irrideat: profunditate attentos terreat: veritate magnos pascat: affabilitate parvulos nutriat.*

(*a*) In 2. Distinct. 9. Artic. Uni. Q. 3. in concl.

(*b*) De *veteris & novi Testamenti magna consonantia & harmonia*, Serm. sive Collat. 9. in Hexaem. Item in idem Collat. 13. & alibi.

(*c*) Quo sensu accipienda sint præfata *verba Prophetarum de Templi restauratione*, amplius declarat Auctor ad finem Serm. sive Collat. 16. in Hexaem. ajens „ In septimo tempore scimus, quod hæc facta sunt, reædificatio templi, rastauratio cultus, & pax data est. In tempore septimo futuro, erit reparatio Divini cultus, cum implebitur prophetia Ezechielis. Quando scilicet descendet de cœlo Civitas, non quidem illa, quæ sursum est; sed illa, quæ deorsum est, scilicet militans, quando erit conformis triumphanti, secundum quod possibile est in via. Tunc erit ædificatio Civitatis, & restauratio, sicut a principio; & tunc pax erit. " Heic etiam noster Interpres loquitur consone ad ea, quæ secundum tertiam regulam ex S. Augustino depromptam ipsemet tradit in Procem. Breviloq. De modo exponendi sacr. Script.

(*d*) *In talibus rebus*, subdit inibi e vestigio idem S. Aug., *tota ratio facti est potentia facientis.*

(*e*) In supradictis vocibus apparet stilus Bonaventurianus, de plerisque similibus in Prodr. col. 171. ac seq. *Superabundantiam* Levit. 25. 37. &c.

(*f*) *Serenissimam veritatem* vocat ipsemet D. Bona. cap. 5. Itinerar. de qua etiam ait cap. 3. ejusd. Itinerar. *Videre igitur per te potes veritatem, quæ te docet, si te concupiscentiæ & phantasmata non impediant: & se tamquam nubes inter te & veritatis radium non impediant.*

(*g*) Sive *lucis*; sed *sicut oculos vespertilionis se habet ad lucem; ita se habet oculus mentis nostræ ad manifestissima naturæ*, d. cap. 5. Itiner. Unde & Boetius de Consol. Phil. Lib. 4. Prosa 4. *Nequeunt oculos tenebris assuetos ad lucem perspicuæ veritatis attollere, similesque avibus sunt, quarum intuitum nox illuminat, dies cæcat.*

tiæ hujus *Medii*, tam intellectuales, quam superintellectuales, (*a*) quæ beatis animabus superresplendent. Apparet etiam eo ipso, quod si animarum quiescentium status sub experientiam sensuum cadere posset, non solum non esset superintellectualis, sed nec esset intellectualis.

§. XLII. Licet autem unicuique prædictarum apertionum, secundum singulas proprietates suas, *Medium* supradictum correspondeat juxta modum præsignatum; omnes tamen cooperantur ad omnes apertiones prædictas: sicut faciliter patere potest discurrenti per ipsas. Immaterialitas enim & abstractio hujusmodi Medii facit ad omnes apertiones inspectas.

§. XLIII. Ad designandas autem istas septem apertiones horum septem celorum, (*b*) in Scripturis legimus positas

Designatio primæ apertionis omnis materialitatis. *Jo. 1. 50. & 51.*

septem apertiones. Ad designandam enim primam, vide quod legitur Joan. primo, ubi Christus dicit Nathanaeli credenti esse eum Filium Dei, quia dixerat ei: vidi te sub ficu: Amen amen dico vobis, quia (*c*) videbitis cœlum apertum, & Angelos ascendentes, & descendentes super (*d*) Filium hominis. Ficus enim ista, habens umbrosa folia ad pruritum carnis, lex est Moysis, habens umbram futurorum bono

Rom. 5. 20.

rum, (*e*) qua subintravit, & abundavit delictum occasionaliter, seu per accidens, augendo pruritum concupiscentiæ. (*f*) Cœlum est altitudo cavitatis (*g*) sive capacitatis & continentiæ ejus; unde continet in se novum Testamentum, (*h*) quod est de Filio hominis, *Gen. 28. 12. ac seq.*

& gloriam simul & influentias Angelicas, scalamque Jacob cum gradibus ascensionum & descensionum suarum (*i*), vitam videlicet, & virtutes Christi, (*k*) & Sanctorum, maxime Matris ejus. (*l*) Hæc scala est currus Eliæ igneus, cum *4. Reg. 2. 11.*

quo raptus est in cœlum. Quando igitur ista in Christo & per Christum aperiuntur, circa ipsum immaterialia videntur, & majora quam fuerint sub umbra ficulneæ legalis & literalis intelligentiæ ejus.

§. XLIV. Pro secunda autem apertione vide quod legitur Act. decimo, ubi dicitur de Petro, quod quum ascendisset in superiora domus, ut oraret, circa horam sextam, & quum esuriens vellet gustare; cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum, & descendens quoddam vas, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant quadrupedes, & serpentes, & volatilia: factaque ad eum voce: Surge Petre, occide & manduca; absit, dixit, quia numquam manducavi omne commune, & immundum. Et vox iterum facta est ad eum: quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris.

Designatio secundæ apertionis omnis extraneitatis, seu inamicabilitatis. *Act. 10. 9. ac seqq.*

Hoc

(*a*) De hoc adjectivo in Opusc. de sept. grad. Contemplat. & alibi. Vid. Prodr. col. 172.

(*b*) *Celum* heic sumitur pro clausura. Nec desunt qui sine diphtongo scribunt, ducuntque, sicut heic, a celando, quod omnia ambiat & tegat. De *septem Cœlis* par. 4. cap. 1. de Eccl. Hierarch. ubi agitur de varia *Cœli* significatione in sacra Scriptura. Vid. seq. §. 44. not. *a*.

(*c*) *Quia* non habet Vulg.; sed habet Interpres Comment. in Jo. Evang. cap. 1. ver. 51. num. 98.

(*d*) Vulg. *supra*; sed *super* etiam ibi, nec non in Cod. nostro Bernard. ac in Biblior. Editionibus Basileen. 1509. & Colon. 1527. Item in Cod. Goth. apud Blanchin. nec non apud Hugonem Card. Lyran. &c.

(*e*) Disserens de parabola ficulneæ Interpres noster Exposit. in Cap. 13. S. Lucæ, similiter per ipsam intelligit allegorice *legem Scripturæ*, a lege naturæ, & gratiæ distinctam, adeoque *legem Moysi*, & *Synagogam*.

(*f*) Sic ipsemet inquit 2. Dist. 30. Art. 2. Q. 1. ad arg. *occasionaliter excitat in nobis concupiscentiam*. Item 3. Dist. 37. Art. 1. Q. 1. ad arg. *incendit concupiscentiam valde per accidens, & occasionaliter*. Item *occasionaliter* habet quoque in Apol. ut monuimus in Prodr. col. 607.

(*g*) Cœlum recte heic scribitur cum diphtongo, quia non heic derivatur a celando, sive abscondendo, ut supra; sed a cavo sive concavo, quod in sculptura exigitur: Unde dicitur etiam a cælando, sive sculpendo. Vide Serm. sive Collat. 8. in Hexaem. una cum annot. margin. Edit. Venet. 1564. Unde etiam Par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 4. dicitur, quod *Divina sapientia in Scriptura Divina sculpta est & cælata &c.*

(*h*) Haud secus Comment. in Apocal. cap. 11. sub ver. 19. num. 800. ac seq.

(*i*) Præfatam visionem Jo. 1. *figuratam esse Gen. 28. ubi dicitur, quod Jacob vidit Dominum innixum scalæ, & Angelos ascendentes & descendentes*, testatur idem Interpres Exposit. in cap. 24. S. Lucæ, nec non in Postilla super Joan. Evang. cit. cap. 1. 49. De eadem *scala* in eodem sensu in Prol. Breviloq. ubi *de sublimitate sacræ Scripturæ*, nec non Par. 5. cap. 6.

(*k*) Quod *Christus sit scala nostra secundum triplicem substantiam, scilicet corporalem, spiritualem, & Divinam*, idem Auctor affirmat cap. 1. Itiner. ment. in Deum, ac etiam alibi.

(*l*) Quod inter Sanctos *Maria sit scala cœlica, per quam patet accessus ad æterna, quæ a Jacob est visa in somnis*, idem ait Par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 7.

Hoc autem factum est per ter: & statim receptum est vas in cœlum. Hoc autem ostensum sibi in signum acceptationis super conversionem gentium. Unde in fine conclusit & hoc Petrus: Ibi 34. ac seq. In veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum & operatur justitiam, acceptus est illi. Qui enim in hac parte vult sibi cœlum sanctarum Scripturarum aperiri, (a) oportet eum ascendere in superiorem domum suæ mentis, & Curiæ Cœlestis, & orando intrare ad meridiem caritatis; (b) quia circa sextam horam, in qua Christus passus est, (c) Petrus esuriit, & esuriendo gustavit. Volendo autem gustare dulcedinem Divinæ suavitatis & pietatis, fiat in homine ecstasis, ut iterum manifeste videat homo illa, quæ per culpam sunt abominabilia & immunda, a Deo mundam naturam & originem habere, & recipi per quoddam vas descendens de cœlo, mundum, purum, album, sicut linteum capax malitiæ & bonitatis: ut tunc etiam videat homo voluntatis fuisse Divinæ, quod per suos Ministros suæ Ecclesiæ incorporentur, (d) destructa seu occisa prius malitia, & purificata immunditia multorum infidelium & peccatorum. (e) Quod quidem factum fuit semel tempore legis naturæ, & iterum tempore plenitudinis gentium, tertio autem fiet tempore conversionis reliquiarum Judæorum & Gentium. Tunc enim nil apparebit inimicum aut extraneum, nisi solum peccata, & iniquitates hominum, & peccatores, sive sint de Gentibus, sive de Judæis; & sic in veritate Scripturæ comperitur, quod non est personarum acceptor Deus.

§. XLV. Pro tertia apertione vide quod legitur Lucæ tertio, quod cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante, apertum est cœlum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. In illa enim apertione ostensa est radix & origo spiritalis adoptionis, & filiationis, & forma deveniendi ad ipsam. Radix enim ejus est Spiritus sancti in mentes descensio, & inhabitatio. Et ideo, postquam apertum est cœlum, mox subjunxit: Descendit Spiritus sanctus corporali specie in ipsum. Et tunc dictum est: Tu es Filius meus &c. Ad illam enim æternalem emanationem, qua Filius procedit, nullus potest participative attingere, nisi per gratiam sancti Spiritus regeneretur, & in Dei Filio incorporetur. (f) Quod in tantum verum est, quod ipsa natura humana Chri-

Designatio tertiæ apertionis omnis carnalis familiaritatis & propinquitatis. Luc. 3. 21. ac seq.

(a) Namque *veritas Divinæ sapientiæ in Scriptura sacra velut in cælo occultatur*, Par. 4. de Ecclesiast. Hierarch. in fine cap. 4. Dicit autem *velut in cælo*; quia ut inibi ait: *congrua similitudine cælesti corpori comparatur*. Unde S. August. Enarrat. in Ps. 146. num. 15. „Quid „ est, *qui cooperit Cælum nubibus?* Qui contegit Scripturam figuris, & Sacramentis...... „ Ad hoc ergo ille *cooperit cælum nubibus*, ut „ *paret terræ pluviam*. Ad hoc obscura esse „ voluit dicta Prophetarum, ut haberent po„ stea Servi Dei, quod interpretando influe„ rent super aures & corda hominum, exci„ pientium de nubibus Dei saginam lætitiæ „ spiritalis.“ Et sic profecto *interpretando influxit* S. Petrus, qui inibi ver. 43. dicit: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Quapropter evenit, quod *adhuc loquente Petro* (ibi ver. 43. ac seq.) *verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* Ecce quomodo is, *qui cooperit cælum nubibus, parat terræ pluviam.*

(b) Per *meridiem* intelligit itidem *caritatem*, sive *fervorem dilectionis* in Postilla sive Exposit. super Cant. cap. 1. sub ver. 7. §. 53. ac in Exposit. super Ecclesiasten cap. 1. nec non in Opusc. de quinque Festivitatibus pueri Jesu Solemn. 4. atque etiam Part. 4. de Eccles. Hierarch. cap. 6.

(c) Comment. in Jo. Evang. cap. 19. num. 1240.

(d) Hujus verbi usus nedum vel alibi est apud D. Bona. ut mox patebit, verum etiam apud Solinum, Prudentium &c. Sed & de *Ecclesia*, quæ *corpus est Domini*, textum hunc interpretatur S. Gregor. Moral. Lib. 18. cap. 35. num. 56.

(e) Idem S. Greg. ibi: *Macta ergo & manduca, dicitur, id est, a peccato eos in quo vivunt interfice, & a seipsis illos in tua membra converte.*

(f) Sive ut idem loquitur in Exposit. ejusdem cap. 3. S. Lucæ ad hunc textum: *nisi sit membrum Christi, qui descendit de cælo; nec hoc fieri potest ut sit membrum Christi, nisi per Sacramentum regenerationis, ideo in baptismo aperti sunt cæli.* De incorporatione autem in Dei Filio sic inquit in Opusc. de præparat. ad Miss. cap. 7. in fine „Hæc est differentia inter come„ stionem corporalem, & spiritualem: quia „ ibi cibus comestus transit in substantiam & „ nutrimentum comedentis; hic vero comedens „ incorporatur Christo, & transit in amorem, „ & unitatem spiritus Christi. Ideo dictum „ fuit beato Augustino (*Lib. 7. Confess. cap.* „ 10):

Christi non est sibi juncta, nisi per meram gratiam Spiritus sancti; *(a)* ut hoc modo significaret, plenius scilicet & amplius, Spiritus sanctus, quod non per viam carnis, nec per viam naturæ, sed per viam gratiæ ad Dei filiationem & propinquitatem ascenderet genealogia Christi, quam per Patres legales, non naturales, inchoat; & qui erant Patres secundum legem carnis & naturæ, & non legales solum, postponit, scilicet Patres, qui fuerunt tempore legis naturæ, & Patres Gentium, sicut & Judæorum. Et ut hoc plenius in finali numero hujus genealogiæ ostenderet, pervenit ad Adam dicens: Qui fuit Dei, filius scilicet. *(b)* Et tamen certum est, quod ipse Adam non fuit Dei filius per naturam, sed solum per gratiam sive creantem, sive justificantem. Si autem ipse sit ita Dei filius, & aliter esse non potuit; eadem ratione & prognati ab eo. Et si aliter ipse esse non potuit, patet, quod nec aliquis ab eodem descendens; nisi forte talis esset, qui præter naturam, quam ab eo trahit, in se naturam haberet Divinam: sicut ipse Unigenitus Dei Filius solus, qui Dei Filius Unigenitus est per naturam. Forma autem deveniendi ad Dei filiationem est Sacramentorum Christi *(c)* susceptio, & mentis affectualis elevatio per ardentia orationum desideria. Et ideo præmissum est: Jesu baptizato, & orante. Familiaritas igitur Dei ad nos, & nostra ad eum, secundum omnia penitus spiritualis est, non carnalis; & gratiæ plus quam naturæ. Unde & frustra & falso Judæi sibi arrogabant quamdam specialitatem cujusdam carnalis propinquitatis cum Deo.

Luc. 3. 38. — *Luc. 3. 21.*

§. XLVI. De quarta autem apertione potest exponi, quod in Psal. septuagesimo septimo legitur: Januas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo. In hac enim apertione, in qua sentitur abundantius manna absconditum, & refectio Dei, & Angelorum, & deliciæ Paradisi *(d)*; quidquid occurrat in Scripturis sanctis, quod sapiat jucunditatem & felicitatem carnalem, confestim transfertur a spiritu in dulcorem cœlestem.

Designatio quartæ apertionis unius omnium exultationis. *Ps. 77. 23. ac seqq.*

§. XLVII. Quintæ apertioni potest aptari quod legitur Apocalypsis duodecimo: *(e)* Apertum est, inquit Joannes, templum Dei in cœlo, & visa est arca testamenti in templo ejus; *(f)* & signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duo-

Designatio quintæ apertionis omnis contrarietatis, seu apparentis falsitatis. *Apoc. 12. 1. nunc 11. 19. Apoc. 12. 1. alias 12. 2.*

„ 10.): Non ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me; id est, in mei similitudinem, „ scilicet bonitatem, sanctitatem &c. sicut ignis, „ ferrum sibi in similitudinem convertit.

(*a*) Quatenus scilicet, ut explicat 3. Dist. 13. Art. 1. Q. 1. ad 3. *non esset idonea, ut assumeretur a Verbo, nisi esset deiformis, & Deo assimilata perfecte per gratiam: & ideo hoc quod ille homo est Deus, deiformitatem gratiæ & gloriæ non excludit, quin potius præsupponit.* Loquitur autem de *gratia creata*, per quam *in anima Christi inhabitavit Spiritus sanctus.* De qua ait etiam in Concl. *Tale donum gratiæ animam Deo assimilat, & ad bonas operationes, & meritorias exercendas habilitat.* Unde infert: *Quoniam ergo anima Christi fuit deiformis, & ad bene operandum habilis; alioquin non fuisset idonea ad unionem, nec ad meriti perfectionem: ideo necesse fuit in Christi anima reperiri donum talis gratiæ.*

(*b*) Ita quoque vel in prædicta Exposit. memorati cap. 3. S. Lucæ, ubi inter cetera plura inquit „ Lucas prosequitur Sacerdotium „ Christi, per quod in adoptionem filiorum „ reconciliamur a statu peccati, quod quidem „ fit per sacramentalem regenerationem: ideo „ prosequitur filiationem Christi adoptivam sive legalem; ascendendo usque ad Deum &c. “ Videatur apud ipsum *caussa septiformis differentiæ inter Lucam & Matthæum.*

(*c*) Baptismi præcipue, & Eucharistiæ, de quibus paulo supra jam dictum col. 315. not. *f.*

(*d*) Supra cit. cap. 7. de præparat. ad Miss. nec non Exposit. in cap. 16. Sapient. &c.

(*e*) *Duodecimo* quoque apud ipsummet Auctorem in Comment. Apoc. nec non apud plerosque antiquos Interpretes.

(*f*) In d. Comment. Apoc. cap. 11. ver. 19. num. 801. idem Auctor sic ait: *Templum Dei, id est, Mysterium Christi, quod prius latebat in figuris; in cœlo, id est, in novo Testamento, apertum est, id est, manifestatum.* Et Par. 4. de Eccles. Hierarch. cap. 4. inquit „ In Divina „ Scriptura, velut in Cælo, omnia occulta „ Christi, & Ecclesiæ mysteria continentur, „ juxta illud Isaiæ: complicabuntur sicut liber „ cœli &c. (*Isa.* 34. 4.) Et Ezechiel: Aperti „ sunt cœli, & vidi visiones Dei. (*Ezech.* „ 1. 1.) Et in Apocalypsi: Apertum est templum in cœlo, & visa est arca testamenti in „ cœlo. Nam sicut cœlum est principium illuminationis & irradiationis totius mundi „ sensibilis, sic totius veritatis cognitio exordium a Divinis eloquiis accipit, & Scripturis, juxta illud Psalmi: Declaratio sermonum „ tuorum illuminat. (*Ps.* 118. 130.) Nam „ mandatum lucerna est, & lex lux. (*Prov.* „ 6. 23.) Unde quidquid proponitur philosophicæ (al. *prophetica*) rationis, quidquid as-

„ se-

duodecim. Et tamen mulier est hæc, quæ erat prægnans. Litera est spiritualibus sensibus fœcunda in Testamento veteri, quia circa temporalia insistit plantata, ac si in luna pedes tenens; (a); solari vero claritate novi Testamenti adornata, ac si coronam duodecim spiritualium intelligentiarum (b) in supremo suo cacumine habens. In omnibus autem Christum præsignans (c) denotat, quod vetus Testamentum toto conatu, summoque clamore assidue laboravit, ut Christi carnem propagaret; novum vero more parturientis assidue instat, & insistit, ut Christi spiritum, seu Christum in spiritu, seu Christi vitam, produceret, & inspiraret. Spiritualis vero intelligentia, & Ecclesia contemplativa (d) designata in corona, pertinet ad regnum æternum. Licet autem sol, luna, stellæ, sint corpora circularia; corona tamen secundum suum nomen circumdans caput, ipsam designat cum quadam gloria. (e) Vetus etiam Testamentum, more cujusdam corporis, seu mundi orbicularis, firmatum est super novum (f). Similiter se habebit Ecclesia contemplativa stellis assimilata in hac tanta gloria, & refulgenti concordia, tam omnium suarum literalium, quam spiritualium intelligentiarum. Et tunc evidenter apparebit, quod in Scripturis non solum non est aliquid repugnans, aut falsum, quin potius sunt omnia consona rationi, & summa sapientia & veritate plena. Hoc autem apparet ei, cui apertum est templum cœleste, ita ut videat arcam testamenti Dei in ipso, qui etiam videre potest Christum in Virgine, tamquam arcam Dei in templo suo. (g) Et hoc in triplici Cœlo, scilicet in Cœlo Ecclesiæ de gentibus conversæ; & in Cœlo Ecclesiæ contemplativæ de reliquiis Israelis, & Gentium collectæ; & in Cœlo triumphantis Ecclesiæ; (h) ita ut cum Paulo in [2. Cor. 12. 4.] hoc tertium Cœlum raptus audiat arcana verba, quæ non possint a carnali homine capi. Tunc velamen, quod in [Ibi 3. 13. ac seqq.] lectione veteris Testamenti non revelatum stat super cor filiorum Israel, obtusos sensus habentium, sibi omnino scindetur; quoniam in Christo evacuatur: (i) ita ut revelata facie gloriam Domini speculetur, in eamdem imaginem Christi transformatus a claritate in claritatem, prout habetur secundæ Cor. tertio. (k) Tuncque videbitur, quod Evangelium nostrum non est opertum nisi in iis, qui pereunt, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium. Quin potius Deus, qui [2. Cor. 4. 3. ac seqq.] dixit de tenebris, scilicet Scripturarum, lumen splendescere, cordi tali illucescet cum miro fulgore ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu, contemplando eum, qui est imago invisibilis Dei, prout habetur secundæ Cor. quarto. Sicut enim in Passione Domini velum templi scis- [Matth. 27. 51. ac seqq.] sum est, & terra mota est, & petræ scissæ, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & multis apparuerunt; sic & in parturitione literæ Mulieris

---

„ scritur mundanæ sapientiæ argumentis, si „ veritati Theologicæ non consonat, a natura „ Cœli discrepat, & discordat, ut dicere pos- „ sit Scriptura veritatis: sicut exaltantur cœli „ a terra, sic viæ meæ a viis vestris. “ Isa. 55. 9.

(a) Per *lunam* significari *terrenitatem*, adeoque *temporalia*, itidem innuitur in eodem Comment. Apoc. cap. 12. ver. 2. num. 817.

(b) De his ad finem Serm. sive Collat. 22. in Hexaem. ac in superiori Comment. de Plantatione Paradisi supra col. 10.

(c) In Princ. Script., in Exposit. cap. 24. S. Lucæ, nec non Ser. sive Collat. 14. in Hexaem.

(d) De *fulgore contemplantium, qui habent solem, lunam, & stellas* Serm. sive Collat. 20. in Hexaem. nec non de *anima contemplativa amicta sole &c.* Serm. sive Collat. 22. ibi, nec non de Plantat. Paradisi supra col. 8. Item cit. Par. 4. cap. 4. de Eccl. Hierarch. ab init. „ Cœ- „ lorum nomine intelligitur cœlestis & subli- „ mis conversatio contemplativorum, in quo- „ rum mentibus pacificis & quietis, Divina „ virtus, tamquam in cœlis, singulariter re- „ quiescit &c.

(e) Serm. 2. in ordine 14. de uno Martyre, nec non Serm. 1. in ordine 32., ac Serm. 2. in ordine 33. de una S. Virgine, nec non mox seq.

(f) Sive *sicut rota in medio rotæ, vetus est in novo &c.* inquit Auctor in Procem. Breviloq. *de latit. sacr. Script.* ac supra animadvertimus §. 11. col. 294. in not. *d.* Vid. infra §. 74. in fine, nec non mox seq. Tract. de sacr. Scriptur. mater. §. 29.

(g) Quod *Christus* sit hujusmodi *Arca testamenti*, tradit noster Interpres Comment. in Apocal. cap. 11. sub ver. 19. alias 12. 1. ubi & quod *uterus Virginis fuit templum Christi Dñi.*

(h) Non dissimiliter de *triplici cœlo per solam fidem, per contemplationem, & facie ad faciem,* Exposit. in Psalter. Ps. 2.

(i) De hoc verbo in hoc ipso sensu in 3. Dist. 31. Art. 2. Q. 1. per totam.

(k) Supra Comment. de Plant. Parad. in fine §. 5. col. 10.

lieris hujus, (a) quaſi interna paſſione, totaliter ſcinditur velum (b), & aperitur vulva carnalis intelligentiæ, & frangitur duritia lapidea. Itaque de toto monumento Scripturarum ſanctarum (c) ſurgunt multi glorioſi interius in magna evidentia, ac ſi multa corpora Sanctorum.

Deſignatio ſextæ apertionis omnis impoſſibilitatis. Act. 7. 55.

§. XLVIII. Sextæ autem apertioni poteſt aptari quod legitur Act. ſeptimo: Cum eſſet Stephanus plenus Spiritu ſancto, intendens in Cœlum, vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem a dextris virtutis Dei, & ait: ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem a dextris virtutis (d) Dei. Cum enim lapidaretur, & eſſet circa finem paſſionis, & mortis ſuæ, tunc triumphalis virtus & fortitudo Chriſti, cœpit ſibi aperiri clare, tamquam gratia & fortitudine Dei pleno; & ideo dixit ſe videre Jeſum a dextris, non a ſiniſtris: ita ut tam nomine *dextri*, quam nomine *virtutis*, in ſummo robore Divinæ pietatis adjuvantis (e) eum ſe vidiſſe ſignificet. Tanta enim eſt Chri-
1. Cor. 1. 25. ſti fortitudo, ut quod infirmum ejus eſt, fortius ſit hominibus. Unde etiam tam in ſe, quam in ſuis membris, per paſſionem & mortem, patientia fragilis carnis, omnes inimicos ſuos proſtravit & vicit. Et ideo convenienter apertio iſta facta eſt Protomartyri in fine martyrii. (f) Et hoc etiam ad oſtendendum, quomodo, ſi quis vult ſibi aperiri, omnia ſecundum quod credimus, ſunt poſſibilia Deo, ita ut non ſit impoſſibile apud Deum omne verbum, & *Luc. 1. 37.*
quomodo omnia poſſibilia ſunt credenti. *Mar. 9. 22.*
Oportet eum abſtrahi ab æſtimatione creatæ virtutis, ita quod experimento probet, cetera omnia nihil eſſe, nulliuſque virtutis. Et ideo in hora paſſionis Chriſti velum templi ſciſſum eſt, & monumenta aperta ſunt; quod & contigit ſexta feria. Per hanc eamdem cauſſam Angelo ſextæ Eccleſiæ, ſcilicet Philadelphiæ, loquitur: Qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. (g) *Apoc. 3. 7. ac ſeqq. & Iſa. 22. 22.*
Ecce dedi coram te oſtium apertum, (h) quod nemo poteſt claudere; quia modicam habes virtutem, hoc eſt, modicam exiſtimas virtutem creatam, & ab ejus confidentia pro poſſe (i) receſſiſti. (k) Et eidem dixit: Qui vicerit, *Apoc. ibi 12.*
faciam ipſum columnam in templo Dei mei, & ſcribam ſuper illum nomen Dei mei, & nomen Civitatis novæ Jeruſalem, (l) & nomen meum novum, quod non eſt aliud, quam ſibi aperiri & reſerari paternalem ſeu productivam virtutem Dei Patris, & influentias magnificas, per quas condita eſt tam Jeruſalem ſuperna, quam militans Eccleſia, & victorias triumphales novi nominis Jeſu. (m) Hinc etiam eſt, quod ſub ſexto Angelo tuba canente viſus *Apoc. 10. 1. ac ſeq.*
eſt

(a) De qua velut prægnante dictum eſt ſupra ab initio hujus Paragraphi.

(b) Idem notat Expoſit. in cap. 23. S. Lucæ, quod ſicut *in ſolis obſcuratione intelligitur obcæcatio Judæorum; ita in ſciſſione veli revelatio Scripturarum, quæ facta eſt gentibus.* Obſervat etiam, quod hoc *ad tempus finale poteſt referri.* Quomodo etiam Chriſtus Diſcipulis *aperuerit ſenſum, ut intelligerent Scripturas*, ipſe declarat in eadem Expoſit. cap. 24. ac Serm. ſive Collat. 3. in Hexaem.

(c) De *monumento Scripturæ* itidem in dicta Expoſit. ejuſdem cap. 24 Similiterque de *reſeratione ſepulchri ſignificante apertionem libri, ac de remotione linteaminum ſignante revelationem myſteriorum*, Serm. ſive Collat. 1. in Hexaem.

(d) Vulg. tam prima, quam ſecunda vice, ſine *virtutis*; at utrobique *virtutis* Hugo Card. noſtro Interpreti coævus, ac Cod. noſter Bernardin. 40. nec non quædam antiquæ Biblior. Editiones. Item ſecunda vice etiam Lyran. antiquæ Biblior. Editiones &c. Quinimo ipſemet Interpres noſter in Opuſc. de laude Melliſl. Nom. D. N. J. C. num. 76. de quo Vol. 3. Quid quod & Eccleſia in Feſto S. Steph. Protomart. in Reſponſ. 3. primi Noct. & ult. Antiph. ad laudes cantat *a dextris virtutis Dei?*

(e) Expoſit. in Pſalter. Pſ. 81. & S. Greg. in Evang. Lib. 2. Hom. 29. num. 7.

(f) Vide ſis quoad prædicta Serm. 1. Dom. 3. Advent. ubi itidem noſter Interpres legit: *a dextris virtutis Dei.*

(g) De hujuſmodi *clave aperiente & claudente profunda myſteria in Scriptura*, quæ ſcilicet *nullus intelligit niſi per Chriſtum crucifixum, & ſuſcitatum, & gentibus per Spiritum Sanctum divulgatum &c.*, Expoſit. in cap. 24. S. Lucæ.

(h) Serm. ſive Collat. 16. in Hexaem. prope finem, ubi ſimiliter explicat hujuſmodi *oſtium apertum per intelligentiam Scripturæ, vel revelationem.*

(i) *Pro poſſe* habet ipſe D. Bona. in Legenma. S. Franc. vid Prodr. col. 592.

(k) Comment. In Apocal. cap. 3. ver. 8. num. 203.: *quia non de ſuis viribus confidebat*, ubi & de *oſtio Scripturarum aperto.*

(l) Serm. ſive Collat. 20. in Hexaem. prope finem ad eumdem textum: *Hoc eſt dabo notitiam Scripturarum.*

(m) Comment. in Apocal. cit. cap. 3. ver. 12. num. 216. *Nomen novum Jeſus, id eſt, Salvator.* Item de eodem *novo nomine* in Opuſc. de laude Melliſl. Nom. D. N. J. C. Ser. ſive Sect. 4. num. 26. nec non Ser. ſive Sect. 2. num. 12. ubi de *triumpho victoriæ* ejuſd. Nom.

est Angelus, cujus facies erat sicut sol, habens in manu sua libellum apertum. (a) Scenarius autem est perfectio laboris &
Matth. 17. 1. ac seq. passionis. (b) Hinc etiam est, quod post dies sex ascendit Jesus in montem excelsum, præcipuis tribus Apostolorum suorum gloriam & virtutem Majestatis suæ una cum excessu suæ passionis manifestans. (c) Alia etiam caussa oritur ex ista; quia sic in passione apertio ista est facta, quod nisi litera, & omnis carnalis intelligentia, & omnis potentia humanæ rationis, & Philosophiæ, confringatur, & ad mortem ducatur, non potest aperiri monumentum Scrip-
Apoc. 5. 5. ac seqq. turarum sanctarum. (d) Unde ille Leo de tribu Juda, qui venit aperire librum, & solvere septem signacula ejus, antequam aperiret ipsum, visus est tamquam agnus occisus in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, prout habetur Apocalypsis
Psal. 70. 15. quinto. (e) Non etiam sine caussa Psalmista ait intrasse in potentias Domini, quoniam non cognovit literaturam, sive literam. (f) Non inconvenienter igitur Stephanus iste, unus de septem Diaconibus, & primus Christi martyr, interpretatur regula, vel coronatus, (g) vel speculans, seu judicans nos; quia nisi quis regulam Christi in se accipiat, sicut est expressa in vita & cruce sua, non poterit apertionem istam plenarie (h) intueri. Qui etiam cœlestem vitam duodecim Apostolorum in culmine sui capitis non accipit, corona duodecim stellarum, scilicet intelligentiarum, non coronabitur; cum in perceptione coronæ istius sit apertio ista. Angelus autem sextæ Ecclesiæ coronatus esse innuitur, quando ei dicitur: Tene quod habes, ut nemo accipiat co- *Apoc. 3. 11.*
ronam tuam. Et Angelus, qui sub *Apoc. 10. 1. ac seq.* sexto Angelo tuba canente libellum tenebat apertum, (i) arcu iridis erat in capite coronatus; (k) & si bene inspicias, per istum, & sub isto renovari debuit vita regulaque Christi, (l) & vita contemplativa, (m) ut speculator dici possit. Et ex istis caussis debet esse de numero Judicum cum Apostolis super duodecim sedes sedentium, ut

Stephanus interpretatur regula, vel coronatus, vel speculans, seu judicans.

(a) *Id est, mysteria de Deo dicta in sacra Scriptura, fuerunt per istum Angelum, scilicet Christum, opere completa, & manifestata &c.*, Comm. in Apoc. ibi num. 678.

(b) De senarii numeri perfectione, quatenus *Christus venit sexta ætate, & sexto numero annorum, & sexto mense conceptus, & sexta feria passus, & sexta hora in cruce suspensus*; idem exposit. in cap. 1. S. Lucæ. Item de ejusdem numeri perfectione 1. Dist. 2. Art. 1. Q. 4. in concl. ac etiam alibi.

(c) Sic in Itiner. ment. in Deum cap. 1. quod autem tunc sermo fuerit de *excessu*, sive de *passione*; idem Interpres habet prædicta Exposit. Cap. 9. ejusdem S. Lucæ.

(d) Vide supra ad finem §. 47,

(e) Idem Interpres Comment. in cit. cap. 5. Apocal. sub ver. 6. num 346. ad illa verba *agnum tamquam occisum* subdit: *Hic agnus librum signatum aperuit, quia fuit revelator secretorum per sapientiam.*

(f) Idem Exposit. in Psalter. ad eumdem Ps. ac vers. ubi itidem per *literaturam* intelligit nedum illam, quæ est *Philosophorum*, quæve *facit inflatum*; sed & illam, quæ *facit servum*, nempe *Judæorum, qui ad literam tantum exponunt Scripturas, non attendentes mysticum intellectum*; Subdit autem e contrario de *literatura Christi scilicet novo Testamento*, dici posse: *si cognovi literaturam introibo in potentias Domini.* Namque ubi *lex neminem duxit ad perfectum, Evangelium salutem confert.* Nunc enim nos *docet Deus per Scripturam, unde hoc; Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Per doctrinam, unde illud: Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Per inspirationem, unde hoc: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Per exemplum, unde: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde &c.* Qui ergo *non cognoscit literaturam*, quia non sectatur literam occidentem, ut non operibus legis, aut meritis propriis absque gratia factis, adscribat justitiam suam, nec de se præsumat; talis *introit in potentiam Domini*, per quam sibi noverit esse veram justitiam, & facultatem legem implendi, & opera meritoria faciendi: vel *introit in potentias Domini*, id est, in Divina mysteria, ad quæ intelligenda Christus post resurrectionem aperuit Discipulis sensum, ut hi deinde Judæos Scripturis ipsis convincerent, uti tradunt Interpretes apud Lorinum, quibus Interpres noster consentit.

(g) Glossa ordinar. apud Lyranum: *Stephanus Græce, Latine corona...... Hebraice interpretatur Stephanus norma nostra* (sive regula) *qui primo passus, sequentibus Martyribus factus est forma moriendi pro Christo.*

(h) *Plenarie* adverb. pro *plene*, etiam in Legen. ma. S. Franc. Vid. Prodr. col. 592.

(i) Alludere videtur ad eumdem S. Franciscum, qui teste ipsomet S. Bonaventura in ejus Legenda cap. 3. *ter Evangeliorum librum aperuit.* Id in sequentibus magis apparebit.

(k) Ad calcem ejusdem cap. 3. *fecit coronas parvulas fieri.*

(l) Regula ipsa & Vita FF. MM. est *Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare.*

(m) Serm. sive Collat. 20. in Hexæm. ad fin. inter ejusd. S. Franc. dicta recenset „ In hac „ vita pauperibus debetur contemplatio. Con- „ templatio enim non potest esse, nisi in sum- „ ma simplicitate: & summa simplicitas, nisi „ in maxima paupertate. Et hoc est hujus „ Ordinis, cujus intentio est habere summam „ paupertatem. “ Vide quæ de S. Franc. con,

ut judicans, vel judex in regno Dei. *(a)* Nec immerito debet ejus status esse
1. Cor. 2. 15. spiritualis, & ideo dijudicans omnia. Ipse etiam est Diaconus aperte legens Evangelium; *(b)* habens clavem David, *(c)* & onus Crucis Christi portans super humeros suos, *(d)* immediate Christo Sacerdoti ministrans; unde & ad literam Angelus sexti signaculi, *(e)* sicut Stephanus in Diaconali *(f)* gradu fuit.

Designatio septimæ apertionis omnis inapprehensibilitatis. Apoc. 19. 11. & seqq.

§. XLIX. Pro septima apertione potest assumi illud, quod legitur Apocalypsis decimo nono: Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, & Verax, & cum justitia judicat & pugnat. Oculi autem ejus, sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine. In hac enim apertione apprehendit homo clare septem proprietates Medii supradicti, ex quibus potest homo manifeste concludere, seu conspicere cetera, quæ per experientiam nostram apprehendi non possunt. Quarum prima est Christi & Sanctorum ejus innocentia virtuosa, propter quod ait: & ecce equus albus. Secunda, Dei promissio firma, propter quod ait: & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, & Verax. Tertia, retributio Dei justa; unde sequitur: & cum justitia judicat &c. Quarta, Dei perspicacitas clara; unde sequitur: Oculi autem ejus, sicut flamma ignis. Quinta, Dei gloria multa & immensa; unde sequitur: & in capite ejus diademata multa. Sexta, Dei incomprehensibilitas; unde sequitur: habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Septima, Christi passio pia & victoriosa; unde sequitur: & vestitus erat veste aspersa sanguine. *(g)* Ista enim omnia manifestant, & probant animarum gloriam, quietem, & statum alterius sæculi, nobis invisibilem, quod ad præsens non prosequor, quia facile est ea ad propositum coaptare.

Cur Scripturæ sub signaculis clausæ?

§ L. Ex clausura autem & apertione horum septem signaculorum, seu ex spirituali conditione *(h)* septem operum, quæ in septem mundi ætatibus *(i)* continentur, patet ratio & necessitas; scilicet quare Scripturæ sacræ clausæ fuerint sub septem signaculis generalibus, de quibus in præcedenti principio mentio fuit facta. *(k)* Illa enim, quæ in sexta & septima ætate sunt facta, vel prædicta, *(l)* tantum videntur esse impossibilia, & inapprehensibilia; quia eorum unitas & actualitas oportuit a principio claudi sub difformitate figurarum multiplicium, & operum contingentium. In operibus vero & documentis quinque ætatum præcedentium tanta fuit materialitas, quod non potuerunt veritatem Divinorum in sua altitudine & nuditate exprimere, nisi secundum conditiones signaculorum generalium, quæ in præcedenti principio præmissa sunt. Quare autem sic Deus ordinaverit mundum per sex ætates,

---

contemplatione loquitur in Prol. & cap. 7. quod & ult. Itinerar. Quæve de *gradibus contemplationis* Fr. Ægigii socii S. Franc. ipsemet refert Exposit. in cap. 9. S. Luc. quem & *contemplativum* appellat Serm. sive Collat. 1. in Hexaem. ac de eodem testatur in Legen. m. S. Franc. cap. 3. quod *quamquam esset idiota & simplex ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem*.

(a) Cap. 6. Legen. Ma. S. Franc. ubi de ejusdem *in cœlo sede præ ceteris digniore*, ac ejusdem S. Franc. dicto cit. Serm. sive Collat. 20. in Hexaem. ubi ad finem *de judicio a Deo pauperibus tributo, ut sint judicantes duodecim tribus Israel*. Unde etiam in eadem Legen. ma. cap. 8. *frater pauperculus in gloria judex vocatur*.

(b) S. Franciscus fuit Diaconus, non autem Sacerdos, Exposit. in cap. 2. Reg.

(c) Ad apertionem videlicet Scripturarum. Videatur cap. 11. dictæ Legendæ S. Francisci, ubi agitur *de intelligentia Scripturarum*. Item cit. Ser. sive Collat. 20. in Hexaem. ubi de *sexto Angelo Apocal.* 10.

(d) Cap. 5. sæpe laud. Legen.

(e) In Prol. ac cap. 13. ejusdem Legen. nec non Serm. sive Collat. 16. in Hexaem. ubi de *Ordine simili Ordini Jesu Christi, cujus caput esset Angelus, ascendens ab ortu solis, conformis Christo*.

(f) Cod. Venet. *Diaconii*.

(g) Hic interpretandi modus parum abludit ab eo, qui est in Comment. Apocal. cit. cap. 19. ver. 11. ac seqq. num. 1413. ac seqq

(h) *Conditio* heic, & alibi, sumitur pro creatione, nedum a D. Bona.; sed & a Tertull. de hab. mulier. cap. 8.

(i) De quibus in Procem. Breviloq. De longit. sacr. Script.

(k) De *septuplici clausura* supra § 27. Vel per prædicta verba: *de quibus in præcedenti principio mentio fuit facta*, indicatur Commentarius, sive Tractatus, in MS. Cod. Vene. primo loco positus, in quo agitur *de apertionibus septem sigillorum*, de quo Vol. 2. hujus Supplem.

(l) Al. *& prædicata*.

tes, & ſextam ætatem per ſeptem Eccleſiaſtica tempora, ampliorem & prolixiorem inveſtigationem requirit. (a)

Admirabile materiale ſubjectum, & principale objectum, Deus eſt.

§. LI. Admirabile autem materiale ſubjectum, & principale objectum hujus Scripturæ, ſeu per Scripturam menti noſtræ repræſentatum, Deus eſt, ſecundum quod eſt a nobis apprehenſibilis, ſeu diſcernibilis, ſeu viſibilis. Unde rationes, ſecundum quas eſt a nobis apprehenſibilis, (b) viſiones Dei dici poſſunt, ſeu Dei illuminationes; (c) & illæ poſſunt apprehendi ſub ſeptem. Eſt enim a nobis apprehenſibilis ſecundum rationem primo, ſummi Principii (d) & Creatoris: ſecundo, Gubernatoris: tertio, Pontificis & Redemptoris: quarto, Magiſtri & Illuminatoris: quinto, inhabitantis ſeu juſtificantis Domini ſeu Sponſi: ſexto, ſummi Judicis & Retributoris: ſeptimo, ſummi Boni beatificantis. Cum enim Deus non ſit a nobis apprehenſibilis, niſi per ſuos effectus, ſeptem autem ſunt principales effectus, ſcilicet opus creationis, gubernationis, redemptionis, & illuminationis, ſanctificationis, judicii, & beatificationis; ideo ſub iſtis ſeptem rationibus debet a nobis potiſſime apprehendi, & in Scripturis principaliſſime repræſentari.

Septem Dei effectus, per quos dignoſcitur.

§. LII. Juxta fluvium autem entium ſeu eſſentiarum, habet apprehendi Deus ſecundum rationem creatoris, & hoc aſpiciendo in hoc fluvio Medium ejus abſtractiſſimum. Juxta fluvium vero operationum ac propagationum tam naturalium, quam mirabilium, apprehenditur ratione ſuæ gubernationis, aſpiciendo Medium ejus virtuoſiſſimum. Juxta fluvium bellorum, & ſucceſſionis ſeu diſtinctionis mundanorum regnorum, apprehenditur ratione ſuæ redemptionis, aſpiciendo Medium ejus profundiſſimum, ſeu humillimum. In fluvio vero doctrinarum & ſcientiarum, habet apprehendi ratio ſuæ lucis & illuminationis, aſpiciendo Medium notiſſimum & certiſſimum. (e) In fluvio vero morum & affectionum, habet apprehendi ratio ſuæ ſanctitatis, ſeu noſtræ ſanctificationis ab eo orientis, aſpiciendo Medium ejus modificativiſſimum. In fluvio autem legum & ſectarum, apprehenditur ratio ſuæ judiciariæ retributionis, ſecundum Medium æquiſſimum. In fluvio vero beneficiorum & gratiarum, habet apprehendi ratio ſuæ felicitatis & beatificationis per Medium concordiæ pacatiſſimum. (f) De iſtis autem ob vitabilitatem prolixitatis amplius ad præſens non proſequor.

Ultimum Scripturæ complementum eſt con-

§. LIII. Finale autem complementum hujus Scripturæ eſt Divinarum Viſionum contemplatio & ſpeculatio nobis

hic

(a) Vid. Serm. ſive Collat. 16. in Hexaem.

(b) Deus quo pacto apprehendi, non autem comprehendi dicatur in 3. Diſt. 14. Q. 2. in concl.

(c) Ad has ſpectant Sermones, ſeu potius Collationes Auctoris in Hexaem. dictæ etiam *Viſiones* ſive *Illuminationes*.

(d) Cod. Vatic. *Principis*.

(e) Id ita D. Bona. declarat Serm. 1. Dom. 22. poſt Pentec. „ Sicut terra, niſi luce illu„ ſtrata, videri non poteſt; ſic quæ in Diſci„ plinis traduntur, quamvis veriſſima nulla „ dubitatione quiſque concedat, credendum eſt „ non poſſe intelligi, niſi a Chriſto Sole ſpi„ rituali illuſtraretur. " Hujus vero aſſertionis rationem antea præmiſerat, dicens " Quia „ nullus poteſt dicere res eſſe ſcibiles alteri, „ niſi ſit immutabilitas ex parte ſcibilis, cer„ titudo ſive infallibilitas ex parte ſcientis. „ Omne enim quod ſcitur ſecundum Philoſo„ phum, neceſſarium eſt in ſe ſine mutabili„ tate, & certum eſt ipſi ſcienti. Tunc enim „ ſcimus, cum cauſſam arbitramur cognoſcere „ propter quam res eſt, & quoniam impoſſi„ bile eſt aliter ſe habere. Ex parte enim „ creaturæ cujuſcumque non eſt immutabilitas. „ Unde cum res habeant eſſe in proprio ge„ nere, & in humana mente, & in æterna „ ratione, & earum eſſe ſit mutabile primo, „ & ſecundo modo; eo quod omne creatum „ vertibile, & immutabilitas ſolum ſit in Fi„ lio Dei, qui eſt ars omnium viventium: ne„ ceſſario ſequitur, quod res ſcibiles nullo „ modo habeant immutabilitatem, niſi prout „ ſunt in Verbo æterno. Ergo nullus poteſt „ docere, nec etiam facere res fore ſcibiles „ vere, niſi adſit Filius Dei. Secundo ad hoc „ quod aliquis poſſit docere, requiritur certi„ tudo & infallibilitas ex parte ſcientis, quæ „ non poteſt eſſe ex ea luce, quæ poteſt ob„ ſcurari, & talis eſt lux intelligentiæ creatæ; „ & hoc eſt quod dicit Auguſtinus. " Hinc elicit, concluditque „ Merito igitur ſoli Chri„ ſto, & non alii, attribuenda eſt auctoritas „ officii, ut ſingulariter unus Magiſter dica„ tur; eo quod ipſe eſt fontale principium, & „ origo cujuslibet ſcientiæ humanæ. Unde „ ſicut unus eſt Sol, tamen multos radios emit„ tit; ſic ab uno Magiſtro ſole ſpirituali mul„ tiformes, & diverſæ Scientiæ procedunt. Et „ quemadmodum multiplices, & diſtincti rivuli „ ab uno fonte egrediuntur, unus tamen eſt „ fons, qui in tot rivulos ſine ſui defectibili„ tate multiplicatur; ſic ab uno fonte æterno, „ ab uno pelago infinito, ab uno Magiſtro „ Chriſto, ſine ſui defectibilitate, egrediuntur „ rivuli diverſarum Scientiarum. "

(f) De prædictis ſupra §. XVIII.

templatio Divinarum viſionum.

hic deſignata ſub hoc verbo *vidi*. Ad quem actum eſt neceſſaria oculi ſerenatio puriſſima, (a) ac viſio ſubtiliſſima, adunatio robuſtiſſima, illuſtratio clariſſima, pertranſitio & penetratio Mediorum vivaciſſima, defixio ſolidiſſima, circumgyratio celerrima & velociſſima. (b) Si enim oculus intellectualis non eſt perfecte ſerenatus, & mundatus, non poterit intueri Medium abſtractiſſimum & mundiſſimum; (c) nec fluvium entium, nec altitudinem Creatoris, ſecundum quam eſſe omnium oritur ab ente univerſaliſſimo & abſtractiſſimo. Si autem perfecte non eſt exacutus, non poterit apprehendere Medium virtuoſiſſimum. Si autem perfecte non fuerit adunatus (d) non poterit apprehendere Medium profundiſſimum & humillimum, nec rationem noſtræ redemptionis. Si autem non fuerit Divino lumine illuſtratus clariſſime, non poterit perfecte attingere Medium, quod ſecundum ſuam naturam eſt notiſſimum; (e) nec fluvium doctrinarum & ſcientiarum, nec altitudinem Divinorum radiorum & illuminationum. (f) Si autem non penetrat & pertranſit omnes vias, & omnia media ducentia nos in Divinum cultum, ſeu in amorem Divinum; non poterit apprehendere perfecte Medium modificativiſſimum, nec fluvium morum & affectionum. Si etiam non circumgyretur celeriter ſuper omnes conditiones meritorum & demeritorum, præmiorum & ſuppliciorum, præceptorum & conſiliorum; non apprehendet Medium juſtitiæ æquiſſimum, nec fluvium legum & ſectarum, nec rationem juſtæ retributionis. Si etiam ſolide & firmiter non defigatur in tranquillitate æternorum, non poterit aſpicere Medium concordiæ pacatiſſimum; nec fluvium Divinorum beneficiorum, nec ſuavitatem Divinarum beatificationum. Quin potius, ſi oculus intelligens, omnes iſtas conditiones in ſe ſimul non habet, nil prædictorum in Scripturis ſacris poterit contemplari; quod latius pertractando, poterit apparere.

Recapitulatio, ſive ſummaria repetitio.

§. LIV. Patet igitur admirabile hujus Scripturæ medium & principium effectivum, experimentale ſpeculum, admirabilis apertio Scripturarum, admirabile ejus materiale ſubjectum, & principale objectum, & ejus finale complementum. (g) Patet inſuper ex prædictis, quod ejus materia ſunt fluvii, & penetralia cœli, & penetrales viſiones Dei cum adjunctione nobiliſſimi Medii. Sicut enim ſpeculum habet in ſe quamdam naturam Vaſis continentis, & Medii deducentis, & formam apparentis imaginis, cum ſuperirradiatione illuſtrantis luminis; ſic materia Scripturarum ſanctarum habet in ſe cœlos prædictos quaſi Vaſa continentia, Fluvios autem quaſi ſuperperſpicua, ſeu Media deducentia, Viſiones quaſi apparentes imagines, nobilitatem vero, multiplicitatem, & multiformitatem Medii quaſi ſuperirradiatione (h) illuſtrantis.

§. LV. Patet etiam, quod ejus cauſſa efficiens fuerunt Viri Sancti a mundo elevati, & in mundo peregrini. Ejus vero

(a) Vid. ſupra col. 311. not. *f*.

(b) Circa repetitionem hujuſmodi ſuperlativorum, diximus in Prodromo col. 167.

(c) S. Auguſt. Tract. 1. in Joan. Evang. cap. 1. num. 9.

(d) Vid. ſupra §. 10.

(e) Ipſemet Interpres 1. Diſt. 3. Par. 1. Art. 1. Q. 1. in concl. Cur autem illud *ſecundum ſuam naturam notiſſimum* non agnoſcatur, ratio eſt ibi, quia eſt *impediens, vel deficiens ex parte intellectus*. Et ibi Q. 2. ad 2. ex Ariſt. 2. Metaph. contex. 1. ait quod *intellectus noſter ſe habet ſicut oculus noctuæ ad manifeſtiſſima naturæ*. Idipſum repetit cap. 5. Itinerar. Et in Opuſc. de tribus ternar. peccator. „ Hoc eſt in nobis valde miſerabile, quia illud quod valde lucet, non poſſumus reſpicere, ſcilicet Deum, & Subſtantias ſeparatas. Unde exemplum ponitur a Sapiente, quod ſicut oculus noctuæ non poteſt reſpicere lucem Solis; ſic nos non poſſumus reſpicere lucem Creatoris. „ Et hujus exemplum videmus in naturalibus. „ Illud enim quod maculat oculum, impedit oculi viſionem; unde oculus maculoſus non poteſt clare videre. Sic cum peccatum maculat animam, impedit intellectualem ejus viſionem; ideo diminutæ ſunt veritates a filiis hominum. “ Pſ. 11. 2. Vid. quoque Comment. in cap. 1. Evang. S. Jo. num. 24. Item ſupra col. 311. not. g.

(f) De his, ut in Chriſto ſunt, uno ſcientiarum Magiſtro, & illuſtrationum Sole ſupra cit Serm. 1. Dom. 22. poſt Pentec. Vid. ſuperiori §. 52. not. *e*.

(g) Hæc omnia in hujus Commentarii exordio ab ſe pertractanda propoſuerat Auctor. Vid. ſupra §. 1. 2. ac 3.

(h) Sicut *ſuperirradians* in Leg. S. Franc., ut obſervavimus in Prodromo col. 592. ubi & de vocabulo *multiformitatis*, de quo etiam in 1. Diſt. 34. Art. 1. Q. 4. in concl.

vero finis est perfecta contemplatio luminis Dei. Forma autem admirabilia velamina spiritualium clausurarum cum superadmirabilibus apertionibus earum. (a)

§. LVI. Ut autem non sine ratione credas, Scripturam istam singulariter sub tali forma esse compositam; hoc enim nulli alii Scripturarum vel Scientiarum competit nisi ipsi: (b) scias, quod multiplex est ratio, quare Scriptura sub velamentis similitudinum est formata, & tradita (c). Possunt ad præsens assignari duodecim utilitates pro ratione. Est enim iste modus utilis ad efficaciorem, & intelligentiorem expressionem. Melius enim apprehendimus sensibilia, quam intelligibilia, & per hujusmodi efficacius exprimimus quod exprimere intendimus. (d) Ut si dicam Deum habere faciem, & claritatem solarem; vel Dæmones habere formam, vel malitiam serpentinam, & consimilia.

Duodecim utilitates in sacra Scriptura sub similitudinum velamine tradita, quarum prima.

§. LVII. Secundo est utilis ad intellectus exercitationem (e) & exacutionem. Quando enim intellectus laborat investigando occulta, & difficilia, magis exacuitur, & subtiliatur, (f) quam si sine labore & conatu omnia traderentur sibi plenarie. (g)

Secunda utilitas.

§. LVIII. Tertio est utilis ad familiarem, & connaturalem manuductionem, (h) & ad apprehensionem eorum, quæ secundum naturam sunt nobis per se, & secundum se inscrutabilia, & inenarrabilia. Sicut enim ait Dionysius 1. de Angelica Hierarchia: Non est possibile nobis ad supernum duci radium, nisi varietate sacrorum velaminum, scilicet sub sensibilibus figuris, & consimilibus, anagogice circumvelatum &c. (i) Et sicut etiam videmus, quod cæco nato non possumus tradere naturas colorum & luminum, nisi sub similitudine aliorum sensibilium, quæ per alios sensus sentit; sic est in proposito. Sancti enim multa de Divinis senserunt, & intellexerunt, quæ per nullum verbum aut vocabulum, sicut ab eis percipiuntur, exprimi possent. Ideo talia habent loqui per parabolas & similitudines propter eorum immensitatem. (k).

Tertia utilitas.

Dionysius L. de Ang. sive Cæl. Hierarch. cap. 1.

§. LIX. Quarto est utilis ad memoriæ faciliorem & firmiorem retentionem; (l) facilius enim & firmius retinemus ea, quæ sub certis, & brevibus, & paucis signis, nobis traduntur.

Quarta utilitas.

§. LX. Quinto est utilis ad delectabiliorem auditionem, gratioremque inventionem, (m) & speculationem; naturaliter enim placet tam sensui, quam intel-

Quinta utilitas.

(a) Similem recapitulationem habet in fine Opusc. de laude melliss. Nom. D. N. J. C. ac Comm. in Cap. 21. Apocal. n. 1526. &c.

(b) Serm. sive Collat. 13. in Hexaem. „ Habet Scriptura multos intellectus, quia talis „ debet esse vox Dei, ut sit sublimis. Cæteræ „ Scientiæ sunt contentæ sub uno sensu; sed „ in hac est multiformis. Et in hac signant „ voces & res, in aliis autem solæ voces &c.

(c) Serm. sive Collat. 13. in Hexaem. *Hic liber est Scriptura, qui ponit similitudines, proprietates, & metaphoras rerum in libro mundi scriptarum.*

(d) In 1. cit. Dist. 34. Art. 1. Q. 4. in concl. *Quia translatio est propter nostram instructionem, & similitudo incipiens a notiori est via cognoscendi; ideo est translatio a creaturis tanquam a notioribus ad Creatorem.* Et in Princip. sacr. Scriptur. ait, quod *in descriptione rerum excellentissimarum mentis humanæ acies invalida, quæ, ut dicit August. in excellenti luce non figitur, utitur sensibili manuductione rerum naturalium.* Et de Scriptura præsertim prophetica subdit, quod *lucem Divinæ sapientiæ contemperat obtutibus nostris, notificando eam transumptione Symbolica, seu sub metaphora.*

(e) De hujusmodi utilitate *propter exercitationem quærentis* etiam Exposit. in cap. 24. S. Lucæ. Item Exposit. in Psalter. Ps. 98. „ Prophetæ sub figura vel velamine loquebantur „ propter exercitationem; quia si omnia essent „ levia, parvipenderemus. Nam in labore, „ & sudore vesceris pane tuo. “ Gen. 3. 19.

(f) Hoc verbo alibi quoque utitur S. Bona. Vid. Prodr. col. 525.

(g) Vid. supra §. 48. col. 323. in not. *b.* ad hoc ipsum adverb.

(h) Sic Exposit. in cap. 15. S. Lucæ idem Auctor docet, decuisse sacram Scripturam ita loqui, nimirum *ad manuducendum intellectum parvulorum, & simplicium, & ad concipiendum in se multiformitatem intellectuum Divinorum.* Sed & de hujusmodi *sensibili manuductione* in Princip. sacr. Scriptur. ut paulo ante adnotavimus. Item cap. 2. Itiner. ment. in Deum &c.

(i) Vid. supra de Plantat. Parad. §. 1. ubi in not. *i.* plura in hanc rem.

(k) In Ps. supra cit. 98. „ Prophetæ sub figura vel velamine loquebantur propter rei „ immensitatem, quia promittebant rem magnam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. “ 1. Cor. 2. 9.

(l) Pariter Postilla, sive Comment. in Joan. Evang. cap. 4. num. 274. ab eodem Interprete utilis dicitur, *ut veritas firmius teneatur*; hocque ipsum tradit S. Joan. Chrysostomus Hom. 33. in Joan. ante medium.

(m) De præfata utilitate *propter delectationem invenientis* nedum laud. S. Jo. Chrys. in allegata

intellectui, repræſentatio ſpecularis, in tantum quod eoſdem in admirationem inducat. Vehementer etiam afficit & delectat concordia, & proportio correſpondens, quæ ſunt inter ſimilitudines repræſentantes, & inter ſignata: maxime quando talis correſpondentia erat prius improviſa, & inopinata. Tractare etiam frequenter aliquid per verba propria, & facilia, generat faſtidium; *(a)* non autem tractare idem ſub diverſis ſimilitudinibus: pro eo quod ratione certæ diverſitatis, quæ in ſimilibus ſemper eſt, aliquo modo ratiocinatio fit de diverſis.

Sexta utilitas. §. LXI. Sexto ad fortiorem tam intellectus, quam affectus *(b)* motionem & immutationem. Nam plus horrentur vituperationes vitiorum, ſi vilitas eorum exprimatur per horribiles & abominabiles conditiones rerum ſenſibilium, quam ſi per ſe, & proprie, ipſa exprimerentur. Utpote ſi dicam, quod vitium luxuriæ fœtorem habet quemdam ſtercorum & ſaporem; & ſic de aliis. Conſimiliter etiam virtutes facilius movent ad earum amplexum, ſi earum laudes ſic exprimantur ſub ſimilitudine nobilium & delectabilium proprietatum rerum ſenſibilium. Utpote ſi dicam: anima virtuoſa eſt pratum floribus roſarum, & liliorum adornatum, & aromatibus fragrantibus & odoribus refertum, & conſimilia. Sicut autem eſt in virtutibus & vitiis, ſic eſt in aliis diligibilibus & odibilibus.

Septima utilitas. §. LXII. Septimo valet ad noſtræ ſuperbiæ humiliationem *(c)* in experiendo defectum noſtræ intelligentiæ (eo quod noſtro ingenio occulta parabolarum ænigmata indagare non poſſumus) & in ſubjiciendo ſe ſimplici & humili comparationi hujuſmodi parabolarum & ſimilitudinum. Eo etiam ipſo quo homo videt Deum ſic locutum eſſe ſimpliciter & humiliter; *(d)* poteſt homini patere, quantum amat humilitatem, & quantum odit faſtum, & pompoſam vanitatem.

Octava utilitas. §. LXIII. Octavo valet ad fidei meritoriam exercitationem, ut diſcamus credere propter Deum inviſa & abſcondita, & ea quæ ſolum ſuperficie tenus ſenſuali rationi dubia videntur & contraria. Debet enim homo captivare intellectum ſuum in obſequium Chriſti, & ſublimatæ doctrinæ ejus. Multa enim ſecreta Divinorum, & noſtræ fidei dicta, & propria verba, ſunt multis incredibilia, quæ ſi dicantur ſub metaphoris, & ſimilitudinibus, ſunt eis credibilia. Ut ſi loquamur de gloria æterna ſecundum rei proprietatem, multi non crederent, nec afficerentur; ſed potius diſcrederent, *(e)* & horrerent. Licet enim occaſione talium ſimilitudinum aliquos falſos intellectus concipiant; illi tamen non ita derogant fidei,

1. Cor. 10. 5.

gata Hom. ſed & idemmet noſter Interpres cit. Expoſit. in cap. 24. S. Luc. nec non cit. Comment. in Jo. ibi. Item S. Auguſt. De Doct. Chriſt. Lib. 2. cap. 6. num. 8. *Nunc nemo ambigit, & per ſimilitudines libentius quæque cognoſci, & cum aliqua difficultate quæſita multo gratius inveniri*. Quem etiam vid. Enarrat. in Pſal. 38. num. 2. Unde de tali *inventione delectabiliori*, & *gratiori*, ſic metrice S. Proſper in ſuo Epigrammatum libro „

„ Quamvis in ſacris libris, quos noſſe la-
„ boras,
„ Plurima ſint, Lector, clauſa & opaca
„ tibi:
„ Invigilare tamen ſtudio ne deſine ſancto;
„ Exercent animum dona morata tuum.
„ Gratior eſt fructus, quem ſpes productior
„ edit:
„ Ultro objectorum vilius eſt pretium.
„ Oblectant adoperta etiam myſteria men-
„ tem:
„ Qui dedit ut quæras, addet ut invenias."

(a) Sic agi in Divinis Scripturis *ad intellectum a faſtidio revocandum, cui facile inveſtigata vileſcunt*, docet idem S. Auguſt. cit. Lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 6. num. 7.

(b) *Affectus*, in quam, ut ſcilicet *veritas ardentius ametur*, in d. Comment. in Joan. ibi.

(c) In Procem. Breviloq. *de profunditate ſacræ Scripturæ*, ubi id factum aſſeritur, ut *ſuperbi comprimantur*. Nec non in d. Comment. in Joan. ibi: *ut ſenſus humanus humilietur*. Item paulo ante laud. S. Auguſt. cit. num. 7. *ad edomandam labore ſuperſuperbiam*. Ut ſcilicet, quemadmodum idem S. Auguſtinus loquitur Enarrat. in Pſ. 146. num. 12. homo jam humiliatus, ad orandum excitetur, & ad intelligendam veritatem capacior reddatur. *Obſcurum* (ait) *aliquid eſt* (ſcilicet in Scriptura:) *non ut tibi negetur, ſed ut exerceat accepturum. Ergo quando obſcurum eſt, Medicus illud fecit, ut pulſes. Voluit, ut excercereris in pulſando; voluit, ut pulſanti aperiret. Pulſando exerceberis; exercitatus, latior efficieris; latior factus, capies quod donatur. Ergo noli indignari quod clauſum eſt: mitis eſto, manſuetus eſto &c.*

(d) *Ut ſicut Chriſtus fuit panniculis involutus, ita Sapientia Dei in Scriptura figuris quibuſdam humilibus involveretur*, quemadmodum dicitur in cit. Procem. Breviloq.

(e) Hoc verbum uſurpat etiam S. Bona. in 3. Diſt. 23. Art. 1. Q. 4. in concl. atque alibi quoque.

fidei, & ſpirituali eorum profectui, ſicut facerent illi, quos conciperent ſub verbis propriis.

Nona utilitas.

§. LXIV. Nono autem valet ad Divinorum celebrationem, reverentiam, & magnificationem. Quod enim magis occultamus, idipſum cum aperitur, eo ipſo magis carum, (*a*) & pretioſum, magiſque dignum, & reverendum eſſe ſignificamus. Illa etiam, quorum cauſſam neſcimus, magis admiramur. (*b*) Cauſſa admirationis eſt cauſſa ignorantiæ, quod ſic ſit, ut dicitur. In comparatione autem talium ſimilitudinum ignorat homo minus faciliter, quare ſic dicitur, quam ſi per verba propria dicerentur. Rara etiam & inſolita magis appretiamus, & admiramur, quam omnia uſitata. Subtiliora etiam & altiora exiſtimamus ea, quæ cum labore & difficultate invenimus, quam ea quæ faciliter ſtatim ad manus habemus. (*c*) Magis etiam talia diligimus, & magis noſtra reputamus; quia videtur homini, quod quaſi ex intimis ſuis ea repererit, & inveniendo ea quaſi creaverit, & ſimul cum hoc ſe eis magis adaptaverit. Sic etiam quando unum & idem lumen diverſis ſpeculis mihi præſentatur, multiplicius & multo majoris magnitudinis eſſe videtur, quam quando per ſe, & nude. Et ſic quando per medium denſius videtur, magis illud apparet, quam quando per medium ſubtilius. Ut ſol per vapores groſſos (*d*) intermedios apprehenſus major apparet, quam quando per aerem ſimplicem. Et denarius in aqua magis apparet, quam extra. Sic veritas Divinæ Majeſtatis, & omnium Divinorum, ſub diverſis ſpeculis ſimilitudinum (*e*) nobis præſentata, multiformior & major nobis apparet, quam ſi per verba propria traderetur, & major ſub verbis compoſitis ex figuris multum ſenſibilibus, quam ſub verbis propriis & ſimplicibus. Unde multitudo talium repræſentationum, & ſpecularium ſimilitudinum, ſecundum quas in eis præſentantur Divina, vehementer & ineffabiliter facit nos aſſurgere in superexceſſivam (*f*) æſtimationem & admirationem Dei & Divinorum. Sicque expediat veræ & altæ contemplationi eorum. (*g*)

Admiramur illa, quorum cauſſam neſcimus.

Decima utilitas.

§. LXV. Decimo valet ad tollendam occaſionem irreverentiæ, vel inſufficientis reverentiæ, ne malevoli & invidi veritatem agnitam lacerarent, ac ne carnales, aut etiam animales, eam conculcarent quaſi porci; & ideo utile, ut ea occultaretur ipſiſmet. (*h*) Tanta etiam eſt ſanctitas Divinorum, quod oportet eam obvolvi quaſi pellibus hyacinthinis, & non eſt decens, eam immediate in ſua altitudine conſpici, niſi ab eis qui ſummis reverentiis mentis, ſummiſque laudibus & amplexibus eam intuentur, & ad eam accedunt; (*i*) & hoc non eſt niſi mundiſſimarum, & ſan-

Matth. 7. 6.

Num. 4. 6.

(*a*) In d. Comment. ſuper cap. 4. Joan. num. 274. *Veritas aliquantulum latens gratior efficitur, dum aperitur.*

(*b*) Expoſit. in cap. 1. S. Luc.

(*c*) Quippe ut paulo ante a S. Proſpero audivimus: *Ultro objectorum vilius eſt pretium.*

(*d*) *Groſſos* dicit, ſicut *groſſas veſtes* nuncupavit S. Bernardus, ut animadvertimus in Prodromo col. 162. & ſicut *de magnis & groſſis eleemoſynis* locutus eſt ipſemet S. Bona. in Opuſc. de paupert. Chriſti, ut obſervavimus in eodem Prodr. col. 544. & *groſſitudinem* dicit in Eccl. Hierarch. Prodr. col. 534.

(*e*) Sic dici videntur, quia *Divina Scriptura*, in qua continentur, *ſpeculum eſt, quod falſo nitore non fallit*, ex S. Auguſt. Serm. 6. de Verb. Dom.

(*f*) Similia epitheta D. Bonaventuræ familiaria vide ſis in d. Prodr. col. 171. ac ſeq.

(*g*) Ita enim *omni intellectui condeſcendit, ut omnem intellectum ſuperexcedat, & omnem intellectum ſibi diligenter intendentem, multitudine radioſitatis ſuæ illuminet pariter, & accendat*, in Procem. Breviloq. de profundit. ſacr. Script.

(*h*) Scilicet *ne manifeſta veritas contemneretur*, ut idem Interpres pariter monuit Comment. in Apocal. cap. 5. ſub ver. 1. num. 316. Et adhuc luculentius Par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 4. quod *figuris & ænigmatibus eſt ſæpius involuta, ut carnalibus & indignis Scripturarum lateant myſteria.* Item *quandoque propter aliquorum imperitiam, quandoque etiam propter hæreticorum malitiam, ſunt celanda quædam Scripturæ & fidei Sacramenta. Similiter coram infidelibus, ne blaſphement. Non enim debemus Sanctum dare canibus, neque ſpargere margaritas coram porcis, ne conculcent eas &c., ſicut dicit Dominus in Matthæo.* Item Expoſit. in Pſalter. Pſ. 98. „ Prophetæ „ ſub figura vel velamine loquebantur propter „ audientium indignitatem; quia non debemus „ theſauros domus Domini exponere Babylo„ niis. “

(*i*) Cit. Par. 4. cap. 4. de Eccl. Hierarch. „ Ideo præceptum fuit, quod nulli viderent „ vaſa Sanctuarii nuda, exceptis Sacerdotibus „ filiis Aaron, ut dicitur in Num. Ideo opor„ tuit arcam, & alia tabernaculi vaſa obvol„ vere pellibus hyacinthinis, ne forſitan alii „ aliqua curioſitate, ſecreta tabernaculi intuen„ tes morerentur, ſicut ibidem dicitur. “ Cit. Num. cap. 4. ver. 20.

ſanctiſsimarum, & illuminatiſsimarum mentium. (*a*) Unde non expedit imperfectis, ſimplicibus, & infirmis, veritatem Divinorum eis omnino nude tradi (*b*); ſed piis, atque ſapientibus. (*c*) Sicut enim ſol oculos obcæcat debiles, quamvis confortet & regat fortes; ſic & gloria Majeſtatis Divinæ opprimit curioſos & imperfectos ſui ſcrutatores. (*d*) Perfectorum enim eſt tantum ſolidus cibus; propter quod Apoſtolus
1. *Cor.* 3. 1. non potuit loqui Corinthiis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: & ideo eis lac miniſtravit, non eſcam (*e*).

Undecima utilitas.

§. LXVI. Undecimo valet ad malorum dignam excæcationem, & excluſionem. Sicut enim Divinæ pietatis eſt humiles, & ſtudioſos, & devotos ſua ſapientia illuſtrare; ſic Divinæ æquitatis eſt ſuperbos, & curioſos, ac indevotos, a doctrina veritatis excludere & ſegregare: ut qui tenebras elegerunt, & diligunt, in tenebris maneant, ut a tenebris apprehendantur & incarcerentur. (*f*)

Humilibus, ſtudioſis, & devotis Divina ſapientia convenit. Secus ſuperbi, curioſi, & indevoti a doctrina veritatis arcentur.

§. LXVII. Duodecimo valet ad plurium virtutum & utilitatum breviorem comprehenſionem. Cum enim oporteat eſſe univerſalem Scripturam ad firmandam generalem fidem, & cum ob hoc oporteret eam eſſe brevem ad tollendam confuſionem tam credendorum & intelligendorum, quam agendorum & ſperandorum: (*g*) & cum ob hoc ut poſſit ſatis faciliter omni humano intellectui & affectui, & omni ſenſui, & omni ſtatui & ætati tradi, oporteret eſſe quodammodo infinitam & immenſam intellectualibus ſenſibus, & ſpiritualibus utilitatibus (multi autem ſenſus non poſſint comprehendi ſub verbis nude exprimentibus de vi ſermonis; ſed ſolum ſub figuris varie ductilibus, & exponibilibus) (*h*) patens eſt, quam

Duodecima utilitas.

(*a*) Ad eam enim audiendam & conſpiciendam ſicut non admittitur *niſi humilis*; ita non accedit *niſi mundus, fidelis, & ſtudioſus*, in eodem Proæm. Breviloq. ibi. Hinc etiam in Prol. Itinerar. ſic loquitur „ Præventis igitur Di„ vina gratia, humilibus & piis, compunctis „ & devotis, unctis oleo Divinæ lætitiæ, & „ amatoribus Divinæ Sapientiæ, & ejus deſi„ derio inflammatis, vacare volentibus ad Deum „ magnificandum, amandum, & etiam degu„ ſtandum, ſpeculationes ſubjectas propono; „ inſinuans quod parum aut nihil eſt ſpeculum „ exterius propoſitum, niſi ſpeculum mentis „ noſtræ terſum fuerit & politum &c. “ Sed & in prædictis apparet ſuperlativorum iteratio apud D. Bona. perquam familiaris.

(*b*) Cit. Par. 4. cap. 4. de Eccl. Hierarch. *Et hoc faciendum eſt coram ſimplicibus & infirmis, ne, ſubtilia & ſublimia capere non valentes, a recto devient.*

(*c*) Ibi: *piis mentibus, ſapientibus ea quæ ſunt ſpiritus.*

(*d*) Alludit ad illud Proverb. cap. 25. ℣. 27. *Qui ſcrutator eſt majeſtatis; opprimetur a gloria*, ad quem ſimileſque alios Divinæ Scripturæ textus reſpondet noſter Seraphic. Doctor in Procem. Lib. 1. Senten. Q. 2. ad 1. 2. 3. *quod omnes illæ auctoritates intelliguntur de perſcrutatione curioſa, non de perſcrutione ſtudioſa &c.* Sed & huc quoque ſpectat quod ait cit. Part. 4. cap. 4. de Eccl. Hierarch. „ Radius luminis cœleſtis, „ qui viſum aquilæ acuit, & confortat, ob„ tundit viſum noctuæ, & excæcat. Unde „ qui debilis eſt viſus, id eſt, parvi intellectus, „ non debet alta & inſenſibilia perſcrutari, „ ne de claritate nimia obtenebretur ejus ani„ mus, unde putabat illuminari. Unde..... „ in Eccleſiaſtico: Altiora te ne quæſieris, & „ in pluribus Dei operibus non fueris curio„ ſus &c. Et ſequitur: Non eſt neceſſe quæ „ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. “ Eccli 3. 22. ac ſeq.

(*e*) Par. 1. de Eccl. Hierarch. poſt init. cap. 1. ubi mentio fit de *parvulis in Chriſto lac petentibus*; nec non Expoſit. in cap. 15. S. Luc. Vid. ſupra §. 58. in not. *b*.

(*f*) Expoſit. in cap. 15. S. Lucæ „ Ideo pa„ rabolice loquitur....... quia hoc requirebat „ Judæorum perfidia, quibus debebant velari „ myſteria, ſecundum illud: *Ideo in parabolis* „ *loquor eis, quia videntes non vident, & audien*„ *tes non audiunt.* “ Item Serm. ſive Collat. 2. in Hexaem. „ Neceſſe fuit, Divinarum „ Scripturarum Sapientiam eſſe multiformem „ in multitudine figurarum, varietate Sacra„ mentorum, pluralitate ſignorum, ut veletur „ ſuperbis, reveletur humilibus. Hæc vela„ mina claudunt Chriſtum, occultant Sapien„ tiam ſapientibus, & immundis. Unde dicit „ Salvator: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli &* „ *terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & pru*„ *dentibus, & revelaſti ea parvulis.* “ Præterea idem Interpres etiam in Procem. Breviloq. ubi de profunditate ſacræ Scripturæ diſſerit, teſtatur *ſub cortice literæ occultatam myſticam & profundam intelligentiam, ut ipſius profunditate in humilitate literæ latente & ſuperbi comprimantur, & immundi repellantur, & fraudulenti declinentur, & negligentes excitentur ad intelligentiam myſteriorum.* Hæc omnia paucis complectitur Caſſiodorus ſive Caſſiodorius Expoſit. in Pſ. 97. v. 9. ajens: *Frequenter diximus Scripturas Divinas per diverſas ſimilitudines loqui; ut & impiis celata ſint quæ dicuntur, & fideles ad ea perquirenda ſtudioſius incitentur.* Quod ad prædictum autem verbum *incarcerentur*, illud habet etiam Sarisber. Lib. 6. cap. 18. & Cathol. Fr. Jo. de Jan. &c.

(*g*) Scilicet *credendorum veraciter, agendorum moraliter, ſperandorum* ſive *deſiderandorum delectabiliter*, ut legitur cit. Procem. Breviloq. *de profunditate ſacræ Scripturæ.* Vid. quoque in 3. Diſt. 11. Art. 1. Q. 2. in concl.

(*h*) Cod. Vatic. & *expoſitionibus*.

quam utile fuerit Scripturam ſub velaminibus paucis tradi.

Rationes, cur Scriptura ſimilitudinibus utatur.

§. LXVIII. In his autem omnibus relucet modo altiſſimo ſumme admirabili, Divinæ Sapientiæ profunda abyſſus. Quod enim in tanta ſignificatione verborum, & ſimilitudinum, ſub admirabili ordine propoſitionum, & correſpondentiarum, (*a*) clauſi ſunt, quaſi concepti infiniti Divinæ Sapientiæ intellectus & ſenſus, & infinita ſeminalia ſpiritualium intellectuum; (*b*) admirabili modo extollit ſapientiam inveſtigabilem (*c*) ſummi Dei. (*d*)

Ratio ex gentilitio more deſumpta.

Mos Palæſtinorum, uti parabolis, ac ſimilitudinibus.

§. LXIX. Præter iſtas eſt tamen una ratio ſumpta ex conſuetudine gentis, & terræ. Traditur enim, quod mos eſt terræ Palæſtinæ, ſeu eſſe ſolebat, loqui multum parabolice, & per ſimilitudines: (*e*) & in terra illa fuerunt Prophetæ. Unde præſumitur, quod mos fuerit eorum ſic loqui. Iſtæ igitur ſunt rationes generales, quare Scriptura ſimilitudinibus utitur, ſive convenientibus, ſive manifeſtis, ſive diſconvenientibus, (*f*) ſive diſſimillimis (*g*) & occultis.

Ratio ſpecialis.

Dionyſius L. de Angel. ſive cœleſ. Hierarch. cap. 1. ac 2.

§. LXX. In ſpeciali tamen ſunt rationes, quare Scriptura creberrime utatur ſimilitudinibus occultis, & difformibus, & quaſi contrariis, (*h*) & diſconvenientibus; & hi ſunt tropi, quos Dionyſius in principio Angelicæ Hierarchiæ tradit. Quarum rationum prima eſt Divinorum major occultatio, quæ erat ad minus utilis ad quæque ſuperius poſita in ſeptima ratione, & ſequentibus quinque. (*i*) Similitudines enim quanto magis ſunt diſſimiles, tanto magis occultant ſuum ſignificatum. Sub forma enim Bovina & Aquilina magis occultatur intellectualitas naturæ Angelicæ & Divinæ, quam ſub forma humana, & ſic de ſimilibus.

Alia ratio.

§. LXXI. Secunda ratio eſt falſitatis tollendæ, & veritatis inquirendæ major occaſio, & impulſio. Quum enim videt, vel audit, ad Diviniſſima ſignificanda, ſimilitudines viles, & difformes, & diſconvenientes, eſſe aſſumptas; non poteſt faciliter credere, etiamſi ſit homo ſimplex & animalis, quod talia ſecundum proprietatem realem ipſarum ſimilitudinum ſint in Divinis. Utpote quod Deus vel Angelus ad literam ſit bos habens quatuor facies, & ſic de aliis. (*k*) Ex hoc igitur quod ſimilitudo eſt ita difformis, & Deo vere ita diſſimilis, non ſinitur mens adhærere falſitati; (*l*) ſed potius cogitur ejus ſignificationes ſublimius inquirere. (*m*) Unde ſequitur valde mirabile, quod idem genus ſimilitudinum eſt aptius ad magis occultandum Divina, & ad magis aperiendum. Eſt etiam alia cauſſa, quare a falſitate magis faciunt recedere, quia altius, & magis vere accipimus & ſignificamus Divina per nega-

---

(*a*) Hujus vocis uſus in Serm. ſive Collat. 15. in Hexaem.

(*b*) Ad declarandos plurimos Divinæ Sapientiæ ſenſus in ſacra Scriptura, velut in abyſſo, clauſos, valent exempla Caſſiod. Præfat. in Pſalter. cap. 15. ubi ait „ Sic enim vina in „ vitibus, meſſem in ſemine, frondes in radi„ cibus, fructus in ramis, arbores ipſas con„ templamur in nucleis. Nam & de profun„ diſſima abyſſo delicioſus piſcis attingitur, „ qui tamen ante captionem ſuam humanis „ oculis non videtur.

(*c*) Sive *non veſtigabilem*, aut *imperveſtigabilem*.

(*d*) Hunc parabolicum loquendi modum *decuiſſe ejus Sapientiam*, dicitur etiam cit. Expoſit. in cap. 15. S. Lucæ.

(*e*) Sic Cornel. a Lap. Comment. in Joan. cap. 10. ſub ver. 2. Luydl Inſtit. Theol To. 1. pag. 40 & ante ipſos S. Hier. Lib. 3. Comment. in cap. 18. Matth. ajens „ Familiare „ eſt Syris, & maxime Palæſtinis, ad omnem „ ſermonem ſuum parabolas jungere: ut quod „ per ſimplex præceptum teneri ab auditoribus „ non poteſt, per ſimilitudinem, exemplaque „ teneatur.

(*f*) Hoc adject. adhibuiſſe S. Bonaventuram nihil dedecet, cum uſurpaverit ipſe Lactantius de ira Dei cap. 3. *Diſconvenientia* autem legere ſit apud Tertullianum de teſtim. anim. cap. 6. atque *diſconvenit* apud Horatium 1. Epiſt. 1. v. 99.

(*g*) De *diſſimilibus per omnia in ſacro eloquio ſimilitudinibus*. Dionyſ. de Cœleſ. Hierarch. cap. 2. nec non in mox citando Comm. ſing. in Apoc.

(*h*) De hujuſmodi *difformitate & contrarietate cum conformitate*, Comment ſingulari in cap. 5. Apocal. De Scripturar. Sanctar. dignit. & excellent §. 32. Vol. 2. hujus Supplem.

(*i*) Supra §. 62. ac ſeq.

(*k*) Ibi laud. Dionyſ.

(*l*) De hac ipſa falſitate loquens idem Interpres in 1. Diſt. 34. Art. 1. Q. 4. in concl. ait: *quia magna ſimilitudo mater eſt falſitatis, ideo non transferuntur* (ſcil. ad Divina) *nomina multum ſimilia, ſicut ſunt nomina Angelorum, ne forte Angelus credatur eſſe Deus*. Unde laudatus Dionyſius, ſive alius ſub ejus nomine, cit. cap. 2. de cœleſ. Hierarch. inquit, quod *illa ſane convenientior in rebus inviſibilibus erit expreſſio, quæ per diſſimilia ſigna monſtratur*.

(*m*) Hinc inibi ſic elicit d. Dionyſ. „ Ho„ norant igitur illos cœleſtes Ordines, non „ probro afficiunt, aut ullo dedecore, ſancta„ rum literarum deſcriptiones, dum eos diſſi„ milibus

negationes, quam per affirmationes, ſecundum Dionyſium de Angelica Hierarchia in principio, & poſt de Myſtica Theologia. (a) Similitudines autem diſconvenientes, & contrariæ, magis ducunt nos in Divina per negationes, quam ſimilitudines convenientes, & aptiores ad generandos conceptus affirmationis. Et ideo iſtæ magis ducunt mentes in ecſtaticos, & ſupermundanos (b) exceſſus, in quibus conſpicitur & aſpicitur Deus ut nulliformis. (c)

Dionyſius L. de Angel. ſive cœleſ. Hier. cap. 2. ac L. de Myſtica Theol. c. 2. ac ſeqq.

Tertia ratio.

§. LXXII. Tertia ratio eſt Dei univerſalis collaudatio, & contemplatio. Ex hoc enim quod Divina ſignificantur non ſolum per nobiles creaturas, ſed etiam ignobiles; docemur omnia eſſe a Deo, & Deum in omnibus repræſentari, & omnia participare aliquid de Divina refulgentia & bonitate: (d) & docemur ex hoc contemplari Deum & Divina in omnibus, & ſuper omnia. (e) Et quoniam in malis, & defectivis (f) eſt aliqua bonitas ſubſtrata, (g) plerumque in Scripturis ſignificantur Divina per aliqua facta mala & defectiva, ut unio Chriſti & Eccleſiæ per ſemen David & Berſabeæ, vel Judæ & Thamar. Aliquando enim melius ſignificamus aliquid per literas de incauſto nigro, quam de incauſto albo. (h) Sic contingit plerumque in iſtis aliiſque de-

In malis, & defectivis, eſt aliqua bonitas ſubſtrata.

„ milibus formis ac fictionibus exprimunt, ac „ per eas indicant, terrenis ac mortalibus rebus abſque ulla comparatione præcellere beatiſſimos Spiritus. Porro quod mentem atque „ animum noſtrum ſimilitudines illæ quæ videntur abſurdæ, potentius juvent, atque ad „ Divina commodius ſubvehant: nemo qui recte ſentiat, arbitror, inficiabitur. Nam ſiquidem quæque ſunt apud nos pretioſiora „ ſumantur, quis non videat fore, ut per hujuſmodi figuras oberrare incipiat animus, „ putans cœleſtes illas æthereaſque ſubſtantias, „ rutilantis auri præferre ſpeciem, viroſque „ eſſe aliquos lucidos, & oris majeſtate coruſcos, decoros & veſtis candore conſpicuos, „ ignemque innocue de ſe mittentes, & cætera „ id genus, quibus Theologia ſublimes illos „ Spiritus pingit, & figurarum varietate deſcribit? Quod utique ne illi paterentur, qui „ nihil celſius mortali hac luce & corporum „ ſpecie contueri queunt, excellens illa ſanctorum Virorum (qui Divina monimenta „ reliquerunt) ſapientia, ut adminicula neceſſaria infirmis animis daret, ad eas quoque diſſimilitudines, quæ videntur abſurdæ, „ ſingulari diſpenſatione deſcendit: nequaquam „ permittens imbecillam mentem noſtram fœdis inhærere imaginibus, atque illis prorſus „ acquieſcere: ſed potius erigens animæ partem ad ſuperiora tendentem, atque inhoneſtate formarum a viſibilibus omnibus revocans; quaſi fas non ſit, neque veriſimile „ omnino eſſe videatur, ne his quidem qui ſtolidiores, craſſioriſque intelligentiæ ſunt, cœleſtia illa & Divina ſpectacula cum fœdis „ rebus revera ſimilia eſſe.

(a) In 3. Diſt. 35. Art. 1. Q. 1. in concl. ex eodem *Dionyſio* adſeverat, *quod melius afficimur circa Deum prævia cognitione, quæ eſt per ablationem, & negationem, quam per affirmationem, ſicut docet in Libro de myſtica Theologia.* Item prope finem cap. 3. Incendii ſive Incentivi amoris, poſt memoratam erectionem mentis ad Deum *per viam affirmationis*, ſubditur: *ſed alia eſt eminentior per viam negationis, ut dicit Dionyſius &c.* Nec non ad finem Serm. ſive Collat. 2. in Hexaem. *Eſt autem modus ablativus congruentiſſimus ad aſcendendum in Deum aſcenſu inquiſitivo &c.* Et ipſemet Dionyſ. loquens de inviſibili, infinita, & incomprehenſibili Deitate, ac de nominibus, quibus non quid ſit, ſed quid non ſit dicitur, ſubdit eod. cap. 2. cœl. Hierarch. „ Hoc enim verius (ut arbitror) in ipſa eſt, & de illa proprie magis „ aſſeritur. Nam...... dum illam eſſe aliquid „ negamus ex his quæ ſunt, verum profecto „ loquimur; etſi modum quo illa indiffinita „ eſt, quippe quæ ſuperſubſtantialis & incomprehenſibilis atque ineffabilis eſt, prorſus „ ignoramus... Ergo in Divinis rebus negationes quidem veræ ſunt, affirmationes nequaquam tantis arcanorum latebris congruunt.“ Sic & Dionyſ. Carthuſ. in cap. 1. Ev. S. Jo.

(b) *Supermundanum* habetur etiam in Opuſc. de perfect. vit. ad Soror. Vid. Prodr. col. 560.

(c) *Nulliformis* legitur itidem Serm. ſive Collat. 2. in Hexaem.

(d) Dionyſ. de cœl. Hier. ibi „ Nihil eſſe in rebus „ humanis, quod boni participatione ſit omnino privatum; nam ut ſe ſe Scripturæ veritas „ habet, fecit Deus omnia bona valde. Fas „ igitur fuerit, ex his pulcherrimas elicere „ intelligentias, ſpiritualibuſque & intelligibilibus rebus ex humilioribus atque terrenis „ diſſimiles ſimilitudines.

(e) Quippe ait idemmet S. Bona. *omnes creaturæ hujus ſenſibilis mundi animum contemplantis & ſapientis ducunt in Deum æternum. Omnis enim creatura ex natura, eſt illius æternæ Sapientiæ quædam effigies, & ſimilitudo: ita quod qui nolunt advertere, & Deum in his omnibus cognoſcere, benedicere, & amare, inexcuſabiles ſint, dum nolunt transferri de tenebris in admirabile lumen Dei. Ac ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Ut habetur ad finem cap. 2. & cap. 5. Itiner. ment. in Deum. Sed præcipue conſulendus eſt noſter Interpres quoad hanc tertiam rationem in 1. Diſt. 34. Art. 1. Q. 4. in concl.

(f) Namque malum, ut malum *defectus eſt*, ac per conſequens *non habet cauſſam efficientem, ſed deficientem, videlicet defectum voluntatis creatæ*, adeoque *eſt a voluntate, ſicut a prima origine, & eſt in voluntate, ſicut in proprio ſubjecto*, ter. par. Breviloq. cap. 1. ac etiam alibi.

(g) 1. Diſt. 46. Art. 1. Q. 5. in concl. ubi ait, quod *malum non eſt ordinabile, niſi per accidens, ſcilicet per bonum ſubſtratum.*

(h) *Incauſtum*, pro *Encauſtum*, Ital. *Inchioſtro*, Lat.

defectivis, (a) quæ aptiora sunt ad significanda aliqua Divina, quam multa alia. Et est hoc Augustini exemplum. (b)

Augustinus contra Faustum L. 22. c. 83.

§. LXXIII. Præter autem istas tres rationes a Dionysio assignatas, est quarta non modici ponderis & valoris. Quia Deus noluit subito humanum genus, seu Dei spiritum (c), ad perfectum adducere, nec non omnes Ecclesiasticos status, secundum diversitatem multiformium Dei gratiarum, in eum ipsum introducendos, simul noluit revelare & condere; sed successive & ordinate. Unde statum gloriæ ultimo introducturus est, postquam formaverit statum Synagogæ ambulantis sub nube legis & Prophetiæ; & statum Ecclesiæ ambulantis sub fidei certitudine, priusquam statum claræ intelligentiæ, & contemplationis ejus. Et tamen omnes istos status, ante revelationem fidei, a Prophetis decuit & oportuit simul prædici. Et tali quidem modo, quod ante tempus revelationis ipsius status, esset totus fortissime clausus & absconsus, & in tempore revelationis post ipsum, esset valde apertus. Hoc autem fieri non potuisset, nisi figuris valde dissimilibus pro loco & tempore, (d) adjunctis aliquibus valde similibus & convenientibus. Idcirco Scripturæ sacræ, & maxime Prophetarum, in figurarum velaminibus hoc modo processerunt. (e)

Dionysius cit.
Ratio quarta.
Gen. 27. ac 1. ad Cor. 15. 45. Ad Hebr. 7. 19.

§. LXXIV. In prosecutione autem hujus rationis multa continentur utilia apertionibus Scripturarum, & maxime Prophetarum. Sic enim pictor (f) volens Regis imaginem pingere, exprimentem gloriam, & virtutes ejus tam intrinsecas, quam extrinsecas, totamque personam ejus (& hoc ex Regis ejusdem præcepto & auctoritate) non posset tamen ista pingere, nisi per colores sensibiles & visuales. Oporteret enim interiorem naturam animi, & potentiarum ejus, per valde dissimilia repræsentare, & multo magis virtutes interiores. Unde videmus, quod in formatione pallii soliique regalis, multa poneret de colore consimili; nec tamen totum mantellum, (g) etiam quantum ad solum colorem ejus, posset pingere, quia nec solii omnes partes anteriores & posteriores, interiores & exteriores. Postea videmus, quod multo minus pingeret de supertunicali, (h) deinde minus de tunica, tandem minus de colore cutis, vel intus de nervis, & ossibus. Et tamen tali modo pingeret, quod scienti imaginum naturas, totum modo mirabili repræsentaret; ita quod optime talis in speculo imaginis sciret discernere, quid significat talis color, & per quid significantur ossa & nervi, & interiora alia cum virtutibus ejus. Simulque rationem & caussam cognosceret, quare de tali colore tantum est positum tali loco, & taliter, quod non esset possibile (aspiciendo ad diversitates (i) ipsorum colorum, sed potius ad rationem imaginis, & ad rationem rei repræsentatæ per ipsam, & ex sola inspectione imaginis) quod conciperet totam formam tunicæ, & supertunicalis, diceretque, quod una esset sub altera, & quod secundum proportionem convenientem idem faceret de nervis, & de ossibus, & sic de omnibus interioribus. Quod si autem nesciret rationem imaginum, nihil horum sciret ex imagine trahere; quin potius sibi videretur, quod colores ejus essent positi confuse, & absque rationabili ordine, & absque ulla figuratio-

Exemplum pictoris.

Lat. *Atramentum* apud Glossarium Ducangianum, & Amaltheam Onomasticam Josephi Laurentii.

(a) In 1. supra cit. Dist. 34. Art. 1. Q. 4. in concl. loquitur de *defectivis*, quorum fit *translatio ad laudem Dei*, ut sunt nomina *Leonis ob fortitudinem*, *Agni ob mansuetudinem*. *Petræ ob soliditatem*, *Serpentis ob prudentiam &c.*; nullatenus vero de *defectivis* nimiam importantibus deformitatem, quæ *magis transferuntur ad vituperium*, *quam ad laudem*, uti sunt *Diabolus*, *bufo*, *vulpes &c.*

(b) De *Encausto* loquitur quidem S. August. Lib. 13. contra Faustum Cap. 18.; sed ad aliud propositum. Potius tamen ad propositum loc. supra cit.

(c) Sive *spiraculum*.

(d) Cod. Venet. *pro locorum & temporum statu.*

(e) De hujusmodi Scripturarum processu per velamina figurarum, idem Interpres Exposit. in cap. 24. S. Lucæ, ac Serm. sive Collat. 14. in Hexaem. Quoad hactenus dicta dignus est qui inter Recentiores legatur Cl. P. Corbinianus Luydl Instit. Theol. To. 1. pag. 88. ac seqq.

(f) Circa sequens pictoris exemplum adeo in MS. Cod. Venet. textum ab imperito librario corruptum offendi, ut vix aut ne vix quidem potuerim perfectum sensum exsculpere.

(g) Circa hanc vocem vide Prodromum col. 591.

(h) *Supertunicale*, sive *supertunica*, vestis est, quæ tunicæ iniicitur, de cujus vocis usu, etiam in sæculo D. Bonaventuræ, plura Monumenta apud Glossar. Ducang. testantur.

(i) Cod. Venet. *differentias*.

rationis veritate & utilitate. Si igitur imagini essent adjunctæ aliquæ Scripturæ in aliquibus locis, & aliquantulum magis proprie explicantes magis internas conditiones Regis, utpote circa locum, ubi repræsentatur ejus humilitas, etiam ejus aspectui humili esset propositum: O quanta humilitas! & sic de aliis; scienti rationem imaginis, & naturam rei repræsentabilis cum conditionibus ejus, totum esset apertum. Redderetur autem clausum, si nesciret, quare talia verba in talibus locis sunt posita, & quare sub tali ordine, & absque aliqua continuatione unius verbi ad aliud, seu unius scripturæ ad aliam; sed si vellet inde aliqua concipere, potius conciperet falsa, quam vera, & exponendo potius obnubilaret. Sic & Prophetæ, & Scriptores sacri, ex Dei præcepto, & inspiratione, Deum trinum & unum, Regem omnium, cum gloria virtutum & operum suorum, volentes describere, amplius expresserunt per propria verba, & proprias similitudines, quod erat in Dei operibus magis distans ab eo, & magis sensibile, & infimum; utpote plus de his, quæ spectant ad vetus testamentum, quam de his, quæ spectant ad novum; & plus de temporalibus, quam de spiritualibus & æternis: Semperque quanto magis erant spiritualia & Divina, tanto magis per verba dissimilia, sicut os Regis per pallium Regis, ea tradiderunt. Et sicut sub pallio est tunica, & sub tunica cutis, & sub ea nervi, & humores, & ossa; sic sub sensu literæ spectante ad vetus testamentum est sensus spectans ad novum: (a) & sub sensu spectante ad tempus plenitudinis gentium erit tempus reliquiarum Judæorum & Gentium: (b) & sub istis est sensus spectans ad statum gloriæ Angelorum & Hominum: & sub istis ille qui spectat ad gloriam animæ Christi: & sub istis ille, qui spectat ad gloriam Dei, quam habet in semetipso. Et breviter semper, vel ut plurimum, spiritualior est sub sensibiliori; & similiter contemplativa sub activa; & semper occultior sub manifestiori. Unde secundum Ezechielem rota erat intra rotam. (c) *Ezech. 1. 16.*

§. LXXV. Ponuntur tamen aliquando in diversis locis discontinuatis (d) aliqua, quæ proprie spectant ad aliud, quod est magis spirituale & intimum, utpote ad statum gloriæ. Aliqua vero alia, quæ magis ad statum contemplativæ & finalis Ecclesiæ. Aliqua vero alia, quæ magis ad tempus plenitudinis gentium. Et aliqua alia magis ad tempus Synagogæ. Quæ signanter Prophetæ fecerunt, ut per illa propria posset vir illuminatus discernere, quod intentio fuerat Prophetarum omnes illos sensus tradere, & describere; & ut ex illis sciret cognoscere vel concludere sensus prædictos; ac per hoc (e) sciret

(a) De hoc utroque sensu Comment. singul. in cap. 5. Apocal. De Scripturar. Sanctar. dignit. & excellent. §. 29. de quo Vol. 2. hujus Supplem.

(b) Isa. 10. 21. ac seq. & ad Rom. 9. 24. ac 27. ubi sensus allegoricus a D. Paulo indicatus, & a Spiritu Sancto principaliter intentus, quod *reliquiæ Israel salvæ fient, & plenitudo gentium subintrabit*, scilicet præcipue per *pacis redditionem, & fidei multiplicationem mortuo Antichristo*, ut loquitur ipsemet Interpres noster Comment. in Apocal. cap. 11. num. 781. ac seq.; latet sub sensu literæ, qua Isaias prædicit de Judæis tempore Ezechiæ Regis Juda ex clade per Sennacherib Assyrium tyrannum illata residuis. Conversionem autem Gentium, Christi tempore probat idem Paulus, ac etiam Petrus Epist. 1. c. 2. v. 10. ex Oseæ c. 2. v. 23. ac seq. ubi etiam Propheta licet agat ad literam de Israelitis e Chaldæa in patriam reductis, uti notant S. Hieron. Theodoret. Theophylact. &c., allegorice tamen & principalius de Ecclesia Christi per omnes gentes dispergenda, cui pro voto omnem misericordiam, gratiarumque abundantiam promittit, ut ajunt idem S. Hieron. Haymo, Rupert. Vatabl. &c.

(c) In Procem. Breviloq. de latit. sacr. Script. dicit cum eodem Ezechiele *rotam in medio rotæ, quia vetus est in novo, & e converso*. In Princip. Script. *novum testamentum continetur in veteri, sicut rota in rota. Nihil enim est aliud novum testamentum, quam vetus spiritualiter expositum*. Dicitur quoque in 3. Dist. 25. Ar. 2. Q. 1. ad 1. quod *lex nova est in vetere sicut rota in rota*, nimirum *secundum implicationem quamdam: quia quod in lege nova est explicite, in veteri lege erat implicite*. Habetur autem nunc *explicite*, quod olim erat *implicite*; quia nunc fractum est triticum, & sensus apertus. Hinc idem Interpres Exposit. in Psalter. Psal. 82. „ Ezechiel vidit rotam in medio rotæ, id est, „ novum testamentum in veteri. Unde & rota, quæ in molendino subtus jacet, est tarda, & significat legem. Superior vero, quæ „ volubilis est, Evangelium, quæ frangit triticum, & aperit sensum. “ Vide sis S. Greg. „ in Ezech. Lib. 1. Hom. 6. num. 12. ac 15.

(d) Hoc utitur verbo idemmet S. Bonav. in 3. Dist. 16. Art. 2. Q. 2. in concl. nec non Ser. 2. in Cath. S. Petri.

(e) Cod. Vatic. *ac plus*.

ſciret cognoſcere, quomodo unus erat ſub altero, ſicut aqua ſub aquæductu, & ſicut medulla ſub oſſibus, & eo modo quo ſuperius fuit in prædicta imagine aſſignatum. Et ſicut per eumdem locum ponitur clavis ad aperiendum portam, & ad obſerandum; non tamen eodem modo, ſed diverſimode: ſic iſta appoſitio verborum & ſimilitudinum, ad diverſos ſtatus & ſenſus, ſecundum proprietatem ſuam, diſtincte ſpectantium, ei, qui habet clavem Scripturarum, & qui ſcit eam modo debito ducere, eſt via ad aperiendum, ſeu locus apertionis; alteri vero eſt locus occultationis, & obcæcationis. Si autem vis ſcire, qualis eſt clavis Scripturarum, ſcias, quod per ulteriores fines, & ſtatus finaliores (*a*) ſunt uno modo clavis præcedentium ad aperiendum; ſed alio modo ſunt clavis ſub præcedentibus ad claudendum. (*b*) Clavis enim earum jubilus caritatis. (*c*) De iſtis tamen clavibus, & de modo ducendi eas, alius exigeretur Tractatus. (*d*) Explicit iſte Tractatus. (*e*)

(*a*) Quibus ſcilicet vetus teſtamentum ordinatur ad novum, novum ad gloriam Beatorum, gloria Beatorum ad gloriam Dei in ſemetipſo; de quibus ſuperiori §. LXXIV. in fine.

(*b*) In Incendio, ſive potius Incentivo amoris cap. 1. ubi docetur; *qualiter ad ſapientiam ſacræ Scripturæ perveniri poteſt, cogitando ſcilicet, quanta Deus homini commiſerit, quod omnia fecit propter hominem, quanta dimiſerit, & quanta repromiſerit*; continuo infert Auctor, quod *in hoc clauduntur opera creationis, reparationis, & glorificationis*.

(*c*) Quoad *jubilum caritatis*, aſſeritur in Princ. ſacræ Scripturæ, quod „ Hujus finis eſt amor „ Divinus, quia *finis præcepti eſt caritas*, dicit „ Apoſtolus. Unde Auguſtinus de Doctrina „ Chriſtiana: *non præcipit* (inquit) *Scriptura* „ *niſi caritatem, non culpat niſi cupiditatem*. „ Ad iſtum caritatis Paradiſum nos excitat „ Damaſcenus ſic inquiens: *Pulſemus in Para-* „ *diſo Scripturarum &c.* “ Hujuſmodi autem *jubilus dicitur ineffabile mentis gaudium, quod non abſcondi, non ſermonibus aperiri poteſt: ſed tamen quibuſdam motibus aperitur, licet nullis proprietatibus exprimatur*, cap. 2. Soliloq. ex S. Greg. Lib. 24. Moral. cap. 5. longe a princ.

(*d*) Serm. ſive Collat. 3. in Hexaem. agitur de *triplici clave*, quæ eſt „ Intellectus Verbi „ increati, per quod omnia creantur. Intel- „ lectus Verbi incarnati, per quod omnia re- „ parantur. Intellectus Verbi inſpirati, per „ quod omnia revelantur &c. “ Ac itidem in Collat. de ſept. donis Spir. Sanct. ubi de ſexto dono intellectus. Sed data opera in Arte concionandi, de qua Vol. 3.

(*e*) Cod. Venet. *Finis*; ſed clauſulam *explicit*, vel *explicitus eſt liber*, pro *deſinit*, & *completus eſt*, habent Codices notæ antiquioris. Quo ſenſu Mart. Lib. 14. Epigr. 1.

Verſibus explicitum eſt omne duobus opus.

Unde Oroſius in fine Lib. 7. appoſuit: *Explicui, adjuvante Chriſto &c.* Et Hieronymus ad Marcel. Epiſt. 28. alias 138. n. 4. *Solemus nos, completis Opuſculis, ad diſtinctionem rei alterius ſequentis, medium interponere EXPLICIT &c.*

SERAPHICI DOCTORIS SANCTI BONAVENTURÆ

TRACTATUS IN CAP. X. EZECH.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ MATERIA.

ADMONITIO.

Non minor bujus Tractatus certitudo, quam præcedentis, ad quem respicit, & cui connexus invenitur. Similis plane in hoc elucet stilus, similis interpretandi modus, similis Seraphici Scriptoris ardor, similis Divinarum Scripturarum copia &c. Quid quod ipsissimus apparet Auctor utriusque, quemadmodum infra in §. XVIII. elucebit? Insuper §. XVII. dicens tractandum aliter de septem signaculis secundum septem divisiones entis, *satis indicat hisce verbis se quoque Auctorem* Comment. in cap. V. Apocal. De Scripturarum Sanctarum dignitate & excellentia, *de quo mox seq. Vol. 2. hujus Supplementi. Idem quoque videtur ac Auctor* Procem. Breviloq. de longitut. sac. Script. & Par. 2. Breviloq. cap. 2. *dum itidem mentionem facit §: IX. de primorum* septem dierum circuitu ad præfigurationes futurorum, *nec non de* Sabbato spiritualis quietis; *ut alia plura in notis declaranda prætercam.* Ceterum vel *in hoc imperitus librarius meam patientiam sæpius exercuit, ac fere fatigavit. Ut enim Auctoris verba passim ab ipso librario deformata, ac etiam aliquando prætermissa, fideliter redderem, suppleremque; haud parum laborandum mihi fuit, cum frequenter recurrendo ad Divinas Scripturas, quas perpetuo Auctor allegat, tum diligenter consulendo alia ejus scripta, ubi de similibus differit. Mihi quoque, quoad fieri potuit, ex antecedentibus & consequentibus licuit corruptum textum repurgare, ac sinceriorem sensum eruere, & exprimere; sine quibus adjumentis alias mihi fuisset opus OEdipo conjectore, qui Sphingi interpres fuit: maxime ubi notas compendiarias captu difficiliores offendi. Porro vel heic minime contentus illis, quæ in Prodromo col. 734. ac seqq. circa hunc Tractatum præmisi, notas de more apposui, veri, ut mihi quidem videtur, Auctoris, scilicet* S. Bonaventuræ, *faciem ac indolem exhibentes. Id unum mihi valde displicet, quod solum præ oculis habuerim Codicem Venetum, caruerimque Codicis Vaticani sæpius exoptati exemplo. Si enim hoc mihi præsto fuisset, & labor a me vel in hoc edendo Tractatu susceptus, fuisset aliquanto levatus, & opera mea nunc ejusdem adcuratior prodiret editio. Ita vero suppleba quod in votis erat* Cl. Lucæ VVaddingo, *qui hunc una cum præcedenti, ac plerisque aliis, evulgandum paraverat; sed morte præventus neutiquam potuit. In d. Codice Veneto multo brevior est quam præcedens, ac in eo monstrantur quæ in Divina Scriptura traduntur,* veritatis documenta, caritatis præcepta, æquitatis judicia. *Et in ipso nedum* Doctorem Scholasticum, *sed &* Devotum, *atque etiam* Seraphicum, *ita se se palam ostendit, ut & disertissime doceat §. XXXIII. quo pacto quis possit* caritatis igne repleri, & per ignem caritatis perduci ad devotiones, *atque etiam agat de* Seraphicis laudibus; *nec non insuper tradat quod ad ignem Divinæ caritatis ex sacris Scripturis concipiendum, ipse necessarium existimat, inquiens* §. *XL.* Qui vult hunc ignem abunde trahere, oportet, quod in omnibus finalem intentionem, & intimum affectum scribentium, Christique arcanum mysterium, semper attendat; *tandemque ita summam Tractatui huic manum imponat* §. *XLIII.* Igitur contemplando veritatem, animadvertamus æquitatem, per quam impresso nobis Divino timore, in ardorem transeamus, degustando in Scripturis Divinum amorem, & dulcorem &c.

INCIPIT TRACTATUS.

§. I.

Ezech. 10. 2.

Partitio hujus Tractatus in tria.

Triplex materia Scripturarum, documenta, præcepta, & judicia.

I*Ngredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubin, & imple manus tuas (a) prunis igneis, (b) quæ sunt inter Cherubin, & effunde super Civitatem*. Scripturarum sanctarum pelagus & abyssus etiam (c) se ingerit investigatoribus suis, videlicet primo, sub forma veritatis indubitanter irradiantis: secundo, sub forma caritatis indefectibiliter inflammantis, & inebriantis: tertio, sub forma æquitatis irreprehensibiliter judicantis. Cujus ratio est, quoniam in Scriptura traduntur perfecte primo, veritatis documenta: secundo, caritatis præcepta: tertio, æquitatis judicia.

§. II. Propter primum vocantur singulariter Scripturæ veritatis Danielis decimo: Annunciabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis. (*Dan. 10. 21.*) Propter secundum dicitur Matthæi vigesimo secundo, quod in duobus mandatis caritatis universa lex pendet, & Prophetæ. (*Matth. 22. 40.*) Et primæ ad Timoth. primo dicitur, quod finis præcepti est caritas. (*1. ad Tim. 1. 5.*) (d) Propter tertium Apocalypsis vigesimo, quod judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. (*Apoc. 20. 12.*) Et ad Romanos secundo: Quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. (*Ad Rom. 2. 12.*)

Primum assumptum de forma veritatis indubitanter irradiantis.

§. III. Et in Scriptura sacra occurrit Christus, ut speculum Divinæ veritatis. Est enim candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, prout habetur Sapientiæ septimo. (*Sap. 7. 26.*) (e) Ut ferculum Divinæ bonitatis & felicitatis, juxta illud Psal. Parasti in conspectu meo mensam, impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est! (*Ps. 22. 5.*) (f) Ut solium (g) sive prætorium Divinæ æquitatis sive severitatis. Unde Apocalypsis quarto dicitur, quod de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. (*Apoc. 4. 5.*) (h) Ut sic secundum triplicem vim animæ, scilicet rationalem, concupiscibilem, & irascibilem, (i) & secundum triplex ejus appetibile, scilicet verum, deliciosum, (k) & arduum, in Scriptura sacra proponatur primo, splendor veritatis illuminans rationalem: secundo, calor bonitatis satians concupiscibilem: tertio, rigor æquitatis sanctæ tumorem humilians, & sancto zelo erigens vim irascibilem. Et sic triplicis ordinis Hierarchiæ supremæ, primo, splendor Cherubicus: secun-

(a) Vulg. *manum tuam*; sed in plurali etiam Cod. Memb. Trid. Tabul. sive Biblioth. Episcop. num. 58. ac Hugo Cardin. Item Lyran. in marg.

(b) Vulg. *ignis*; sed *igneis* Vers. Syr. & S. Anton. Patav. in Psal. Ser. 137. Et quidam apud Malvendam.

(c) Ly *etiam* satis indicat alibi quoque tractasse de Scripturarum *pelago* & *abysso*, nimirum Tract. in cap. 5. ℣. 1. Apocal. qui primus est in MS. Venet. ac incipit: *Consideranti mihi Scripturarum sanctarum pelagus infinitum, & impermeabilem abyssum &c.*

(d) Ita quoque in Princip. sacr. Script.

(e) Exposit. in Lib. Sap. ad hunc textum per hujusmodi *speculum* tam intelligitur *Dei Filius*, quam *sacra Scriptura*. Et ideo, quia in ea *occurrit Christus, ut speculum Divinæ veritatis*, ipsamet evadit *speculum*. Unde S. August. Enarrat. in Ps. 103. Ser. 1. num. 4. „ Posuit tibi „ speculum Scripturam sacram..... Vide si „ hoc es, quod dixit; si nondum es, geme ut „ sis. Renuntiabit tibi speculum faciem tuam: „ sicut speculum non senties adulatorem, sic „ nec te palpes. Hoc tibi ostendit nitor ille „ quod es: vide quod es; & si tibi displicet, „ quære ut non sis. Si enim cum fœda sis, „ tibi ipsi adhuc displices, pulchro jam pla„ ces. “

(f) Alii plures ex Latinis Patribus apud Lorin. id de *solido cibo verbi Dei, Divinæque Scripturæ*, pariter interpretantur. Et quod *Christus administrat fercula varia de pinguedine suæ æternæ, nobilissimæ, & secretissimæ Divinitatis*, ait idemmet D. Bona. in Opusc. de 5. Festivit. Pueri Jesu Solemnit. 4.

(g) *Solium*, ipsemet inquit in Concl. & Epilogo 4. Sentent., *potest dici sancta Scriptura propter sui eminentiam*. Et de sede, sive sedente, quod *Deus est, sive Christus*.

(h) Idem Comment. in Apocal. ibi 277. *Severitas actus reddit thronum Christi hominis durissimum &c.*

(i) De hac triplici animæ vi alibi passim D. Bona.

(k) Hoc adjectivum alibi quoque D. Bona. adhibet. Vid. supra col. 175. not. c.

cundo, ardor Seraphicus: tertio, Thronorum judicialis rigor *(a)* in Scripturis refulget animo deiformiter. *(b)*

§. IV. Propter quod in verbo Ezechielis præmisso a principio *vir indutus lineis*, a sedente super Cherubim, sicut *(c)* apocalypsi mysteriali *(d)*, est tria præfata edoctus. Quoniam sub ingressu medii orbicularis est edoctus perscrutari scientialem sinum, sive sapientiale medium veritatis, in quo consistit Christianæ Sapientiæ certitudo. *(e)* Sub amplexu acervi carbuncularis edoctus est apprehendere morale caritatis præceptum, & igniculum, in quo consistit christianæ legis & gratiæ plenitudo. Sub effluxu autem incendii universalis edoctus est explicare universale Dei judicium, *(f)* in quo consistit Divinæ justitiæ rectitudo. Sicut enim in rotarum medio notatur veritatis inventio; sic in carbonum acervo designatur caritatis accensio, *(g)* & in Civitatis incendio æquitatis effusio. *(h)*

Tria documenta.

§. V. Et in his tribus comprehenditur totalis *(i)* materia Scripturarum sanctarum, quarum forma specialiter *(k)* describitur sub figura rotarum: *(l)* finis vero in triplici actu, scilicet intrandi, implendi, & effundendi: caussa vero principalis efficiens non solum in præcipiente istos actus, sed in sedente super Cherubin: efficiens vero ministerialis in ipsis Cherubin, per quos designantur Angeli, & Prophetæ, seu Apostoli Dei sapientia pleni. *(m)*

Tota Scripturarum materia consistit in documentis, præceptis, & judiciis.

§. VI. Si igitur vis intueri veritatem Christianæ Sapientiæ, ingredere in medio rotarum, quod quidem medium est Christus Jesus, *(n)* qui Joannis octavo de se ipso dicit: Ego sum lux mundi. *Jo. 8. 12.* Et cap. decimo quarto: Ego sum via, *(o)* *Jo. 14. 6.* veritas, & vita. Unde non sine caussa Apostolus primæ ad Cor. secundo: Non *1. Cor. 2. 2.* judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum. In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ, prout idem dicit ad Coloss. *Ad Coloss. 2. 3.* secundo: Est enim fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, prout habetur *Eccli 1. 5.* primo Ecclesiastici.

Medium rotarum Christus.

§. VII. Ipse autem, prout est medium septiforme Scripturarum sanctarum, *(p)* optime designatur per medium rotarum; quia medium rotarum est primo, simplicissimum ob simplicitatem indivisibilem: secundo, solidissimum ob soliditatem immobilem: tertio, intimum ob profunditatem, seu intimitatem, undique circumclusam: quarto, communissimum ob communitatem uniformiter ad omnia expansam: quinto, omnium connexivum

Quale rotarum medium.

(a) De Eccl. Hier. par. 1. cap. 1. *Dicuntur Seraphim ardentes vel incendentes, propter incensionem & fervorem caritatis; Cherubim, propter plenitudinem cœlestis sapientiæ, & cognitionem Divinæ veritatis; Throni vero, propter amorem justitiæ, & perpendiculum æquitatis.* Nec non in Itiner. ment. in Deum cap. 4. post medium ex S. Bernardo de consid. ad Eugenium L. 5. c. 5. in fine inquit, *quod Deus in Seraphim amat ut caritas, in Cherubin novit ut veritas, in Thronis sedet ut æquitas.* Item in Soliloq. cap. 4. *Seraphim ardore Divinæ Caritatis, Cherubim splendore æternæ claritatis, Throni æquitate Divinæ majestatis.*

(b) De hoc adverbio vide Prodromum col. 534.

(c) Al. *sicque.*

(d) Non abhorret a Bonaventuriano stilo ly *mysteriali*, uti nequidem *mysterialiter*. Vide Prodromum col. 591. ac col. 607. & Serm. 16. in Hexaem. nec non Legen. Minor. S. Franc. num. 9. de qua Vol. 3. hujus Supplem.

(e) In Tract. præced. §. 52. in not. *e.*

(f) Infra §. 41.

(g) Similiter Jo. Card. Vitalis in Spec. mor. totius sacr. Scriptur. verbo *devotio* fol. m. 111. per *prunas ignis* Ezech. 10. ibi intelligit *ignem Divinæ dilectionis*; nec non Hugo Card. *opera caritatis.* Item Alcazar inter Recentiores in Apocal. 8. ver. 4. notat. 6. apud Cornel. a Lap. Comment. in Ezech. ibi itidem censet *esse hunc ignem caritatis & zeli, quem Christus venit mittere in terram, & voluit accendi.* Sed hæc expositio moralis est, quam etiam innuit S. Hieronymus; tametsi alteri adhæreat.

(h) Hæc expositio est literæ conformior, quæ magis probatur ipsi S. Hieronymo, d. Cornelio a Lap., aliisque pluribus. Tirinus observat heic haberi *elegans symbolum duplicis adventus Christi, prioris cum Thau, id est, cum signo Crucis, posterioris cum igne.* Vid. infra §. 42.

(i) De hoc adjectivo in Prodr. col. 607.

(k) Hoc adverbium Scholasticum pro *speciatim* est etiam apud Columel. & Apulejum.

(l) Hugo Card. nostro coævus Interpreti „ *Ingredere in medio rotarum*, id est, in sacra „ Scriptura per studium & meditationem. „ Joann. 5. f. *Scrutamini Scripturas.* "

(m) *Cherubin quippe plenitudo sapientiæ interpretatur..... Unde Apostolus: Sapientiam loquimur inter perfectos &c.* ait Interpres Par. 1. de Eccl. Hier. cap. 3.

(n) In Princ. Script. ac Serm. 1. in Hexaem. nec non in Tract. præced. §. 11. &c.

(o) Vide Comment. in Jo. loc. cit.

(p) In eodem Princ. Script. ubi sicut dicitur *Christus finis veteris & novi testamenti, quia finis legis Christus est ad justitiam omni credenti*; ita vocatur *medium septiforme.* Nec non Serm. 1. in Hexaem. nuncupatur *Christus medium omnium scien-*

vum ob nexuum firmitatem: sexto, omnium initiativum & terminativum ob omnium linearum, & superficierum, ac omnium partium sphæræ fontale (a) initium, & terminabilitatem: septimo, omnium certificativum & regulativum ob principalitatem ad certificandam veritatem ceterarum figurarum, quarum utique prima & simplicissima est sphæra, vel circulus. (b)

Quale medium Christus in circumferentia Scripturarum.

§. VIII. Si quidem in superficiali circumferentia Scripturarum (c) steteris, occurrent tibi multa divisibilium composita, & multiformia, variabilia, & transitoria, sensibilia, & exterius apparentia, & effusa; particularia, propria, aut privata bona, seu commoda, & ex aliis quam a Creatore deducta; inconnexa, & separata, irregularia, & incommensurata. Si vero Christum ingressus, te fixeris, occurret tibi in omnibus unum bonum, (d) simplicissimum, invariabile, & æternum, arcanum, & intimum, & intellectualissimum, universalissimum, communissimum, omnium finis, & principium, omnium connexivum, regulativum, & commensurativum. (e) Porro unum est necessarium, Luc. 10. 41. & 41.
dictum est Marthæ, & turbaris erga plurima. Hoc est regnum Dei, quod Luc. 17. 21. ac 20.
est intra vos. Et ideo non veniet cum observatione, sicut habetur Luc. decimo septimo. (f) Hic est thesaurus in agro Math. 13. 44.
absconditus, pro quo omnia sunt relinquenda. Hic est Alpha & Omega, Apoc. 1. 8.
principium & finis, prout habetur Apocalypsis primo. (g) Hic qui ostendens se omnium primam regulam, dicit secundum Ecclesiasticum vigesimo quarto: Ego ex ore Altissimi prodii, (h) pri- Eccli 24. 5. ac seqq.
mogenita ante omnem creaturam. (i) Ego feci, ut in cœlis (k) oriretur lumen indeficiens. Gyrum cœli & profundum abyssi penetravi, & in omni gente, & in omni populo primatum habui. Et hinc est quod a Joanne in solari specie visus est, & in medio Apoc. 1. 16. ac 13.
septem candelabrorum aureorum, (l) id est,

---

scientiarum septiforme, de quo in superiori Tractat. de sacr. Script. Myster. §. 5. & §. 11. itidem dicitur: *Christus est tamquam centrum in medio Scripturarum*.

(a) Ly *fontale* adhibitum videri potest Par. 1. Breviloq. cap. 3. ut alia loca, in quibus usurpatur ab Interprete nostro, brevitatis gratia prætercam.

(b) Quonam pacto hujusmodi *circulus perfectissimus*, sive *Corpus Sphæricum sit ipse Christus*, habe sic declaratum ab eodem D. Bona. par. 4. de Eccl. Hierarch. cap. 6. „ Circularis, immo circulus perfectissimus, est ipse Christus, „ in quo duæ extremitates lineæ velut in puncto uniuntur. Nam Divinitas, quæ omnium rerum caput est & principium, cum natura humana, quæ finis erat omnium creaturarum, & ultimo in esse producta, in ipso Christo velut in puncto in unione personæ est conjuncta, & tanta firmitate roborata. Firmatæ enim sunt duæ naturæ in „ una persona sic, quod una ab altera nunquam poterit separari. " Dicitur quoque *centrum*, & *circumferentia* cap. 5. Itiner. ment. in Deum. Quodve *Christus sit tamquam centrum in medio Scripturarum*, dictum est in præceden. Tractat. §. 11. Sed & audi ad id magis magisque declarandum sic inferentem cit. loc. de Eccl. Hierarch. „ Et ideo proprie Christus „ nomen obtinet Firmamenti, cujus motus & „ operatio circularis est. De sinu enim Patris „ in Virginis uterum est ingressus: deinde per „ mundum & limbum progrediens, iterum ad „ Patrem est reversus, sicut dicitur in Joanne: „ Exivi a Patre, & veni in mundum: & iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. „ (*Jo.* 16. 28.) Et in Ecclesiaste: Oritur sol „ & occidit, & ad locum suum revertitur, „ gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem &c. (*Eccl.* 1. 5. *ac seq.*) Ecce motus „ Christi reflexus & obliquus. Attingit enim „ a fine usque ad finem fortiter, & disponit „ omnia suaviter, sicut dicitur in Sapientia. „ (*Sap.* 8. 1.) Quia nunc flectitur ad Aquilonem, id est, ad peccatores in peccatis induratos, per misericordiam illorum corda „ ad pœnitentiam remolliendo: nunc vero ad „ meridiem, id est, ad bonos in fervore caritatis existentes, ipsos consolando. Ideo dicitur in Ecclesiastico: In meridiano exurit „ terram &c. (*Eccli* 43. 3.) Et in Esdra (3. „ *c.* 4. 34.:) Convertitur in gyro cœli, & „ iterum revertitur in eumdem locum in uno „ die. "

(c) Sic Comment. singul. in ver. 1. cap. 5. Apocal. de quo Vol. 2. hujus Supplem. §. 28.

(d) Ibi.

(e) Itiner. ment. in Deum capp. 5. & 6.

(f) Vide sis id declaratum Exposit. in Cap. 17. S. Luc.

(g) In Ligno Vitæ Tit. *Jesus finis optatus*, ac alibi quoque.

(h) Vulg. *prodivi*; sed *prodii* Prooem. in L. 1. Sent. Comment. in cap. 1. Jo. ver. 1. num. 3. Exposit. in Cap. 9. Sapient. Comment. in cap. 1. Apocal. ver. 8. num. 35. &c.

(i) In Prooem. Lib. 1. Sentent. ubi ait, quod *hoc dicit ipse Filius, qui est Verbum, & Sapientia Patris*.

(k) Vulg. *Ego feci in cœlis, ut &c.* sed prædictæ transpositioni favet S. Maximus Hom. 2. de festo Paschæ sic legens: *Ego feci, ut oriretur in cœlo lumen indeficiens*.

(l) Serm. sive Collat. 1. in Hexaem. in fine, ubi ait, quod *in septem candelabrorum medio est Christus*. Item Comment. in Apocal. ibi num. 59. pariter interpretatur *Christum*, vel *Angelum in persona Christi apparentem*.

id est, Ecclesiasticorum statuum (a), vel septem operum principalium prioris temporis. (b) Quæ sunt opera creationis rerum, propagationis hominum, depurgationis & renovationis, distinctionis & electionis Patrum, lationis legum (c), distributionis hæreditatum, gubernationis & conservationis Tribuum inter acquisita & distributa. Quibus respondent in novo opera redemptionis perfectæ per Crucis patibulum, vocationis factæ per prædicationis verbum, evacuationis legalium simul & idolorum, segregationis fidelium a variis sectis hæresum, institutionis Religionum & regularium statutorum seu Legum, diffusionis spiritualium charismatum, pacificationis omnium in unum ovile Dominicum. (d) De his autem ultimis patens est, quod Christus stat in medio eorum tamquam solare lumen. Sed de primis potest hac brevi manuductione ostendi.

Septem opera prioris temporis.

Septem opera posterioris.

§. IX. Attende enim opera creationis. Primo lux formata in sole, & ad præfigurationes operum futurorum, septem dierum circuitus, & consummatio, (e) & fons universa irrigans, & lignum vitæ cibans & perpetuans, tum Deus in forma hominis (f) in horto deambulans, & Adam lapsum visitans. Quæ quidem ad sapientialem fructum & intellectum ad plenum non præparavit; nisi attendas quod ad perfectionem universi exigitur Christi Sapientia omnia illustrans, & per contemplationem Divinorum operum ad sabbatum spiritualis quietis deducens; (g) Christi gratia omnia irrigans, & refocillans; Christi justitia peccata dijudicans. Ubi legitur Adæ soporatio, & Evæ de ipsius dormientis latere formatio, & de ejus conjugali copula prophetatio; eorum rationem specialem ad plenum invenire nequibis, nisi videas, quod per Christi mortem, & per lavacrum manans ab ejus latere formata est Ecclesia, ut esset ejus sponsa. Unde Apostolus ad Eph. quinto dicit: Hoc esse Sacramentum magnum in Christo & Ecclesia. (h) Occurret etiam e contrario tibi esus de ligno scientiæ inhibitus, serpens acutissimus, & ordo tentationis ejus graduatus; & cognoscere poteris hoc mysteriis non carere, quorum lumen est Christus. (i)

Attendenda circa opus creationis.

Ad Ephes. 5. 32.

§. X. Attende etiam opus propagationis; & occurret tibi Abel offerens & acceptatus, & ex hoc a fratre occisus; & tandem Seth pro eo positus, & Enos Dei cultor. De ipso enim legitur, quod ipse cœpit invocare nomen

Attendenda circa opus propagationis.

Gen. 4. 26.

(a) Sive *in medio Ecclesiæ*, in d. Comm. ibi. Et ad fin. Serm. sive Collat. 14. in Hexaem. dicit *Christum signatum per filium hominis in medio candelabrorum, qui habebat septem stellas, id est, septem Ecclesias.*

(b) Namque inquit Serm. sive Collat. 15. in idem Hexaem. *Sicut Deus sex diebus mundum fecit, & in septimo requievit; ita Corpus Christi mysticum sex habet ætates, & septimam &c.*

(c) *Lationis legum*, inquit Serm. sive Collat. 14. in Hexaem., *in quatuor libris Moysi, scilicet tribus, in quibus describitur latio legis, & in quarto est reparatio legis.*

(d) Similiter Auctor noster loquitur Serm. sive Collat. 16. in Hexaem.

(e) De prædictis *operibus creationis*, nec non de *septem dierum circuitu, & consummatione*, sic loquitur Par. 2. Breviloq. cap. 2. „ Hæc omnia, „ licet potuerit Deus facere in instanti, ma„ luit tamen per successionem temporum; tum „ propter distinctam, & claram repræsentatio„ nem potentiæ, sapientiæ, & bonitatis: tum „ propter convenientem correspondentiam die„ rum, sive temporum, & operationum: tum „ etiam, ut sicut in prima mundi conditione „ fieri debebant seminaria operum fiendorum; „ sic fierent & præfigurationes temporum fu„ turorum. Unde in illis septem diebus, quasi „ seminaliter præcessit distinctio omnium tem„ porum, quæ explicantur per decursum sep„ tem ætatum. Et hinc est, quod sex diebus „ operum additur septimus quietis: qui dies „ scribitur non habere vesperam, non quia „ non habuit dies illa noctem succedentem; sed „ ad præfigurandum animarum quietem, quæ „ numquam habebit finem &c. “

(f) Sic etiam Sa, & Mariana; videlicet per *formatum corpus Angelico ministerio*, ut verisimile censet Estius.

(g) Cap. 7. Itiner. ment. in Deum, ubi de *sabbatismo quietis* per *Christum*; pariterque de *die quietis Sabbati*, nimirum de *tempore septimo ultimæ quietis, sive pacis postremæ per Christum* d. Serm. sive Collat. 16. in Hexaem. De hac ipsa *quiete* semel iterumque etiam in Proœm. Breviloq. ubi de longitud. sacr. Scriptur. nec non cit. Part. 2. cap. 2. ejusd. Breviloq.

(h) In Proœm. Lib. 4. Sent. versus finem, nec non in eodem 4. Dist. 26. Art. 2. Q. 1. ad arg. Item Serm. sive Collat. 14. in Hexaem. ubi Auctor dicit *Christum signatum per Adæ connubium*; nec non Serm. sive Collat. 16. in Hexaem. ubi inquit: *Sicut Eva de latere Adæ formata est, sic Ecclesia de Christi latere.* Vide sis quoque Serm. 1. Dom. 3. Adventus Domini, nec non Exposit. in cap. 24. S. Lucæ &c.

(i) De *mysteriis esus inhibiti* Serm. sive Collat. 1. in Hexaem. De quibus etiam Ser. sive Collat. 6. in idem Hexaem.

men Domini. Et Henoch ab Adam septimus, (a) & in cœlum translatus, ac si per literam sanctarum Scripturarum diceretur, quod Christus in Abel oblatus est moriens, (b) & in Seth resurgens, factus est institutor Divini cultus, per quem in septimi sæculi tempore transfretamus in Cœlum. Ibi

Gen. 4. 17. ac seqq.

etiam e contrario occurrunt Cain invidia, civitatem ædificans; Lamech bigamia, (c) ultionem septuplam explicans, & mechanicarum artium sæcularis industria, & lasciviam pascens canentibus cithara & organo, & fabricans cuncta opera æris & ferri, in filiis suis, & in filiis & filiabus Lamech; prout habetur Genesis quarto. Ut sic

Sap. 2. 24.

factis mysticis innuatur, quod invidia Diaboli mors intravit (d) in orbem terrarum, & ædificata est Civitas reproborum, & tandem per carnis vagam concupiscentiam manavit prudentia sæculi, & fabricatio lasciviarum. Et iterum quod per invidiam Judaici populi Christus est occisus; & ille populus sub certo signo manens est reprobatus; (e) & per Lamech ab Adam septimum, (f) id est, per caput Draconis septimum & ultimum, est populus Judaicus amplius seducendus, (g) & mundus in malis consumendus.

Attendenda circa opus repurgationis.

Gen. 9. 1.

Ibi 14. 20. & 21.

§. XI. Attende etiam tertio opus repurgationis & renovationis factæ per diluvium, & per justam generationem Noe, suorumque filiorum; & occurret tibi Arca omnia conservans & salvans; arcus fœdus pacis demonstrans; Noe vineam plantans, & ex ejus potu se inebrians, & denudans; quorum specialem rationem non reperies, nisi occurrat tibi Christi Ecclesia, extra quam nemo salvatur: Christi Crux, per quam omnia pacificantur, & ideo confœderantur: Christi superexcessiva caritas, propter quam est pro nobis in Cruce inebriatus & nudatus (h). Ibi e contra occurrit mundorum animalium ab immundis discretio, sanguinis comedendi inhibitio, & insuper primaria immolatio, & imprecatio; ut sic per hoc signetur, quod Christi lex abominatur immunditiam in se ipsum, crudelitatem in proximum, impietatem in Deum, & irreverentiam in Prælatum.

Christi lex abominatur immunditiam in seipsum, crudelitatem in proximum, impietatem in Deum, & irreverentiam in Prælatum.

Attendenda circa opus distinctionis & electionis Patrum.

Ad Rom. 4. 11.

§. XII. Attende quarto opus distinctionis & electionis Patrum, initiatæ in divisione linguarum a lingua Hebraica, quæ remansit in domo Heber; (i) ratificatæ in circumcisione facta in domo Abrahæ omnium credentium Patris; (k) consummatæ in paterna benedictione Jacob data proli suæ: & oc-

---

(a) Scilicet numerando Gen. 5. *Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Henoch*. Ita etiam Arbor Genealogiæ Patriarcharum Veteris Testamenti, & ex his prognati Jesu Christi Domini nostri, in Chron. sac. apud Tirin.

(b) Quod Christus signatus fuerit nedum *per Adæ connubium*, sed etiam *per Abel occisum*, cit. Ser. sive Collat. 14. in Hexaem. nec non Exposit. in cap. 24. S. Lucæ.

(c) Ser. sive Collat. 15. in Hexaem. ab initio.

(d) Vulg. *introivit*; sed *intravit* noster Interpres pariter Exposit. in d. cap. 2. Sap.

(e) Prædicto Ser. sive Collat. 14. in Hexaem. *Signum positum est Judæis, ut non interficiantur; sed sint vagi & profugi super terram*. Quod ipsum repetitur Serm. sive Collat. 16. in idem Hexaem.

(f) Nimirum recensendo Gen. 4. *Adam, Cain, Henoch, Irad, Maviael, Mathusael, Lamech*. Sic quoque Arbor supra dicta.

(g) Ser. sive Collat. 15. in Hexaem. ubi *de Antichristo*. Ceterum id intellige sub Antichristo adhuc vivente, sub quo tanta, ut inibi concluditur, *erit tribulatio, ut in errores inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Matth. 24. 24. E contrario vero *mortuo Antichristo omnes Judæi convertentur ad Christi fidem*, uti declarat Comment. in Cap. 11. Apocal. num. 782.

(h) Præfato Serm. sive Collat. 14. in Hexaem. „ In mysterio purgationis scelerum signatur per Noe Hierarcham, qui habuit tres „ filios, & signat Christum, qui habuit tres „ filios, scilicet Græcos, Judæos, & Latinos: „ quia titulus erat scriptus literis Græcis, Hebraicis, & Latinis. Signatur per Arcam „ fabricatam, quæ respondet corpori Christi „ principaliter, secundario Ecclesiæ. Signatur „ per arcum in nubibus, qui est signum fœderis. Signatur per Noe nudatum, jacentem in tabernaculo ebrium. Inebriatus fuit „ Christus amore Sponsæ suæ, & nudatus in „ Cruce, quem derisit ille pessimus Cham." Vide supra Præfat. in Cant. Canticor. §. 6.

(i) *Loquelam sanctitatis* cum Rabano appellat in Princ. sacr. Script. Et Ser. sive Collat. 16. in Hexaem. subdit: *Facta est linguarum divisio, & lingua Hebræa remansit in domo Hebræa*. Sicque præter Origenem SS. Chrysostomus, Hieronymus, Eucherius, aliique, inter quos disertissime S. Augustinus Lib. 16. cap. 11. de Civit. Dei; quod ipsum quoque elicitur ex etymis & significationibus, quæ referuntur in Genesi, qualia sunt v. g. *Adam, Heva, Cain, Abel, Seth, Babel, Thaleg*, aliaque multa, quorum etymon, origo, & significatio aliunde non potest, quam ex Hebræa lingua, derivari. Vid. Apparat. Petri Annati Lib. 2. de Script. Div. Art. 15. Dub. 3.

(k) Adeoque & nostrum, *quia sumus imitatores fidei Abrahæ* Serm. sive Collat. 15. in Hexaem.

& occurret tibi promiſſio in ſemine, in quo omnes gentes benedicentur. Et hoc primo ſub ſeptem apparitionibus Dei factis Abrahæ, de quibus habetur Geneſis duodecimo uſque ad vigeſimum ſecundum Capitulum. *(a)* Secundo ſub tribus Dei apparitionibus factis Iſaac, de quibus Geneſis vigeſimo ſecundo uſque ad vigeſimum ſextum. Tertio ſub ſeptem apparitionibus factis Jacob *(b)*. Quarum plenam veritatem & intelligentiam nullatenus ſcies, niſi credas, quod ibi de Chriſto principaliter fuerint promiſſiones. Ubi etiam occurrit e contrario Nembroth *(c)* gentes opprimens, ex cujus ſuperbia aſcendit idololatriæ ortus, & peccatorum innaturalium exceſſus. In quo aperte deſignatur caput & radix tentationum nimis invaleſcentium tempore, quo Chriſtianus populus eſt electus, & a ceteris diſtinctus, & quo Chriſti lex ſingulariter impugnabat tyrannicam & idololatrantem avaritiam, ſuperbiam, & luxuriam. *(d)*

Attendenda circa opus lationis legum.

§. XIII. Attende quinto opus lationis legum, in quo tam in ſignis, quam in prodigiis datis in virga Moyſi, in columna nubis, in manna cœli, & conſimilibus, quam in cæremonialibus, & in omnibus præceptis, in præmiis, & pœnis, ſeu in promiſſionibus & comminationibus, lex ipſa omnino ſe exhibet egenam gratia, ſalute, & ſapientia; niſi ſemper ibi intelligatur fides & gratia Chriſti. Ipſam autem ſapientiam & legislationem invenies in primis tribus libris datam, *(e)* ac deinde in Deuteronomio, quod interpretatur nova lex *(f)*, replicatam, in ſignum quod lex nova Chriſti erat conſummatio veteris legis. Et etiam e contra occurrit exterminatio populi in deſerto, multiplex tentatio, & terribilis punitio; quæ omnia, ſecundum Apoſtolum primæ ad Cor. decimo, in figura contingebant illis.

Deuteronomium nova lex interpretatur.

1. *ad Cor.* 10. 11.

Attendenda circa opus diſtributionis hæreditatum.

§. XIV. Attende etiam ſexto opus diſtributionis hæreditatum deſcriptæ in libro Joſue, ubi in terræ ingreſſu & captione occurrit mira Jordanis pertranſitio, mira Jericho obſeſſio & captio, & Raab liberatio, mira ſolis & lunæ ſtatio. In diviſione vero terræ occurrit primo, quod quinque Tribus primo ſortes ſuas acceperunt, & ultimo ſeptem reſiduæ, & priorum quinque prius duæ & dimidia trans Jordanem, & deinde duæ & dimidia citra Jordanem. *(g)* In quibus omnibus Chriſti myſteria *(h)* refulgent in tantum, quod ſine illis nihil ſpirituale, ſed potius terrenum ad plenum ſapere poſſunt.

Attendenda circa opus gubernationis, & conſervationis Tribuum.

Ad Hebr. 3. 7. *ac ſeqq.* & 4. 3. *ac ſeqq.*

Pſ. 94. 8. *ac ſeqq.*

§. XV. Attende etiam ſeptimo, in quo populus Iſrael putavit ſe invenire requiem ſabbatiſmi. Quod probat Apoſtolus ad Hebræos tertio & quarto Capitulo per verbum David: Hodie ſi vocem ejus audieritis, uſque ibi: Quibus juravi *(i)* in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Ex quo probat Apoſtolus, quod non ſub illo tempore, ſed ſub Chriſto, & in Chriſto eſt expectanda requies ſabbatiſmi. *(k)* Illo tempore occurrunt primo ſub Judicibus, ſecundo ſub Regibus, tertio ſub Pontificibus Sapientialia documenta, quibus connectuntur alia tria, ſpiritualia

(a) Inter apparitiones Abrahæ factas myſterio plena illa eſt, qua tres Viros, ſive Angelos, vidit, & unum adoravit, propter ſcilicet *repræſentationem Trinitatis*, de qua noſter Auctor 3. Sent. Diſt. 9. Art. 1. Q. 5. ad 1.

(b) Inter apparitiones Jacob factas ea eſt ſcalæ a terra ad cœlum pertingentis, & Angelorum per eam deſcendentium, & aſcendentium, cujus proin idem Auctor ſæpe meminit, in Breviloq. Procem. de ſublimitate ſacræ Scripturæ, & in Par. 1. de Eccl. Hierarch. cap. 1. nec non Par. 4. cap. 7. Item Expoſit. in cap. 10. Sap. ubi alia plura Jacob a Deo collata beneficia recenſentur &c.

(c) Serm. ſive Collat. 15. ac 16. in Hexaem.

(d) Ibi.

(e) Serm. ſive Collat. 14. in Hexaem.

(f) In Princip. ſacr. Script.

(g) Al. *circa Jordanem*. *Duæ* Tribus memoratæ *Ruben*, & *Gad*; *Dimidia* Tribus *Manaſſe*. Vid. Num. 32. & 34. Deu. 3. ac Joſue 22. De præpoſitione autem *megheber*, qua promiſcue utuntur Hebræi pro *trans*, & *citra*, vid. Malvendam in Num. cap. 32. ver. 19. ubi etiam obſervat, quod *ex loco loquentis*, *aliiſque circumſtantiis dignoſcitur ultrane, an citra ſignificet*.

(h) De *Chriſti Myſteriis* deſignatis per *Jordanem* Lorin. Comm. in Pſ. 113. v. 3. ubi allegat Origen. & S. Ambroſ. Quibus adde Caſſiod. in Pſ. 41. v. 9. & S. Greg. Mor. L. 33. c. 6. n. 12. nec non de aliis *myſteriis* per prædicta ſignificatis Gloſſa Ordin. & Interlin. apud Lyran. in cit. cap. 32. Num. &c.

(i) Vulg. *ſicut juravi*; ſed *quibus juravi* Caſſiodor. ac Cod. noſter Bernardinian. nec non Cod. Goth. antiquioreſque ſacror. Biblior. editiones, nec non Pſalter. Rom. & Vet. in Quincup. Pſalter. Nec diffitetur Lorin. Comment. in d. Pſ. 94. quinimo non dubitat *clariorem orationem per pronomen QUIBUS*.

(k) Laud. Lorin. ibi ſic „ Auctor Operis „ imperfecti *requiem*, de qua hic agitur, ait „ eſſe

lia ſcilicet Cantica, Pſalmi, & Canticum Canticorum; (a) & Prophetalia vaticinia ſive præmonita. Sed ſub nullo horum plenam requiem habuerunt, tametſi oſtenderetur juſtitia legis extrinſeca per Judices, legis gloria ſeu potentia promota per Reges, legis gratia procurata per Sacerdotum oblationes, legis ſapientia expoſita per Doctores, legis Cantica data per templi cantores, legis prophetia data per propheticos Vates. Prædicta autem ſex æternam requiem (b) non potuerunt exhibere; ſed tanquam ſex opera ſex dierum præambula, (c) ad Chriſti Sabbatiſmum fuerunt ordinata. (d) Sunt autem hæc opera; primum, ſuſcitationis Judicum: ſecundum, unctionis Regum: tertium, diviſionis Regalium: quartum, informationis Sapientialium: quintum, vaticinationis Prophetalium: ſextum, reſtaurationis Temporalium.

§. XVI. Si autem illa ſex (e) cum ſex iſtis operibus, aut iſta cum præmiſſis connumeres, invenies vetus Teſtamentum duodecim in ſe opera principalia continere, quaſi fructus duodecim ligni vitæ. (f)

§. XVII. Merito igitur viſus eſt Chriſtus in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum ſtans tamquam agnus occiſus, & ut leo aperiens, & ſolvens ſeptem ſignacula libri, quem accepit de dextera ſedentis in throno. Quæ quidem ſeptem ſignacula poſſunt generaliter accipi ſecundum ſeptem diviſiones entis, ad quas aliæ reducuntur, videlicet primo, unum & multa: ſecundo, actus & potentia: tertio, ſimpliciter & ſecundum quid: quarto, univerſale & particulare, ſive totaliter & in parte: quinto, per ſe & per accidens, ſive per illud: ſexto, abſolutum & relativum: ſeptimo, ſecundum rem & per apprehenſionem, de quibus eſt tractandum aliter. (g)

[Margin: Apoc. 5. 5. et ſeqq.]

[Margin: Variæ ſignaculorum acceptiones.]

§. XVIII. Vel poſſunt accipi ſpiritualiter ſecundum diſtinctionem ſeptem ætatum, ut ſcilicet ſit ſignaculum primo, materialitas: ſecundo, extraneitas & mutabilitas: tertio, carnalis propinquitas & familiaritas: quarto, variarum promiſſionum & laudum jucunditas: quinto, apparens contrarietas: ſexto, impoſſibilitas: ſeptimo, inapprehenſibilitas, de quibus eſt tractatum. (h)

§. XIX. Vel poſſunt accipi ſecundum quæcumque nova opera novi Teſtamenti clauſa in conſimilibus operibus veteris Teſtamenti. (i)

§. XX. Vel, quia hic agitur de agno occiſo, poteſt dici, quod ſeptem ſignacula ſunt primo, Crucis ſumma ſtultitia: ſecundo, impotentia: tertio, inopia: quarto, ignominia: quinto, ſævitia in innocentis occiſione, ſeu in mortis

„ eſſe Chriſtum ipſum, in quo quieſcat & ſabbatizet, & otietur ab omni opere mundi, „ *non diligens illum, neque ea, quæ in ipſo ſunt.*" 1. Jo. 2. 15.

(a) Præfat. in Cant. Canticor. ſecundum Origenem §. 12.

(b) Ad hanc *requiem æternam* comprobandam, quod ſolum per Chriſtum obtineatur, allegat inibi idem Lorin. Auctorem, licet Apocryphum, Libri quarti Eſdræ, ex quo Eccleſia uſurpat nonnulla in Officio Divino. Vide ſis Expoſit. in d. Pſal. 94. cit. Caſſiodor. &c.

(c) Vox a D. Bona. ſæpius adhibita.

(d) Itiner. ment. in Deum cap. 7. *tanquam ſex diebus primis, in quibus mens exercitari habet, ut tandem perveniat ad ſabbatiſmum quietis,* videlicet ubi *verus Pacificus in mente pacifica, tanquam in interiori Hieroſolyma, requieſcit.* Recolantur ſupra dicta §. 9.

(e) Scilicet *ſex opera ſex dierum præambula,* de quibus paulo ante mentio facta eſt.

(f) *Eſt enim lignum vitæ ſacra Scriptura,* Comment. in cap. 8. Apocal. ſub ver. 11. num. 574. Vide etiam Serm. 18. in Hexaem. ad finem.

(g) Vide Itiner. ment. in Deum cap. 3. ubi de ſimilibus *entis diviſionibus aliter* tractatur, velut ducentibus in *cognitionem entis abſque omni defectu.* Nec non de eo quod eſt *eſſe ſimpliciter, & eſſe abſolutum, ſumme unum, omnis multitudinis univerſale principium &c.* Cap. 5. ejuſdem Itiner. Item de *ſubſtantia & accidente, univerſali & particulari, potentia & actu, uno & multis, ſimplici & compoſito, cauſſa & cauſſato,* Serm. ſive Collat. 4. in Hexaem. velut itidem conferentibus ad cognoſcendum Deum in ratione *veritatis ac lucis ſuper animam irradiantis, ac triplicis cauſſæ originantis, exemplantis, & terminantis, ſecundum quod eſt cauſſa eſſendi, ratio intelligendi, & ordo vivendi.* Id quod legere quoque eſt cit. Cap. 5. Itiner. Prædictæ autem *entis diviſiones* ſpectare videntur ad *Medium metaphyſicum,* de quo ſupra in Tract. de ſacr. Script. myſt. §. 5. ac Serm. ſive Collat. 1. in Hexaem. Ceterum nullibi melius ſupra dicit *tractandum aliter* de prædictis *ſeptem ſignaculis ſecundum diviſiones entis,* quam in ſingulari Commentar. in cap. 5. Apocal. De Scripturarum Sanctarum dignitate & excellentia §. 27. de quo Vol. 2. hujus Supplement.

(h) In ſuperiori Tractatu de ſacræ Scripturæ Myſterio §. 27.

(i) De his idem Interpres Comment. in cap. 5. Apocal. ſub ver. 1. n. 317. & ſuperiori Tract. de ſacr. Script. Myſter. in fine §. 79. ac ſeq.

tis ejus permissione: sexto, scandalum seu pugna: septimo, tristitia. In his enim clauditur primo, summa sapientia: secundo, potentia: tertio, copia & divitiarum affluentia: quarto, gloria: quinto, justitia & misericordia: sexto, pax & concordia: septimo, lætitia. (*a*)

§. XXI. Scito autem, quod in concordia arcana Scripturarum Divinarum nemo potest intrare, nisi per Crucis stultitiam. (*b*) Nam in summa crucis stultitia resurgit & assurgit in summa sapientia, & sic de aliis. Unde Apocalypsis tertio dicitur Christus habere
Apoc. 3. 7. clavem David, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. (*c*)

§. XXII. Advertendum autem, cujusmodi sunt istæ rotæ, in quarum medium est intrandum. Et sicut in verbis Ezechielis traditur, septiformem proprietatem habere noscuntur, videlicet primo numerositatem in unitate: secundo, multiformitatem in unitate: tertio, staturæ terribilem immensitatem: quarto, circuminceſſivam capacitatem: (*d*) quinto, volubilem mobilitatem seu gyrabilitatem: sexto, sequelæ seu motus regularitatem: septimo, spiritalem vitalitatem. (*e*)

Septiformis rotarum Ezechielis proprietas.

Numerositas in unitate.

§. XXIII. Habent enim numerositatem in unitate. Dicuntur enim esse quatuor, & una. Nam capitulo decimo: *Vidi, & ecce quatuor rotæ juxta Cherubin.* *Ezech. 10. 9.* Et capitulo primo dicitur, quod *apparuit rota una super terram juxta animalia, habens quatuor facies.* *Ezech. 1. 5.* Sunt enim una & quatuor; quia sic est unum regnum, & una Civitas, subdistincta tamen in varias Hierarchias, & Regna, quorum primum ordinatum fuit sub umbra figuræ, secundum sub fide, tertium sub contemplationis claritate, quartum sub intuitivæ visionis felicitate. Et sic in una umbra seu textu literæ, quatuor esse Monarchica, seu Hierarchica Regna Christi. In primo fuit Christus, ut seminaliter in Patribus contentus. (*f*) In secundo, ut virginaliter in actum eductus. (*g*) In tertio, ut ramificabiliter (*h*) in spiritus effusione expansus. In quarto, ut fruibiliter in æterna felicitate visus & aprehensus. (*i*) Propter quod bene dictus est supra (*k*) visus a Joanne in medio throni, & quatuor animalium. *Apoc. 5. 6.*

Multiformitas in uniformitate.

§. XXIV. Sunt etiam multiformes & uniformes; nam Cap. primo, quod *rota habebat quatuor facies*, & quod *aspectus rotarum erat quasi visio maris.* *Ezech. 1. 15. ac seq.* Et Cap. decimo, quod *species rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi.* *Ezech. 10. 9. ac 12.* Et ibidem dicitur, quod *habebant corpus, & colla, & manus, & pennas, & circulos, & omnia*

(*a*) In Incend. sive Incent. amor. cap. 3. quoad *Sapientiam* ait: *Deus admirabilis manifestatus est nobis per crucem esse summæ & inscrutatibilis sapientiæ;* quoad *justitiam & misericordiam*, quod itidem *manifestatus est nobis esse summæ & irreprehensibilis justitiæ, summæ & inennarrabilis misericordiæ.* Quoad *copiam, gloriam, lætitiam*, inquit pariter, quod *Paradisus desiderabilis nobis manifestatus est per crucem, in quo est fastigium totius gloriæ, spectaculum omnis lætitiæ, & promptuarium omnis opulentiæ.* Et infra, quod *opulentissimus Dominus suscepit egestatem extremam, ut locupletaremur in copia.*

(*b*) In Prol. prædicti Itiner. *nemo intrat recte, nisi per Crucifixum*, sive per *virgam crucis*, ut dicitur cap. 7. ejusdem Itiner. Videatur quoque in hanc rem Serm. sive Collat. 2. in Hexaem.

(*c*) Quod *ex hoc, quod agnus passus est, septem signacula aperta sunt, & quæ erant clausa homini, sunt per efficaciam passionis Christi reserata*, in d. Incend. sive Incent. amor. eod. Cap. 3., ex quibus concludit: *Unde ipsa crux vere beata, est clavis, porta, via, & splendor veritatis &c.*

(*d*) De hac infra §. 29.

(*e*) Similiter desinentia Bonaventuriana. *Vitalitas* sumitur pro vi, & potentia vitali, quo sensu Plinius Lib. 11. cap. 37. *cæteris corruptis, vitalitas in corde durat.*

(*f*) *Materialiter* tantum; quippe Auctor ait 3. Dist. 3. Par. 2. Ar. 2. Q. 2. in concl. „Uno „ dicendi modo concedi potest, quod caro Christi, materialiter loquendo, sic fuit in lumbis parentum secundum propagationem, sicut caro aliorum hominum. " Quo spectat illud Apostoli ad Rom. 1. 3. *Factus ex semine David secundum carnem*, de quo textu idem Auctor 3. Dist. 11. Art. 2. Q. 1. ad 3.

(*g*) Idem pergit cit. loco Dist. 3. „ Sed „ quoniam...... caro Christi respicit ejus eductionem secundum esse actuale, hinc est, quod „ hæc locutio est impropria..... Caro Christi „ fuit ex parentibus seminaliter traducta...... „ Nam conceptio ejus mirabilis fuit, & supra „ virtutem naturæ. Non fuit enim ex virili „ semine, pro eo quod caro ejus concepta fuit „ ex sola matre: neque secundum legem concupiscentiæ, quia non intervenit delectatio „ ex commixtione sexus: conceptus enim fuit „ ex castissimis Virginis visceribus. "

(*h*) De hujusmodi *ramificatione* Par. 5. Breviloq. cap. 4. ac. seqq.

(*i*) Per hæc indicatur *præmium substantiale gloriæ cœlestis consistens in visione, fruitione, tentione.* Breviloq. Par. 7. cap. 7. ac 4. Dist. 49. Par. 1. Art. 1. Q. 5. in concl. &c.

(*k*) Supra §. 17. nec non præced. Tract. de sacræ Scripturæ Mysterio §. 10.

erant plena oculis in circuitu rotarum quatuor. Habent igitur multiformitatem cum unitate; quia habent quatuor facies in sua litera, scilicet primo, Historialem similem Bovi literam terræ sulcanti: secundo, Legalem similem Leoni imperterrito, & terrenti: tertio, Sapientialem similem Homini docenti in Libris Sapientialibus, quantum ad vetus Testamentum, & in Epistolis, quantum ad novum: quarto, Prophetalem similem Aquilæ perspicaciter videnti (*a*).

§. XXV. Sunt etiam multiformes, quia sæpe dicunt Historialia cum Legalibus, & Sapientialibus; licet per quamdam antonomasiam quatuor prædicta Libros habeant distinctos. Est enim Scriptura sacra edita instar arborum in imo consitarum, (*b*) vel de una aut duplici radice prodeuntium, (*c*) in quarum prima occurrit stipes Historiæ Patrum diffusæ in ramos & folia Legalium præceptorum. In secunda occurrit Historia Josue, & Judicum, & duorum priorum Regum diffusa in Psalmos David, & in Sapientialia Salomonis Documenta, & Cantica. In tertia occurrit Historia sequentium Regum diffusa per Prophetalia vaticinia. In quarta occurrit Historia Esdræ & Neemiæ, & Machabæorum, diffusa in Sapientialia Documenta Libri Sapientiæ & Ecclesiastici. In quinta occurrit Historia Evangelica cum Christi Legibus & Documentis. In sexta occurrit Historia Actuum Apostolorum, & nascentis Ecclesiæ diffusa in Epistolares informationes. In septima occurrit Prophetia, seu visio texens occulte Historialem decursum totius Ecclesiæ. (*d*)

§. XXVI. Rursus Historia veteris Testamenti currit alio modo multipliciter. Primo scilicet instar unius rotæ currentis ab initio sæculi usque ad gesta Machabæorum; (*e*) vel prius usque ad Historiam Esdræ & Neemiæ. Usque enim ad illud tempus continuantur Historiæ quatuor partiales, quasi quatuor facies, scilicet Tobiæ, Judith, Esther, & Job. (*f*)

§. XXVII. Alio autem modo est edita Scriptura instar duorum Cherubin mutuo se respicientium, & versis aspectibus occurrentium in propitiatorium, id est; in Christum: (*g*) seu instar duarum arborum, quarum una prodiit ex altera. (*h*) Sic novum Testamentum se habet ad vetus quasi fructus ad arborem, de qua manat; vel quasi pullus ad ovum, & nucleus ad testam (*i*). Secundum vero spiritum suum habent unum aspectum, seu faciem ad superiora, alium ad inferiora; alium ad prospera quasi a dextris, alium ad adversa, seu hostilia quasi a sinistris. Sunt

(*a*) Ita fere in Procem. Breviloq. *de latitudine sacræ Scripturæ*, nec non in singulari Comment. cap. 5. Apocal. De Scripturar. Sanctar. dignit. & ex llent. § 31. Vol. 2.

(*b*) Hujusmodi similitudine ab arboribus petita uti sæpe consuevit idem S. Bonaventura, quemadmodum videre est in Prodromo col. 542. 560. 576. 675. 742. nec non Exposit. in Cant. Canticor. cap. 8. sub ver. 5. §. 331. Addiderim quod tradit Serm. sive Collat. 15. in Hexaem. „ Comparatur novum Testamentum „ ad vetus, ut arbor ad arborem, & litera ad literam, & semen ad semen. Et sicut arbor „ de arbore, & semen de semine; sic litera de „ litera, & Testamentum de Testamento. Secundum hoc assignatur convenientia duorum „ Testamentorum &c. Duo sunt Testamenta, „ unum in servitutem generans, alterum in „ libertatem; unum secundum amorem, alterum secundum timorem; unum secundum „ literam, alterum secundum spiritum; unum „ secundum figuram, alterum secundum veritatem &c. “

(*c*) Serm. sive Collat. 14. in Hexaem. „ Scriptura data est ad referandam Sapientiam, quæ „ habet duas radices, scilicet timorem & amorem. Prima radix timor; quia prius est „ homo animalis quam spiritualis: & quoniam „ per timorem est affectus, tunc fit spiritualis. „ Et ideo secundum has duas radices sunt duo „ Testamenta &c. “

(*d*) Ut idem Interpres agit in Comment. Apocal.

(*e*) *Libros Machabæorum duos* memorat in Centiloq. Par. 3. Sect. 32. Textus tamen aliorum duorum extra canonem alibi allegat.

(*f*) Eodem ordine in Centiloq. ibi.

(*g*) Cap. 6. Itiner. ment. in Deum „ Respiciebant se versis vultibus in propitiatorium, ut verificaretur illud, quod dicit Dominus in Joanne: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. “ Nec non Exposit. in „ cap. 24. S. Lucæ „ Omnes Scripturæ in „ Christum habent respectum. In cujus designationem dicitur, quod duo Cherubin respiciebant se mutuo versis vultibus in propitiatorium, id est, duo Testamenta. “ Per duos Cherubin duo quoque Testamenta idem Interpres intelligit Serm. sive Collat. 15. in Hexaem. &c. De hoc ipso quam disertissime S. Gregor. in Ezech. Lib. 1. Hom. 6. num. 15.

(*h*) Vid. supra §. 25. in not. *b*.

(*i*) Dixerat super. Tract. de sacr. Scriptur. Myster. §. 75. *sicut medulla sub ossibus*. Accipitur autem heic *testa* pro duriori tegmine.

Sunt etiam Divinæ Scripturæ multiformes propter multitudinem figurarum, & spiritualium intelligentiarum. (*a*) Uniformes autem sunt, (*b*) quia ab uno, & ad unum, & in uno. (*c*)

Staturæ terribilis immensitas. §. XXVIII. Tamen quia miro modo sunt invicem proportionatæ, habent etiam staturæ terribilem immensitatem. Unde Capitulo primo dicitur, quod *statura erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus*. (Ezech. 1. 18.) Hanc staturam immensam, & horribilem, vel terribilem habent; quia pertingunt usque ad summum Deum, & comprehendunt in se universitatem corporis electorum, & corporis reproborum, seu totam Civitatem Dei, & Diaboli. (*d*) Una mensura est earum longitudo, latitudo, & sublimitas, & profunditas. (*e*)

Circumincessiva capacitas. §. XXIX. Habent circumincessivam capacitatem. Una est enim in altera, (*f*) sicut signatum in signo, & e contrario. Propter quod Capitulo primo & decimo dicitur, quod aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ (*g*). (Ezech. 1. 16. nec non 10. 10.)

Volubilis mobilitas, seu gyrabilitas. §. XXX. Habent etiam volubilem mobilitatem, seu gyrabilitatem. (*h*) Semper enim gyrantur circa suum centrum, seu medium, de quo jam est prædictum. (*i*) Unde Capitulo decimo rotas istas vocat *volubiles*, (Ezech. 10. 13.) & paulo ante dicitur, quod *quum ambularent, in quatuor partes gradiebantur*. (Ezech. 10. 11.) Et Capitulo primo, quod *per quatuor partes earum euntes ibant*. (Ezech. 1. 17.)

Sequelæ seu motus regularitas. §. XXXI. Habent etiam sequelæ seu motus regularitatem. Semper enim rotæ sequebantur animalia, & motum, & stationem ipsorum; servantes & respicientes contemplationem & perspicaciam animalium, seu Doctorum, a quibus, & per quos manant, seu exponuntur. Unde & in themate præfato merito dicta sunt esse *subtus Cherubin*. Ista enim animalia *Cherubin* vocantur, prout Ezechielis decimo. (Ezech. 10. 16.) Unicuique enim Doctori & auditori, juxta impetum & mensuram spiritus, modo mirabili correspondent. (*k*) Et hoc est quod dicitur Capitulo primo: *Quum ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta ea, & cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ. Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter elevabantur, sequentes eum. Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant, & cum elevatis a terra pariter elevabantur & rotæ, sequentes ea &c.* (Ezech. 1. 19. ac seqq.) Sicut ibidem dicitur.

Spiritalis vitalitas. §. XXXII. Habebant etiam spiritalem vitalitatem. Nam *spiritus vitæ erat in rotis*, sicut ibidem dicitur. (Ezech. 1. 21. nec non 10. 17.) Quicquid

(*a*) Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. ubi dicitur, quod *apparet sapientia multiformis in mysteriis Divinarum Scripturarum, in multitudine figurarum &c.*

(*b*) Ibi, ubi de eadem sapientia in Scripturis Divinis asseritur, quod sit *uniformis*.

(*c*) Scilicet *quia fluunt a Deo, & ad Deum terminantur, & in Deo conquiescunt*, Serm. sive Collat. 18. in Hexaem. ad finem.

(*d*) Hinc infert S. Gregor. in Ezech. Lib. 1. Hom. 6. num. 18. „ Scriptura igitur sacra „ staturam habet; quia mores ad standum di- „ rigit, ut auditorum mentes ad terrenam con- „ cupiscentiam non curventur. Altitudinem „ habet; quia in cœlesti patria æternæ vitæ „ gaudia promittit. Horribilem quoque aspe- „ ctum habet; quia omnibus reprobis gehennæ „ supplicia minatur. Ostendit igitur staturam „ suam in ædificatione morum: ostendit alti- „ tudinem in promissione præmiorum: osten- „ dit horribilem aspectum in terroribus sup- „ pliciorum. Recta est enim in præceptis, „ alta in promissionibus, horribilis in minis „ &c. “

(*e*) In Prooem. Breviloq. per totum, ubi late disseritur *de latitudine, longitudine, sublimitate, profunditate sacræ Scripturæ*.

(*f*) Similiter *circumincessionem* dixerat 1. Dist. 19. Par. 1. Art. 1. Q. 4. in concl. illam, *qua unus est in alio, & e converso*. Eam vero cum subdat, *proprie & perfecte esse in solo Deo*, non negat, minus proprie, minusque perfecte posse ad alia transferri.

(*g*) In Princ. Script. ac in sæpe dicto Prooem. Breviloq. de quo insuper Tract. de sacr. Script. Myster. §. 11. 47. nec non 74.

(*h*) Recte post *staturam immensam, & horribilem, vel terribilem rotarum*, de qua superiori §. 28. heic subdit earum *volubilem mobilitatem, seu gyrabilitatem*; quia rotæ quo majores sunt, eo sunt volubiliores quam parvæ. Sicut enim sua peripheria magis distant a centro, ita debent circulum majorem describere, ideoque plus spatii conficere. Unde Romæ in parvis curribus obtinuit usus rotarum ingentium, velut ad rotationem, & ad trahenda majora onera aptiorum, quas adinvenisse ferunt magnum illum Basilicæ S. Petri Architectum Michaelem, qui inde Bonarota dicitur cognominatus. Similiter vectis longus majus pondus attollit, quam brevis &c. Vid. Alexandr. Picolomin. in Quæst. Mechanicis.

(*i*) Cit. Tract. de sacr. Script. mysterio §. 5. ac seqq. & in hoc ipso §. 7.

(*k*) Per hujusmodi *animalia*, sive *Cherubin* intelliguntur *fideles Interpretes, & Religiosi & literati Viri, quasi Interpretes Dei*. Par. 1. de Eccl. Hier. cap. 3. de Cherubim.

enim est in eis, totum est plenum spiritu & intelligentia spiritali. (a)

Secundum in exordio assumptum de præcepto, & igne caritatis.

§. XXXIII. Secundo autem post ingressum & intelligentiam veritatis, vis caritatis igne repleri? *Imple manus tuas prunis igneis* (b), scilicet Scripturarum. (c) Scriptum est enim: Ignitum eloquium tuum vehementer, (d) & eloquia Domini eloquia casta, igne examinata. (e) Ille autem ignis mystice nobis proponitur in sacris visionibus, in sacrorum sacrificiorum oblationibus, in ciborum decoctionibus, in rapidis motionibus, in naturæ vividis formationibus, in Hierarchicis purgationibus sive repurgationibus, (f) in seraphicis laudibus & jubilationibus; in signum, quod per ignem caritatis perducimur ad spirituales visiones, sacrificationes & devotiones, degustationes & cibationes, motiones & actiones, gratuitas formationes sive reformationes, (g) purgationes sive repurgationes, laudationes & jubilationes. Proponitur, inquam, in signum quod ad eas pervenitur per ignem caritatis, juxta ipsum ibidem: *quasi speciem ignis*.

Psal. 118. 140. Psal. 17. 31. Ezech. 1. 27.

De Visionibus quo ad ignem caritatis. Ad Ephes. 3. 17. ac seqq.

§. XXXIV. De visionibus quoad ignem caritatis, ad Ephes. tertio dicitur: In caritate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Propter quod etiam Dominus apparuit Moysi in flamma ignis de medio rubi, Exo. tertio. Et totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, Exo. decimo nono (h). Et species gloriæ Domini erat quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel, Exo. vigesimo quarto. *Et similitudo animalium aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum: hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.* Ezech. primo.

Exo. 3. 2. Exo. 19. 18. Exo. 24. 17. Ezech. 1. 13.

De sacrificiorum oblationibus, & devotionibus. Levit. 6. 12. ac seq.

§. XXXV. De sacrificationibus autem, & oblationibus, legitur Levitici sexto: Ignis in altari meo (i) semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari, ignis scilicet caritatis, & fervor devotionis (k).

De ciborum decoctionibus. Exo. 12. 8.

§. XXXVI. De ciborum decoctionibus Exodi duodecimo: Edent carnes nocte illa assas igni, scilicet amoris. (l)

De rapidis & strenuis motionibus. Dan. 7. 10.

§. XXXVII. De rapidis & strenuis motionibus Daniel. septimo: Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus, id est, fluvius caritatis, seu amoris Divini. (m) Et quarti Regum secun-

(a) Similiter Comment. singul. in 1. ver. cap. 5. in Apocal. num. 35.

(b) Vide supra §. 1. in not. *b*.

(c) S. Ant. Pat. in Psal. Serm. 137. *Prunis igneis, id est, Scripturæ sacræ sententiis, & sanctorum exemplis novi & veteris Testamenti.* Sed & Hugo Cardin. exponit: *Verbis & exemplis Sanctorum virorum, qui apparent in Divinis eloquiis.*

(d) Exposit. in Cap. 12. S. Lucæ „ Dilectio „ spiritualis (inquit idem Interpres) est sicut „ ignis cœlestis...... Hunc mittit Dominus „ communicando doctrinam: *Ignitum eloquium* „ *tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.*

(e) Sic quoad nexum utriusque textus etiam Lorinus, quibus addit & tertium Deut. 33. 2. *In dextera ejus ignea lex*. Et recte quidem, subdit ipse Lorin. „ Tum quia illuminat sicut „ ignis, ac purificat: tum quia *finis*, ac *ple-* „ *nitudo legis*, sive *præcepti caritas*, seu *dilectio*, „ (1. Tim. 1. 5. ac Rom. 13. 10.) quæ com- „ paratur cum igne Divino; sed & ipsemet De- „ us noster *ignis consumens est*. " Deut. 4. 24. & Hebr. 12. 29.

(f) Sicut enim inter actus hierarchicos est *illuminare*, & *perficere*; ita *purgare*, Ser. sive Collat. 21. in Hexaem. &c.

(g) *Reformationes*; quia inquit cap. 1. Soliloq. quod *anima formata per naturam, & deformata per culpam, reformatur per gratiam*. Et de *reformatione imaginis per virtutes theologicas* cap. 4. Itinerar.

(h) *In signum caritatis*, Exposit. in cap. 9. S. Lucæ, ubi idem textus adducitur.

(i) Ly *meo* abest a Vulg. sed est in Cod. nostro Bernardiniano sacror. Biblior. A. V. 1. nec non apud ipsummet S. Bona. in Opusc. de perfect. Vitæ ad Sorores, sive potius ad Sororem, Cap. 6. post init. &c.

(k) Sive *ignis amoris Dei, & devotionis fervor*, ut idem Seraphicus Doctor exponit cap. 8. de sex alis Seraphin; nec non Exposit. in cap. 12. S. Lucæ ad illa verba: *Ignem veni mittere in terram*, ubi dictum Levitici textum similiter intelligit de *igne Divini amoris, qui igni comparatur*. Item de *incensione caritatis* Par. 1. de Eccl. Hierarch. cap. 2.

(l) Quippe signat *ignis amorem* 1. Dist. 16. Ar. 1. Q. 3. ad 3.

(m) Sic eodem Interprete in Princip. sacr. Script. ubi ait: *Hujus fluvii finis est amor Divinus, quia finis præcepti est caritas &c.* Infra §. 40. Similiter per *fluvium igneum rapidumque* ab ipso intelligitur Procem. in Lib. 1. Sent. *plenitudo amoris*.

4. Reg. 2. 11. cundo: Ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum. Et cap.
4. Reg. 6. 17. sexto: Mons plenus equorum & curruum igneorum. Item de columna ignis
Psal. 103. 4. in Psal. centesimo tertio: Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis. (a)

De vividis naturæ formationibus.

§. XXXVIII. De vividis naturæ formationibus in signum gratuitarum formationum, sive reformationum per ignem caritatis, Ecclesiastici quadragesimo tertio, qui loquens de sole & ejus operibus, cujus calore, & ardore vivifico
Eccli 43. 3. ac seq. inferiora omnia procreantur, dicit: In meridiano exurit terram, fornacem custodiens in operibus ardoris: tripliciter sol exurens montes, radios exsufflans igneos, seu triplici radio, scilicet recto, fracto, reflexo: (b) vel matutino, meridiano, vespertino: aut ascendente vel oriente, stante, recedente vel decedente. Triplici, inquam, radio amoris, sive caritatis (c).

De Hierarchicis purgationibus sive repurgationibus.

§. XXXIX. De Hierarchicis purgationibus sive repurgationibus, (d) per ignem caritatis, Num. trigesimo primo: Quod potest transire per flammas, igne purgabitur. Et Prov. decimo septimo: In igne probatur, id est, purgatur (e), argentum, & aurum. Et Num. 31. 23.
Malachiæ tertio: Ipse erit (f) quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit, & purgabit filios Levi. Et Prov. 17. 3. Malach. 3. 2. ac seq.
Isai. sexto: Seraphin calculo ignito, quem forcipe accepit de altari, purgavit Isaiam, ut auferretur iniquitas ejus, & peccatum ejus purgaretur (g). Isa. 6. 6. ac seq.
Et Matthæi tertio: Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni. (h) Matth. 3. 11.

De Seraphicis laudibus. Seraphin, id est, incendentes, sive incendium.

§. XL. De Seraphicis laudibus (i) Isaiæ sexto: Seraphin, quod interpretatur incendentes (k), sive incendium, & hoc per caritatem (l) clamabant alter

ter

(a) *Ignem urentem*; sed *flammam ignis* legit etiam noster Auctor Par. 1. de Eccl. Hierarch. cap. 2. ubi loquitur de *Seraphim Divini amoris præ ceteris inflammatis, & aliorum inflammativis, in se mobilibus, & aliorum motivis*. Nec non de iisdem *Seraphim, qui interpretantur ardentes, sive incendentes*, Serm. de Angelis inter Sermones de Sanctis, idemmet S. Bona. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, vel ignem urentem; quia licet omnes alii ardeant in amore Divino, isti tamen ardentius, quia amoris ignem in primis accipiunt, & fortius ardentes ad ceteros accendendos flammam dilectionis emittunt.* Hujusmodi lectio confirmatur S. Pauli Epistola ad Hebræos cap. 1. ver. 7. Sed & Græce legere est apud Lorin. *ignis flammam*. Item Symmachus: *igneam flammam*. Paraphrastes Chaldæus: *sicut ignis flammicans*.

(b) Serm. sive Collat. 4. in Hexaem.

(c) *Triplici & triformi amore* Serm. sive Collat. 20. in idem Hexaem. Et per d. textum indicari *abundantiam caritatis* inquit Interpres Exposit. in cap. 9. S. Lucæ.

(d) De his *est tota sacra Scriptura, per quam docemur purgari, illuminari, & perfici &c.*, cap. 4. Itinerar. De quibus etiam tribus actibus hierarchicis Serm. sive Collat. 21. in Hexaem. Item in 2. Dist. 10. Ar. 2. Q. 1. ad Opp. 2. ubi laudatur Dionys. de Angel. Hierarch. cap. 3. in medio Vid. quoque in eodem 2. ibi Q. 2. in fine ad 6. ubi iterum allegatur Dionys. de Angel. Hierarch. cap. 7. declaraturque insuper prædictorum trium actuum distinctio.

(e) *Probare per metalepsim significat purgare*, ait Cornel. a Lap. Comment. in Proverb. ad hunc loc.

(f) Vulg. *enim*; sed *erit* ipsemet D. Bona. ut mox patebit.

(g) Cit. Par. 1. Eccles. Hierarch. cap. 2. ubi sic lego „ Angeli Ordinis Seraphim sunt holocausti purgativi (scilicet *Divini amoris incendio*, de quo ab init. cit. cap. 2.): quia „ non solum sunt purgati a corruptione mali, „ immo ab imperfectione omnis boni, in quibus nulla adest mali corruptio, nec deesse „ alicujus boni perfectio comprobatur. Et hoc „ potissimum congruit viris Angelicis & perfectis, qui se Domino medullatum sacrificium penitus obtulerunt, qui velut Angeli „ ignei (jam d. *Divini amoris incendio*) in se „ etiam levioris culpæ maculam non admittunt: immo omnem mali speciem in se, & „ in aliis annihilant & consumunt. Ideo dicit „ Malachias: *Erit quasi ignis conflans, & sedebit, & purgabit filios Levi*..... Ideo dicunt „ Seraphim ad Isaiam: *Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum purgabitur*, in quo notatur „ purgatio omnis mali. “ Ubi etiam post initium cit. cap. 2. ad ejusdem Isa. textum ab ipso notatur, quid agere soleat *mens religiosa in Dei amore fervida*. Vide sis Dionys. de cœlest. Hierarch. cap. 13.

(h) Non enim heic sermo de igne materiali, ut delirabant Hermiani & Seleuciani, proinde suis baptizandis stigma candenti ferro inurentes, teste S. August. Hæresi 59; sed de igne metaphorico Spiritus Sancti, secundum S. Hieron. Euthym. aliosque Patres, nempe de igne caritatis, quæ *diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*. Rom. cap. 5. v. 5.

(i) Quippe, ut ipsemet Doctor noster Seraphicus loqui pergit cit. Par. 1. de Eccl. Hierarch. cap. 2., *Seraphim Deo immediatius conjunguntur, & in Divinis laudibus voces frequentius emittere dignoscuntur*.

(k) Ibidem in fine cap. 1. nec non Exposit. in cap. 24. S. Luc. Et in 2. Dist. 10. Art. 2. Q. 1. ad opp. 1. *Angelus qui missus est ad Isaiam, sicut dicit Dionysius, dicitur esse unus de Seraphin; quia missus ad incendendum, & inflammandum.* Et paulo supra not. *a*.

(l) 2. Dist. 6. Art. 1. Q. 1. ad 1. *Seraphin interpretatur incendium, & hoc est per caritatem.*

Isa. 6. 2. ac seq. ter ad alterum & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus &c. (*a*) Et Actuum *Act. 2. 3.* secundo: Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis (*b*). Dicitur autem esse iste ignis inter Cherubin, quia intimo affectu, & intentione Doctorum, in Medio Scripturarum, id est, Christo, consistit. (*c*) Et ideo qui vult hunc ignem abunde trahere, oportet, quod in omnibus finalem intentionem, & intimum affectum scribentium, Christique arcanum mysterium semper attendat. Finis omnium præceptorum est caritas Christi, secundum Apostolum. *1. ad. Tim. 1. 5.*

Ad ignem Divinæ caritatis ex sacris Scripturis trahendum, quid exigatur.

Tertium in exordio assumptum de universali Dei judicio.

§. XLI. Volenti autem videre æquitatem Divini judicii (*d*) expressam attendenda est effusio septem universalium judiciorum ad effusionem septem phialarum Apocalypsis (*e*). *Apocal. 16. 1. ac seqq.* Sunt autem hæc judicia, primum in terram: secundum in mare: tertium in flumina & fontes: quartum in solem: quintum in sedem bestiæ: sextum in fluvium Euphraten: septimum in aerem.

§. XLII. In terra originalis sive generalis interfectio. In mari immersio. In fluminibus & fontibus linguarum divisio. In sole æstuatio sive concrematio. (*f*) In sede bestiæ idololatratio. In fluvio Euphrate in bellis permixtio. In aere Idolorum & Dæmonum per Christum exterminatio; vel ultimo Judæorum, ac omnium improborum extrema ad ignem inferni condemnatio. (*g*)

§. XLIII. Igitur contemplando veritatem, animadvertamus æquitatem, per quam impresso nobis Divino timore, in ardorem transeamus; (*h*) degustando in Scripturis Divinum amorem & dulcorem, (*i*) quem nobis administret Christus Jesus fons veritatis in sæcula sæculorum. Amen.

SERA-

(*a*) Sic cit. Par. 1. de Eccl. Hierarch. cap. 2. ac Serm. sive Collat. 21. in Hexaem. Item Dionys. de cœlest. Hierarch. cap. 10.

(*b*) *Et hoc quia Spiritus Sancti amor recte per ignem designatur &c.* Exposit. in cap. 3. S. Luc.

(*c*) Tract. superiori de sac. Scriptur. myster. §. 11. nec non in hoc eod. §. 7.

(*d*) Supra in hoc ipso Tract. §. 4.

(*e*) Quod hæ *phialæ* sint *decreta, sententiæ, & judicia Dei, in quibus ira Dei, id est, ultio & supplicia Dei impiis inferenda, quasi thesauri justitiæ Divinæ reservantur*, inquit etiam Cœlius Pannonius, proprio nomine P. Gregorius Hungarus, Prior S. Stephani in Monte Cœlio Romæ, sic vocatus in Codice apud Cornel. a Lap. Quodve cit. l. c. Apocal. *agatur principaliter de afflictione pœnarum ipsorum reproborum*, ait etiam interpres noster Comment. in Apocal. ibi.

(*f*) Supra cit. §. 4. *Civitatis incendium; Civitatis*, inquam, *reproborum*, supra §. 10. Si quis autem a me nosse aveat rationem, quare heic Interpres noster transeat ab igne spirituali Divinæ dilectionis ad ignem, materialem Divinæ ultionis; eam esse putaverim, quia Mundus, qui in primo Christi adventu noluit flagrare igne caritatis, meretur in secundo luere supplicium conflagrationis, de qua in 4. Dist. 47. Art. 2. per totum. Vid. supra §. 4.

(*g*) Similiter desinentia Bonaventuriana.

(*h*) Jam prænotavimus hoc ipso verbo pariter concludi cum Itinerar. mentis in Deum, tum Tract. de Studio Divinar. Literar. Recolantur quæ ad finem hujus adnotavimus §. 48. col. 47. not. *l*. Et col. 48. ac seq. not. *a*.

(*i*) Non enim *præcipit Scriptura nisi caritatem*, inquit in cit. Princip. sacr. Script. cum Augustino Lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10. num. 15. nec non Comment. singulari in cap. 5. Apocal. De Scripturar. Sanctar. dignitate & excellentia §. 28. Sic claudit superiorem Tractatum de sacr. Script. Myster. *jubilo caritatis*. Quæ omnia Doctorem Seraphicum exhibere videntur; eo vel maxime quod de *Divini amoris*, sive *caritatis dulcore* ipsemet differat cap. 4. Incendii sive Incentivi amor. & de *gustu* cap. 2. Soliloq. nec non de septem gradibus contemplationis. Item de *gustu dulcoris* Comment. in cap. 21. Apocal. num. 1609.

SERAPHICI DOCTORIS SANCTI BONAVENTURÆ

SERMO DE SEMINANTE

SEU

EXPOSITIO PARABOLARUM EVANGELICARUM

DE REGNO COELORUM.

ADMONITIO.

NUnc primum inter Sancti Bonaventuræ *Opera publici juris fit* Sermo, *seu* Expositio *sequens, ad fidem Manuscripti Codicis Florentini insignis Bibliothecæ Laurentianæ, cujus duplex exemplum, satis exactum, ne videar ingratus, fateor me obtinuisse, unum quidem ab* Illustr. D. Dominico Malfatto de Thiesfeld. S. R. I. Equite ac Patritio Tridentino; *alterum a* Cl. Viro Joanne Baptista Burserio tunc Urbis Faventinæ Protomedico, nunc in Papiensi Universitate Professore longe meritissimo. *Fœtum* Seraphici ejusdem Doctoris *genuinum nedum Prodromus noster col.* 736. *ac* 737. *satis ostendit; sed Notæ, suis quæque locis, subjiciendæ, multo luculentius demonstrabunt. Sane tanta heic est cum vere* Bonaventurianæ *doctrinæ consonantia, stilique similitudo, ut nullus ambigendi locus penitus relinquatur. Versatur quidem potissimum circa* Parabolam Regni Cœlorum similis homini seminanti bonum semen in agro suo, *deque* Regno ipso Cœlorum *late differit*, quid videlicet sit, ubi sit, quale sit, quantum sit, quorumve sit; *sed & alias id genus* Parabolas Evangelicas *egregie persequitur, analysi apta destribuit edisseritque. Inter cætera mentionem facit, ut & alibi sæpe*, Verbi increati, Verbi incarnati, Verbi inspirati. *Insuper tradit, quod* ad virtutis perfectionem, secundum Philosophum, exigitur scire, & velle, & impermutabiliter operari, *perinde ac in* 2. Dist. 40. Art. 1. Q. 3. in Fundam. *Tum postremo tres haud ita faciles solutionis Quæstiones de mali ortu, permissione, ac punitione dirimendas proponit: quas quidem omnes non minori facilitate, quam perspicuitate resolvit. Quodve in his docet*: Ordo Divinæ Providentiæ cuncta complectitur: Quo fit, ut siquis ab una differentia cecideris, in alteram relabatur; *illud ipsum est, quod ipsemet* D. Bonaventura *tradit Par.* 3. *Breviloq cap.* 4. *Idem esto judicium de eo, quod ait*: Non est dedecus peccati sine decore justitiæ; *quod itidem asseritur Par.* 7. *Breviloq. cap.* 6. *& alibi. Verbo vel ex hac una Opella licet* Bonaventuram, *virum utique in sacris Literis, sanctisque Patribus versatissimum, & methodo analytica, nec non similiter desinentibus in suis Commentariis passim utentem, omniaque non ad intellectum tantum, verum etiam ad affectum & effectum trahentem, ceu ex ungue Leonem, agnoscere. Apud Assisiensem Codicem Manuscriptum, quem auspicato nactus sum ex* Collectaneis Sbaraleanis *desumptum, in nonnullis auctior est, in plerisque autem, maxime circa finem, contractior. Variantes etiam in prædictis Codicibus MSS. passim offenduntur, quarum potiores ad calcem de more adnotabo. Poterat quidem hic* Sermo de Seminante *enumerari inter ineditos* S. Bonaventuræ Sermones, *de quibus Vol. III. hujus Supplem.; propter tamen in eo contentam* Expositionem Parabolarum Evangelicarum de Regno Cœlorum, *sive* Parabolas Regni duodecim, quæ inveniuntur in Evangelio generales, quarum tres accipiuntur ex parte Opificis, tres ex parte doni gratuiti, tres ex parte liberi arbitrii, *jure ac merito heic sibi locum potius vendicare, nemo cordatus negaverit.*

SAN-

I.

Matth. 13. 24.

Simile est (a) regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, Matthæi tertiodecimo. Detinebant illum, ne discederet ab eis, scilicet Galilæi, quibus ipse ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Istud verbum ultimum scribitur Lucæ quarto: ubi nota, quod inter omnia officia hierarchica nobilissimum officium est evangelizare regnum Dei, (b) ad quod officium dicit se Christus missum. Unde Isaiæ saxagesimo primo: Spiritus Domini super me ad annunciandum vel evangelizandum. Bonæ ergo vitæ debet esse, qui vult Christi officium exercere: & nisi ipse præcepisset Matthæi decimo: Euntes prædicate, dicentes: quia appropinquabit (c) regnum cœlorum, mirum esset, quomodo aliquis auderet prædicare. Quia ergo, carissimi, ad tam dignum officium vita nostra non sufficit, rogemus & cetera. (d)

Luce 4. 43.

Prædicationis officium nobilissimum.

Isi. 61. & Luce 4. 18.

Bona vita Prædicatori necessaria.

Matth. 10. 7.

Tria in hac Parabola in generali notanda, & primum Divina Potentia sive Sapientia.

2. *Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.* In ista tota Parabola Evangelii hodierni tria notantur in generali. Primum est Divina Potentia sive Sapientia in conditione creaturarum, quod designatur per hoc quod dicitur: *Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.* Bonum semen creaturæ bonitas, Genesis primo: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Ager, sicut postmodum exponit ipse Christus, est Mundus; & dicit ibi Glossa, bonum non seminat nisi bonus. Secundum est Divina Providentia in longanimitate & sustinentia malorum, (e) quod notatur ibi: Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite utraque (f) crescere usque ad messem. Intellige longanimitatem, quæ usque ad finem est necessaria. Tertium est Divina Justitia in retributione meritorum, quod notatur (g) ibi: Et in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. Intellige justitiam, quæ in fine exercebitur. (h) Et propter hoc dicit Glossa super illud finite &c.: Sicut inter lolium & triticum, quamdiu herba est, parum distat; ita monet Dominus, ne de ambiguo judicemus, quod Dominus in die judicii non suspiciose, sed manifeste damnabit. In patiendo justitiam meditemur, in judicando patientiam non negligamus. Et super illud & in tempore &c.: qui longanimiter tulit, per justitiam digna retribuit; discretæ sunt enim virtutes, sed non contrariæ.

Gen. 1. 31.

Glossa interl.

Secundum Divina Providentia.

Matth. 13. 29. ac seq.

Tertium Divina Justitia.

Ibi 30.

Glossa ordinar.

3. Sed quia nobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant, sicut dicitur Lucæ octavo: & nullæ rerum similitudines bene cognoscuntur, nisi prius cognitis ipsis rebus, (i) sicut non possum cognoscere, quod Petrus sit similis Paulo, nisi prius utrumque cognoscam; ideo de regno cœlorum videnda sunt aliqua absolute, & postmodum quomodo conveniat ei similitudo. Et sunt hæc de regno cœlorum sex consideranda. Primum est quid sit regnum cœlorum. Secundum ubi sit. Tertium quale sit. Quartum quantum sit. Quintum quorum

Luce 8. 10.

De regno cœlorum sex consideranda.

(a) Vulg. *simile factum est;* sed absque *factum* etiam Codd. Vercellen. Veronen. & Brixian. nec non ipsemet Interpres Serm. 1. Dom. 5. post Epiph.

(b) Hoc *opus Hierarchicum* vocat Auctor etiam In Apologia Pauperum 4. Respons. 3. partic. art. 1. versus finem.

(c) Vulg. *appropinquavit*. Ast *appropinquabit* Hugo etiam Card. Lyran. & antiquæ nonnullæ Biblior. Editiones.

(d) Iste orandi modus fuit Bonaventuræ nostro familiaris, sicut legere est in ejus Sermonibus de decem Præceptis Dominicis, nec non in Sermonibus Sixtin. Edit. clausulam *rogemus* habentibus. Similiter *oremus* in alio Serm. de quo in Prodromo col. 52.

(e) Cod. Assisien. *in toleratione malorum*.

(f) Idem Cod. *Sinite ea crescere*.

(g) Cit. Cod. Assisien. *innuitur*.

(h) De prædictis *potentia*, *providentia*, *justitia*, Cap. 1. Itinerar.

(i) Cod. Assisien. *nisi prius res ipsæ cognoscantur*.

rum sit. Sextum de Parabolis regni, quæ inveniuntur in Evangelio Christi. Ultimo autem videndum est de tribus Quæstionibus difficillimis, quæ in hanc Parabolam incidunt, videlicet unde malum oriatur, quare sustineatur, & quomodo puniatur. (a)

Primum quid sit regnum cœlorum. *Rom. 14. 17.*

4. Primum igitur videndum est quid sit regnum. Quid sit dicit Apostolus ad Romanos quartodecimo: Regnum Dei non est esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Hic subtiliter describit Apostolus felicitatem totius liberi arbitrii, quod est facultas voluntatis & rationis. (b) Quid autem est regnum Dei? regnum Dei nihil aliud est, quam influentia deiformis, (c) universaliter rectificans judicia rationis, tranquillans, vel pacificans imperia facultatis, adimplens, seu lætificans (d) desideria voluntatis.

Quid justitia. Pax. Gaudium.

Unde justitia nihil aliud est, quam judiciorum rationis universalis rectificatio: pax nihil aliud est, quam imperiorum facultatis universalis tranquillitas: gaudium nihil aliud est, quam desideriorum voluntatis universalis adimpletio. (e) Et tunc regnat liberum arbitrium, & regnum animæ totaliter est pacatum, quod impossibile est posse fieri in præsenti.

Regnum animæ omnino pacatum est, quod in præsenti obtineri neutiquam potest.

Nam hoc, ut omnia judicia nostra sint directa, imperia tranquilla, (f) desideria consummata, impossibile est dum sumus in hac vita.

De judiciis

5. De judiciis patet in scientiis, Medicorum maxime, (g) Juristarum, Astrologorum, Theologorum, per quas quidem scientias omnia fere reguntur.

Medicorum,

Medicorum enim judicia sæpe sunt obliqua, quia sunt media inter innatum & accidens, & accidentia sunt varia, & innumerabilia, & modicum tempus complexionem immutat; (h) & propter hoc falluntur.

Juristarum,

Juristarum judicia sæpe sunt distorta, quia sunt medium inter verum & verisimile, & interdum quia verisimile probatur magis, & apparet, verum dimittitur, & decipiuntur. (i)

Astrologorum,

Astrologorum judicia similiter sæpe sunt fallibilia, quia illa sunt media (k) inter necessarium & possibile: quia enim caussæ inferiores sunt possibiles, ideo variabiles; & idcirco multoties decipiuntur.

Theologorum.

Theologorum judicia similiter quandoque sunt minus recta, quia illa sunt media inter æternum, æviternum, (l) & temporale. Temporalia sunt (m) intentiones, affectiones, & circumstantiæ innumerabiles, quæ interdum variant operationes, (n) & in aliud genus mutant: & ideo quia nemo scit, (o) utrum amore, an odio dignus sit, animarum judicia aliquando falluntur. Sic ergo patet, quod humana judicia in hac vita non sunt universaliter recta. (p) *Eccle. 9. 1.*

De imperiis.

6. De imperiis autem nostræ facultatis similiter patet. Quis enim in præsenti umquam habuit omnia imperia sua tranquilla? (q) Habemus enim nos miseri pugnam quadruplicem, qua jugiter impugnamur, scilicet pugnam temporis, corporis, sensualitatis, & voluntatis.

Pugna quadruplex

Temporis,

Tempus impugnat nos mirabiliter, æstas per nimiam caliditatem, (r) hyems per nimiam frigiditatem, autumnus per nimiam siccitatem, & ver per excedentem humiditatem. Tempus etiam est principium corrup-

(a) Sextum & ultimum considerandum ab Assisensi Cod. abest.

(b) In 2. Sent. dist. 25. part. 1. dub. 1. & 2., nec non ibid. art. 1. q. 2. & 3. in conclus.

(c) Breviloq. part. 5. cap. 1.

(d) In Assisen. Cod. *seu jucundans*.

(e) In Opusculo de septem Donis Spiritus Sancti sub S. Bonav. nomine hactenus vulgato, etiam in novissima Editione Veneta, *de Dono Consilii* cap. 5. habetur: *Justitia rectificans judicia rationis, pax tranquillans imperia facultatis, gaudium adimplens desiderium voluntatis*. De *justitia rectificante* in Breviloq part. 5. cap. 4.

(f) Cod. Assis. *tranquillata*.

(g) Hoc *maxime* non est in Assisien.

(h) Cod. Florent. *per modicum temporis complexionem immutant*.

(i) Contra præfatos Juristas notatu digna est sententia S. Bonaventuræ Serm. sive Collat. 5. in Hexaemeron ubi ait „ Scientia Juris mul„ tum luxuriata est propter lucrum: & caus„ sæ, quæ deberent terminari per jus, modo „ per allegationes, & subtilitatem juris fiunt „ immortales; cum tamen intentio juris sit li„ tes rescindere. “

(k) Cod. Assis. *quia habent medium*.

(l) Cod. Florent. *seu diuturnum*.

(m) Idem: *Temporales enim sunt*.

(n) Idem: *Quæ multoties variant peccata*.

(o) Vulg. *nescit homo*; sed *nemo scit* ipsemet Interpres in Prol. Sententiar. Dub. 4. nec non Comment. in Joan. cap. 14. num. 999. & cap. 21. num. 1383.

(p) Cit. Serm. sive Collat. 5. in Hexaem. adeo *non sunt universaliter recta*, ut dicat, quod *in omnibus luxuriata est ratio &c.*

(q) Cod. Florent. *tranquillata*.

(r) Al. *nimium calorem*.

Corporis, tionis. Corpus etiam nos impugnat & affligit, modo famescit, modo febricitans, modo frigescens, & cetera. (a) Sensualitatis, Quis autem de sensualitate dubitet, quin nobis inferat magnam pugnam, voluntati multoties contradicens? (b) Vult enim comedere, bibere, dormire, Voluntatis. & hujusmodi. Ipsa etiam voluntas multipliciter nos impugnat. Sæpe namque contradicit divinis legibus, nec vult subjici rationi; sed in semetipsa est contraria & divisa; nam vellet velle quod non potest velle. Cum igitur nullus sit in hac vita, qui non molestetur hac pugna quadruplici, planum est, quod nullus hic habet sua imperia tranquilla. (c)

De desideriis quatuor 7. De desideriis hoc idem patet. Quis est enim in præsenti, qui habeat desideria consummata? Scilicet nullus. Sunt autem quatuor desideria, quæ sunt fere ad omne malum inductiva, scilicet desiderium principandi, desiderium sciendi, vel cognoscendi, desiderium delectandi, (d) & desiderium abundandi. Primum est radix superbiæ, secundum curiositatis, (e) tertium lasciviæ, quartum cupiditatis. (f) Principandi, Primum desiderium impleri non potest, quia etsi toti mundo principeris, mors tamen principabitur tibi, quia ut dicit Sapiens Ecclesiastici decimo: *Eccli 10. 11.* Omnis potentatus, id est, principatus (g) vita brevis. Sciendi, Secundum desiderium impleri non potest, quia si multos annos viveres, adhuc naturam unius festucæ, seu muscæ, seu minimæ creaturæ de Mundo, ad plenum cognoscere non valeres. Tertium desiderium, scilicet delectandi, Delectandi, impleri non potest, quia ubi inveneris delectamentum, sequitur postea cruciatus & tormentum. (h) Quartum autem desiderium, scilicet abundandi, Abundandi. similiter hic impleri non potest, quia avarus (i) non implebitur pecunia. *Eccle 5. 9.* Unde Bernardus in libro de diligendo Deo: *Bernardus Tract. de diligendo Deo c. 7. n. 21.* Pecunia sic non minuit animæ famem, quomodo nec corporis ventus. Denique si famelicum hominem apertis faucibus vento, inflatis haurire buccis aerem cernas, quo quasi consulat fami, nonne credas insanire? Sic non minoris insaniæ est, qui spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari, quam satiari. Terrenis satiari nequit humani cordis appetitus. Quid namque de corporibus ad spiritus? nec illa sane spiritualibus, nec isti e regione corporalibus refici possunt. (k) Totum est Bernardi. (l)

Exemplum Alexandri Magni. 8. Nota (m) de Alexandro Rege, qui cum audiret Epicureos ponentes duos Mundos, cogitavit statim quomodo secundum Mundum posset habere; *Plutarchus Tom. 3. in princ.* & dixit: modo habeo facere. Et postea multum debemus desiderare regnum illud, ubi universaliter & recta erunt nostra judicia, pacificata imperia, & desideria adimpleta. (n)

9. Se-

(a) Cod. Assisien. *Corpus nos impugnat modo fame, modo siti, modo nuditate, & modo infirmitate.*

(b) Idem: *& voluntati multoties contradicat.*

(c) Idem: *tranquillata.* Codex autem Florent. *Contra voluntatem etiam pugnam habemus, quia nec ipsa voluntas est obediens rationi, immo in semetipsa est contraria & divisa. Nam vellet nolle, quod non potest nolle. De desideriis &c.*

(d) Cod. Assis. *oblectandi.*

(e) Contra hoc *studium curiositatis* idemmet S. Bona. Serm. sive Collat. 1. ac 18. in Hexaem. Vid. etiam supra De stud. Divin. Literar. §. 15. col. 31.

(f) Assisien. *Primum refertur ad superbiam &c.*

(g) Supple *tyrannici*; quippe Menochio interprete, *nomine potentatus ea imperia significantur, quæ potenter, & violenter exercentur, & tyrannice; hujusmodi enim imperia diuturna esse non solent.* De differentia inter *Principem*, & *Tyrannum* Serm. sive Collat. 5. in Hexaem.

(h) *Cod. Assisien.* quia in eo ubi quæris delectamentum, postea invenis cruciatum. Omnis enim delectatio in præsenti respersa est amaritudine. Unde potest homo tantum delectari in comedendo, vel bibendo, vel in alio actu, ita quod necessarium est eum mori.

(i) Cod. Florent. *avaritia*; sed *avarus* legit quoque Interpres noster Exposit. in Ecclesiasten ad d. textum.

(k) Edit. Mabillon. *queunt.* Qua de re plura alia ex Bernardo ac Hugone de S. Vict. S. Bonaventura cap. 4. Soliloq.

(l) Sed in Cod. Assisien. *deest.*

(m) Hic notandi modus apud Bonaventuram non infrequens.

(n) Assisien. Cod. „ Est exemplum de Alexandro Magno, qui cum occupasset Mundum istum, & audisset a quibusdam alium „ Mundum, cogitabat illum occupare " Hoc circa exemplum consule inter Bonaventurianos Serm. 2. de S. Nicolao Episcopo. Tum pergit Assisien. Cod. „ Cum igitur regnum illud „ mundanum non habeat recta judicia, nec „ tranquilla imperia, nec desideria jucunda; „ desiderare debemus illud regnum, in quo & „ recta erunt nostra judicia, & pacificata im„ peria, & desideria consummata. " Porro prædicta omnia latius exposita præ oculis habuisse, ac perstrinxisse videtur S. Bernardinus Senensis in Comment. Apocal. cap. XI. sub ℣. 5., ubi ait: „ Regnum Dei nihil aliud est, „ quam influentia deiformis universaliter rectifi„ cans judicia rationis, tranquillans imperia fa-

„ cul-

Secundo ubi sit regnum cœlorum.

9. Secundo videndum est ubi sit illud regnum, ut sciamus quid debeamus quærere. Ad hoc notandum, quod illud regnum non est in exterioribus, sed in interioribus, quia est spirituale. Item non in inferioribus, sed in superioribus, quia sublime. Nec fiet etiam in creatis rebus, sed in caussalibus rationibus, (a) quia perpetuum & incorruptibile. Non est, inquam, illud regnum in exterioribus, sed in interioribus. Unde dicit Salvator noster Lucæ decimo septimo: Ecce Regnum Dei intra vos est. Sed quid sibi vult hoc? si intra vos est, videtur quod sit regnum valde exiguum & angustum. Sed attendendum, quomodo magnum est. Quadruplex est virtus in anima, scilicet sensus, imaginatio, ratio, & intelligentia. (b) Vide quantum sensus capit. Oculus enim quasi in puncto pupillæ totum apprehenderet Mundum, si non haberet obstaculum. Imaginatio vero multos tales potest apprehendere Mundos. Ratio vero ulterius apprehendit, quia abstrahit (c) universale, quod est semper, & ubique, a particulari, quod est hic & nunc. Si ergo sensus, imaginatio, ratio, tantæ sunt capacitatis & apprehensionis, quid est de intelligentia, quæ nata est apprehendere summum bonum? (d) Ergo non parvum regnum est quod intra nos est, sed maximum, & infinitum. (e)

Lucæ 17. 21.

10. Non est etiam illud regnum in inferioribus, sed in superioribus, quia sublime. Unde dicit Salvator Joannis decimo octavo: Regnum meum non est de hoc mundo. Non vult dicere, quod iste mundus ejus non subsit imperio, sicut quidam dicunt hæretici (f); sed vult innuere, quod regnum suum in superioribus, non in inferioribus quæratur, (g) quia necesse est illud ibi esse, alioquin non esset complectum regnum. Est enim quadruplex agens, elementare, etheriale, æviternum (h) seu sempiternum, & æternum. Primum est trans-

Joan. 18. 36.

„ cultatis, jucundans desideria voluntatis. Ad „ quæ impossibile est attingere dum sumus in „ hac corporali carne. Quod dictum est de „ judiciis indirectis Medicorum, Juristarum, „ Astrologorum, per quos fere regitur totus „ Mundus. Medicorum ut sæpius sunt obliqua, quia habent medium incertum, & actus „ incidentes. Insuper sunt varia, & in modico temporis complexionem mutantia. Legistarum judicia falluntur ut in pluribus, „ quia habent medium inter verum & verisimile. Astrologorum vero judicia sæpe sunt „ fallibilia, quia habent medium inter necessarium & possibile. Caussæ enim inferiores „ sunt possibiles, ideo variabiles. Theologorum etiam judicia aliquando sunt minus recta, quia habent medium inter æternum & „ temporale. Quoniam circumstantiæ sæpe „ mutant peccata in aliud genus, ideo frequenter Confessores claudicant in judicio animarum. Secundo etiam patet, quod imperia „ nostræ facultatis nondum sunt universaliter „ tranquilla. Habemus enim continue pugnam „ quadruplicem, qua infestamur, scilicet temporis, corporis, sensualitatis, & voluntatis. „ Patet etiam, quod nostra desideria non sunt „ adimpleta, quæ sunt quatuor, scilicet præcipiendi, sciendi, oblectandi, abundandi. „ Illud ergo est regnum Dei, in quo omnia „ judicia sunt directa, imperia tranquillata, „ desideria adimpleta. " Hactenus ex Sancto Bonaventura Sanctus Bernardinus, correctis tamen corrigendis, suppletisque supplendis.

(a) *Rationes caussales sunt formæ ideales, sive exemplares, in Divina voluntate servatæ*, in 2. Sent. dist. 18. art. 1. q. 2. in conclus. ex Augustino.

(b) Centiloq. part. 3. sect. 20.

(c) Assisien. Cod. *Ratio autem se extendit ultra sensum, & imaginationem; abstrahit enim &c.*

(d) Hoc est illud *summum bonum*, de quo sic loquitur S. Bona. cap. 3. Itinerar. *Nihil appetit humanum desiderium, nisi summum bonum, vel quod est ad illud, vel quod habet effigiem illius. Tanta est vis summi boni, ut nihil nisi per illius desiderium a creatura possit amari. Quæ tunc fallitur & errat, cum effigiem & simulacrum pro veritate acceptat.* Unde etiam Boetius de Consolat. Phil. Lib. 3. Prosa 2. inquit, quod *hominum animus, etsi caligante memoria, tamen bonum summum repetit, sed velut ebrius, domum quo tramite revertatur, ignorat.* Id est, sicut ebrius scit se domum habere, sed propter rationis defectum nescit quomodo ad eam postliminio revertatur; ita homines aliquo modo generatim sciunt & cognoscunt summum bonum, & naturaliter inclinantur ad illud, velut ad principium, a quo processerunt; sed temporalium bonorum amore quasi inebriati, ignorant quo pacto ad illud perveniant. Hinc *summum bonum* est, quo solo fiunt *nostra desideria adimpleta*, ut dictum est supra num. 8. sive aliud non est, *quam copiosus bonorum omnium status, nec alieni egens, sed sibi ipsi sufficiens*, ubi ait idem Boetius. Cod. Florent. pro *summum bonum* habet *Dominum suum.*

(e) Assisien. *incomprehensibile.* Idemmet autem D. Bona. in 2. Dist. 22. Art. 1. Q. 1. in concl. cum dicat: *Naturaliter omnis homo beatitudinem appetit, quæ est bonum copiosum, & gloriosum, & deliciosum;* vel hinc consequitur: *ergo non parvum regnum est quod infra nos est, sed maximum, & infinitum.*

(f) Scilicet Manichæi, de quibus ibi dist. 1. part. 1. art. 2. q. 1. in concl.

(g) Ibi ad 1. 2. & 3. Vide quoque ejus Comment. in Joan. cap. 18. num. 1209.

(h) Sic Assisien. Florentinus *diuturnum*. De diffe-

transmutabile secundum formam, secundum quantum ad situm, tertium secundum affectiones, quartum vero nec est mobile, nec transmutabile. Ergo in isto est ponere regnum sublime. *(a)*

11. Non est tertio illud regnum in creatis rebus, sed in rationibus caussalibus; & propter hoc dicit Salvator Lu-
Lucæ 22. 28. ac seqq. cæ vigesimo secundo: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam. Ista mensa non materialis est, sed spiritualis, *(b)* in qua tot sunt fercula, quot relucent rerum omnium *(c)* rationes. De hac
Prov. 9. 1. mensa Proverbiorum nono: Sapientia ædificavit sibi domum, quando scilicet assumpsit carnem humanam: excidit columnas septem, quando per septiformem gratiam Spiritus sancti *(d)* Ecclesiam roboravit: *(e)* proposuit mensam, quando rationes omnium sempiternas, æternas, & viventes, *(f)* animæ cum ipso regnanti contemplandas, & cognoscendas præparavit: & hæc est præparatio mensæ. Apparebunt autem spiritibus gloriosis rationes illæ viventes tamquam in speculo, tamquam in libro, & tamquam in mensa. In speculo, quia pulchriformiter: *(g)* in libro, quia stabiliter & indelebiliter: in mensa vero, quia delectabiliter.

12. Et quia de interioribus ad exteriora egressi eramus, de superioribus ad inferiora cecideramus, creaturam pro creatore diligebamus: ideo Dominus noster Jesus Christus venit de interioribus ad exteriora, juxta illud Job vigesimo octavo: Trahitur sapientia de
Job 28. 18. occultis; ut nos de exterioribus ad interiora revocaret. De superioribus etiam descendit ad inferiora, juxta illud Ecclesiastici vigesimo quarto: Ego in altissimis habito, *(h)* & thronus meus in *Eccli 24. 7.*
columna nubis; ut nos de inferioribus traheret ad superiora. Ipse nihilominus creator noster assumpsit creaturam, juxta illud Joannis primo: Verbum caro factum; ut ab amore inor- *Joan. 1. 14.*
dinato creaturæ ad suum amorem reduceret.

13. Tertio videndum est, quale est illud regnum. Ad quod notandum, quod est regnum gloriosum, speciosum, deliciosum: & hoc propter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Patri appropriatur celsitudo gloriæ: Filio pulchritudo sapientiæ: Spiritui sancto dulcedo benevolentiæ. Ibi est ergo omnis sublimitas, formositas, & suavitas. Dico igitur, quod est illud regnum gloriosum, juxta illud Psalmistæ: Gloriam *Psal. 144. 11.*
regni tui dicent. *(i)* Hoc autem erit, quando spiritus glorificati quidquid boni habebunt, in primum resolvent principium. Et propter hoc Angeli sunt in continua laude & glorificatione, quia illud, quod continue accipiunt, in eum, qui solus glorificare potest, resolvunt. Unde etiam hic quanto anima ea, quæ accipit, humilius suo attribuit principio, tanto est illius regni gloriæ vicinior. Gloria autem regni æterni erit in hoc, quod spiritus glorificati Dominum nostrum formatorem, reformatorem, gubernatorem, glorificatorem laudabunt perpetuo & glorificabunt. Sic ergo regnum Dei est gloriosum.

Tertio quale sit regnum cœlorum, & quam sit gloriosum.

Anima quanto ea, quæ accipit, suo attribuit principio, tanto est regni cœlestis gloriæ vicinior.

14. Est etiam illud regnum speciosum, juxta illud, quod dicitur Sapientiæ quinto: Accipient (scilicet sancti) *Sapient. 5. 17.*
regnum decoris, & diadema speciei de manu

Quam sit speciosum.

---

differentia inter *æviternum*, ac *æternum*, in 2. dist. 2. part. 1. art. 1. q. 1. in conclus.

(a) De *duplici motu ad situm, & ad formam*, nec non de *mutatione secundum qualitates spirituales, ut sunt affectiones in animabus*, in 1. Sent. dist. 37. dub. 2.

(b) Sic Assisien. Florentinus autem *Sapientialis*.

(c) Florent. *relucent creaturarum rationes*.

(d) Al. *septiformem Spiritum sanctum*.

(e) Maldonatus „ Possumus per *domum* in„ telligere humanam naturam, quam Sapien„ tia assumpsit: *columnas septem*, septem dona „ Spiritus sancti: quæ Isai. Cap. XI. 2. ait su„ per Christum requievisse. “ Sed & per *columnas septem* intelligi *septem dona Spiritus sancti*, ait etiam Beda. Nec non ipsemet Interpres noster in Collat. de sept. don. Spir. Sanc. num. 101. adfirmat, quod *omnia dona Spiritus sancti sunt ordinata ad hanc domum ædificandam*. *Ecclesiam* quoque per d. textum significari inquit S. Augustinus Lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. & alii Patres.

(f) De hujusmodi *rationibus viventibus* in 1. dist. 31. part. 2. art. 1. q. 3. in conclus. ex S. Augustino.

(g) *Pulchriter* Cod. Assisien. *Pulchrificat* autem, *pulchriformia*, *pulchriformiora*, *pulchriformissima*, Serm. 1. in Hexaem.

(h) Sic Serm. sive Collat. 8. ac 13. in Hexaem. nec non de Eccl. Hierarch. par. 4. cap. 7. Vulg. *habitavi*.

(i) Sic etiam apud Lorinum.

manu Domini. Diadema speciei, seu regnum decoris, nihil aliud est, quam videre pulchritudinem rerum sensibilium & insensibilium, rationalium & irrationalium, humanitatis Christi, Divinitatis, unius Dei & trini. (*a*) Augustinus in sexto Musicæ, quod pulchritudo nihil aliud est, quam æqualitas numerosa. (*b*) Unde ubi non est numerus, non est pulchritudo; ut patet in eo, qui habet unum oculum: similiter ubi est numerus sine æqualitate, non dicitur esse pulchritudo; sicut in eo, qui habet unum oculum parvum, & alium magnum.

Augustinus Lib. 6. Musicæ cap. 13. n. 38.

Quam sit deliciosum.

15. Est tertio illud regnum deliciosum, propter quod dicitur Lucæ quarto decimo: Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Quid sibi vult hoc? eruntne ibi alia fercula, quam panis? non. Iste enim sufficit, quia habebit omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem. Iste est panis Angelorum. (*c*) Si igitur homines tantum delectantur in pane materiali, pro eo quod vitam sustineat mortalem; quanta erit delectatio in pane illo, qui est vita per essentiam? Isto solo, & nullo alio satiari potest anima. (*d*) Et ratio hujus est in Libro de anima & spiritu, (*e*) quia solus est intimus, solus convenientissimus, solus sufficientissimus, solus abundantissimus. Solus, dico, intimus est animæ (*f*) iste panis; quia solus per essentiam intrat in animam, & ideo solus potest eam reficere. Alia vero non intrant in animam per essentiam, sed solum secundum similitudinem. (*g*) Unde dicit Philosophus: (*h*) Lapis non est in anima, sed similitudo lapidis: & ideo talia reficere non possunt. Item solus est animæ convenientissimus; nam nihil alicui melius convenit, quam illi, qui ad ejus imaginationem factus est. Anima vero ad imaginem facta est Dei: & ideo solus eidem convenit, ipsam satiat & delectat; (*i*) quia delectatio est conjunctio convenientis cum conveniente. (*k*) Item solus sufficiens est, quia solus implet totam animam; & ideo per se totam reficere potest. Item abundantissimus, quia infinitus, sic quod ipsius animæ capacitatem excedit. (*l*) Beatus ergo qui manducabit panem istum in regno cœlorum.

Lucæ 14. 15.

Sapient. 16. 20.

Liber de spiritu & anima cap. 14. ante medium.

Philosophus sive Aristoteles Lib. de anima.

Delectatio quid sit.

Quantum sit regnum cœlorum.

16. Quarto videndum est (*m*) quantum est illud regnum. Hic deficit sensus, imaginatio, ratio, & intelligentia. Est enim magnum longitudine æternitatis incorruptibilis, vel interminabilis: magnum latitudine capacitatis incoarctabilis: magnum celsitudine sublimitatis incomprehensibilis. Est dico illud re-

Magnum longitudine æternitatis incorruptibilis.

(*a*) Vid. Exposit. Lib. Sapient. ad prædictum caput ac textum & cap. 4. Soliloq.

(*b*) Cod. Florent. *numerosa, quæ ibi erit per omnia. Est tertio &c.* In Itiner. autem mentis in Deum cap. 2. postquam ipsissima dixit: *pulchritudo nihil est aliud quam æqualitas numerosa,* continuo subdit, *seu quidam partium situs cum coloris suavitate.*

(*c*) De Præparat. ad Missam cap. 7.

(*d*) Exposit. in S. Lucam ad relatum textum.

(*e*) Verbis istis *in libro de anima & spiritu* caret Codex Assisiensis. Porro in Maurina longe celeberrima Editione Omnium S. Augustini Operum To. 6. in Appendicem Liber allegatus rejicitur: qui quidem sæpe a Divo Bonaventura laudatur.

(*f*) *Secundum intimitatis existentiam* in 1. Sent. dist. 37. part. 1. art. 3. q. 2. in respons. ad arg. Et ibi Dist. 1. Art. 3. Q. 2. in concl. *secundum veritatem est in anima, & intimior animæ quam ipsa sibi.*

(*g*) *Intrant in animas non per substantias suas, sed per similitudines,* inquit cap. 2. Itiner. mentis in Deum.

(*h*) Allegatio ista non est in Assisiensi Cod.

(*i*) Cod. Assisien. *Nam anima nulli melius convenit, quam illi, ad cujus similitudinem facta est, & ideo satiat animam & delectat.* Prædicta autem apprime conformia sunt iis quæ tradit idemmet S. Bona. cit. 1. Dist. 1. Art. 3. Q. 2. tam in Fundam. ex Lib. de Spir. & Ani. cap. 6. & 7. quam in concl.

(*k*) ibi q. 1. ad opp. 1. & ad 1. ac Serm. 1. Dom. 2. post Pentec. nec non in Itiner. ment. in Deum cap. 2. Vid. quoque Vol. 2. Collat. de sept. don. Spir. sanc. num. 99.

(*l*) Quam etiam conformia sint ista certæ Sancti Bonaventuræ doctrinæ, adeoque satis indicent eumdem Auctorem, pari verborum tenore loquentem, hæc accipe ab eo in modo cit. Itinerario mentis in Deum ibi, ubi ait, quod in Deo „ Est virtus, non per phantasmata, sed per veritatem apprehensionis illabens, in qua est impressio salvans, & sufficiens, & omnem apprehendentis indigentiam expellens. Si ergo delectatio est conjunctio convenientis cum conveniente, & solius Dei similitudo tenet rationem summe speciosi, suavis, & salubris, & unitur secundum veritatem, & secundum intimitatem, & secun- plenitudinem replentem omnem capacitatem; manifeste videri potest, quod in solo Deo est fontalis, & vera delectatio, & quod ad ipsam ex omnibus delectationibus manuducimur requirendam. " Simillima quoque legere est in eod. 1. cit. Dist. 1. Art. 3. Q. 2. in concl.

(*m*) Cod. Assisien. *sequitur videre.*

regnum magnum longitudine æternitatis incorruptibilis, juxta quod dicitur in Psalmis: Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, id est, sempiternum: (a) & Tobiæ tertio decimo: Magnus est Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum. Quod probatur Danielis tertio in verbo Nabuchodonosor: Regnum ejus regnum sempiternum, & potestas ejus in generationem & generationem: & septimo: Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur. Quia enim potestas regni corrumpi non poterit, ideo regnum ejus æternum erit. Non enim corruptibile est in se, seu ab intra; & ideo beatus Petrus in Canonica sua vocat illud regnum hæreditatem, & gloriæ coronam immarcescibilem. Illud enim est immarcescibile, quod non habet in se aliquam rationem vel caussam corruptionis. Et e contra flos marcescibilis, quia in se est corruptibilis. Item nec a supra, nec a juxta, nec ab infra corrumpi poterit, quia potestas regni æterna, nec quisquam prævalet ei, nec est aliquid, quod tantum valeat ad spernendam momentaneam vanitatem, sicut cogitare jugiter gloriæ æternitatem.

Psal. 144. 13. — Tob. 13. 1. — Dan. 3. 100. — Dan. 7. 14. — 1. Pet. 1. 4. & cap. 5. 4.

Quantum valeat ad spernendam momentaneam vanitatem jugis gloriæ æternæ cogitatio.

Magnum latitudine capacitatis incoarctabilis. *Apoc. 5. 9.*

17. Est item illud regnum magnum latitudine capacitatis incoarctabilis; quia licet ibi sint ex omni lingua, populo, tribu, & natione, in nullo tamen propter hoc coarctatur, immo magis ampliatur, quia inde cuilibet gloria sua accrescit. Unde dicit beatus Augustinus octavo Confessionum: (b) Quando cum multis gaudetur, & in singulis uberius est gaudium, quia fervefaciunt se, & inflammantur ex alterutro. Propter istam latitudinem dicitur in Psalmis: Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: (c) & Matthæi octavo: Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cœlorum. Nec enim multitudo desiderantium, nec multitudo existentium, nec multitudo præsidentium, nec multitudo advenientium, coarctabit locum, aut faciet cuiquam præjudicium. (d) Nota autem auctoritatem Gregorii quarto libro Moralium in fine: (e) quam etiam require inter gradus proficiendi in amore Dei. (f)

Augustinus Lib. 8. Confess. cap. 4. n. 9. — Psal. 2. 8. — Matth. 8. 11. — Gregorius Lib. 4. Moral. cap. 36. n. 70.

Magnum celsitudine sublimitatis incomprehensibilis.

18. Est tertio illud regnum magnum celsitudine sublimitatis incomprehensibilis. A magnitudine vero regni corruptibilis dicitur rex magnus, sed a magnitudine regis æterni dicitur illud regnum magnum. Quis autem magnitudinem, vel celsitudinem potentiæ, sapientiæ, clementiæ, & justitiæ ejus (g) poterit annunciare? Jeremiæ decimo: Non est similis tui, Domine, magnus (h) tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o rex gentium? Tuum est enim decus: inter cunctos sapientes gentium, & in universis regnis eorum nullus est similis tui. Et ideo tuum regnum magnum, & magni qui illud obtinebunt. Mat-

Jerem. 10. 6 ac seq.

(a) Pariter apud Lorinum.

(b) Hæc allegatio non est in Cod. Assisien.

(c) Hinc constat textum hunc, ac integrum Psalmum, non, ut Rabbini contendunt, de Davide, utpote cui non obtigit tam amplum imperium; sed de Messia ipsius Davidis filio ad literam exponendum cum Interprete nostro, aliisque Patribus, & Doctoribus. Namque solum Christi regnum tum perpetuum, tum latissimum fuit, estque tam in terris, quam in cœlis.

(d) In Assisiensi habetur hæc clausula: *Et hoc totum facit caritas, qua homo tantum gaudet de bono proximi, quantum de proprio.*

(e) Laudata S. Gregorii auctoritas ita sonat: „ In Evangelio Veritas dicit: *In domo Dei mansiones multæ sunt.* Sed in eisdem mansionibus „ erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors, quia tanta vis (*additur in quibusdam editis* amoris) in illa pace nos sociat, „ ut quod in se quisque non acceperit, hoc se „ accepisse in alio exultet. “ Et ipsemet S. Bona. Par. 7. cap. 7. Breviloq. „ Ergo in illa „ perfecta caritate innumerabilium Angelorum, „ & hominum beatorum, ubi nullus minus „ alium, quam seipsum diligit, non aliter „ gaudebit quisque pro singulis aliis, quam „ pro seipso &c. “ Confer in 4. Dist. 49. Par. 1. Q. 6. per tot.

(f) Lib. 5. Moral. cap. 46. n. 86. ad finem ejusdem libri: „ Qui livoris peste plane carere desiderat, illam hæreditatem diligat, „ quam cohæredum numerus non angustat; „ quæ & omnibus una est, & singulis tota; „ quæ tanto largior ostenditur, quanto ad „ hanc percipiendam multitudo dilatatur. Imminutio vero livoris est affectus surgens internæ dulcedinis, & plena mors ejus, perfectus amor æternitatis. “

(g) De ejus *potentia*, *sapientia*, *bonitate*, sive *clementia*, & *justitia* Cap. 1. Itinerar.

(h) Vulg. *magnus es tu*; sed *magnus tu* absque *es*, pariter duo nostri Codd. Bernardin. atque Goth. apud Blanchin. nec non alius Episcopalis Tabularii sive Biblioth. Trident. in Castro boni Consilii num. 58. Item ipsemet S. Bona. in Collat. de sept. don. num. 15.

Matth. 11. 11. Matthæi undecimo: Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo. Hæc autem de regno dicta sunt speculative: quod vero sequitur est practicum, scilicet quorum est.

Quorum sit regnum cœlorum.

19. Quinto loco videndum est, quorum est illud gloriosum regnum. Ad quod notandum, quod illud regnum gloriæ non est nisi habentium gratiam, sine qua est impossibile ad illud pervenire. *Rom. 6. 23.* Stipendia enim peccati, mors; gratia autem Dei, vita æterna, id est, caussa vitæ, ad Romanos sexto. Psalmista: *Psal. 83. 12.* Gratiam & gloriam dabit Dominus. Sed ista gratia est quadriformis, (*a*) scilicet innocentialis, vel baptismalis, pœnitentialis, finalis, vel perseverantialis, & sapientialis. De baptismali, seu initiali, seu innocentiali, planum est, quod est necessaria ad regnum; de illa quippe dedit Dominus sententiam Joannis tertio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare (*b*) in regnum Dei. *Joan. 3. 5.* Et ratio hujus est, quia propter peccatum priorum parentum omnes nascimur filii iræ: sed si filii iræ; ergo filii indignationis, & si filii indignationis, non filii regni, sed perditionis. *Eph. 2. 3.* Oportet ergo nos ex necessitate purgari, & gratificari per restitutionem innocentiæ, quod facit gratia baptismalis. Quod significatum fuit Matthæi tertio, *Matth. 3. 16.* ubi super Jesum baptizatum cœli aperti sunt, Spiritus sanctus descendit in specie columbæ, & vox patris audita est: Hic est filius meus dilectus. Ubi notantur tres effectus baptismi. Januæ apertio, quam peccatum clauserat, per hoc quod cœli aperti sunt. Innocentiæ restitutio per columbam, quam innocentiam peccatum abstulerat. Gratificatio ibi: Hic est filius meus dilectus, quia peccatum filios iræ fecerat. (*c*)

Quadruplex gratiæ divisio. Baptismalis. Tres effectus Baptismi.

20. Sed notandum, quod conservatur per ista tria gratia, sine quibus impossibile est regnum adipisci, scilicet per fidem summæ veritatis, per amorem summæ bonitatis, per imitationem summæ virtutis, & hæc est fides operans per dilectionem. Primum igitur, quod est necessarium ad regnum habendum, est fides summæ veritatis, quia sine fide impossibile est placere Deo, ad Hebræos undecimo. *Hebr. 11. 6.* Unde dicitur Joannis tertio: Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. *Joan. 3. 3.* Bene dicit: non potest videre regnum Dei; revera enim non potest videre regnum Dei, quia non potest videre veritatem, quia illud regnum est gaudium de veritate. (*d*) Sed non potest videre veritatem, quia non credit veritati, juxta illud Isaiæ septimo secundum aliam literam: Nisi credideritis? non intelligetis. *Isa. 7. 9.* (*e*) Ergo qui non credit veritati, non potest videre regnum Dei, sed nec videre, nec habere; quia visio est tota merces: ergo necessaria est fides veritatis.

Necessaria fides summæ veritatis.

21. Secundum, quod est necessarium, est amor summæ bonitatis; propter quod dicitur Sapientiæ sexto: *Sapient. 6. 22. ac seq.* Si delectamini sedibus & sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. Diligite lumen sapientiæ &c. Ista Sapientia diligenda nihil aliud est, quam Christus Dei Sapientia, & Dei virtus, (*f*) quam qui non diligit, non potest regnare cum Deo. Et ratio hujus est, quia cum anima in illo regno debeat uniri Deo, & copulari, sicut sponsa sponso indissolubili vinculo, ut dicitur Matthæi vigesimo quinto de virginibus, quæ præparatæ erant, quod intraverunt cum eo ad nuptias *Matth. 25. 10.* (intellige ubi munda anima Verbo Dei copulatur) & amor sit vis unitiva, (*g*) & principium delectationis, sicut dicit Dionysius (*h*) (Amor, inquam, seu Divinum, seu Angelicum, seu intelle- *Dionys. de Divin. Nom. cap. 4. part. 2.*

Necessarius amor summæ bonitatis.

ctua-

(*a*) Cod. Assisien. *quadruplex*.

(*b*) Vulg. *introire*; sed *intrare* apparet quoque in Cod. Vercellen. habetque ipsemet Interpres etiam Comment. in Apocal. cap. 22. num. 1712. favetque huic lectioni Hugo Vict. de Sacram. Par. 9. cap. 5.

(*c*) Centiloq. Par. 3. Sect. 48. & in Exposit. Evang. S. Lucæ cap. 3.

(*d*) In Exposit. citata cap. 16. *secundum Augustinum beatitudo est gaudium de veritate*, Aug. Lib. 10. Confess. cap. 13. To. 1. De qua *veritate* cap. 3. Itinerar.

(*e*) Hujusce lectionis secundum Translationem LXX. meminit noster Interpres in Collat. de don. Spir. sanc. num. 67. & alibi pluries. Vide Prodromum col. 118. not. *g*.

(*f*) *Scilicet æterna sapientia, quæ est Dei filius*, idem inquit Interpres Exposit. in cap. 6. Sap. ad d. textum.

(*g*) *Omnis amor est vis unitiva*, dicit idem Interpres in 1. Sent. dist. 10. dub. 4. Vid. supra Præfat. in Cant. §. 4. not. *f*. nec non in fine cap. 1. Soliloq. &c.

(*h*) Idem ibidem art. 2. q. 2. in Fundam. *Quod amor sit nexus patet per Dionysium: Amorem sive divinum, sive naturalem, unitivam dicimus*

ctualem, seu animalem, seu naturalem dicamus, unitivam quamdam & continuativam intelligamus virtutem) & Augustinus dicat, quod caritas est summi (a) amor boni: Ergo necesse est bonitatem habere ad hoc, quod anima ibi regnet, ubi regnare nihil aliud est, quam summæ bonitati copulari, & ea frui. (b)

Augustinus Ser. 21. alias 5. ex Sirmondian. de ver. 11. Psal. 63. n. 2.

Necessaria imitatio summæ virtutis.

22. Tertium, quod est necessarium ad habendum regnum, est imitatio summæ virtutis, ut sit obedientia in mandatis; quia sicut dicitur ad Corinthios: Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Et propter hoc dicitur Matthæi septimo: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Et ratio hujus est; impossibile est enim, quod tu regnes cum Deo, nisi Deus regnet in te. Non regnat in te, nisi facias ejus voluntatem. Non facis ejus voluntatem, nisi obtemperes mandatis ejus. Igitur necessaria est obedientia mandatorum ad hoc quod intres in regnum cœlorum. Nullus vero umquam intrabit, nisi cum titulo obedientiæ. Plus ergo quæretur de factis, quam de verbis.

1. Cor. 4. 20.

Matth. 7. 21.

Gratia pœnitentialis.

23. Sequitur de gratia pœnitentiali, quæ est ad introitum regni necessaria. Unde dicit Joannes Matthæi tertio: Pœnitentiam agite, appropinquabit (c) enim regnum cœlorum. Idem dicit Christus Matthæi quarto. Et ratio hujus necessitatis est; quia cum in peccato, per quod a regno expellimur, sit voluntaria delectatio, oportet, quod in pœnitentia, per quam recuperatur, sit violenta quædam afflictio, ut videlicet homo sibi ipsi violentiam faciat. Unde dicitur Matthæi undecimo: A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Hæc autem violentia fit tribus modis, secundum tres radices, a quibus pullulat omne malum. (d)

Matth. 3. 2.

Matth. 4. 17.

Matth. 11. 12.

Tres modi violentiæ contra tres radices omnis mali.

24. Primus modus est in suppeditatione mentalis arrogantiæ per profundissimam humilitatem; quia sicut dicitur Matthæi decimo octavo: Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Sinite, inquit Marci decimo, sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. Superbus autem numquam intrabit: & ratio hujus triplex est. Prima, quia in illo regno est omnimoda subjectio quoad Dominum. Superbus vero nulli vult subjici, nec etiam Domino. Deuteronomii primo: Locutus sum, & non audistis; sed adversantes imperio Domini, & tumentes superbia, ascendistis in montem. Secunda ratio est; quia in illo regno est omnimoda pax & concordatio quoad proximum, & e contra, sicut dicitur Proverbiorum decimo tertio: Inter superbos semper jurgia sunt. Tertia vero ratio est omnimoda quietatio quoad seipsum; quilibet enim est contentus eo quod habet, proprio loco, propria mansione, propriis finibus, nec amplius desiderat. Superbus vero non, sed semper extendit se extra terminos suos per appetitum excellentiæ (e) & vanitatis. Unde dicit Anselmus in libro de similitudinibus, (f) quod superbia dicitur, quia super ea quam debeat graditur. Job undecimo: Vir vanus in superbiam erigitur; nam superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Igitur regio subjectionis omnimodæ, pacis perpetuæ,

Primus modus contra arrogantiam sive superbiam.

Matth. 18. 3.

Marci 10. 14.

Triplex fugiendæ superbiæ ratio.

Deut. 1. 43.

Prov. 13. 10.

Anselmus de Similit. cap. 21.

Job 11. 12.

Psal. 73. 23.

---

mus virtutem. Rursus inibi d. Dist. 10. dub. 1. *Amor dicit affectus adhæsionem respectu amati. Unde Dionysius: Amorem unitivum dicimus.* Idipsum repetit ex Dionysio in 3. dist. 27. dub. 1. & art. 1. q. 2. in fine.

(a) *Summi*, inquam; *quia objectum caritatis non est quodcumque bonum, sed bonum summum, & bonum sub ratione boni*, ut ait in 3. ibidem q. 1. ad 5.

(b) *Cum beatitudo nihil aliud sit, quam summi boni fruitio*, inquit ab init. cap. 1. Itiner. ment. in Deum.

(c) Supra num. 1. in not. c.

(d) De *triplici radice peccati, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, Centiloq. part. 1. Sect. 16. nec non de reformat. ment. sive formula interior. homin. cap. 20. quæ formula etsi a Jacobo Bruckero in Miscellan. Philosoph. Hist. Crit. pag. m. 300. tribuatur David nostro Augustano, non ita tamen, quin subdiderit: *Nolimus tamen contentiosius refragari, si quis contendat, vel ex Bernardo, vel ex Bonaventura* (hoc multo verisimilius) *Davidem sapuisse; qui & olim mos fuit, & hodie etiam inter Scriptores celebres interdum obtinet.*

(e) *Superbia* enim *non est aliud, quam immoderatus appetitus excellentiæ*, 2. Dist. 22. Art. 1. Q. 1. in concl.

(f) Centiloq. Par. 1. Sect. 17., ubi itidem agit *de superbia*, laudat Anselmum lib. de Similitud. cap. 21.

petuæ, plenæ ſufficientiæ, nullo modo convenit ſuperbiæ; ſed per contrarium humilitati profundæ. *Matth. 18. 4.* Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum, Matthæi decimo octavo.

Secundus modus violentiæ contra avaritiam.

25. Secundo ad habendum regnum cœlorum eſt neceſſaria violentia in refrænatione mundialis avaritiæ per altiſſimam paupertatem, (a) Matthæi quinto: *Matth. 5. 3.* Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beatitudo ipſorum eſt, quia cum tales præferantur toti mundo per contemptum omnium, & ad illud regnum ſingulariter eleventur per deſiderium; quodammodo jam ibi ſunt. E contrario de amatoribus mundi dicitur Matthæi decimo *Matth. 19. 23. & ſeq.* nono: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Iterum (b) dico vobis, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.

Triplex fugiendæ avaritiæ ratio.

Et ratio hujus triplex eſt. Prima, quia illud regnum eſt ſimpliciſſimum; e contra avarus compoſitiſſimus; quot enim habet rerum terrenarum affectiones, tot habet compoſitiones. Unde comparatur camelo propter gibboſitatem, quia quot deſiderat terræ frui poſſeſſionibus, tot habet gibboſitates, propter quas non poteſt intrare. (c) Secunda ratio eſt, quia ſublimiſſimum illud regnum, ſicut prius dictum eſt; e contra avarus eſt infimiſſimus, totus inhærens terræ fæci elementorum. Unde poteſt dicere avarus (d) illud Pſalmiſtæ: *Pſal. 142. 3.* Perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam, id eſt in terrenis, ſicut dicit Gloſſa. *Gloſſa interlin.* Tertia ratio eſt, quia illud regnum eſt communiſſimum; e contra avarus eſt avidiſſimus, omnia ſibi approprians. Nota auctoritatem Gregorii octavo Moralium in fine. *Gregorius Lib. 8. Moral. cap. 54. num. 91. ac ſeq.* (e) Igitur regio ſimplicitatis, ſublimitatis, communitatis, nullo modo avaritiæ convenit, ſed potius e contrario paupertati. Merito ergo elegit Dominus pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe, *Jac. 2. 5.* Jacobi ſecundo.

Tertius modus violentiæ contra concupiſcentiam.

26. Tertio etiam ad habendum regnum eſt neceſſaria violentia in maceratione carnalis concupiſcentiæ per integerrimam caſtitatem, de qua Matthæi decimo nono: *Matth. 19. 12.* Sunt eunuchi, qui de utero matris ſic nati ſunt, & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus, & ſunt eunuchi, qui ſeipſos eunuchizaverunt (f) propter regnum cœlorum. Eſt locus hic de triplici genere eunuchorum, quos ſcilicet facit neceſſitas, violentia, gratia. Tum moraliter eunuchi qui ſunt ab hominibus poſſunt dici hypocritæ, qui continent propter vanam gloriam, vel propter verecundiam, ne amittant honorem ſæculi, vel redditus. Soli vero tertii ſunt ad regnum apti. Et contra hoc: *Epheſ. 5. 5.* Scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei. Quare hoc? triplex ad hoc eſt ratio.

Triplex fugiendæ luxuriæ ratio.

Prima, quia illud regnum eſt puriſſimum, utpote luminoſum; unde comparatur in Apocalypſi auro & vitro mundo, *Apoc. 21. 18.* Apocalypſis vigeſimo primo. E contra in luxuria eſt ſumma impuritas. Nota de admixtione auri & luti, ſic eſt de anima & de luxuria. Secunda ratio eſt, quod illud regnum eſt ordinatiſſimum, quia ſicut in inferno eſt nullus ordo, ita ibi erit omnis ordo. *Job. 10. 22.* E contra in peccato carnis eſt ſumma deor-

---

(a) Tam vox *mundialis*, quam *altiſſimæ paupertatis*, phraſim redolet Bonaventurianam. Quid quod *mundialis* legitur apud Fulbertum Carnotenſem Serm. de Aſſumpt. B. M. V. inter Suppoſititia S. Hieronymi?

(b) Vulg. *& iterum*; ſed *iterum* abſque *&* pariter Codd. Corbejen. Vercellen. Veronen. &c.

(c) Alludit ad illud Luc. 18. 25. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Ubi Expoſit. in Luc. ad d. text. ait „ Attendendum quod recta eſt „ comparatio avari ad camelum; quia came„ lus ingentibus membris eſt animal, enorme, „ monſtruoſum, & gibboſum: ſic avarus per „ amorem copulatus ſuis poſſeſſionibus eſt „ animal monſtruoſum &c. "

(d) Eutymius quoque apud Lorinum ſequentem Pſalmi textum interpretatur contra *vitium quoddam naſcens ex avaritia, veluti quum quis obolum magni æſtimat.*

(e) Ubi contra illum divitem, qui dicebat: *Anima, habes multa bona repoſita in annos multos &c.*

(f) Vulg. *caſtraverunt*; ſed *eunuchizaverunt* etiam Codd. Vercellen. & Forojulien. nec non Goth. apud Blanchin. noſterque Bernardin. A. II. 39. Verbum autem *eunuchizo* habet S. Hieronym. contra Jovinian. atque Papias; nec non *eunucho, as, are*, Varro in Lege Mævia, & poſt ipſum Nonius Marcellus in compendioſa Doctrina ad Filium de propriet. Sermon.

dinatio, ubi ratio per carnem absorbetur. *(a)* Tertia ratio est, quia illud regnum est incorruptibile & perpetuum, sicut dictum est supra. E contra in peccato carnis est summa corruptio, in quo vulneratur homo in naturalibus, & cetera.

27. Regio igitur puritatis, sordidis & inquinatis non convenit, quia non intrabit in civitatem aliquid *(b)* coinquinatum, Apocalypsis vigesimo primo. Regio totius ordinis, absortis a carne non competit, quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, primæ ad Corinthios decimo quinto. Regio etiam summæ incorruptionis, corruptis non convenit, quia neque corruptio incorruptionem *(c)* possidebit, sicut dicitur ibidem. Immo qui seminat in carne sua, Glossa carnalia vitia, & finit ea, de carne & metet corruptionem, Glossa convenientem messem. Nihil enim melius convenit carni quam corruptio, ad Galatas sexto. Quicumque ergo non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. Hanc sententiam dedit Salvator Lucæ decimo octavo. Et dicit ibi Glossa: Per puerum intelligitur innocentia & puritas *(d)*, sive castitas, quæ nobis imitanda proponitur, si regnum Dei volumus; quia sicut dicitur Sapientiæ sexto: Incorruptio *(e)* facit esse proximum Deo.

Apoc. 21. 27. — *1. Cor. 15. 50.* — *Glossa inter.* — *Galat. 6. 8.* — *Glossa ead.* — *Lucæ 18. 17.* — *Glossa ordinar.* — *Sapient. 6. 20.*

28. Sequitur de gratia finali, *(f)* quæ super omnia necessaria est ad habendum regnum, nec aliter haberi potest. Hanc sententiam dedit Salvator illi, qui volebat reverti ad sepeliendum patrem suum Lucæ nono: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Quod non intelligat, qui non intelligit per parabolam de semine. Unde notandum, quod semen in agro seminatum, est gratia infusa in corde hominis: & quamvis ager fructificet ex virtute seminis, requiritur tamen diligentia cultoris & cooperantis. Sic quamvis ex virtute gratiæ faciamus fructum boni operis, requiritur tamen diligentia & cooperatio liberi arbitrii, *(g)* & industria hominis, juxta illud primæ ad Corinthios tertio: Dei sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis: & hoc est aratrum. Nihil aliud est igitur dicere: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei, quam dicere: Nemo in producendo bono opere cooperans gratiæ, & retrocedens minime perseverat, aptus est regno Dei; *(h)* quia sicut dicit Gregorius: Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur; quia & frustra velociter currit, qui prius, quam ad metas veniat, deficit.

Gratia finalis necessaria super omnia. — *Lucæ 9. 62.* — Ad fructum boni operis gratia cooperationem liberi arbitrii requirit. — *1. Cor. 3. 9.* — *Gregorius Lib. 1. Moral. cap. 37. n. 55.*

29. Sed notandum, quod tria sunt, quæ istam gratiam integrant, quæ sunt ad habendum regnum necessaria, scilicet stabilis patientia, sublimis confidentia, longanimis perseverantia, & oritur unum ex altero, sicut dicitur ad Romanos quinto: Scientes, quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio vero spem; spes autem non confundit. Est ergo necessaria ad habendum regnum stabilis patientia. Scriptum namque est Actuum decimo quarto: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Hoc dixit Paulus, nec illud *oportet* sonat in congruitatem, sed in necessitatem. Unde Salvator noster Matthæi vigesimo matri filiorum Zebedæi petenti: Dic, ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & alius *(i)* ad sinistram in regno tuo, respondit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Qui etiam dicit, vos qui quæritis, sive

Tria gratiam finalem integrantia. — *Rom. 5. 3.* — Patientiæ necessitas. — *Act. 14. 21.* — *Matth. 20. 20. & seqq.* — *Matth. 6. 33.*

(a) Serm. 4. Dom. 3. post Pentec. „ Peccatum luxuriæ adeo fœdat hominem, quantum ad corpus, & deordinat quantum ad animam, ut jam non animal rationale, sed potius animal brutum debeat appellari, eo quod ad modum bestiæ quod est inferius, scilicet sensualitas, facit, ut dominetur superiori, scilicet rationi &c. “

(b) Vulg. *aliquod*; sed *aliquid* etiam Comm. in Apocal. ibi.

(c) Vulg. *incorruptelam*.

(d) Sic Exposit. in Cap. 18. S. Luc. ad d. textum ex Glossa.

(e) Scilicet *tam mentis, quam corporis*, in Exposit. libri Sapient. cap. 6. ad cit. textum.

(f) Heic *sequitur de gratia finali*, sicut supra num. 23. *sequitur de gratia pœnitentiali*, infra num. 34. *sequitur de gratia sapientiali &c.*, quo continuationis verbo sæpe quoque utitur D. Bona. in Centiloq. Comment. in Apocal. &c.

(g) Breviloq. par. 5. cap. 2. ac 3. & alibi quoque.

(h) Exposit. in Cap. 9. S. Luc. ad finem.

(i) Vulg. *& unus*; sed *alius* etiam Cod. Vercellen. apud Blanchin.

sive petitis regnum, quærite, sive petite, justitiam ejus cum eo. (*a*) Justitia est, ut qui vult esse particeps in regno, sit particeps in tribulatione, Apocalypsis primo: Particeps in tribulatione & regno. Unde dicit Joannes in Glossa: (*b*): Et hic sciebat quod ejus passionem poterant imitari; sed hoc dicit, ut illo interrogante, & illis respondentibus, audiamus, quod nemo cum Christo potest regnare, nisi passionem ejus imitetur. Et ad hoc triplex est ratio.

Apoc. 1. 9.

Jo. Chrysostomus in Glossa ordinar.

Exercendæ patientiæ triplex ratio.

Prima.

30. Prima, quod Dominus nullum debet admittere ad regni sui consortium, nisi amicum verum, & approbatum: sed nullus approbari debet, nisi probetur: nullus ita bene probari potest, sicut per tribulationem, sicut dicitur de Abraham Judith octavo: Memores esse debemus, (*c*) quomodo Abraham pater noster tentatus est, & per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est. Ergo tribulationis sufferentia, vel patientia ad regnum habendum necessaria est. Secunda ratio est, quia Dominus in regno suo omnes coronat, sicut dicitur Sapientiæ quinto: Accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini. Sed nullus debet coronari, nisi vicerit: nullus potest vincere, nisi certaverit: nec certare, nisi inimicos & tentatores, seu tribulationes habuerit, sicut dicit Glossa super illud Psalmistæ: Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. Ergo ad coronam regni veniendum est per viam patientiæ stabilis, secundæ ad Timotheum secundo: Non coronabitur nisi qui legitime (*d*) certaverit. Tertia ratio est, quia in illo regno est omne gaudium & delectatio: Delectationes enim in dextera tua usque in finem. Sed nullus ad hoc venire dignus est, nisi qui a gaudiis & delectabilibus mundi est elongatus. Unde dicit Hieronymus ad Heliodorum: Delicatus es, Frater, si & hic vis gaudere cum sæculo, & postea regnare cum Christo. Nam sicut idem dicit ad Julianum: Difficile, immo impossibile est, ut & præsentibus quis, & futuris fruatur bonis: ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat: ut de deliciis transeat ad delicias: ut in utroque sæculo primus sit: ut & in cœlo & in terra appareat gloriosus. Et alibi. (*e*) Sed nihil est, quod ita ab istis elonget hominem, & sequestret, sicut tribulatio. Ergo tribulatio est recta via ad regnum. Ergo beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, Matthæi quinto.

Judith 8. 22.

Secunda.

Sapient. 5. 17.

Glossa ordinar.
Psal. 60. 3.

2. Tim. 2. 5.

Tertia.

Psal. 15. 11.

Hieronymus ad Heliodor. Epist. 14. al. 1. n. 10.

Idem ad Julian. Epist. 118. al. 34. n. 6.

Matth. 5. 1.

31. Est item ad habendum regnum necessaria sublimis confidentia, quam habuit ille beatus latro, qui dixit Lucæ vigesimo tertio: Memento mei, Domine, dum (*f*) veneris in regnum tuum: qui statim propter spem suam, quam in Dei misericordia posuit, audire meruit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Sed quare debeo confidere aut sperare, quod regnum Dei debeam possidere? Certe propter ejus liberalitatem, quæ me invitat, (*g*) Matthæi sexto, & Lucæ duodecimo: Primum quærite regnum Dei. Propter veritatem, quæ me confortat, (*h*) Lucæ duodecimo: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Item propter ejus pietatem & caritatem, quæ me redemit, (*i*) Apocalypsis quinto: Dignus es, Domine Deus, (*k*) accipere librum, & solvere (*l*) signacula ejus, quoniam occisus

Confidentiæ in Deum necessitas.

Lucæ 23. 42.

Ibi 43.

Ratio confidentiæ, sive spei nostræ triplex.

Matth. 6. 33.

Lucæ 12. 31.

Lucæ 12. 32.

Apoc. 5. 9.

(*a*) Ad sensum; verba autem ibi sic sonant: *quærite ergo primum regnum Dei, & justitiam ejus &c.*

(*b*) Ac idem Joan. Chrysost. aut quis quis alius super Matth. Hom. 35. in Op. imperfect. Vid. S. Tho. in Catena.

(*c*) Vulg. *debent;* sed *debemus* lectio conformis versioni apud Malvendam *mementote*.

(*d*) Vulg. *non coronatur nisi legitime;* sed ut supra etiam Hugo Card. Lyran. Biblior. Editio Veneta an. 1484. &c. Item ipsemet S. Bona. 2. Dist. 23. Dub. 1. ac Ser. 3. de uno Mart. *Coronabitur* habet quoque Cod. noster Bernardin. 39. & alius Biblioth. Episc. Trid. 58.

(*e*) Epist. 52. al. 2. ad Nepotianum num. 12. *dum delicias sectamur, a regno cælorum retrabimur*.

(*f*) Vulg. *cum;* sed *dum* etiam Cod. Goth. apud Blanchin. & S. Greg. Moral. Lib. 18. cap. 40. num. 64.

(*g*) Assisien. *ex consideratione summæ liberalitatis, quæ gratis nobis offert regnum Dei dicens &c.*

(*h*) Idem: *ex consideratione summæ veritatis, quæ pie confortat nos dicens &c.*

(*i*) Idem: *ex consideratione ineffabilis pietatis, pro qua dicit Joannes* in Apocal. &c.

(*k*) Vulg. absque *Deus;* sed *Deus* habent quoque duo nostri Codd. Bernardin. 39. ac 40. ac Comment. in Apocal. cap. 5. num. 355.

(*l*) Vulg. *aperire*; sed *solvere* in d. Comment. ibi.

cisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni lingua, & tribu, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram. Spes ergo, seu confidentia, est ad habendum regnum necessaria; & hoc quia hominem sursum erigit, erectum stabilit, stabilito mansionem facit.

Perseverantiæ necessitas.

2. Tim. 2. 11. ac seq.

32 Est item longanimis perseverantia ad habendum regnum necessaria; nam si commortui sumus, & convivemus, si sustinebimus, & conregnabimus. Quid est commori Christo, nisi in cruce pœnitentiæ, & evangelicæ observantiæ usque ad mortem perseverare? Et propter hoc dicitur nobile verbum Jacobi quinto: Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis. Possent enim aliqui dicere: bene audivimus sufferentiam Job, & quod postea fuit in magna prosperitate, & reddita sunt ei omnia duplicia, mortuus est in pace. Propter hoc ad demonstrandum quod perseverandum est usque ad mortem in paupertate, confusione, & afflictione, addidit: & finem Domini vidistis (a), cui nihil in præsenti est redditum.

Jac. 5. 11.

Tria perseverantiæ ad regnum habendum necessaria.

Æviternitas voluntatis.

Gregorius Lib. 4. Dialog. cap. 44.

Punctalitas mortis.

Eccl. 11. 3.

33. Et revera propter tria est necessaria longanimis perseverantia ad regnum habendum. Primum est æviternitas (b) voluntatis. Unde sicut illi, qui habuerunt malam voluntatem in suo æterno, æternaliter cruciabuntur in inferno: (c) ita qui bonam habuerunt, æternaliter regnabunt in cœlo. Secundum est punctalitas mortis, quia in illo puncto mortis, ubi ceciderit lignum, ibi erit, nec ad agendam pœnitentiam erit regressus. Propter hoc dicit Gregorius terribile verbum in libro vigesimo quarto Moralium: Appropinquante morte cujuslibet, anima non immerito terretur, quando post pusillum hoc invenit, quod in æternum mutare non possit. Tertium est impermutabilitas (d) virtutis, ad cujus perfectionem, secundum Philosophum, exigitur scire, & velle, & impermutabiliter (e) operari; (f) aliter non esset digna remuneratione, & æviternitate præmii.

Gregorius Lib. 24. Moral. cap. 11. n. 32. in fine.

Impermutabilitas virtutis.

Philosophus sive Aristoteles 10. Eth. c. 9.

Tria ad perfectionem virtutis requisita.

Gratia sapientialis ad habendum regnum expediens.

34. Sequitur de gratia sapientiali, quæ etiam ad habendum regnum expedit. Sed notandum, quod istam tria integrant, (g) scilicet sapientialia speculamina, sapientialia desideria, sapientialia exercitia, ut sapientia totum possideat hominem quantum ad intellectum, affectum, & effectum. (h) Dico ergo quod ad regnum habendum expediunt sapientialia speculamina, & de hoc dicitur Sapientiæ decimo: Justum deduxit Dominus (i) per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum. Sanctorum scientiæ sunt Sapientiæ speculamina, quorum quædam sunt secundum triplicem librum, naturæ, scripturæ, gratiæ: (k) quædam realia, in creaturis scilicet universis: quædam mentalia, in scripturis scilicet divinis: quædam vero moralia, in operibus scilicet Redemptoris. Prima pertinent ad Verbum increatum, secunda ad Verbum inspiratum, sed tertia ad Verbum incarnatum. (l)

Sapientialia speculamina.

Sapient. 10. 10.

Sapientialia desideria.

35. Item ad habendum regnum expediunt

(a) Per *finem Domini* heic Auctor noster intelligit exitum, mortemque Christi ignominiosam summa gloria compensatam.

(b) Florent. *æternitas*.

(c) In 4. dist. 44. part. 2. art. 1. q. 1. in conclus. „ Quia peccat in bonum æternum, „ ideo cruciatu æterno est dignus; sed quia in „ suo æterno, ideo cruciatum æternum asse„ quitur. Et ista est una ratio completa, quæ „ colligitur ex Gregorio, & Augustino. Gre„ gorius enim dicit, quod ideo peccator æter„ naliter cruciandus est, quia peccat in suo „ æterno. Augustinus vero dicit, quod ideo „ æternaliter punitur, quia peccavit contra bo„ num æternum " Quod ipsum repetitur Centiloq. Par. 1. Sect. 6.

(d) Florent. *incommutabilitas*; sed ut supra Assis.

(e) Idem Florent. *incommutabiliter*.

(f) Sic in 2. Dist. 40. Art. 1. Q. 3. in Fundam. ex eodem Philosopho. Unde & in Opusc. de Reduct. Art. ad Theol. ita loquitur „ Om„ nis artifex intendit producere opus pulchrum, „ & utile, & stabile; & tunc est carum, & „ acceptabile opus, cum habet istas tres con„ ditiones. Juxta hæc tria necesse est reperiri „ tria in ordine vivendi, scilicet *scire*, *velle*, „ *& impermutabiliter operari*, sive perseveranter. „ Scientia reddit opus pulchrum, voluntas „ reddit utile, perseverantia reddit stabile. "

(g) Assisien. *Quarta denique nobis necessaria est ad introitum regni Dei, scilicet gratia sapientialis, quia sicut dicit Sapiens: Deus neminem diligit, nisi quantum sapientia graditur. Hanc autem gratiam tria constituunt &c.*

(h) De hujusmodi *Sapientia* comparate *ad intellectum, affectum, & effectum*, disertissime loquitur Serm. 2. in Hexaemeron.

(i) Vide sis de septem donis num. 42.

(k) Cap. 1. Itinerarii mentis in Deum.

(l) De hac triplici *Verbi* divisione Serm. 3. in Hexaem. & part. 4. Breviloquii cap. 1. nec non alibi passim.

pediunt Sapientialia desideria, juxta quod dicitur Sapientiæ sexto: Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum; & hoc quia talia desideria animam simplificant, (a) elevant, & inflammant, Danielis decimo: Daniel vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo. Item nono dixit Gabriel Danieli: Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Item expediunt sapientialia exercitia, Matthæi quinto: Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Hæc autem exercitia sunt, si cor nostrum informamus, si corpus bene regimus, si proximum instruimus.

Sapient. 6. 21. *Dan. 10. 11.* *Dan. 9. 23.* Sapientialia exercitia.; *Matth. 5. 19.*

36. Isti duodecim rami gratiæ possunt significari per duodecim portas civitatis Jerusalem, de quibus scribitur Apocalypsis vigesimo primo: Ab Oriente portæ tres, baptismalis scilicet gratiæ, ubi anima renascitur, & spiritualis oritur: ab Occasu, seu ab Occidente portæ tres, pœnitentialis scilicet gratiæ, quia per illam ab occasu resurgit homo juxta illud: Septies in die (b) cadet justus, & resurget: de filio prodigo Lucæ decimo quinto: Surgam, & ibo ad patrem meum: ab Aquilone, unde panditur omne malum, (c) sicut dicitur Jeremiæ primo, portæ tres finalis gratiæ, per quam homo firmus est contra malum tribulationis & tentationis: ab Austro, sive Meridie, ubi Sol in plena claritate, portæ tres sapientialis gratiæ, quæ illuminat hominem ad cognoscenda, quæ supra dicta sunt, scilicet librum naturæ, scripturæ, gratiæ (d).

Apoc. 21. 13. *Prov. 24. 16.* *Lucæ 15. 18.* *Jerem. 1. 14.*

Multiplex regni Parabolarū divisio, & ad duodecim reductio.

37. Viso ergo de conditionibus regni, quid est, ubi est, quale est, quantum est, & quorum est; nunc ergo subjiciendum est de Parabolis Regni duodecim, quæ inveniuntur in Evangelio generales, & si forte sunt plures, ad istas sunt reducibiles, quarum tres accipiuntur ex parte Opificis, tres ex parte Redemptoris, tres ex parte doni gratuiti, & tres ex parte liberi arbitrii. Tres dico Parabolæ inveniuntur ratione Opificis, ut creantis, ut gubernantis, ut retribuentis. Ratione Opificis ut creantis sumitur illa Matthæi decimo tertio: Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, ut supra. Cum autem dormirent homines venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & cetera. Quomodo vero inimicus superseminavit zizania, id est, malitiam, & deordinationem in creaturis in hoc mundo, forte patet ut sequitur. Dominus bonum semen seminavit in agro suo, quando in agro machinæ mundialis fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam. Imago namque attenditur quoad naturalia bona; & similitudo, quæ attenditur quoad gratuita, dicitur bonum semen; sed inimicus homo, id est, Diabolus, cum dormirent homines, id est, cum Adam & Eva negligenter agerent in custodia mandatorum, superseminavit zizania, id est, vitia & peccata, ex quibus nascuntur filii nequam. (e) Ratione vero Opificis ut gubernantis sumitur illa de patrefamilias Matthæi vigesimo: Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exivit primo mane conducere operarios in vineam suam. Hic notatur sollicitudo Dei, quam habuit circa populum suum a creatione mundi, sicut paterfamilias circa familiam suam. Numquam enim desiit nos erudire. Nam mane per legem naturæ, hora tertia per legem scripturæ, sexta per Prophetas, nona per Apostolos in lege gratiæ, (f) undecima per Doctores sacros; & tamen adhuc manemus pigri & infructuosi. Eapropter non immerito dicitur nobis: quid hic statis tota die otiosi? Ratione vero Opificis ut retribuentis accipitur

Tres Parabolæ ratione Opificis. *Matth 13. 24.* *Matth. 20. 1.*

(a) Hoc etiam verbum a D. Bonaventura non alienum.

(b) Istud *in die* non est in Vulgata; nihilo tamen minus habetur etiam apud Maldonatum, nec non in Dieta Salutis tit. 10. cap. 5. inter Opuscula Bonaventuriana. Habet quoque *in die* S. Greg. Lib. 6. in 1. Reg. cap. 2. num. 8. Cassian. Collat. 22. cap. 13. Auctor Catenæ Græcor. nonnulli Codd. MSS. &c.

(c) Vulg. *malum* sine *omne*; sed *omne malum* duo nostri Codd. Bernard. 21. ac 40. ac Trid. 58. Hugo Card. Lyr. ac nonnullæ ex antiquioribus Bibliorum Editionibus. Chald. legit: *incipiet inde origo omnis mali*.

(d) Prædicto similem interpretandi modum vide Comment. in Apocal. cap. 21. num. 1583.

(e) Præfatæ parabolæ declarationem, quæ in Floren. desideratur, per Assisien. supplevimus.

(f) Ita fere etiam Serm. 15. in Hexaem. *secundum Sanctos modernos & antiquos*.

tur illa de Rege, qui voluit rationem ponere cum servis suis, Matthæi decimo octavo: [*Matth.* 18. 23.] Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, ostenditur misericordia & justitia, quia universæ viæ Domini misericordia & veritas. [*Psal.* 24. 10.] (*a*) Misericordia in debiti dimissione, justitia vero in ingrati punitione: in eos utique, qui abusi sunt misericordia, sæviet acrius justitia. Et nota exemplum beati Bernardi de ape, quæ habet mel, & aculeum. [Christus api comparatus. *Bernardus in Adventu Dom. Serm.* 2. *n.* 3.] (*b*) Prima istarum Parabolarum accipitur in ratione præteriti, secunda in ratione præsentis, tertia vero in ratione futuri.

[Tres Parabolæ ratione Redemptoris.] 38. Tres iterum Parabolæ sumuntur ratione Redemptoris, in quantum descendentis in mundum, conscendentis in cœlum, & sedentis ad dexteram patris, & iterum revertentis ad judicium. Primum in ratione præteriti, secundum in ratione præsentis, tertium in ratione futuri accipitur. Ratione Redemptoris descendentis in mundum accipitur illa de homine rege, qui fecit nuptias filio suo Matthæi vigesimo secundo; ubi dicitur: [*Matth.* 22. 2.] Simile est (*c*) regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias Filio suo. Homini regi, intellige Deo Patri, qui fecit nuptias, intellige, qui per incarnationis mysterium Ecclesiam filio suo copulavit. (*d*) Nuptiarum vero thalamus fuit Virginis gloriosæ uterus. Ratione autem Redemptoris conscendentis in cœlum accipitur illa de homine nobili Lucæ decimo nono: [*Lucæ* 19. 12.] Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio. Quis est iste nobilis, nisi ille Filius Dei, qui de seipso dicit: Ego autem constitutus sum rex ab eo: [*Psal.* 2. 6.] (*e*) & illud Proverbiorum trigesimo primo: Nobilis in portis vir ejus. [*Prov.* 31. 23.] Iste abiit in regionem longinquam, quoniam nostram carnem, cujus locus proprius terra est, sicut dicit Gregorius, transtulit in cœlum. [*Gregorius in Evangel. L.* 1. *Homil.* 9. *n.* 1.] Sed tunc talenta dedit ad negotiandum, quando dedit diversa Spiritus dona ad bene agendum. Sed heu nos miseri! quis de ista negotiatione sufficienter poterit respondere? (*f*) Ratione autem Redemptoris revertentis ad judicium accipitur illa de decem virginibus Matthæi vigesimo quinto, ubi dicitur: Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus: [*Matth.* 25. 1. & *seqq.*] & sequitur: Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Dicitur ibi: Moram autem faciente sponso, intellige, judicium differente extremum, vel moram faciente, quia sicut dicitur, non est parum temporis inter primum & secundum adventum Christi. Virgines enim sub numero denario significant diversitatem omnium hominum. Denarius enim numerus perfectus est, (*g*) quia omnes numeros comprehendit, & ultra ipsum non est numerus, sed tantum numeri recapitulatio. (*h*) Omnes enim, sicut dicit Apostolus, stabimus ante tribunal Christi. [*Rom.* 14. 10.]

[Tres Parabolæ quantum ad gratiam.] 39. Tres nihilominus Parabolæ sumuntur ex parte doni gratuiti, & hoc quantum ad gratiam prævenientem in voluntate, concomitantem in justificatione, subsequentem in consummatione. Ratione ergo doni gratuiti quantum ad gratiam prævenientem in voluntate, [Quantum ad gratiam prævenientem.] sumitur illa de sagena missa in mare, Matthæi decimo tertio, ubi dicitur: Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. [*Matth.* 13. 47.] Sicut expo-

po-

(*a*) Sic etiam 4. Dist. 46. Art. 2. Q. 2. & 3.

(*b*) Ait enim ibi: *Apis habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem...... Hujus apis mel & aculeum non ignorat, qui misericordiam ei & judicium cum Propheta decantat &c.* Ps. 100. 1.

(*c*) Vulg. *factum est*; sed est sine *factum* etiam Codd. Corbejen. Veronen. & Brixian. nec non vetustissimum Evangeliarium Ecclesiæ Trident. in Tabular. Castri boni Consilii, ac ipsemet noster Interpres Comment. in Jo. Evang. cap. 2. num. 115.

(*d*) Serm. 1. Dom. 19 post Pent. inter editos sub S. Bona. nomine præmisso eodem textu dicitur: *Filio suo Domino Jesu Christo nuptias fecit Pater cœlestis, Ecclesiam ipsi desponsando.* Item ipsemet D. Bona. Exposit. in cap. 14. S. Luc. nec non Origenes, ac SS. PP. Hilar. Hieron. Gregor. &c.

(*e*) Cassiodor. Exposit. in d. Ps. & textum „ Per figuram, quæ Græce dicitur Exallage, „ Latine permutatio, verba refert Domini Sal- „ vatoris, qui se Regem a Patre constitutum „ esse testatur. “

(*f*) Eodem modo in Exposit. super Lucam cit. loco.

(*g*) In 4. dist. 1. part. 2. art. 1. q. 3. in conclus. ac alibi passim.

(*h*) Assisien. *nam ultra denarium non est numerus, sed replicatio numerorum.*

ponunt Sancti, mare est mundus, sagena est prædicatio evangelica, (*a*) vel præveniens gratia. Congregavit ex omni genere piscium; quia ad veniam vocat omnis generis homines, etsi non omnes eliguntur: unde multi sunt vocati, pauci vero electi. (*b*) Littus finis sæculi, in quo boni ad cœlum, mali ad tenebras mittuntur. In præsenti enim erant permixti; unde sequitur: elegerunt bonos in vasa sua, (*c*) id est in æterna tabernacula, ita exponit Glossa. Ratione vero doni gratuiti quantum ad gratiam concomitantem in justificatione, accipitur illa de homine jaciente semen in terram, Marci quarto, ubi dicitur: Sic est regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo semen (*d*) in terram, & dormiat, & exsurgat nocte & die, & semen germinet, & crescat, dum nescit ille. Ultro enim terra germinat, & fructificat primum herbam, deinde spicam. Sicut enim semen jactatum in terram, imperceptibiliter crescit tam de die, quam de nocte; sic gratia infusa in corde hominis cooperans, facit eum crescere, licet non animadvertat, tam in die prosperitatis, quam in die adversitatis, quia electis omnia cooperantur in bonum. Et dicit Gregorius (*e*): Cum desideria bona concipimus, semen in terram mittimus; cum vero recta operari incipimus, herba sumus; cum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam pervenimus; (*f*) cumque in ejusdem perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus. Ratione autem doni gratuiti quantum ad gratiam subsequentem in consummatione, accipitur illa de fermento, Matthæi decimo tertio, ubi dicitur: Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit, sive misit in farinæ sata tria, (*g*) donec fermentaretur (*h*) totum. Idem Lucæ decimo tertio. Mulier ista Divina Sapientia est, (*i*) fermentum vero caritas ratione caloris. (*k*) Sicut enim mediante calore fermenti pasta disponitur, & fit esibilis; (*l*) sic mediante caritate Christo incorporamur, (*m*) & in bono consummamur, primæ ad Timotheum primo: Finis præcepti est caritas. (*n*) Tria sata possunt dici activi, contemplativi, & ex utrisque permixti, scilicet boni Prælati, (*o*) in quibus debet illud fermentum abscondi. Vel secundum Glossam: Farinæ satis tribus, ut spiritus, anima, & corpus in unum redacta, ne discrepent inter se: vel tres virtutes animæ in unum redigantur, ut in rationabili possideamus prudentiam, in irascibili odium vitiorum, in concupiscibili desiderium virtutum. Donec fermentaretur totum, Glossa: tamdiu caritas in mente crescere debet, donec mentem totam in sui perfectionem commutet, ut nihil præter Deum diligat. Satum, sicut dicit Glossa, est mensura. (*p*)

40. Tres denique Parabolæ sumuntur

Matth. 20. 16. — *Matth. 13. 48.* — *Glossa interlin.* — Quantum ad gratiam concomitantem. — *Marci 4. 26.* — Rom. 8. 28. *Gregorius in Ezechiel. L. 2. Ho. 3. n. 5.* — Quantum ad gratiam subsequentem. — *Matth. 13. 33.* — *Lucæ 13. 21.* — *1. Tim. 1. 5.* — *Glossa ordinar. in Matth.* — *Glossa ordinar. in Luc.* — *Glossa ordinar. in Matth. & Luc.* — Tres Parabolæ ex parte liberi arbitrii.

(*a*) Exposit. in cap. 5. S. Luc.

(*b*) Assisien. *Sicut sagena missa in mare congregat pisces bonos & malos; sic gratia præveniens includit reprobos & electos: omnibus namque offertur, sed non omnes eliguntur; quia sicut dicit Dominus: Multi sunt vocati &c.*

(*c*) Vulg. sine *sua*; sed *sua* habet etiam Hug. Card. apud quem tamen notatur in marg. *al. non habet sua*. Lyran. vero habet tantum *vasa*; sed in marg. apud ipsum ponitur *al. sua*. Codd. Veron. & Brixian. *in vasis suis*; & *in vasa sua* Cod. noster Bernardin. 40. nec non Biblior. Edit. Nurnbergen. 1478.

(*d*) Vulg. *sementem*: sed *semen* quoque Codd. Veronen. & Brixian.

(*e*) Non vero ut in Apographis nostris *Augustinus*. Certe *Gregorius* allegatur vel apud Tho. Hibernic. in Floribus verbo *Opus* pag. m. 730.

(*f*) Correctores Rom. ad hunc locum allatum De Pœnit. Dist. 2. c. 15. admonent deesse in originali, *cum autem ad profectum boni operis crescimus, ad spicam pervenimus*; sed extare in omnibus suis MSS. testantur Clarissimi Maurini Editores Omn. S. Greg. Operum. Hinc tam a S. Bona. quam a Tho. Hiber. jure allegantur.

(*g*) Vulg. Matth. ibi *satis tribus*; sed Vulg. Luc. ibi *sata tria*. Uti quoque S. Bona. Exposit. in cap. 13. S. Luc.

(*h*) Ita & in modo cit. Exposit. In Vulg. autem *fermentatum est*.

(*i*) Sic in d. Exposit.

(*k*) Ita quoque S. August. L. 1. QQ. in Evang. S. Matth. Q. 12.

(*l*) Assisien. *panis ad esum*. *Esibilis* pro apto ad edendum, sive comestibili, antiqua Monumenta in Glossar. Ducang.

(*m*) Quod *per fidem & caritatem corpori Christi mystico incorporemur*, vide part. 6. Breviloq. cap. 9. post initium.

(*n*) In prædicta Exposit. *Per fermentum intelligitur fervor, & dilectio, sicut hic; quia fermentum pastam calefacit, & quemdam fervorem inducit, quasi ab occulto & interiori. Unde non incongrue fermentum est caritas.*

(*o*) Ibi: *Tria sata sunt tres differentiæ fidelium, in quibus Dei Sapientia dilectionem abscondit in via, scilicet boni Prælati, boni contemplativi, & boni activi.*

(*p*) Ibi, quo ad præfata omnia ex Glossa, ipsissima.

tur ex parte liberi arbitrii cooperationis, quæ etiam est necessaria ad nostram justificationem; quia sicut dicit Augustinus: qui creavit te sine te, non justificabit te sine te (*a*). Et ideo dicit Apostolus: contemplantes, id est, videntes, (*b*) ne quis desit gratiæ Dei. (*c*) Igitur debet esse simplicitas intentionis, studiositas sollicitudinis, strenuitas operationis, juxta tria, quæ sunt in libero arbitrio.

Ratione simplicitatis intentionis.

Ratione ergo simplicitatis intentionis, quæ debet esse in libero arbitrio, sumitur illa Parabola Matthæi decimo tertio de thesauro, ubi dicitur:

Matth. 13. 44.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. Ubi nota expositionem beati Gregorii, & sufficiat. Tamen in generali ibi duo notantur, scilicet vitatio periculi humanæ laudis in absconsione thesauri: unde dicit beatus Gregorius: thesaurus absconditur ut servetur, quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via. Nota exemplum de candela portata in vento.

Gregorius in Evang. L. 1. *Homil.* 11. *n.* 1.

Secundum notabile est appretiatio regni in venditione possessionis, quia sicut dicit alibi beatus Gregorius: Si consideremus quæ, & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Unde talis in comparatione omnia reputat ut stercora.

Gregorius in Evang. L. 2. *Homil.* 37. *n.* 1.

Phil. 3. 8.

Ratione studiositatis sollicitudinis.

Ratione itidem studiositatis sollicitudinis, quæ debet similiter esse in libero arbitrio, accipitur illa Parabola de homine negotiatore, Matthæi decimo tertio, ubi dicitur: Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

Matth. 13. 45.

Ubi duo in generali sunt attendenda. Primum est vigilantia in inquirendo. Nota de ipsis mercatoribus, seu negotiatoribus, quantis laboribus & periculis se exponunt. Unde dicit beatus Hieronymus ad Nepotianum: Quantis sudoribus hæreditas cassa appetitur! (*d*) minori labore margaritam Christi emere poterat. (*e*) Secundum est prudentia in emendo, ut tales res emat, quæ valeant in terra, ad quam est illas portaturus, quarum est ibi inopia (*f*).

Hieronymus Epist. ad Nepotian. 52. *al.* 2. *n.* 6. *in fine.*

Ratione strenuitatis operis.

Ratione autem strenuitatis operis, quæ requiritur similiter in libero arbitrio, sumitur illa Parabola de grano sinapis, Matthæi decimo tertio, ubi dicit: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: quod quidem est minimum omnibus aliis seminibus; cum autem creverit, majus est omnibus oleribus. Idem fecit Lucæ decimo tertio, (*g*) & Marci quarto.

Matth. 13. 31.

Luc. 13. 19.

Mar. 4. 31.

41. In grano sinapis, quod est minimum quantitate, & maximum virtute, notantur duo necessaria bonis operibus, scilicet humilitas per modicitatem, & virilitas per virtutem. (*h*) Et hæc contra duo, quæ maxime timenda sunt in bonis operibus, contra fraudem & desidiam. Unde super Job nono: Verebar omnia opera mea, dicit Glossa beati Gregorii: Duo in bonis operibus timenda sunt, desidia & fraus. Desidiam facit minor amor Dei, fraudem proprius amor sui, dum pro bene actis tacita humani cordis gratia, vel

Job 9. 28.

Glossa Gregorii, sive ipse Gregorius L. 9. *Moral. c.* 34. *n.* 53.

(*a*) Sic Breviloq. par. 5. cap. 3. ac etiam alibi.

(*b*) Ita Sa. Et Gagnæjus secundum Græc. *id est, diligenter inspicientes.*

(*c*) Hæ duæ auctoritates August. & Apost. in Floren. desunt, ac supplevimus per Assisien.

(*d*) Modo in editis *expetitur.*

(*e*) *Margaritum Christi emi poterat.*

(*f*) In MS. exemplo desumpto ex Cod. Assisien. hanc subdidit notam Cl. V. P. Sbaralea „ Si negotiator mundanus exponit se periculis „ maris & terræ pro rebus transitoriis, & ca„ ducis, quanto studiosius oportet hominem „ laborare pro rebus æternis? Si ille prudens „ est in emendo res, de quibus possumus tem„ poraliter jucundari, quæ est illa pretiosa „ margarita, pro qua sunt omnia vendenda, „ nisi regnum cœlorum? Si diligis vitam; „ da temporalem, & habebis æternam. Si di„ vitias; da temporales, & habebis æternas. „ Si delicias; fuge carnales, & habebis spiri„ tuales; fuge temporales, & habebis æternas.

(*g*) Vide sis Exposit. ipsiusmet Interpretis nostri in d. cap. & tex. S. Luc.

(*h*) In eodem MS. exemplo P. Sbaral. de grano Sinap. sic legitur „ Est comparatio „ valde notabilis. Nam duo sunt valde ne„ cessaria ad strenuitatem operis, scilicet hu„ militas, & virilitas; nec sufficit unum sine „ reliquo: quia humilitas sine virilitate est „ pusillanimitas; & virilitas sine humilitate „ est temeritas. Et ideo ut hæc duo nobis „ ostenderet Dominus esse necessaria ad obti„ nendum regnum cœlorum, comparavit il„ lud grano sinapis, quod inter omnia grana „ minutissimum est quantitate, sed magnum „ &

vel favoris aura, vel quælibet res exterior desideratur. (a) Hæc breviter de Parabolis dicta sufficiant.

Tres Quæstiones, & prima, quid sit malum, & unde sit.

42. Sequitur (b) de tribus Quæstionibus difficilibus, quæ in hanc Parabolam incidunt, videlicet unde malum oriatur? quare sustineatur? & quomodo puniatur? Ad responsionem primæ quæstionis oportet primum intelligere quid sit malum. Malum autem secundum Augustinum, non est natura aliqua, sed privatio boni, mali nomen accepit. (c) Manichæus non potest intelligere malum esse privationem, sed ponit naturam esse aliquam: ideo necesse habet ponere mali principium, & sic duo principia, (d) cum mali non possit esse principium nisi malum in quantum tale; bonum vero est diffusivum sui. (e) Cum enim unitas sit indivisio entis: veritas indivisio entis & esse; bonitas addit adhuc super hoc, quia est indivisio entis, & esse, & agere, & illud agere est se se diffundere, & communicare. Deus autem omne quod agit, agit a se, secundum se, & propter se; quia agit a se, dat modum: quia secundum se, dat speciem: quia propter se, dat ordinem: quia omne bonum habet modum, speciem, & ordinem; horum autem privatio est malum. (f) Cum autem caussa sit tantum agens, ut Deus; & tantum acta, ut irrationabilia; & agens & acta, ut rationabilis creatura: horum privatio in caussa tantum agente non potest esse; in caussa tantum acta potest esse, & est, sed sine culpa: in caussa vero agente & acta est cum culpa, quia si deficit, hoc est ex culpa sua, cum possit suam actionem ordinare, & ab ordine pro sui libertate arbitrii deficere. Creatura enim rationalis & a Deo est, & de nihilo est; quia est a Deo, est ipsius imitativa, & imitando Deum in actione sua, si agit a Deo, & secundum Deum, & propter Deum, ut constituat Deum suæ actionis principium, exemplar, & finem, tunc ejus actio bona est habens modum, speciem, & ordinem. Quia vero de nihilo est, potest ab his deficere, & hoc facit cum se nimium diligit, ut quando debet constituere Deum finem, & agere propter Deum, constituat propter se, & a se, & sic deficit ab ordine rectæ actionis, & talis defectus est malum caussatus a propria reputatione, & proprio amore. (g) Habemus igitur quid sit malum, quia defectus modi, speciei, & ordinis: unde sit, quia a voluntate deficiente, & quare in sola creatura rationali utente libertate arbitrii, propter quam potest a recto ordine obliquari.

Augustinus L. 1. Enchirid. ad Laurent. c. 11. ac seqq. a n. 3. ac L. 1. de nat. boni contra Manich. c. 4.

Malum privatio est, non natura aliqua, contra Manichæum.

Deus agens a se dat modum, secundum se speciem, propter se ordinem.

Caussa alia tantum acta, alia agens & acta.

Quæ ad actionem bonam necessaria.

Quæstio secunda, quare malum sustineatur.

43. Ad secundum autem quod quæritur, quare sustineatur; respondeo: quia hoc facit ad complementum universi, ad majorem gloriam generis humani, & ampliorem laudem Dei. Ad complementum universi (h) spectat quod sit omnis differentia entium, quæ potest rationabiliter cogitari. Sed cum aliquod sit ens, quod cadens a bono statim obstinatur in malo, ut Lucifer: & aliquod, quod adhærens bono statim confirmatur in eo, ut Angeli boni; debet etiam esse aliqua creatura, quæ possit cadere, & surgere pro sui arbitrii libertate. (i) Et cum secundum Augustinum, Deus res, quas condidit, administret, ut eas agere proprios motus sinat, (k) sicut non mutat naturam inditam lapidi, & cuilibet alii gravi, quin tendant inferius ad centrum, & ignis, ac aeris, quin tendant superius, & recedant a centro; sic nec debet vim inferre homini, quem liberum fecit,

Obstinatio in malo Luciferi suorumque sequacium.

Confirmatio in bono Angelorum bonorum.

Libertas arbitrii in homine, ut cadere ac surgere queat.

Augustinus Lib. 7. de Civit. Dei cap. 30.

„ & maximum virtute.“ Heic autem desinit Cod. Assisien. ubi sermo iste clauditur verbo *Rogemus &c.*

(a) Legi potest id latius inibi expositum a S. Greg.

(b) Vide supra num. 28. in not. *f.*

(c) In 2. Dist. 34. Art. 2. Q. 3. Breviloq. par. 3. cap. 1. Centiloq. Sect. 1. ac etiam alibi, ex eodem August.

(d) Contra duo hæc Manichæorum principia in 2. Dist. 1. Par. 1. Art. 2. Q. 1. ac alibi pluries.

(e) Cap. 6. Itinerarii mentis in Deum, & 2. Dist. 10. Art. 2. Q. 1. ad oppos. 3. & ad 1. 2. 3. Item 3. Dist. 2. Art. 1. Q. 3. ad opp. 3. & ad 3. &c.

(f) In 2. Sent. dist. 35. art. 2. q. 1. & locis supra cit. Breviloq. & Centiloq. Item in Opusculo de tribus ternariis peccatorum circa finem &c.

(g) In allegatis locis secundi Sent. Breviloq. &c.

(h) *Ad hoc quod esset universum completum* adseverat etiam in 2. Sent. dist. 7. art. 1. part. 1. q. 1. in conclus.

(i) Ibi.

(k) Breviloq. par. 1. cap. 9. & 2. Dist. 23. Art. 1. Q. 2. in Fundam.

quin possit semper eligere quod voluerit. Igitur non solum rationabile, sed etiam necesse est ad complementum & regimen universi, quod mala fieri permittantur.

Bona quæ ex malo proveniunt.

44. Spectat etiam malum ad majorem gloriam generis humani. Fit etiam homo gloriosior per exercitationem virtutum. Non enim secundum Augustinum, Deus sineret mala fieri, nisi sciret quibus bonorum usibus accommodaret. (a) Gloriosiorem fecit enim beatum Laurentium malitia Decii, (b) quam amor patris sui. Fit etiam gloriosior per accumulationem gratiarum. Magis enim gratus est Deo, qui novit se a malis liberatum, quam qui non sciret se ad mala fuisse dispositum: & ideo si factus fuisset homo, qui peccare non posset, non tantas Deo gratias ageret. Fit etiam gloriosior ex apparentia antithetorum; (c) contraria enim juxta se posita, magis elucescunt, sicut color albus apparet speciosior juxta nigrum, & cantilena jucundior ex interpositione silentii, cum silentium sit pura privatio.

Augustinus in Enchir. c. 27. sub n. 8.

B. Laurentius gloriosior ex malitia Decii, quam ex amore Patris sui.

45. Spectat sive facit etiam ad ampliorem laudem Dei; apparet enim ex malis laudabilior ejus potentia; licet enim manifesta sit in rerum productione, tamen melius est eam diversis modis manifestare. Propter quod dicit Dominus de Pharaone: Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam. Numquam enim in tot mirabilibus ostendisset Deus suam potentiam, si Pharao non fuisset malus. Laudabilior etiam fit sapientia; ad majorem enim sapientiam spectat deordinata ad ordinationem reducere, quam nunquam deordinata in ordine conservare. (d) Unde Boetius: Ordo Divinæ providentiæ cuncta complectitur. Quo fit, ut si quis ab una differentia ceciderit, in alteram relabatur. (e) Laudabilior etiam fit ejus justitia in puniendo, quæ non sic appareret, nisi essent mala, quæ puniret. (f) Laudabilior est etiam ejus misericordia in condonando, patientia in supportando, munificentia in largiendo; quia solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.

Exo. 9. 16.

Boetius de consol. Philosoph. L. 5. Prosa 6. Ordo Divinæ Providentiæ.

Matth. 5. 45.

46. Ad tertium, quod quæritur, quomodo puniatur malum; respondeo, quod punitur æternaliter: & quod sic debeat esse patet, primo ratione divinæ offensæ, quæ tanta, quantus ille qui offenditur. (g) Cum igitur Deus sit infinitus, offensa peccati est infinita. Justum est igitur, quod puniatur pœna infinita: (h) sed non potest puniri pœna infinita secundum intensionem: oportet ergo, quod puniatur secundum durationem æternam. (i) Alia ratio est, quia peccans in collegium civitatis, juste potest per exilium ab ejus contubernio separari quamdiu ipse vixerit, & civitas duraverit. Si igitur peccator proditor est civitatis Dei, cujus duratio est perpetua, justum est, quod & ip-

Quæstio tertia quomodo puniatur malum, plectaturque peccatum mortale pœna æterna.

(a) S. Aug. *melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere*, ac ipsemet S. Bona. ex eodem August. ibi 2. dist. 23. Art. 1. Q. 1. ad 3.

(b) Serm. 2. de S. Laurentio ad finem, inter Sermones de Sanctis ipsiusmet D. Bonaventuræ, ubi ipse refert, quod *dicebat Decio: Assasti miser ex una parte: gyra aliam, & manduca &c.* estque Sermo cum clausula: *Rogemus ergo &c.*

(c) Ait quippe in 4. dist. 44. part. 2. art. 1. q. 1. in conclus. *Congruum est, ut pulchritudo universi decoretur quibusdam antithetis, ut sicut bonis redduntur bona æterna, ita & malis æterna supplicia.* Item in 2. dist. 23. art. 1. q. 1. in Fund. *Universum ex oppositione mali ad bonum decoratur quasi quibusdam antithetis.*

(d) Modo cit. loc. 2. Sent. in concl.

(e) Sic ipsemet S. Bona. Par. 3. Breviloq. cap. 4. inquiens: *Hic ordo sic cuncta complectitur, ut quod ab uno ceciderit, statim in alteram differentiam relabatur,* nimirum *ut quod inordinatum fuit cadendo ab ordine naturæ, caderet statim in ordinem justitiæ*, quo quidem pacto *statim in primis parentibus dedecus peccati subsecutum est decus justitiæ.* Item Exposit. in Ecclesiasten ca. 5. *Aliquid potest privari ordine particulari, non universali, ut dicit Boetius. Nam universalis ordo cuncta complectitur, unde qui cadit ab uno (al. universali) ordine naturæ, incidit in ordinem pœnæ. Sicut exemplum Augustini est de nube, in qua est turbo, & involutio inordinata in se, sed ordinata ad fructum terræ: Sic mali præsunt bonis ad bonorum exercitationem, & malorum punitionem.*

(f) In 2. Sent. ibi.

(g) Soliloq. cap. 1. ait itidem, quod *tanto gravior sit offensa, quanto major est illius, qui offenditur, excellentia.* Et ut supra Comment. in Apocal. cap. 17. num. 1248.

(h) Pariter idem S. Bona. Serm. 1. Dom. 7. post Pentec.

(i) Ipsemet Breviloq. part. 7. cap. 6. *Sicut homo contra infinitum peccavit, sic pœnam habeat infinitam. Et quia non potest habere pœnam infinitam intensive, habeat saltem duratione.* Vide sis etiam in 4. Dist. 44. Par. 2. Art. 1. Q. 1. in concl. nec non cit. Serm. 1. Dom. 7. post Pentec. ac Serm. 2. in Hexaem. ubi itidem adserit *pœnam infinitam, non intensive, sed processive; sive finitam in acerbitate, infinitam in duratione*, Opusc. de tribus ternar. peccatorum.

& ipse exilio perpetuo puniatur. (a) Tertia ratio est, quia peccator judicatur non secundum actum exteriorem principaliter, sed secundum interiorem voluntatem, quam principaliter considerat Deus. Sed omnis peccans quandocumque derelinquit Deum pro momentanea delectatione, mallet illam perpetuari, ex quo de illa in perpetuo vitæ suæ pœnitentiam non facit: ergo puniendus est ac si delectatio perpetuo durasset. (b) Quarta ratio est, quia peccator in quolibet actu peccati mortalis abutitur omnibus illis rebus, a quibus debet juvari, & cum quibus habet ordinari. Sed ipse cum sit pars universi, juvamentum recipit ab elementaribus, cœlestibus, supercœlestibus, & ordinationem habet ad præterita, præsentia, & futura: abutitur ergo omnibus supradictis: nihil est ergo in universo, quod non sibi adversetur, & quantum ad consistentiam, & quantum ad durationem. Ergo necessarium est, quod ipse in universali & sempiterna adversitate puniatur, ac per hoc interminata pœnæ calamitate. Quinta ratio est, quia cum anima rationalis sit creata in Orizonte æviternitatis (c) & temporis, nec sit in tempore, nisi ratione unionis ad corpus, sublata illa unione necessario intrat anima statum æviternitatis. Si igitur moritur in peccato mortali, sempiternaliter in peccati perversione perdurat. Sed non est dedecus peccati sine decore justitiæ. (d) Igitur si sempiternaliter durat culpa, sempiternali est supplicio punienda. A quo supplicio nos liberatos perducat Filius Dei ad Regnum cælorum, quod nobis præstare dignetur &c.

Non est dedecus peccati sine decore justitiæ.

Explicit Sermo Sancti Bonaventuræ de Seminante.

(a) Alia similis ratio petita ex *peccante contra Rempublicam aliquo grandi crimine* adfertur cit. loc. in 4. Sentent.

(b) Hæc ratio amplius declarata legitur Par. 7. Breviloq. cap. 6. Pro eadem allegatur a D. Bona. Lib. 3. Phar. cap. 50. *Bernardus in Epistola* sic ajens: *Ob hoc procul dubio inflexibilis, & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum; quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate: ita ut, si numquam moreretur, numquam velle peccare desineret; immo semper vivere vellet, ut semper peccare posset &c.* Epist. ad Abbatem Guarinum Alphensem 254. num. 3.

(c) Vid. supra num. 10. in not. *b*.

(d) Cit. part. 7. Breviloq. cap. 6. & Serm. 2. in Hexaemeron, atque Comment. in Joan. cap. 3. num. 181. &c. *Dedecus* autem *peccati* exigere *decorem justitiæ*, innuit etiam supra laud. Boetius, de Consolat. Philosoph. Lib. 4. Prosa 4. ajens: *Habent improbi, cum puniuntur boni aliquid annexum, pœnam ipsam scilicet, quæ bona est; iidemque cum supplicio carent, eis inest aliquid alterius mali, ipsa impunitas.* Unde infert: *Multo igitur infeliciores improbi sunt injusta impunitate donati, quam justa ultione puniti.* Et loquens de *animarum suppliciis post defunctum morte corpus, magna quidem inquit, quorum alia pœnali acerbitate* (id est, secundum Comment. adscriptum Angelico Doctori Thomæ de Aquino, *æterna pœna*) *alia vero purgatoria clementia* (id est, *pœna purgatoria*) *exerceri &c.* Item S. Augustinus de nat. bo. contra Manich. cap. 7. *Peccantes in suppliciis ordinantur: quia ordinatio eorum naturæ non competit, ideo pœna est: sed quia culpæ competit, ideo justitia est.* Et idem ibi cap. 9. *Melius ordinatur natura, ut juste doleat in supplicio, quam ut impune gaudeat in peccato.* Quæ Augustini verba laudantur ab ipsomet D. Bona, Lib. 3. Phar. cap. 50.

SERAPHICI DOCTORIS
SANCTI BONAVENTURÆ
ORDINIS MINORUM
S. R. E. CARDINALIS, ET EPISCOPI ALBANENSIS
POSTILLA, SIVE COMMENTARIUS
IN EVANGELIUM SANCTI JOANNIS APOSTOLI.

ADMONITIO.

Hanc Postillam, sive Commentarium exhibeo secundum MS. Codicem Romanum Bibl. Angelicæ, eumque perantiquum, optimæque notæ, a me diligenter conlatum cum Editione Coloniensi sub nomine Nicolai Gorrani O. P. *in fol. an.* 1537. *excudente* Petro Quentel, *cui Nuncupatoria* Joannis Pessellii Tilani *itidem* O. P. *præmittitur, indicatis quidem paucis, at ceteris omissis pluribus, quæ a* Gorrano *ipso aut mutata, aut addita, sive transposita, in eadem Editione Coloniensi passim leguntur. Quodve* Doctori Seraphico S. Bonaventuræ *restituenda sit, tametsi satis evicerim in Prodromo col.* 641. *ac seqq.; heic tamen id adhuc uberius constabit ex passim subjiciendis notis, in quibus ex una parte consonans ejusdem Seraphici Scriptoris doctrina, non absque etiam stili similitudine, relucebit, ex alia vero diversitas ab illa in Joannis Evangelium Expositione, quam sibi dictus* Gorranus *accommodavit, sicut & alia quædam, de quibus in Prodromo ibidem. Ita quodammodo* Venerabilis Beda in Joannis Evangelium, *quæ sunt* S. Augustini *sibimet vindicavit; eum enim passim, ac subinde ad verbum consectatur. Præmonendus autem studiosus lector, mirum haud esse, Expositionem hanc, non secus ac aliam ipsiusmet in Ecclesiasten, passim scatere Quæstionibus, Responsionibus, objectionibus, solutionibus, instar scholasticorum Commentariorum, in quibus Quæstiones Theologicæ pertractantur; scholastica enim vel ipsa est, ac tota versatur circa Divina, & Theologica, de quibus alibi, maxime in exponendo* Magistri, *nempe* Petri Lombardi, *textu Doctor noster disceptare pari modo consuevit. Sane quid mirum, hanc methodum heic tenuisse* S. Bonaventuram *in scholis primi subsellii Theologum, cum inter Evangelistas ipsos se nedum* Theologum, *ut a Græcis vocatur, sed & Theologorum omnium verticem ipsemet* S. Joannes *ostenderit, & omnes pene hæreses circa Divinam & humanam Christi generationem prorsus everterit; adeo ut Sancti Patres potissima argumenta contra* Arrianos, Sabellianos, Macedonianos, Nestorianos, Eutychianos, *aliosque ejusdem furfuris Heterodoxos inde petierint: Doctores vero Scholastici universam materiam de Trinitate, Deoque trino, & uno, ac Divini Verbi Incarnatione, ex eodem fonte desumpserint? Quandoquidem, ut* Dionysius Carthusianus *Enarrat. in Evang. secundum* Joannem *post Proœm. Art.* 1. *ait:* Quamvis tota Scriptura canonica tractet de Deo tanquam de objecto, specialiter quoque Prophetæ, Apostoli, & Evangelistæ loquantur de Christo ut promisso vel misso; nihilominus Evangelicum Volumen S. Joannis universis Scripturæ Codicibus rite præfertur, quoniam de Divinitate, ac Trinitate, de Divinæ essentiæ unitate, de Personarum distinctione, de æterna atque Divina Christi generatione, & Spiritus Sancti processione, de duplici Christi natura, multiplici actione, & una Persona, plenius, clarius, atque profundius scribit. *Præsciat quoque lector oportet, nostrum Interpretem in hac ab se*

digesta Postilla adhæsisse præcipue duobus summis Ecclesiæ Doctoribus, Latino uni, nempe S. Augustino, *Græco alteri, videlicet* S. Jo. Chrysostomo; *ut interpretandi rationem non ex solius ingenii sui sensu depromptam, sed ex tantorum Patrum mente derivatam demonstraret. Quandoquidem* auctoritatibus Sanctorum in arduis quæstionibus præcipue innitendum, *diserte tradiderat in 3. Dist. 14. Art. 2. Q. 3. ad 9. in fine. Hinc consultum duxit vel aliorum Doctorum sensa intersere, ac subinde etiam de suo ea, quam semper amavit, modestia aliquid addere. Quod potissimum spectat verba* Chrysostomi *ab ipso Latine relata, ita ab eodem allegantur, ut videatur aut aliam versionem habuisse præ manibus, aut forte sibi integrum censuisse ipsamet Latine paulo aliter reddere, sive potius non ad literam, sed ad sensum proferre. Noverit demum idem* lector *ex una parte certum fieri etiam ex Processu Canonizazionis* S. Bonaventuræ *pag. 116., ejus inter cetera plura* Scriptum super Evangelio Joannis; *ex alia vero sub ejusdem* Bonaventuræ *nomine extare quoque* Postillam super Joannem *in Biblioth. Heilsbronensi Cod. num. 41. in fol. a præsenti nequaquam diversam: nec non Postillæ huic sive Commentario in plerisque assimilari Postillam jam editam sub* S. Bonaventuræ *nomine, quam* Jo. Guallensis O. M. *esse, in prædicto Prodromo col. 713. adfirmavimus. Ceterum* Joannem Guallensem *potius didicisse a* Bonaventura, *quam* Bonaventuram *a* Jo. Guallensi, *ex eo etiam apparet; quia præsens Postilla in supra d. Cod. Biblioth. Angel. dicitur* edita a Domino Fratre Bonaventura de Balneo Regio Fratrum Minorum Cardinali ad usum Fratrum Minorum. *Ceterum non solum* ad usum Fratrum Minorum *fuisse videtur, sed & aliorum, etiam præter jam d.* Gorranum; nanque *comperi vel supra laudatum* Dionysium Carthusianum *cum Interprete nostro omnino in pluribus convenire. Hæc censui præmittenda*, ac velut *primoribus labris prægustanda, quia uberiora desideranti ad præfatum Prodromum patet accessus. Mox ergo ad Prologum propero, &* tanto accedo humilius (*verba ejusdem* Carthusiani *inibi usurpo*) & sancti Spiritus illustrationem invoco affectuosius; quanto sublimior est materia (*heic scilicet pertractanda*) atque declivior ac insufficientior propriæ rationis intelligentia.

SAN-

SANCTI BONAVENTURÆ

Prologus.

I.

Isa. 52. 13.

Ecce intelliget servus meus, & (a) exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. Quia commendatio Auctoris redundat in Opus, & commendatio Operis in Auctorem, ideo verbum propositum, quod scribitur Isai. quinquagesimo secundo, assumptum est, in quo Beatus Joannes Evangelista commendatur a tribus: scilicet a sanctitate vitæ, cum dicitur: *ecce servus meus*; a claritate intelligentiæ, cum subditur: *intelliget*; ab excellentia doctrinæ, cum subinfertur: *& exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde*. Nam is est ordo; sanctitas enim vitæ meretur donum intelligentiæ, & donum intelligentiæ disponit ad excellentiam doctrinæ.

Commendatio Joannis ob sanctitatem vitæ, & quis dici meretur servus Dei.

2. Commendatur ergo a sanctitate vitæ in hoc, quod Dominus vocat eum servum suum; non enim meretur dici servus Dei, nisi qui in sanctitate illi servit omnibus diebus: (b) servum autem suum vocat (c) eum Dominus ratione obsequii, quia ei fideliter est obsequutus. Unde recte potest de eo intelligi illud Num. duodecimo: Servus meus Moyses in omni domo mea fidelissimus est. Recte Beatus Joannes in omni domo Christi fuit fidelissimus. In ejus rei testimonium, nobilissimum illum thesaurum, scilicet matris Virginitatem, Dominus ei servandum commisit (d) ratione officii, quod sibi a Deo fuit impositum, & ad quod præordinatus fuit ab æterno secundum illud Isai. quadragesimo nono: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Ecce prædestinatio. Et posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me. Ecce officii prædicationis commissio. Et dixit mihi: servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. Ecce servitutis acceptatio, quia non suscepit officium illud ad gloriam suam, sed ad Divinam, ratione beneficii, quod sibi Dominus contulit; quia a Deo electus, & prælectus, & dilectus, & speciali munere gratiæ ditatus fuit, secundum illud Isai. quadragesimo secundo; Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum. (e) Recte complacuit sibi in Beato Joanne anima Domini; nam hic est Discipulus ille, quem diligebat Jesus, Joannis ultimo. Sic igitur supradictus servus Christi fuit Beatus Joannes propter obsequium, officium, & beneficium.

Num. 12. 7. — *Isa.* 49. 1. *ac seqq.* — *Isa.* 42. — *Jo.* 21. 7.

Ob donum intelligentiæ triplicis.

3. Ob hanc sanctitatem vitæ meruit donum intelligentiæ, quo multipliciter fuit ditatus. (f) Intellexit Spiritus sancti unctione, Angelica revelatione, Christi eruditione. Spiritus sancti unctione intellexit utilia: Angelica revelatione intellexit abscondita: Christi eruditione sublimia. Et in his tribus omnis appetitus, & desiderium nostræ intelligentiæ consummatur, & perficitur.

Intellexit utilia.

Intellexit igitur Spiritus sancti unctione utilia, quia ille Spiritus veritatis est spiritus salutis, de quo intellectu Isai. vigesimo octavo: Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. Ablactati & semoti (g) a dul-

Isa. 28. 9.

(a) Ly & Vulg. non habet; sed habet Cod. noster Bernardin. A. 1. 40. nec non edita Exposit. in Evang. S. Jo. sub S. Bonaventuræ nomine in Procem. Item Hugo Card. Lyran. ac nonnullæ Biblior. antiquæ Editiones.

(b) In Cod. MS. Heilsbronen. Biblioth. in plurali, teste Philippo Ludovico Statio Muller Philos. Profess. Ordinar. & Bibliothecar. sic: *Non enim merentur dici servi Dei, nisi qui in sanctitate illi serviunt omnibus diebus suis*.

(c) Idem Cod. Heilsbron. *vocavit*.

(d) In Supplem. Sermonum Ser. 15. de S. Joan. Apost. & Evang. num. 8. de quo Vol. 3.

(e) Vide hunc textum similiter eidem S. Joanni ab ipsomet Interprete accommodatum Comment. in Apocal. cap. 1. ver. 1. num. 9.

(f) Edit. Colon. sub nomine Nic. Gorran *dotatus*.

(g) Ibi *remoti*.

dulcedine præsentis consolationis merentur intelligere utilia, alii vero non.

1. ad Cor. 2. 14.

Unde primæ ad Cor. secundo: Animalis homo non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt: stultitia enim est illi, & non potest intelligere ea, quæ spiritualiter examinantur (*a*). Beatus vero Joannes ablactatus fuit, quia Patrem, & Matrem, & etiam Sponsam, quam duxerat, amore Dei dereliquit. (*b*)

Intellexit abscondita.

Intellexit Angelica revelatione abscondita, & quæ ventura erant. Unde recte congruit ei quod dicitur Danielis primo:

Dan. 1. 17.

Dedit Dominus Danieli intelligentiam omnium visionum, & somniorum. Et hoc quidem ministerio revelationis Angelicæ. Unde Dan. octavo dixit unus Angelus alii:

Dan. 8. 16.

Gabriel (*c*) fac istam intelligere visionem. Sed Angelus hoc non faciebat propria auctoritate. In cujus rei testimonium, dum Joannes vellet adorare Angelum, qui sibi illa ostendebat, prohibuit eum (*d*) dicens:

Apoc. 22. 9.

Vide ne feceris, conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum, Apoc. vigesimo secundo. In quo manifestatur, quod non revelabat ut Dominus, sed ut conservus.

Intellexit sublimia.

Intellexit etiam Christi cruditione sublimia. Etsi enim Christus omnes suos Discipulos edoceret, tamen Beatum Joannem, quem præ ceteris diligebat, (*e*) præ ceteris erudivit, & intelligere fecit. Unde recte potest de eo intelligi quod dixit Dominus Salomoni tertii Reg. tertio:

3. Reg. 3. 12.

Dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum ut ante te nullus similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Nullus enim ante eum fuit, nec post eum sequutus est, qui ad tantam Divinitatis cognitionem ascenderet. Sic igitur intellexit Beatus Joannes utilia, & abscondita, & sublimia; & ratione hujus triplicis intelligentiæ sublimatur ad triplicem dignitatem doctrinæ.

Ad triplicem dignitatem evectus.

Ideo dicitur *exaltabitur*, scilicet ad Cathedram Apostolicam: *elevabitur* ad denuntiationem Propheticam: *& sublimis erit valde* per doctrinam Evangelicam. Propter quod tria scripta condidit, scilicet Epistolas Canonicas, tanquam Prædicator authenticus; Apocalypsim, tanquam Propheta eximius; & Evangelium, tanquan Scriba doctissimus.

Ad Cathedram Apostolicam.

4. Primo igitur est *exaltabitur* ad Cathedram Apostolicam; propter quod congruit ei quod dicitur in Psalmo centesimo sexto:

Ps. 106. 32.

Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum. Cathedra seniorum est Cathedra Apostolorum, (*f*) in qua Beatus Joannes non sedit ut otiosus, imo erudivit præsentes verbis, & absentes Epistolis. Ecclesiastici decimo quinto:

Eccli 15. 3. ac seq.

Firmabitur in illo, & non flectetur, & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum apud proximos suos.

Ad denuntiationem Propheticam.

Elevabitur ad denuntiationem Propheticam secundum illud Ezechielis octavo:

Ezech. 8. 3.

Elevavit me Spiritus inter Cœlum & terram, & adduxit me in Jerusalem in visione Dei. Hac elevatione Beatus Joannes elevatus est; unde Apocalypsis vigesimo primo:

Apoc. 21. 10.

Sustulit me (*g*) in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi civitatem sanctam

(*a*) In Vulg. legitur: *quia spiritualiter examinatur*. Sed negari neutiquam potest, in nonnullis Codicibus pro *quia* scribi *ea quæ*, vel *quæ*, & pro singulari *examinatur* plurale *examinantur*. Quippe *ea quæ spiritualiter examinantur* se vidisse testatur Franc. Luc. Brugensis in quatuor exemplaribus MSS. In Quentelianis quidem Bibliis, ac etiam in Complutensibus, nec non in Cod. Tabular. sive Biblioth. Episcopal. Trident. num. 58. habetur *quia* pro *ea quæ*, vel *quæ*; sed in plurali legitur *spiritualiter examinantur*. Et ita in plurali legendum censet idem Brugensis, si cum Græcis Tractatoribus *ad ea quæ sunt Spiritus Dei* id referatur. Unde & Joannes Gagnæjus hunc elicit sensum, *quod animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, quia illa spiritualiter discutiuntur & dijudicantur*. Accedit & Jacobus Tirinus, qui itidem legendum monet cum Bibliis Romanis: *Quia hæc spiritualiter examinantur*. Non diffiteor tamen continere Vulg. lectionem duos nostros Codd. Bernardin. ac plerasque antiquas Editiones Bibliorum, quæ vidi.

(*b*) Qua id auctoritate nitatur, infra vide.

(*c*) Sic dd. Codd. Ber. Hug. Card. Lyr. &c.

(*d*) Triplicem rationem, cur eum prohibuerit Angelus, vide sis apud eumdem Bonaventuram in 3. Dist. 9. Art. 1. Q. 5. ad 1. Item Comment. in Apocal. ad d. cap. & text.

(*e*) Dicitur *vere dilectissimus, vere amabilium, & desiderabilium, ac dilectorum valde dilectissimus*, in una ex Epistolis adscriptis S. Dionys. Areopag. An vero Christus magis dilexerit Joannem, quam Petrum, consule, si lubet, ipsummet Bonaventuram in eodem 3. Dist. 32. Art. 1. Q. 6.

(*f*) Similiter apud Lorinum, maxime loquendo de S. Petri Cathedra. Vel *illi qui sunt in Prælationibus*, ut habet Postilla Alex. Alen. sive Hug. Card.

(*g*) *Id est, sursum tulit, ad majora intelligenda me elevans*, ait etiam Comment. in Apocal. cit. cap. 21. ver. 10. num. 1571.

ctam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo. Et hoc quidem vidit ad denuntiandum; unde dictum est ei Apocalypsis primo: Scribe quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc: quia floruit triplici genere Prophetiæ. (a) *Et sublimis erit valde* per doctrinam Evangelicam, in qua omnes alios antecellit. Ideo recte exponi potest de eo quod dicitur Genesis septimo: Multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt Arcam in sublime a terra. Arca ista B. Joannes, in quo salvatum est semen verbi Domini. Aquæ illæ multiplicatæ sunt aqua sapientiæ salutaris, quæ multiplicatæ fuerunt in B. Joanne; quia sicut dicit Augustinus: Fluenta Evangelii (b) de ipso Dominici pectoris fonte potavit (c). Istæ aquæ Sapientiæ ipsum elevaverunt in sublime super omnes montes; quia in Evangelio altius omnibus est loquutus. Unde dicit Augustinus: Si altius intonuisset, totus mundus capere non potuisset. (d) Sed quia Doctoris sublimitas manifestatur in sublimitate doctrinæ, recte videtur sublimis valde, si Evangelii ejus sublimitas explicetur.

Apoc. 1. 19.

Ad doctrinam Evangelicam.

Gen. 7. 17.

Augustinus, sive incertus Auctor Præfat. in Evang. S. Joan.

Augustinus.

5. Intelligendum est igitur, quod aliqua doctrina dicitur sublimis, aut quia de sublimibus agit; aut quia sublimiter procedit; aut quia ad sublimia perducit. Evangelium B. Joannis sublime est, quia de sublimibus agit; quia de Verbo incarnato secundum utramque naturam, quæ valde sublimes sunt, maxime Divina. Quod bene exprimitur parabolice Ezechielis decimo septimo: Hæc dicit Dominus Deus: ego sumam de medulla cedri sublimis, & plantabo super montem excelsum, & eminentem, in monte sublimi Israel. Medulla cedri sublimis est latens Divinitas Verbi. (e) Hanc plantavit Deus Pater in monte sublimi Israel, quia humanæ naturæ in Christo univit, qui est lapis abscissus de monte sine manibus. (f) De hac medulla cedri sublimis est Evangelium B. Joannis. Unde in eodem Capitulo: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. Summitatem frondium ejus avulsit, & transportavit eam in terram Chanaan. Aquila grandis, per caritatis latitudinem; magnarum alarum, per contemplationis altitudinem; longo membrorum ductu, per expectationis longitudinem; plena plumis, & varietate, per virtutum multitudinem; venit ad Libanum, id est, ad montem montium Christum; (g) & tulit medullam cedri, id est, latentem Divinitatem Verbi; & summitatem frondium avulsit, quia operum Divinorum excellentiam descripsit, sicut nobilissima miracula, & altissima documenta, quæ alii Evangelistæ reliquerunt intacta. Si igitur Libanus est mons altus in mundo, & Cedrus arbor alta in Libano, & summitas frondium altissima in cedro; utique sequitur, quod qui summitatem frondium cedri avulsit, de sublimibus tractavit.

De sublimibus tractat.

Ezech. 17. 22.

Parabolice medulla cedri sublimis apud Ezech. est latens Divinitas Verbi.

Ibi 3. ac seq.

6. Non tantum de sublimibus agit, sed etiam sublimiter procedit. (h) Modus procedendi sublimis est modus certitudinalis. Illæ scientiæ dicuntur sublimiores, quæ certiores. Iste modus procedendi sublimis describitur Ezechielis primo in figura Animalium, per quæ Evangelistæ intelliguntur: (i) Audiebam, inquit, sonum alarum, quasi so-

Sublimiter procedit.

Ezech. 1. 24.

(a) Scilicet complectentis *tria tempora, præteritum: QUÆ VIDISTI; præsens: QUÆ SUNT; futurum: QUÆ OPORTET FIERI POST HÆC.* Ita idemmet interpres noster Comm. in cap. 1. Apocal. num. 90.

(b) In prædicta Præfat. *cælestis haustum sapientiæ ceteris excellentius &c,*

(c) Similia habet S. Augustinus L. 1. de Cons. Evang. L. 1. c. 4. n. 7. ac Tract. 1. in c. 1. Joan. n. 7. Item S. Hieronymus Epist. 85. ad Evagrium, ac in Procemio in Matth. Dionys. Carthus. *Tunc secundum Aug. & Bedam ex fonte Dominici pectoris bibit.* Præfata verba leguntur in Festo S. Joan. Apost. & Evang. post Lect. 8. in vers. Respon.

(d) His ipsissimis Augustini verbis utitur quoque Nicolaus Lyranus in Prologo.

(e) Sive *æterna Dei Sapientia*, ut idem interpretatur S. Bona. secundum Ser. XX. de Eucharistia MS. Codicis Lunælacensis, ubi etiam edisserit eandem Parabolam. Favet prædictæ expositioni S. Greg. Moral. Lib. 31. cap. 47. num. 44.

(f) Sic Vol. 3. hujus Supplem. De laude Mellifl. Nom. D. N. J. C. Serm. sive Sect. 7. n. 47.

(g) Exposit. in Psalter. Ps. 35. *Mons quandoque dicitur Christus; unde hoc: erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium. Etiam dicitur mons montium, quasi Sanctus Sanctorum.*

(h) Quoad supradicta longe melior in Cod. MS. habetur lectio, quam in Edit. Colon.

(i) Comment. in Apocal. cap. 4. sub ver. 6. num.

sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei. Sonus sublimis Dei est certitudinis, non varietatis; (a) quia non est Deus, ut homo, ut mentiatur. Ideo Dominus dicebat de se Joannis tertio: Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. Hoc modo certitudinali loquebatur B. Joannes; unde Joannis decimo nono: Qui vidit, testimonium perhibuit, & testimonium ejus verum est; & ille scit, quia vera dicit. Unde ipse dicit in prima Epistola sua primo Capitulo in principio: Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, testamur, & annuntiamus vobis.

Jo. 3. 11.

Jo. 19. 35.

1. Jo. 1. 1. ac seq.

Ad sublimia perducit.

7. Non solum sublimiter procedit, sed etiam ad sublimia perducit. Sublimia sunt bona æterna; nam bona temporalia infima sunt, & momentanea. Unde secundæ ad Cor. quarto: Quod est in præsenti momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Ad hoc sublime pondus gloriæ perducit doctrina Evangelii secundum Ioannem. Unde Ioannis vigesimo: Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus; illam scilicet vitam æternam, & sublimem, quam nec oculus (b) vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Sic igitur doctrina hujus Evangelii est sublimis, propterea non immerito & ejus auctoritas dicitur esse sublimis; nec tantum sublimis, sed sublimis est valde in superlativo gradu. Si enim dicta Scriptura Scripturas ceteras antecellit, & Evangelium omnes partes dictæ Scripturæ, (c) & Evangelium Ioannis omnia Evangelia; consequens est, quod Liber iste singulariter Libros ceteros antecellat. (d)

2. ad Cor. 4. 17.

Jo. 20. 31.

1. ad Cor. 2. 9.

8. Ex dictis patent quæ in principio cujuslibet Libri consueverunt quæri, scilicet caussa efficiens Ioannes Evangelista Sanctus, intelligens, exaltatus, elevatus, & sublimior ceteris effectus. Caussa materialis est Verbum incarnatum, maxime quoad ea, quæ Divinitatis sunt. Caussa formalis est narratio, seu modus agendi, qui licet sit per modum narrationis, est tamen certitudinalis. Caussa vero formalis, quæ est divisio Libri, infra manifestabitur, qua ordinatione procedat. Caussa vero finalis proxima est fides; ultima vero est vita æterna, quæ est finis desideratissimus. (e).

9. Sed quantum ad hæc tria, in quibus est hæc doctrina commendata, scilicet in utilitate, certitudine, & sublimitate; tria quæruntur. Quæritur ergo, quæ necessitas fuit scribendi hoc Evangelium? Et videtur, quod nulla; quia Gregorius super Ezechielem dicit super illud: Quatuor facies uni: Si quæris, quid Joannes sentiat? Hoc quod Lucas, Marcus, & Matthæus sentiunt. Secundum hoc Joannes nihil fecit, nisi quod replicavit, quod alii Evangelistæ dixerant. Ergo si non scripsisset, nihil deesset. Item aut Matthæus sufficienter scripsit Evangelium, aut non: Si non; ergo cum ipse a se non scripserit, sed a Spiritu sancto, Spiritus sanctus fuit insufficiens. Quod si Matthæus sufficienter tradidit Evangelicam doctrinam; ergo superfluunt omnia alia Evangelia, tam Joannis, quam aliorum. Item si necessarium fuit Ecclesiæ; ut quid tantum tardavit, distulit, & retinuit verbum tempore salutis? Ergo videtur, quod negligenter fecerit, & peccaverit, quod tantum distulit. Resp. Dicendum, (f), quod Evangelistæ sunt testes Domini, & hoc non propter indigentiam claritatis Divinæ, sed infirmitatis humanæ. Quia ergo

Quæstio prima de utilitate.

Gregorius in Ezech. Hom. 3. n. 1.

Responsio.

num. 285. ac Procem. in Evang. S. Lucæ, nec non alibi quoque; sicque etiam S. August. in Jo. Evang. cap. 8. Tract. 36. num. 5.

(a) In d. Edit. Colon. *variabilis*.

(b) Vulg. *oculus non*; sed ut supra ipsemet Interpres Breviloq. par. 7. cap. 7. Soliloq. cap. 4. Comment. in Apocal. cap. 2. num. 151. &c.

(c) S. Aug. de Consen. Evangelist. Lib. 1. cap. 1. iu princip.

(d) Sic Dionys. Carthus. laudat. supra in Admonit.

(e) De quæstione circa quadruplex simillimum caussarum genus in principio Libri, vide sis eundem Bonaventuram in Procemio L. 1. Sententiarum q. 1. 2. 3. & 4. ubi agit de caussa materiali, formali, finali, & efficiente illius Libri. De iisdem agit etiam in Prologo Expositionis in Librum Sapientiæ, nec non tam Commentariolo in cap. 4. Apocal. de doctrina Evangel. quam Comment. in cap. 5. ejusdem de Scripturar. sanctar. dignitate & excellentia &c.

(f) Hoc respondendi modo passim utitur in Libris Sententiarum, in Expositionibus super Ecclesiasten, & super Librum Sapientiæ.

nostra infirmitas firmius & certius credit pluribus, quam uni; ideo dispofuit Divina Sapientia, ut plures essent Evangelistæ. Si enim omnino diversa dicerent, fidem non firmarent. Necessarium est enim, ut testimonium sit solidum, testes concordare. Si vero idem omnino dicerent, jam certe totum unum esset & superfluum. Ut ergo certum esset testimonium, & nihil contineret superfluum, disposuit Spiritus sanctus, ut aliqua singulariter narrarent, aliqua communiter, nulla vero discorditer. Quod autem objicitur, quod sensit unus & omnis; intelligendum est, non quia idem omnino dixerint; sed ubi concurrerunt in idem narrandum, non discordant, sicut dicit Augustinus de concordia Evangelistarum. (*a*) Vel facienda est vis in hoc, quod dicit: sentiunt: Quia idem sentiunt tanquam uno spiritu, & fide illuminati; sed tamen non omnino eadem scribunt. Quod quæritur, utrum Matthæus sufficienter dixerit? Dicendum ad hoc, quod sufficienter de aliquo tractare, hoc est dupliciter: Aut quantum exigit materiæ dignitas; & sic de Christo sufficienter tractare est impossibile, non tantum uni homini, sed etiam toti mundo, si converteretur in linguas: quia ab ejus narratione deficiunt omnes linguæ. (*b*) Unde Joannis ultimo: Quod si scribantur per singula, quæ fecit Jesus, nec ipsum arbitror mundum posse capere eos, qui scribendi sunt, libros. Alio modo sufficit tractare, quantum sufficit ad deveniendum in finem; & sic in quolibet Evangelistarum substantia nostræ fidei, quantum sufficit, continetur. Sed tamen alii non superfluunt; quia faciunt ad fidei claritatem, explicationem, majorem certitudinem, & defensionem. Quod objicitur, quare tantum distulit? Dicendum, quod ratio fuit ex parte scribentis; quia erat virgo, & juvenis, ideo ut verecundus se ingerere noluit, quousque ab Episcopis Asiæ rogaretur, & ab Hæreticis excitaretur. Unde in Prologo (*c*) dicitur: quod ultimo scripsit Evangelium, & hoc Virgini debebatur. Alia ratio fuit ex parte Scripturæ, quia alii sunt versati circa humanitatem, & circa vitam activam; B. Joannes circa Divinitatem, & vitam contemplativam, (*d*) sicut dicit Augustinus in Glossa. Quia ergo per visibilia venitur ad invisibilia, & per activam ad contemplativam, debuerunt primo alii scribere, ultimo vero Joannes. Tertia ratio fuit ex parte dispensationis Divinæ, quia enim Joannes ceteris melius observaverat (*e*) Evangelium, (*f*) si ipse primo scripsisset, aut totum scripsisset, & aliis locum scribendi abstulisset; aut si non totum, alii ipsum supplere non possent. Ideo permisit instinctu Spiritus Sancti alios prius scribere, ut quæ alii omiserunt, postmodum ipse narraret. Græci autem reddunt aliam caussam, ut alios corrigeret; sed mentiuntur, quia si eodem spiritu Evangelistæ locuti sunt, impossibile est eos dicere falsum: ideo aliquid fuit addendum, sed nihil corrigendum.

Augustinus de consensu Evangel. Lib. 1. cap. 35. num. 54.

Jo. 21. 25.

Cur Evangelium Joannis post alia Evangelia scriptum.

Augustinus, sive incertus Auctor Præfat. in Evang. S. Jo. nec non ipse August. de consen. Evangelist. L. 1. c. 5. n. 8.

Græci reprehenduntur dicentes, Joannem ultimo scripsisse Evangelium, ut alios Evangelistas corrigeret.

10. Secundo quæritur de hujus Libri certitudine, & videtur, quod male procedat. Si enim modus narrativus est debilis, & infirmus, quia quis potest contradicere, nec habet unde refellatur; & Joannes modo narrativo procedit: ergo valde debiliter, & infirme. Item quod debeat certitudinaliter procedere, videtur; quia nihil est certius homini sua fide: ergo nulla cognitio, vel doctrina certius debet tradi ea, quæ generat fidem. Sed doctrina Joannis est ad generandam fidem, sicut dicitur Joan. vigesimo (*g*); ergo debet esse certissima, & certitudinaliter procedit. Resp. dicendum, quod quadruplex est certitudo, scilicet demonstrationis, auctoritatis, internæ illuminationis, & exterioris persuasionis (*b*). Prima certi-

Quæstio secunda de certitudine.

Jo. 20. 31.

Responsio.

(*a*) Sic *de concordia Evangelistarum* citatur etiam Exposit. in cap. 3. S. Lucæ pag. 157. col. 2. Edit. Venet. noviss. Item ibi in cap. 5. pag. 194. col. 1. quodve magis in ipsomet corpore textus eodem cap. 5. pag 211. col. 1. &c.

(*b*) Edit. Colon. *quia ad ejus narrationem non sufficiunt omnes linguæ*.

(*c*) Eo scilicet, qui *Hieronymi* nomine circumfertur, de quo infra num. 12.

(*d*) Exposit. in cap. 9. S. Luc.

(*e*) *Observaverat* heic accipitur pro *adverterat oculis*, sive *circumspexerat*, ut est apud Nonium Marcellum, & Luc. 14. 1. Unde 1. Joan. 1. v. 1. ac seqq. *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus &c. Vidimus, & testamur. Quod vidimus, & audivimus, annuntiamus vobis*.

(*f*) *Evangelium* per metonymiam pro Christi gestis in Evangelio narratis.

(*g*) Dicitur: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei &c.*

(*h*) Auctor Expositionis in Evangelium S. Joannis inter edita sub S. Bonaventuræ nomine

„ &

titudo est, cui resisti non potest, & in ista cogitur homo assentiri, velit, nolit: & ideo talis certitudo, ubi donatur, evacuat fidem. Alia est certitudo auctoritatis, & hæc fidem generat; *Augustinus Lib. de utilitate credendi cap. 11. num. 25.* Unde Augustinus: Quod credimus, debemus auctoritati (*a*). Tertia certitudo est interioris illuminationis, & hæc fidem perficit, & consummat. Quarta est persuasionis, quando homo fidelis rationes assignat congruentiæ, & efficaciæ, ut quod credat intelligat, aut in fide infirmos foveat; & hæc certitudo fidem consequitur: nam rationes hujusmodi fideli sunt optimæ, & efficaces, infideli vero prorsus inutiles, & infirmæ, aptæ tamen ad confundendum adversarios (*b*). Quod ergo quæritur de certitudine, dicendum: quod quia finis imponit necessitatem iis, quæ sunt ad finem (*c*), cum hæc doctrina sit ad generandam fidem, non debuit habere certitudinem demonstrativam. Non potuit habere certitudinem internam, quia ista est gratiæ. Non debuit habere persuasionem; ideo oportuit, quod haberet certitudinem auctoritatis. (*d*) Et hæc est ratio, quare omnes Libri sacræ Scripturæ traduntur per modum narrationis, non ratiocinationis; quia sunt ad generandam intelligentiam, & ad fidem confovendam, & nutriendam. Sed rationes illæ non habent robur, nisi fundatæ super fidem (*e*). Dicendum

est ergo, quod certitudo auctoritatis in aliis scientiis inventis ab hominibus, qui mentiuntur, sæpe parvum habet robur; sed in sacra Scriptura, quæ a Spiritu Sancto data est, magnam habet firmitatem, quia ipse mentiri non potest. Unde Augustinus super Genesim: Major est hujus Scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenii perspicacitas (*f*). *Augustinus super Genesim. Lib. 2. c. 1.*

11. Quæritur de sublimitate perscrutationis & sermonis? Et videtur, quod male agat B. Joannes, qui tam sublimia perscrutatur; quia Ecclesiastici tertio: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne perscrutatus fueris. Et iterum Proverbiorum vigesimo quinto: Scrutator majestatis opprimetur a gloria. Quid majus, quam æterna Verbi generatio? Si dicas, quod ipse non perscrutatur, sed narret; contra Isai. quinquagesimo tertio: Generationem ejus quis enarrabit? Et Hieronymus exponit de generatione æterna. Item Apostolus primæ ad Corinth. secundo commendat se de hoc, quod non venit ad Corinthios in sublimitate sermonis, sed in humilitate. Ergo videtur, quod B. Joannes reprehensibilis sit, quod tam alte intonuit, ut altius non posset. Respondetur, quod perscrutatio majestatis, & sublimium potest esse tripliciter, scilicet spiritu diabolico, humano, & Divino. Prima est maligni-

Quæstio tertia de sublimitate. *Eccli 3. 22.* *Prov. 25. 27.* *Isa. 53. 8.* *Hieronymus Comm. in Isa. L. 14 c. 53.* *1. ad Cor. 2. 1.* *Responsio.*

---

in Procemio pariter distinguit quadruplicem certitudinem, primam *ex demonstratione concludente*, aliam *ex fide illuminante*, tertiam *ex auctoritatis pondere*, quartam *ex persuasione inducente*.

(*a*) Sic ex eodem August. ibi idem Interpres noster Procem. in Lib. 1. Sent. q. 2. ad 4. ac Lib. 3. Dist. 24. Dub. 3. nec non Breviloq. part. 1. cap. 1. in fine.

(*b*) Ipsemet Interpres noster cit. Procem. in Lib. 1. Sentent. ibi in Concl. „ Modus ratiocinativus, sive inquisitivus valet ad fidei promotionem, & hoc tripliciter secundum tria genera hominum. Quidam enim sunt fidei adversarii. Quidam sunt in fide infirmi. Quidam vero perfecti. Modus inquisitivus valet primo ad confundendos adversarios. Unde Augustinus (1. *de Trinit.* cap. 2.): Adversus garrulos ratiocinatores, elatiores magis quam capaciores, rationibus catholicis, & similitudinibus congruis ad defensionem & assertionem fidei est utendum. Secundo valet ad fovendum infirmos. Sicut enim Deus caritatem infirmorum fovet per beneficia temporalia, sic fidem infirmorum fovet per argumenta probabilia. Si enim infirmi viderint rationes ad fidei probabilitatem deficere, & ad oppositum abundare nullus persisteret. Tertio valet ad delectandum perfectos. Miro enim modo anima delectatur intelligendo quod perfecta fide credit. Unde Bernardus (*Lib. 5. de consid. post init.*): Nihil libentius intelligimus, quam quod jam fide credimus. “

(*c*) Sic ad verbum ibi.

(*d*) Idem S. Bona. in Procem. Breviloq. de modo procedendi sacr. Scriptur. ubi sic fatur: „ Quoniam igitur hi modi narrativi non possunt fieri per viam certitudinis rationum, quia particularia gesta probari non possunt: ideo ne Scriptura ista tamquam dubia vacillaret, ac per hoc minus moveret, loco certitudinis rationum providit Deus huic Scripturæ certitudinem auctoritatis, quæ adeo magna est, quod omnem perspicuitatem humani ingenii superexcellit. “ Confer supra cit. Procem. in Lib. 1. Sent. ibi ad opp. 4.

(*e*) Supradictus Auctor Exposit. adscriptæ eidem S. Bona. in eodem Procem. similiter ait: *Rationes valent ad nutriendam fidem, & confirmandam, & confovendam; omnes tamen tales rationes sunt radicatæ in fundamento fidei.*

(*f*) Sic etiam ex eodem S. Aug. ibi ipsemet Interpres noster in Princip. sac. Script. nec non cit. loc. Procem. Breviloq.

tatis, & fuit in Hæreticis. Secunda curiositatis, & fuit in Philosophis. Tertia vero pietatis, & fuit in Apostolis, & Prophetis. Prima est omnino reprehendenda. Secunda est cavenda. Sed tertia amplectenda. Quia & prima, & secunda frequenter ducunt in errorem; sed tertia non, quia Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei, primæ ad Corinth. secundo (*a*). Et quia Joannes spiritu Divino afflatus fuit, ideo in cœlestium perscrutatione, & descriptione reprehendi non potest: & ideo Spiritus Sanctus generationem æternam enarravit, & non homo. Quod quæritur de sublimitate sermonis? Dicendum, quod sublimitas sermonis aliquando reprehenditur propter pravam intentionem, ut cum homo loquitur sublimia, ut gloriosus appareat, & sic prohibetur primi Reg. secundo: Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes. Aliquando reprehenditur propter materiam, ut quando materia levis, & modica est, non est verbis altis aggravanda, & obscuranda, de quo ad Coloss. secundo: Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Et postea: Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam. Aliquando reprehenditur, quia audientes non sunt capaces; propter hoc dicebat Apostolus primæ ad Cor. secundo: Non veni ad vos in sublimitate sermonis. Et ratio erat, quia non poterant intelligere. E contra dicit Hieronymus de quibusdam: Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris Literis philosophantur (*b*). Beatus vero Joannes & materiam habuit altam, & intentionem bonam, & audientes provectos (*c*); quia jam Ecclesia creverat. Ideo recte & debite sublimiter est locutus: tamen hoc est mirabile, sicut dicit Augustinus, quod in sermone suo invenit parvulus lac, quod sugat, invenit & perfectus solidum cibum, qui eum reficiat (*d*): Et verificatur illud Gregorii, quod ibi Elephas natat, & Agnus peditat (*e*). Et ideo parvuli, qui non possunt natare cum Elephantibus, peditare debent cum Agnis.

1. ad Cor. 2. 10. — **Sublimium perscrutatio triplex.** — *1. Reg. 2. 3.* — *Ad Coloss. 2. 4. ac 8.* — *1. ad Cor. 2. 1.* — *Hieronymus Epist. 53. alias 103. ad Paulin. n. 7.* — *Augustinus Tract. 1. in Jo. Evang. c. 1. n. 12. ac Lib. 5. de Gen. ad lit. c. 3.* — *Gregorius Præfat. in Libros Moralium, sive Epist. ad Leandrum Coepiscop. cap. 4.*

12. Huic Libro præmittit Hieronymus Prologum (*f*), in quo notificatur Opus multipliciter. Primo tangitur dignitas Scriptoris (g). Secundo vero modus scribendi ibi: *Denique manifestans in Evangelio &c.* Tertio tempus & locus scribendi ibi: *Hoc autem Evangelium scripsit in Asia &c.* Quarto obitus Auctoris ibi: *Hic Joannes est, qui sciens &c.* Ultimo ordo istius ad alia Evangelia ibi: *Cum post omnes scripsit Evangelium &c.* Dignitatem igitur Auctoris in hoc exprimit, quod virgo a Deo de nuptiis est vocatus (*h*), & quod virginati ejus magna & nobilia testimonia perhibentur, scilicet Christi familiaris dilectio, & Matris commissio. Modum vero scribendi describit consonum in hoc, quod Scriptor erat carne incorruptus, & de nuptiis vocatus. Item primo inchoat incorruptibilis Verbi generationem, & deinde inter signa inchoat a mutatione aquæ in vinum facta in nuptiis. Ex his

Hieronymus, sive incertus Auctor Præfat. in Evang. S. Jo.

(*a*) Cit. Procem. in Lib. 1. Sent. ibi ad 1. 2. 3. respondens ad supra objectas auctoritates ait: *Intelliguntur de perscrutatione curiosa, non de perscrutatione studiosa: nam ipse Dominus dixit Judæis: Scrutamini Scripturas.*

(*b*) Ita Hieronymus Paulino, uti videri potest in ipso Bibliorum initio. Perperam ergo *Proclus* legitur in Edit. Colon.

(*c*) Edit. Colon. *perfectos.*

(*d*) Similia ex Augustino noster Interpres in Princip. sacr. Script.

(*e*) Hæc verba Gregorii in Prologo Moralium sic allegat etiam idem Interpres in cit. Princip. sacr. Script.; sed in Edit. Paris. Maur. *& Agnus ambulet, & Elephas natet.*

(*f*) *Hieronymi Prologum* vocat, quia etiam in veteribus Bibliis ejusdem Hieronymi nomen præfert. Hinc etiam apud Commentarium S. Thomæ inscribitur *Prologus Divi Hieronymi* in Evangelium Joannis, sicque etiam apud Hugonem Card. Nicolaum Lyranum &c. Similiter noster Interpres Expositioni Sap. præmisit Expositionem Præfationis S, Hieron.

(g) Scilicet indicata per *Hic est Joannes &c.*

(*h*) Sponsum Nuptiarum in Cana Galilææ, plerique alii Joannem Evangelistam fuisse arbitrantur, uti Beda, Alcuinus, Smaragdus Abbas S. Michaelis ad Mosam, D. Thomas, Vincentius, Lyranus, Dionysius Chartusianus &c. Hanc opinionem suo tempore refert, non tamen uti certam, Petrus Comestor in Histor. Ecclesiast. Part. 2. Cap. 38. *Non improbabilem* censet Tirinus Comment. in cap. 2. Evang. S. Joan. v. 2. nec non in fine Chronici sacri. Quam velut opinionem fere omnium vocat Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. 2. Comment. in Joannem circa finem. Antiquiora de hac opinione Monumenta Ecclesiastica mihi haud licuit ulla invenire, præter apocrypha Apostolorum Acta, quæ sub nomine Abdiæ, primi Babylonorium Episcopi, typis edita extant apud Jo. Albertum Fabricium in Codice Apocrypho Novi Testamenti Par. 2. Lib. 5. num. 23. Hac ipsa vulgatissima opinione niti videtur *Benedictio*

his ostendens, quod ipse erat (*a*), quod est ibi innominatum (*b*), & tantum vult dicere, quantum ostenderet, qualis erat; sicut communiter loquimur, tu monstras quod es. Locum scribendi dicit fuisse in Asia. Tempus vero fuit, quia ultimo post Apocalypsim. Et ita Joannis Evangelium fuit ultimo inter Libros sacræ Scripturæ scriptum. Et congruebat, ut sicut in Libro primo scripto (*c*), qui est principium Canonis, incorruptibile principium prænotatur, ita & in Libro ultimo scripto: In principio erat verbum &c. sicut ibi: In principio creavit &c. Et hoc dicente Deo in Apocalypsi: Ego sum Alpha, & Omega. Unde in Apocalypsis primo est determinatio ejus, quod est. Vel aliter potest legi, ut incorruptibilis finis per virginem (*d*) reddatur in Apocalypsi, quæ est ultimus Liber Canonis, licet non ultimo scriptus (*e*). Sed prima litera magis consonat verbis. Obitum Auctoris (*f*) describit tanquam mirabilem, quia præscivit ipsum. Et cum multis miraculis floruisset, sine dolore de hac vita transivit. Sed tamen hoc habet dubitationem (*g*). Ordinem ad alia Evangelia tangit, quia ultimo scripsit. Et hoc debitum ei fuit, velut virgini verecundo, velut virgini incorrupto, velut virgini perfecto; ideo debuit consummare: tamen plene ordinem tangere recusat, ut aliis fructum laboris relinquat (*h*).

Apocal. 1. 8.

SAN-

---

ctio vini amore Johannis, sive poculi caritatis pro amore dilecti Johannis, quæ *Benedictio* mentionem faciens vini ex aqua facti *in Chana Galileæ*, adjecta est una cum aliis pluribus *Benedictionibus* MS. Missali Membr. hujus nostræ Bernardin. Biblioth. ad cujus calcem tametsi legam: *Finitus est liber iste procurante Venerabili in Christo Patre Domino Wolfgango Abbate in Runa Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio*; ex multo tamen vetustiori mihi videtur transcriptus. Vide infra cap. 2. num. 118. nec non Planctum de Passio. Dom. sive de Vit. Myst. Cap. 7. num. 57.

(*a*) Scilicet *Joannes*.

(*b*) Non enim in Evangelio S. Joannis nominatur, quis fuerit ille Sponsus; unde diversæ circa illum exortæ sunt opiniones. Hoc circa vocabulum *innominatum* extat Opusculum S. Bonav. incipiens: *Innominato Magistro*.

(*c*) Videlicet *Genesis*.

(*d*) Nimirum *per Joannem*.

(*e*) Quippe, ut paulo ante dictum est, *Joannis Evangelium fuit ultimo inter Libros sacræ Scripturæ scriptum*. Namque anno Christi 97. Joannes scripsit Apocalypsim in ea, ubi exul agebat, insula Patmo; suum vero Evangelium edidit biennio post, anno scilicet 99. inquit Baronius Annal. Ecclesiast. To. 1. ad annos prædictos.

(*f*) De obitu S. Joann. infra cap. 21. num. 1385.

(*g*) Gorranus tamen id absque hæsitatione ulla adseverans, loquitur in hæc verba „Conveniens fuit, ut cui non dominata fuerat „concupiscentia, quæ mortem induxerit (*induxerat*) non dominaretur effectus concupiscentiæ, id est, dolor." Ubi in margine appositum legere est: *Hunc Evangelistam absque dolore ex hac vita discessisse*. Tam ergo Interpres noster discrepat a Gorrano, quam dubitans ab afferente. Vide prope finem hujus Comment. cap. 21. num. 1385.

(*h*) Sic enim d. Prologi Auctor ipsum claudit „Quorum tamen vel scriptorum temporis dispositio, vel librorum ordinatio, ideo a nobis per singula non exponitur, ut sciendi „desiderio collato, & quærentibus fructus laboris, & Deo magisterii doctrina servetur." Porro in reliquis etiam præter dicta in nota præcedenti, alia est longe enarratio Gorrani in hunc Prologum, multoque prolixior.

CAPUT PRIMUM.

1. IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud
Deum, & Deus erat Verbum. 2. Hoc erat
in principio apud Deum. 3. Omnia per ip-
sum facta sunt: & sine ipso factum est nihil,
quod factum est, 4. in ipso vita erat, & vi-
ta erat lux hominum: 5. & lux in tenebris
lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.
6. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat
Joannes. 7. Hic venit in testimonium, ut
testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum: 8.
non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. 9. Erat
lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-
dum. 10. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mun-
dus eum non cognovit. 11. In propria venit, & sui eum non rece-
perunt. 12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem
filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: 13. qui non ex san-
guinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex
Deo nati sunt. 14. Et Verbum caro factum est, & habitavit in no-
bis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum
gratiæ & veritatis. 15. Joannes testimonium perhibet de ipso, & cla-
mat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante
me factus est: quia prior me erat. 16. Et de plenitudine ejus nos
omnes accepimus, & gratiam pro gratia: 17. quia lex per Moysen
data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. 18. Deum
nemo vidit umquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse
enarravit. 19. Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Ju-
dæi ab Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum:
Tu quis es? 20. Et confessus est, & non negavit: & confessus est:
Quia non sum ego Christus. 21. Et interrogaverunt eum: Quid er-
go? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respon-
dit: Non. 22. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his,
qui miserunt nos? Quid dicis de teipso? 23. Ait: Ego vox clamantis
in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. 24. Et
interrogaverunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non
es Christus, neque Elias, neque Propheta? 26. Respondit eis Joan-
nes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem

vos

vos neſcitis. 27. Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me
factus eſt: cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calcea-
menti. 28. Hæc in Bethania facta ſunt trans Jordanem, ubi erat
Joannes baptizans. 29. Altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad
ſe, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. 30. Hic
eſt, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia
prior me erat: 31. & ego neſciebam eum, ſed ut manifeſtetur in Iſrael,
propterea veni ego in aqua baptizans. 32. Et teſtimonium perhibuit
Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de
cœlo, & manſit ſuper eum. 33. Et ego neſciebam eum: ſed qui mi-
ſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiri-
tum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in
Spiritu Sancto. 34. Et ego vidi: & teſtimonium perhibui quia hic
eſt Filius Dei. 35. Altera die iterum ſtabat Joannes, & ex diſcipulis
ejus duo. 36. Et reſpiciens Jeſum ambulantem, dicit: Ecce agnus
Dei. 37. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt
Jeſum. 38. Converſus autem Jeſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit
eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpre-
tatum Magiſter) ubi habitas? 39. Dicit eis: Venite, & videte. Ve-
nerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manſerunt die illo:
hora autem erat quaſi decima. 40. Erat autem Andreas frater Simo-
nis Petri unus ex duobus, qui audierant a Joanne, & ſecuti fuerant
eum. 41. Invenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei.
Invenimus Meſſiam, (quod eſt interpretatum Chriſtus.) 42. Et ad-
duxit eum ad Jeſum. Intuitus autem eum Jeſus, dixit: Tu es Simon
Filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. 43. In
craſtinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit
ei Jeſus: Sequere me. 44. Erat autem Philippus a Bethſaida, civita-
te Andreæ & Petri. 45. Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei:
Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus Jeſum filium
Joſeph a Nazareth. 46. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth poteſt
aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. 47. Vidit Jeſus
Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo: Ecce vere Iſraelita, in
quo dolus non eſt. 48. Dicit ei Nathanael: Unde me noſti? Re-
ſpondit Jeſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes
ſub ficu, vidi te. 49. Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es
Filius Dei, tu es Rex Iſrael. 50. Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Quia
dixi tibi: Vidi te ſub ficu, credis: majus his videbis. 51. Et dicit
ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos
Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra Filium hominis.

EX-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

I.

IN *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Iste Liber (a), qui est de Verbo incarnato, in quo duplex consideratur natura, Divina videlicet & humana, dividitur primo in duas partes. In prima agitur de Verbo in se. In secunda vero in quantum est carni unitum, & incipit illa pars ibi: *Fuit homo missus a Deo*. Et quia Verbum dicit operativam potentiam, ut dicit Augustinus (b), & habet rationem ad dicentem, & ad id quod per Verbum dicitur; ideo prima pars habet duas. In prima determinatur de Verbo in comparatione ad dicentem. In secunda in comparatione ad ea, quæ dicuntur per Verbum: *Omnia per ipsum facta*. In prima parte ponuntur quatuor clausulæ (c), in quibus describitur Verbum incarnatum quantum ad quatuor conditiones, quæ sunt, in Essentia unitas, in Persona alietas (d), in Majestate æqualitas, in duratione coæternitas. Et per has conditiones quatuor eliduntur errores (e).

Divisio in duas partes.

Augustinus Lib. 83. qq. q. 63. tractans illud hujus Evang. In principio erat Verbum.

Quatuor clausulæ, per quas quatuor eliduntur errores, sive hæreses.

2. Prima igitur conditio est in Essentia unitas, & notatur in prima clausula, cum dicitur: *In principio erat Verbum*; sicut dicit Augustinus (f). Est principium non de principio, & hoc est Pater (g). Et est principium de principio, & hoc Filius (h). Hic accipitur principium per antonomasiam de Patre, unde sensus est *in principio*; hoc est in Patre Filius (i) non separatus a Patre per essentiam. Joan. quarto decimo: Ego in Patre, & Pater in me est; tanquam indivisi: quia sicut dicitur Joan. decimo: Ego & Pater unum sumus. Et in hoc eliditur infidelitas Paganorum, qui nobis indignantur quod dicimus tres Personas, & non tres Deos; sicut dicit Augustinus de Agone Christiano. Et hoc quia non intelligunt, quomodo *Verbum erat in principio*.

Prima conditio in essentia unitas.

Augustinus Tract. 39. in Jo. Evang. n. 1. ac seq.

Pater principium non de principio, Filius autem principium de principio.

Jo. 14. 11.

Jo. 10. 30.

Eliditur infidelitas Paganorum.

Augustinus de Agone Christ. c. 15. n. 17.

3. Secunda conditio est in Persona alietas, & hoc tangitur in secunda clausula, cum dicitur: *Verbum erat apud Deum*. Quia sicut dicit Grammaticus (k), & etiam Victor (l), præpositiones sunt tran-

Secunda conditio in Persona alietas.

Grammaticus.

Victor.

(a) Heic addit Gorran: *quem S. Joannes ad preces Episcoporum Asiæ composuit*. Plura quoque similia de suo in sequentibus ipse Gorran interserit.

(b) Ibidem dicit S. Augustinus „ Melius in „ hoc loco Verbum interpretamur, ut signetur „ non tantum ad Patrem respectus, sed etiam „ ad ea quæ facta sunt operativa potentia. " Sic ex eodem Augustino ibi S. Bonav. 1. Dist. 27. Par. 2. Art. 1. Q. 2. in Fundam. De *Verbo Dei*, *Verbo virtutis & potentiæ* etiam in Princip. sacr. Scriptur. Item de *Verbo Dei*, *per quod cuncta produxit* Breviloq. part. 1. cap. 2. Deque *Verbo Dei, quod ab æterno dicit, & ex tempore creat* Serm. sive Collat. 3. in Hexaem. &c.

(c) Apud Gorran *propositiones*; sed legendum *clausulæ*, ut sic alibi etiam noster Interpres loquitur.

(d) Hac voce, ut ut barbara, alibi quoque utitur Bonaventura. In his vero quæ sequuntur, penitus ab ipso Bonaventura differt Gorranus.

(e) Ipsissima tradit noster Interpres Præfat. in Apocalypsim num. 25. ac seqq. Circa hanc phrasim videsis quoque 2. Dist. 1. Par. 1. Dub. 2.

(f) Adhuc expressius Ambrosius de Fide Lib. 1. cap. 8. num. 57.

(g) *Principium non de principio* vocat Patrem Interpres noster etiam Breviloq. par. 1. cap. 3.

(h) Sic etiam 1. Dist. 29. Dub. 2. & alibi quoque. Item Dionys. Carthus. *Pater est principium sine principio; Filius vero & Spiritus Sanctus principium, sed de principio*.

(i) *Principium quandoque significat Patrem, ut hic: In principio erat Verbum*, idemmet Interpres noster Exposit. in Psalter. Psal. 109.

(k) Nunquid inter Grammaticos *Donatus* S. Hieronymi præceptor?

(l) *Victorem* hunc sæpe in hac Postilla laudatum audiemus, ipsumque deprehendemus præter alios errores vel Pelagianam hæresim improbasse, ac Latinum fuisse Evangelii S. Joannis Interpretem. Sed quinam, amabo te, tot inter ejusdem nominis Victores? An ipse est *Victor Cartennæ Mauritaniæ Civitatis Episcopus*, inter cujus Opera Gennadius de Viris Illustribus c. 77.

Verbum erat apud Deum importat distinctionem Verbi a Patre.

transitivæ (*a*); ideo hæc præpositio *apud* importat distinctionem, secundum quod præpositio (*b*). Ratione vero specialis significationis dicit auctoritatem in Patre, & subauctoritatem in Filio; quia dicitur minor esse apud majorem, non e contra, secundum modum communem loquendi. Ibi vero etsi non sit majus, & minus; tamen est auctoritas in Patre, & subauctoritas in Filio (*c*). Nomine vero Verbi intelligitur generationis emanatio: Et hæc tria tanguntur Ecclesiastici vigesimo quarto: Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam. Altissimi; ecce auctoritas. Ex ore; ecce generatio. Prodii; ecce distinctio (*d*). Et in hoc eliditur hæresis Sabellianorum, qui ponunt, quod unus & idem sint Pater & Filius; quia non intellexerunt, quomodo *Verbum erat apud Deum* (*e*).

Auctoritas est in Patre, subauctoritas in Filio.

Nomine Verbi intelligitur generationis emanatio.

Eccli 24. 5.

Eliditur hæresis Sabellianorum.

Tertia conditio in Majestate æqualitas.

Anselmus in Proslogio cap. 4.

Jo. 14. 1.

4. Tertia conditio est in Majestate æqualitas, & hæc tangitur in tertia clausula: *& Deus erat Verbum*. Si enim, sicut dicit Anselmus: Deus est, quo majus excogitari non potest; si Verbum erat Deus: ergo erat, quo majus excogitari non poterat. Et ita in Majestate Patri æqualis erat. Joan. quarto decimo: Creditis in Deum, & in me credite. Si in solum Deum credendum, tanquam in summam veritatem, & in Verbum; restat, quod Deus erat

Verbum. Et in hoc eliditur hæresis Arrianorum, qui posuerunt Filium creaturam (*f*), & minorem Patre; sicut dicit Augustinus. Non enim intellexerunt, quomodo *Deus erat Verbum*.

Eliditur hæresis Arrianorum.

Augustinus Tract. in Jo. Evang. c. 1. n. 11.

VERSUS SECUNDUS.

Quarta conditio in duratione coæternitas.

5. *Hoc erat in principio apud Deum*. Quarta conditio in duratione coæternitas, & hæc tangitur, cum dicitur: *Hoc erat &c.* in quo notatur æternitas: nam Deus Pater ab æterno erat. Quod si Filius non erat coæternus, ante fuit Pater, quam Filius; non ergo erat Verbum in principio apud Deum. Sed erat in principio, & ideo coæternum. Unde Proverb. octavo: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram (*g*). Et in hoc eliditur hæresis Photinianorum, & Ebionitarum, qui dixerunt Christum ex Maria prorsus sumpsisse exordium. Non enim, sicut dicit Augustinus de Agone Christiano, intellexerunt, quomodo *Verbum erat in principio apud Deum* (*h*).

Prov. 8. 22. ac seqq.

Eliditur hæresis. Photianorum, & Ebionitarum.

Augustinus de agono Christ. c. 17. n. 19.

Quæstio quare describiturD e Filius sub nomine Verbi.

6. Ad intelligentiam potest hic quæri, cum Filius importet proprietatem maxime distinctivam, quare potius de-

 scribit

c. 77. scripsisse recenset *adversus Arrianos Librum unum longum*, nec non *Homilias multas*, de quibus idem Gennadius testatur *a Fratribus salutis propriæ sollicitis in libros digestas servari*? Nec refert, quod in Notis ad Gennadium apud Jo. Albertum Fabricium dicatur: *Sed Homiliæ non viderunt lucem quod sciam*, quia easdem manuscriptas potuit præ oculis habere S. Bonaventura, dum præsentem Postillam lucubraret. Nihil ergo refert, quod modo inter edita non innotuerint, sicut nihil refert quo minus *Pharetram* D. Bonaventuræ credamus, in ipsa allegari *S. Augustini in Canonicam Jacobi expositionem, quæ modo non extat*, ut Romani Editores in Argumento ejusdem *Pharetræ* præmonuerunt. Et quid rogo mirum, D. Bonaventuram habuisse compertas hujusmodi *Homilias*, cum postea etiam Jo. Trithemio de Script. Eccl. num. CLXV. ita innotuerint, ut inter laudati *Victoris Cartennensis* Opera ultimo loco enumeraverit: *Homiliarum ad populum Lib. II.*? Addiderim, quod sicut heic in exponendo ly *apud Deum* fit allegatio *Victoris*, ita Præfat. in Apocal. num. 26. ubi *Victorius* pro *Victor* mendose legitur.

(*a*) De *præpositionibus distinctivis* & *transitivis* idem Bonaventura in 1. Dist. 37. Par. 1. Dub. 2.

(*b*) Ibi „ Glossa super illud Joannis: *apud*
„ *Deum*: dicit, quod *apud* notat distinctionem
„ Patris ad Filium. " Unde Dionys. Carthus.
„ Ad designandam personalem distinctionem
„ inter Patrem & Verbum, ait Evangelista:
„ *Verbum erat apud Deum* ...... quod verum
„ non esset, si Pater & Verbum essent una
„ persona; cum nihil sit proprie apud semetipsum. "

(*c*) De *subauctoritate in Filio* idem S. Bonaventura in 3. Dist. 1. Art. 2. Q. 3.

(*d*) In Procem. L. 1. Sent. Nec non Comment. in Apocal. cap. 1. sub ver. 8. num. 35. ac etiam Exposit. in cap. 9. Sap. Vid. quoque Exposit. in cap. 8. S. Luc.

(*e*) Sic eadem Præfat. in Apocal. num. 26.

(*f*) Ead. Præfat. in Apocal. num. 27. nec non Exposit. in cap. 8. S. Luc. ubi pariter ait: *Errorem Arrianorum elidit, qui dicunt Christum creaturam*.

(*g*) Lib. 1. Dist. 2. Dub. 10. ac in Opusculo de reductione Art. ad Theolog.

(*h*) Ead. Præfat. in Apocal. num. 28. Hinc Ambros. de Fide Lib. 1. cap. 8. num. 57. ait, quod *omnes hæreses hoc capitulo brevi Piscator noster exclusit*, ubi & de *confutatione Photini* id adseverat. Sed & in 1. Dist. 26. Dub. 7. agit *contra Fotinum*, sive *Photinum*, *contra Sabellium*, *contra Arrium*. Pariter quoque similes errores excludendos elicit Breviloq. Par. 2. cap. 1.

Responsio. scribit Dei Filium sub nomine Verbi, quam sub nomine Filii? Resp. Dicendum, quod Filius solum dicit comparationem ad Patrem; Verbum vero dicit comparationem ad dicentem; dicit comparationem ad id, quod per Verbum dicitur; dicit comparationem ad vocem, quam induit; dicit etiam comparationem ad doctrinam, quæ mediante verbo in altero efficitur. Et quia Dei Filius debebat hic describi, non tantum in comparatione ad Patrem, a quo procedit; sed etiam ad creaturas, quas fecit, & ad carnem quam induit, & ad documenta, quæ præbuit: nobilissime & decentissime sub nomine Verbi describi debuit; quia nomen illud ad omnia respicit, nec posset in mundo nomen convenientius reperiri (*a*).

Quæstio alia de verbo *erat*. 7. Item quæritur de hoc, quod per hoc verbum *erat* describitur. Sic enim *erat* est tempus præteriti imperfecti, quod omnino repugnat æternitati, quia nulla ibi præteritio (*b*). Si dicas, sicut dicitur in Glossa (*c*), quod hoc verbum substantivum *sum* aliquando importat tempus, secundum analogiam aliorum verborum; hic autem non dicit tempus, sed essentiam sine ullo temporali motu designat; hoc non solvit, quia cum dicitur Filius generatur, vel est genitus, non importat ibi tempus: tamen melius dicitur semper genitus, quam semper generatur (*d*). Item Dominus ita dicit: Antequam Abraham fieret, ego sum. Jo. octavo. Non dicit fui vel eram. Ergo & nunc per præsens deberet dicere. Resp. Dicendum, quod quia esse Verbi describitur hic ut permanens, ut immutabile, ut cetera antecedens, & quia hoc *Verbum erat* secundum quod hujusmodi hæc tria importat; ideo elegantissime dixit *erat*. Cum enim sit medium inter præsens & præteritum, & medium naturam sapiat extremorum (*e*); a præsenti habet permanentiam, a præterito immutabilitatem, a seipso antecessionem & ordinem, scilicet æternitatis ad tempus. Ideo recte dicitur *erat* (*f*).

Glossa ordinar. Verbi substantivi sum acceptio duplex.

Jo. 8. 58.

Responsio.

Medium naturam sapit extremorum.

Objectio Heretici contra id quod dicitur, Verbum procedere a dicente, ut Filium a Patre. 8. Sed opponit Hæreticus: Si Verbum procedit a dicente, ut Filius a Patre, & Filius est Patre posterior; ergo Verbum non erat in principio apud Deum. Si tu dicas, quod comparatur sicut splendor ad lucem; opponit alius Hæreticus: Si lux multo luminosior & nobilior est splendore, qui ab ipsa procedit, ergo & Pater Verbo. Resp. Dicendum, quod perfectio similitudinis in creaturis nusquam plene reperitur respectu Dei; quia omnis creatura plus est Deo dissimilis, quam similis: & ideo erraverunt Hæretici, qui omnino assimilare voluerunt. Sed in pluribus est accipere aliquid; dum comparari saltem aliquo modo possit cum Deo, non secundum totum. Verbum enim comparatur ad dicentem, sicut Filius ad Patrem, propter similitudinem in natura, & perfectionem essentialem; comparatur, ut splendor ad lucem, propter coæternitatem, & connaturalitatem (*g*). Et ideo in omnibus tali-

Solutio. Perfectio similitudinis in creaturis deficit respectu Dei.

Qualis Verbi comparatio ad dicentem, sicut Filii ad Patrem, atque splendoris ad lucem.

(*a*) De nomine Verbi recte ad Divina translato in 1. Dist. 27. Par. 2. Art. 1. Q. 4. Exposit. in cap. 20. S. Lucæ, ac in præfato Opusc. de reduct. Art. ad Theol. Dionysius Carthus. habet prædictis omnino similia.

(*b*) Heic Gorran incipit convenire.

(*c*) Edit. sicut dicit Augustinus in Glossa. Glossa autem Ordinar. apud Lyran. ad *ly erat*, ita subdit „ *Sum* verbum substantivum duplicem habet significationem. Aliquando enim „ temporales motus, secundum analogiam aliorum verborum, declarat; aliquando substantiam uniuscujusque rei, de qua prædicatur, „ non ullo temporali motu, designat: ideo „ substantivum vocatur. Tale est quod dicitur: *In principio erat Verbum*, quasi in Patre „ subsistit Filius. Non enim pro tempore, sed „ pro substantia ponitur *erat*. Quare ponitur „ *erat* substantivum verbum, ut intelligas omnia tempora præcessisse coæternum Patri „ Verbum. “

(*d*) Inquit etiam noster Interpres 1. Dist. 9. Dub. 8. *Magis convenit dicere: semper genitus, quam semper generatur.*

(*e*) Sic Comment. in cap. 22. Apocal. ver. 2. num. 1668.

(*f*) Exposit. in Psal. 84. *Præteritum imperfectum nec finitionem, nec inceptionem notat, unde hoc: In principio erat Verbum. Et dicit Hilarius: Nec intervenientis est, nec supervenientis.* Vide sis in hoc *erat* præteriti imperfecti, Auctorem Exposit. in cap. 1. S. Jo. sub S. Bonav. nomine pag. 22. col. 1. noviss. Edit. Venet. Et circa *est*, *fuit*, & *erit* de Deo ipsummet nostrum Interpretem cit. 1. Dist. 9. Dub. 8. nec non Dist. 8. Par. 1. Dub. 7. Et Exposit. in cap. 13. Sap. post init.

(*g*) *Propter*, inquam, *coæternitatem*; quia inquit 1. Dist. 9. Dub. 3. *Splendor est ejusdem durationis cum igne, & tamen est generatus ab igne: ergo multo fortius, cum Filius sit splendor Patris, quamvis ab ipso generetur, erit ei coæternus.* Item *propter connaturalitatem*; quia subdit: *Egressus splendoris a Sole, a luce, vel igne, est egressus connaturalis, & talis est egressio Filii a Patre.* Non vero propter *æqualitatem*, namque *deficit æqualitas, quia splendor non æquatur luci.* Nihilo tamen minus *Filius aliquando comparatur splendori*,

talibus argumentis est fallacia consequentis (*a*).

VERSUS TERTIUS.

9. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Hic describitur Verbum per comparationem ad id, quod per Verbum dicitur. Et hoc quantum ad quatuor conditiones; describit enim ipsum, ut principium creationis sufficiens, ut indeficiens, ut præcognoscens, ut aliis cognitionem præbens. Et per has quatuor conditiones plures hæreses eliduntur. Primo ergo dicitur ipsum principium sufficiens, quia ad omnia producenda sufficit. Ideo dicitur: *omnia per ipsum facta sunt*, scilicet a Deo Patre per Verbum; quia Ecclesiastici decimo octavo: Qui vivit in æternum, creavit omnia simul (*b*), & hoc per Verbum. Unde in Psalmo: Dixit, & facta sunt. Augustinus in Lib. Confess. Verbo tibi coæterno dicis quæcumque dicis, & fit quod dicis, nec aliter quam dicendo facis (*c*).

Prima conditio, Verbum ut principium sufficiens.

Eccli 18. 1.

Psal. 32. 9. et 148. 5.

Augustinus Lib. 11. Confess. cap. 7. n. 9.

10. *Et sine ipso factum est nihil.* Hic notatur secunda conditio, scilicet quod est principium indeficiens, quia nulli operationi deest: nam Pater sine Verbo nihil facit. Joan. quinto: Quæcumque enim Pater facit, hæc & Filius similiter facit. Similiter creatura sine Verbo cooperante nihil facit. Joan. quinto decimo: Sine me nihil potestis facere (*d*). Et in hoc perfecte eliditur hæresis Manichæorum, qui posuerunt duo principia, & quædam produci a Deo lucis, quædam a Deo tenebrarum (*e*). Non enim intellexerunt, quomodo omnia per Verbum facta sunt.

Secunda conditio, Verbum ut principium indeficiens.

Jo. 5. 19.

Jo. 15. 5.

Eliditur hæresis Manichæorum.

VERSUS QUARTUS.

11. *Quod factum est* (*f*), *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Hic notatur tertia conditio, scilicet quod est principium præcognoscens; quia omnia sunt in ipso antequam fiant, & in ipso vivunt, atque subsistunt, sicut arca in mente artificis (*g*). Unde Augustinus dicit, quod Filius est ars plena om-

Tertia conditio, Verbum ut principium præcognoscens.

Augustinus Lib. 6. de Trin. c. 10. n. 11.

dori, dicente Paulo: qui cum sit splendor gloriæ &c. Sic Doctor noster etiam Ser. 11. in Hexaem.

(*a*) 1. Dist. 9. Dub. 2. *Argumentum Arrii non valere, quod est tale: Filius est natus; ergo non æternus.* At heic Gorran tres proponit solvitque quæstiones, ut dubitet nemo ab ipso auctam fuisse nostri Bonaventuræ Postillam.

(*b*) Quoad hunc textum vide sis nostrum Interpretem in 1. Dist. 42. Dub. 2. ac in 2. Dist. 12. art. 1. q. 2. ad arg.

(*c*) Ex eodem Augustino ibi Doctor noster 1. Dist. 27. Par. 2. Ar. 1. Q. 2. in concl. ubi etiam adhibet pariter ab initio in Fundam. illud Psalmi: *Dixit, & facta sunt.*

(*d*) Hoc ipso sensu hunc textum allegat 2. Dist. 28. Art. 2. Q. 3. in concl. ad arg.

(*e*) Sic contra eosdem Manichæos ex Joan. 1. ipsemet Doctor 2. Dist. 1. Par. 1. Art. 2. Q. 1. in Fundam. nec non adversus eosdem Breviloq. Par. 2. cap. 1. ubi in marg. allegatur Aug. L. de hær. ad Quodvul. hær. 46. Contra vero Beausobrium qui confidenter affirmat Manetem nunquam Dei nomen tribuisse Principi tenebrarum, & malorum auctori, quive mavult calumniæ dicam impingere S. Augustino, aliisque Ecclesiæ Patribus, quam sacrilegæ hujus impietatis reos Manichæos fateri; dignus plane est qui legatur V. Cl. P. Augustinus Antonius Georgius O. E. S. Aug. in suo Alphabeto Tibetano noviss. Edit. Roman. 1762. omni reconditioris eruditionis genere referto. Ad id autem quod *Manichæus per NIHIL intellexit corporalia, quæ dixit comparatione spiritualium NIHIL esse, & a principio tenebrarum producta*; respondet Dionys. Carthus. quod hujusmodi *hæretica pravitas, nec Theologorum sanctorum, neque summorum Philosophorum consonat dictis.*

(*f*) Hæc interpunctio, atque distinctio (quæ in Vulg. non est, dum in ea dicitur ver. 3. *& sine ipso factum est nihil, quod factum est*) legitur quoque in vetustissimo Evangeliario Eccl. Trident. cujus specimen dedi Vol. 2. *Delle Notizie Istorico-Critiche della Chiesa di Trento Dissert. previa*, a pag. LXII. ad LXIV. Item in alio Cod. Tridentin. Episcopal. Biblioth. sive Tabular., nec non in antiquo Bibliorum Codice Bibliothecæ nostræ Bernardinianæ prope Tridentum, atque ejusdem MS. Missali membran. Item in pluribus aliis Codicibus Evangelior. Vercellensi, Veronensi, Corbejensi, S. Gatiani Turonensis, & Majoris Monasterii, Brixiano &c. Et sicut habetur apud Magistrum Sententiarum Lib. 1. Dist. 35. ita mirum haud est, si pariter reperiatur apud ipsum Bonaventuram, eandemq. ipse etiam usurpaverit L. 1. Sent. Dist. 36. Art. 2. q. 1. in concl. ac Serm. sive Collat. 12. in Hexaem. uti adhibuerunt quoque S. Tho. Hugo Card. Lyran. & Dionys. Carthus. & ante ipsos utraque Glossa interlin. & Ordinar. Item apud Blanchinium in Prolegom. Evangeliar. Quadrupl. fol. 77. S. Irenæus, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Hilarius, & S. Ambrosius; nec non præter S. Augustinum &c. apud Cornelium a Lap. etiam ex Græcis Clemens Alexandr. & S. Cyrillus. Qui omnes cum hac interpunctione legunt: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est &c.*

(*g*) Id amplius sic declarat Dionys. Carthus. „ Si quæsieris exemplum, quomodo & qua „ ratione omnia, quæ per Verbum facta sunt, „ in ipso vitaliter, & uniformiter, atque caus„ saliter subsistunt; accipe exemplum ex crea-

„ tura-

nium rationum viventium (*a*). Ecclesiastici vigesimo tertio: Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita; Sic & post perfectum respicit omnia. Ideo rationes in ipso vivunt, quia non transmutantur (*b*). Jacobi primo: Apud ipsum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; & transmutatio nonnulla mors est (*c*).

Eccli 23. 29. *Jac. 1. 17.*

Quarta conditio, Verbum ut aliis cognitionem præbens.

12. *Et vita erat lux hominum.* Tangitur hic quarta conditio, quæ est aliis cognitionem præbens. Ideo dicitur *lux hominum*, quia homines illuminat, & videre facit. Unde in Psal. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine (*d*). Sine quo lumine non est videre, sicut dicit Augustinus (*e*). Quia sicut non videt oculus, nisi a luce corporali illuminetur; sic non videt intellectus, nisi a luce spiritualissima illustretur (*f*). Et licet omnibus cognitionem præbeat, non tamen omnibus præbet comprehensionem sui; quia peccatores per ipsam cognoscunt, & ipsam non comprehendunt, & ideo dicit:

Ps. 4. 7. *Augustinus Tract. 1. in Jo. Evang. n. 18. ac 19. Soliloq. L. 1. c. 8. &c.*

VERSUS QUINTUS.

13. *Et lux in tenebris lucet*, cum peccatores facit vera cognoscere. *Et tenebræ eam non comprehenderunt*; quia infidelitatis tenebris obcæcati, & absentes luci (*g*), non cognoscunt. Gen. primo: Tenebræ erant super faciem abyssi, id est, infidelitas in facie cordis humani. Unde ad Ephes. quinto: Fuistis (*h*) aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Primæ Joan. primo: Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Et per hoc eliditur error ille, qui posuit omnia a fortuna, nec esse providentiam, nec Deum cognoscere acta nostra (*i*).

Gen. 1. 2. *Ad Ephes. 5. 8.* *1. Jo. 1. 5. ac seq.*

Refutatio dicentium omnia esse a fortuna, ac Divinam providentiam negantium.

Quæstio de hoc quod dicitur: Sine ipso factum est nihil.

14. Quæritur de hoc, quod dicitur: *Sine ipso factum est nihil.* Contra hoc est, quia qui furatur, aliquid facit; ergo furtum est aliquid: ergo est a Deo: ergo peccata & mala sunt a Deo, & non fiunt sine Deo. Si tu dicas, quod peccatum nihil est, unde sensus est: *Sine ipso factum est nihil*, id est, peccatum, ut negatio; sic ultra objicitur, quia peccatum corrumpit, & quod corrumpit agit, & quod agit est ens, & quod est ens est aliquid; ergo &c. Resp. Dicendum: Quod peccatum aliquando nominat actionem privatam aliqua

Responsio.

qua

„ turarum natura. Conspice quomodo omnium rerum, quas mundi hujus sensibilis globositas comprehendit, caussæ similiter & uniformiter in sole, qui est maximum mundi luminare, subsistunt: quomodo numerositas herbarum, & fructuum in singulis seminibus similiter continetur: quomodo multiplices regulæ in arte artificis unum sunt: quomodo infinitus linearum numerus in uno puncto unum subsistit. Ex his naturalibus exemplis, velut philosophicæ theoriæ pennis, poteris arcana Verbi; acie mentis, inspicere, & quantum datur humanis rationibus videre, quomodo omnia quæ per Verbum sunt facta, in ipso vivunt, & facta sunt. " Quodve ita sit, consulendus idemmet Interpres noster in 1. loc. supra cit. ubi hæc statuitur, probaturque conclusio: *Quia res sunt in Deo tamquam in exemplari, propterea quæcumque in ipso sunt, vita in eo sunt. Si in Deo tamquam in exemplari; ergo sicut arca in mente artificis.* Quippe ut idem ait in eod. 1. Dist. 13. Par. 1. Ar. 1. Q. 2. in concl. *Deus est artifex, & caussa creaturæ.*

(*a*) Sic ibi Dist. 6. Ar. 1. Q. 3. ex eodem August. & cit. Dist. 36. Ar. 2. Q. 1. in concl. ac in Itinerar. ment. in Deum cap. 3. ad fin. atque in Opusc. de reduct. art. ad Theol. &c.

(*b*) Hinc Serm. 1. Dom. 22. post Pentec. tradit, quod quia est *omne creatum vertibile, & immutabilitas solum sit in Filio Dei, qui est ars idea omnium viventium; necessario sequitur, quod res scibiles nullo modo habeant immutabilitatem, nisi prout sunt in Verbo æterno.*

(*c*) Vel heic plura de suo immiscet Gorran.

(*d*) Serm. sive Collat. 4. in Hexaem. ab init. *Deus videre nos facit. Prima visio animæ est per naturam intelligentiæ inditæ. Unde dicit Psal. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

(*e*) 1. Dist. 3. par. 1. art. 1. q. 1. in Fundamen. *Omnis cognitio spiritualis fit ratione lucis increatæ, ut dicit Augustinus in Soliloquio.*

(*f*) Sic etiam Serm. 1. in ord. 11. de SS. Evangelist. ab init. ex August. sive potius ex Auctore de Spir. & Ani. cap. 12.

(*g*) Namque ait 1. Dist. 40. Art. 4. Q. 2. in Fundam. cum S. Augustino: *Sicut cæco posito in Sole est præsens lux, & ipse absens est luci: sic in omni iniquo, qui cæcus est corde, præsens est Sapientia, & ipse est absens.* Et ibi ad 8. *Peccata nostra diviserunt inter nos & Deum nostrum, & sunt quasi nubes densissimæ, auferentes nobis illustrationem gratiæ.* Vide S. August. Tract. 1. in Joan. Evang. & Epist. 120. ad Honorat. ac Lib. 1. de peccat. mer. cap. 25. Sed & per tenebras intelligit etiam *homines infideles* Cornel. a Lap.

(*h*) Vulg. *Eratis*, ac etiam *eratis* infra num. 23.; sed *fuistis* etiam cap. 12. num. 901. ex S. Gregor.

(*i*) Heic etiam ante sequentem alias inserit quæstiones, resolvitque Gorran. Ceterum prædictum errorem refellit quoque idem S. Bona. Exposit. in Cap. 14. Lib. Sap. paucis post init.

qua debita circumſtantia; aliquando nominat debitum cum privatione boni, ad quod eſt; aliquando nominat ipſam privationem. Primo modo eſt aliquid; ſecundo modo eſt ſecundum quid; tertio modo eſt omnino nihil. Secundum igitur quod concernit bonum ſubſtratum, ratione illius eſt a Deo; ſed ratione deformitatis non. Quod ergo objicitur, quod peccatum agit, hoc eſt per naturam boni ſubſtratam, ut dicit Dionyſius (*a*).

Dionyſius L. de Div. Nom. par. 4. cap. 4.

Alia quæſtio de hoc quod dicitur: Quod factum eſt in ipſo vita erat.

15. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Contra: omnia facta ſunt in ipſo; ergo omnia ſunt vita in ipſo Deo. In Pſal. Omnia in Sapientia feciſti; ergo lapis vivit. Reſp. Dicendum, quod iſtud verbum exponit Chryſoſtomus ſic: *Quod factum eſt*, connectendo priori clauſulæ, ut ſit punctus: *ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Et quod tenetur implicative. Et poſt ſequitur: *In ipſo vita erat.* Et ſic ceſſat objectio. Hilarius vero ſic: *Quod factum eſt in ipſo* (hic punctus) ſcilicet quantum ad humanitatem, ut Incarnatio, Paſſio, & Reſurrectio, *erat vita* (*b*); cauſſaliter loquendo, id eſt, cauſſa vitæ, & ſalutis noſtræ. Ambroſius ſic: *Quod factum eſt, in ipſo vita*, id eſt, in ipſo, qui eſt vita (ut ſit appoſitiva conſtructio) *erat*, ſcilicet in Dei præſcientia, antequam fieret. Et eſt ſimilis modus loquendi: Omnia in ſapientia feciſti (*c*). Auguſtinus elegantius omnibus exponit: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*; quia habebat in ipſo exemplar (*d*) & rationem, & rationem viventem; quæ ratio dicitur vivens, quia ſpiritualis, non materialis; quia intranſmutabilis, non variabilis; quia æterna, non corruptibilis. (*e*) Et hæc eſt ratio vitæ; vita enim eſt actus ſpiritualis, & continuus, ab ente quieto & ſempiterno fluens (*f*).

Pſ. 103. 24.

Reſponſio.

Chryſoſtomus Hom. 4. in c. 1. Evang. Jo.

Hilarius L. 1. de Trin. n. 10. ac L. 2. n. 20.

Ambroſius L. 3. de fide cap. 6. n. 43.

Pſ. 103. 24.

Auguſtinus Tract. 1. in Jo. Evang. n. 16. ac 17. nec non Lib. 83. qq. q. 46 &c.

Tertia Quæſtio de hoc quod dicitur: Tenebræ eam non comprehenderunt.

16. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Tenebræ eam non comprehenderunt.* Contra: Lux corporalis, dum lucet, & eſt præſens, non poteſt non videri; ergo a pari ratione videtur de luce ſpirituali & intellectu. Item quare dicitur de *tenebris*? Quia nullus etiam bonus eam comprehendit, cum ſit incomprehenſibilis. Reſp. Dicendum: quod non eſt ſimile de luce corporali, & ſpi-

Reſponſio.

(*i*) Hæc omnia perquam ſunt affinia iis, quæ idem tradit Bonaventura de *ſubſtrato* peccati, ac *privatione* L. 2. Sent. Diſt. 35. Dub. 6., ac de ipſo peccato, ut eſt *boni corruptio* ibi art. 1. q. 1. Sed & de *peccato conſiderato formaliter prout dicit privationem, & materialiter prout ſubſternit ſibi aliquam actionem*, Centiloq. Par. 1. Sect. 3. Unde etiam Dionyſ. Carthuſ. interpretatur: *Poteſt per NIHIL peccatum intelligi; quia peccatum quoad ſuum formale NIHIL eſt, ſed defectus ab ente & ordine ſecundum Dionyſium; ideo non eſt factum per Verbum, ſed a voluntate creata, & defectiva.* Vid. ſupra col. 416.

(*b*) In Edit. noviſſ. Veron. Oper. S. Hilar. locis ſupra cit. ſic lego: *quod factum eſt in eo, vita eſt.* Sicque etiam *vita eſt*, nedum in Evangeliario noſtro Trident. ſed & in Evangeliariis Corbejen. Gat. Mm. Veronen. Brixia. Forojulien. &c.

(*c*) Laud. Dionyſ. Carthuſ. *Cum dicimus Deum omnia feciſſe in ſapientia, vel per ſapientiam intelligi poteſt tam ſapientia Patris ingenita, quomodo dicitur operari per ideam, ſeu formam archetypam; quam de ſapientia genita, quæ eſt unicus Filius ejus.*

(*d*) Idem Bonaventura L. 1. Diſt. 36. art. 2. q. 1. ubi eundem textum expendens, cum Auguſtino concludit: *Patet quod in Deo dicuntur vita omnia quæ ſunt in ipſo, tanquam in exemplari.* Recolantur ſupra dicta num. 11. Videatur quoque Ser. ſive Collat. 12. in Hexaem Cujus autem In Divinis ſit proprium, aut appropriatum prædictum *exemplar*, hæc accipe ab eodem Bona. ibi Diſt. 6. Art. 1. Q. 3. in fine „ Procedit ergo Filius ſecundum rationem „ exemplaritatis, non ſicut exemplatum per „ exemplar; ſed ſicut ipſum exemplar, vel ra- „ tio exemplandi cetera. Et ſi tu objicias, „ quod exemplar commune eſt toti Trinitati: „ reſpondet ad hoc Altiſiodorenſis (*Guill.*) de „ mundo archetypo, ſive de ideis, quod idea, „ ſive mundus archetypus non tantum appro- „ priatum eſt ipſi Filio, verum etiam propri- „ um. Vel aliter poteſt dici; quia ſecundum „ quod exemplar dicit rationem cognoſcendi, „ ſic commune eſt toti Trinitati, & appre- „ priatur Filio, ſicut ſapientia. Secundum „ vero quod ultra hoc dicit rationem ema- „ nandi, ſic eſt proprium Filii &c. “ Item alleg. Dionyſ. Carthuſ. „ Pater operatur per „ Verbum, ſicut per cauſſam exemplarem; „ non quod Pater non ſit cauſſa exemplaris, „ immo quælibet perſona Divina eſt omnium „ rerum cauſſa efficiens, exemplaris, atque „ finalis: ſed quia Filio appropriatur ratio „ cauſſæ exemplaris, eo quod ſibi conveniant „ vi ſuæ emanationis ars, ſapientia, & cæte- „ ra, quibus convenit exemplariter agere. “

(*e*) Supra num. 11.

(*f*) In 1. cit. Diſt. 36. Ar. 2. Q. 1. ad 4. in fine: *Quoniam vita eſt actus ſpiritualis & continuus fluens ab ente quieto & ſempiterno, dictum eſt, quod ſunt in Deo vita, ut per ſpiritualitatem excludatur ab eo corporeitas, per quietem variabilitas, per ſempiternitatem corruptibilitas.* De prædicta autem *ratione vivente* part. 1. Breviloq. cap. 6. *In Patre ratio principiandi, in Filio ratio exemplandi, in Spiritu Sancto ratio finiendi.*

ſpirituali triplici de cauſſa; tum ex parte motivi, quia corporalis ſe manifeſtat naturaliter, ſpiritualis vero voluntarie: tum ex parte oculi, quia oculus intellectus cæcus eſt reſpectu unius, & tamen videt reſpectu alterius; ſicut videmus, quod unius habet ignorantiam, alterius cognitionem *(a)*, ſic oculus infidelis cæcus reſpectu Dei (*b*). Tertia ratio ex parte comparationis; quia aliqua proportio eſt oculi noſtri ad lucem corporalem, ſed lux ſpiritualis improportionabiliter excedit, & ideo lucem habitat (*c*) inacceſſibilem. Quod quæritur de *comprehenſione* dicendum, quod eſt comprehenſio per incluſionem, ſive terminationem, per apertam viſionem, per fidei & caritatis adhæſionem. Primo modo a nullo (*d*), ſecundo modo a Beatis, tertio modo a Sanctis, nullo dictorum modorum a malignis (*e*). Ideo dicitur: *Et tenebræ eam non comprehenderunt*, id eſt, nec fide, nec amore adhæſerunt (*f*).

1. ad Tim. 6. 16.

VERSUS SEXTUS.

17. *Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes.* Egit ſupra de Verbo ſecundum excellentiam Divinitatis: in hac parte agit ſecundum aſſumptionem humanitatis. Et quia aſſumptio hæc facta eſt propter noſtram ſalutem, quæ facta eſt per Paſſionem, & conſummata per Reſurrectionem (*g*); ideo habet hæc pars tres partes. In prima agitur de Incarnatione; in ſecunda de Paſſione. Joan. in fine undecimi Cap. Collegerunt ergo Pontifices &c.; in tertia de Reſurrectione, in principio vigeſimi Cap. Una autem Sabbati &c. Et quia Incarnatio inutilis eſt nobis, niſi manifeſtetur, ideo primo agitur de Incarnatione, ſecundo de Incarnationis manifeſtatione, Joan. hoc eodem: Et vidimus gloriam ejus. Quia vero adventus Chriſti in carnem erat adventus Regis, ideo præmiſit Præcurſorem: ideo primo agitur de adventu Præcurſoris; ſecundo de adventu Chriſti: Erat lux vera &c.

De Verbo ſecundum humanitatem ab ipſo aſſumptam.

Diviſio hujus partis in tres.

18. Adveniens ergo Præcurſor deſcribitur a quatuor conditionibus; ſcilicet a natura, ab auctoritate, a nomine, ab officio. A natura, cum dicitur: *Fuit homo.* Gloſſa: Homo, non Angelus, ut volunt Hæretici (*h*). Hoc dicebant Hæretici propter illud Matth. undecimo: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te. Sed Angeli eſt ibi nomen officii, non naturæ (*i*). Ab auctoritate deſcribitur, cum ſubditur: *Miſſus a Deo*, non ab homine, non a ſe. Ad Rom. decimo: Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Quomodo contra dicitur de malis Prophetis Jerem. vigeſimo tertio: Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant. A nomine deſcribitur, cum dicitur: *Cui nomen erat Joannes.* Hoc nomen fuit authenticum, quia non ab homine impoſitum, ſed a Deo (*k*). Luc. primo, dictum eſt Zachariæ: Eliſabeth uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem. Ab officio deſcribitur; dum ſubinfertur:

Deſcriptio advenientis Præcurſoris a quatuor conditionibus.
A natura.
Gloſſa ordinar.
Refutatio Hæreticorum dicentium, Præcurſorem fuiſſe Angelum.
Matth. 11. 10.
Marc. 1. 2.
Luc. 7. 27.
Malach. 3. 1.
Ab auctoritate.
Ad Rom. 10. 15.
Jerem. 23. 21.
A nomine.
Luc. 1. 13.
Ab Officio.

VERSUS SEPTIMUS.

19. *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Officium enim ſuum fuit teſtificari de Lumine, non propter defectum luminis, ſed credentium; ideo dicitur: *Hic venit in teſtimonium &c.* Act. decimo nono: Joannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum dicens: in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent.

Act. 19. 4.

(*a*) Edit. Colon. *unus homo habet ignorantiam, alter cognitionem.*

(*b*) Hunc Doctor noſter vocat *defectum a parte virtutis cognoſcentis, ſive ex parte intellectus*, 1. Diſt. 3. Par. 1. Art. 1. Q. 1. in concl. Vide infra num. 21.

(*c*) Vulg. *inhabitat*; ſed *habitat* quoque Interpres noſter 3. Diſt. 14. Art. 1. Q. 3. ad opp. & in concl. ſicque etiam alibi. De quo infra rurſum num. 39.

(*d*) In 1. loc. ſupra cit. ad object. *Quantum ad cognitionem comprehenſionis requiritur proportio æqualitatis, & æquiparantiæ, & talis non eſt in anima reſpectu Dei; quia anima eſt finita, & Deus infinitus &c.*

(*e*) Subintellige: *comprehenditur Divina lux.*

(*f*) Hæc omnia videri poſſunt a Dionyſio Carthuſ. amplius declarata.

(*g*) 3. Diſt. 19. Art. 1. Q. 1. in concl. ac 4. Diſt. 2. Dub. 2.

(*h*) Namque contendebant fuiſſe *Angelum incarnatum*, ait etiam Hug. Cardin.

(*i*) Expoſit. in cap. 1. ac 7. S. Lucæ, & alibi.

(*k*) Heic etiam a Gorran plura ſuperadduntur.

rent. *Crederent*, inquam, *per illum*, non in illum; quia

VERSUS OCTAVUS.

20. *Non erat ille lux*, in quam credendum esset, *sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Quod & fecit Joan. quinto; Vos misistis ad Joannem, & ille (*a*) testimonium perhibuit veritati.

Jo. 5. 33.

21. Sed quæritur hic de hoc quod dicitur: *Hic venit in testimonium*. Contra Joan. quinto: Ego testimonium ab homine non accipio; ergo nec ad hoc debuit mitti a Deo. Item lux non indiget illuminatione; ergo nec summa veritas testificatione: ergo frustra venit. Resp. quod testimonium perhibetur alicui, & propter aliquem. Aliquando ergo opportunitas est testimonii ratione ejus, cui perhibetur, quia in eo veritas est infirma; & sic homo indiget testimonio alieno. Aliquando ratione ejus, propter quem perhibetur, quia in fide dubius, & infirmus. Ideo non venit in testimonium propter defectum lucis in Christo, sed ratione defectus aut ineptitudinis in oculo nostro (*b*).

Quæstio de hoc quod dicitur: *Hic venit in testimonium*.
Jo. 5. 34.
Responsio.
Testimonium Præcursoris non fuit propter defectum lucis in Christo, sed propter defectum in oculo nostro.

22. Sed quæritur de hoc quod dicitur: *Ut omnes crederent per illum*. Quia cum non omnes crediderint, si Deus ad hoc ipsum misit; ergo uterque est fine debito frustratus. Resp. Dicendum, quod est finis duplex, in se, & in altero. Dico ergo, quod frustrari fine in altero, dum tamen habeatur finis in se, nullam inducit imperfectionem, sicut patet de Rhetore bene persuadente, de Angelo custodiente, de Christo redimente, & Joanne testificante, quia testimonium sufficiens perhibuit, licet non omnes ei crediderint: tamen ex contingentibus nihil omisit.

Altera Quæstio de hoc quod dicitur: *Ut omnes crederent per illum*.
Responsio.

23. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Non erat ille lux*. Contra ad Ephes. quinto: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; ergo omnes boni sunt lux. Respondet Glossa: quod est lux illuminans, & lux illuminata. Joannes, & alii Sancti non sunt lux illuminans, sed sunt lux illuminata a prima luce. Sed contra hoc est Matth. quinto: Sic luceat lux vestra coram hominibus. Et ad Philipp. secundo: Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Respondetur, est lux illuminans effective, & dispositive. Lux illuminans effective est lux per essentiam (*c*); sic solus Deus. Lux illuminans dispositive (*d*) est lux per participationem; & sic Sancti, qui illuminant verbo & exemplo (*e*).

Tertia Quæstio de hoc quod dicitur: *Non erat ille lux*.
Ad Ephes. 5. 8.
Glossa interlin.
Lux alia illuminans, alia illuminata.
Matth. 5. 16.
Ad Philipp. 2. 15.
Responsio.
Lux illuminans effective, & dispositive.

VERSUS NONUS.

24. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Determinato adventu Præcursoris, determinatur adventus Regis, & determinatur cum suis proprietatibus, & circumstantiis. Hunc ergo adventum Christi describit hoc ordine. Primo notatur adveniendi ratio: secundo advenientis despectio: tertio vero ipsius adventus utilitas, seu fructus: quarto adveniendi modus. Ratio igitur adveniendi in carnem primo tangitur, quæ fuit, quia ipse Deus ante Incarnationem, licet esset summa lux omnibus præsens, non cognoscebatur a mundo (*f*). Ideo visibilis effectus est, ut cognosceretur. Propterea dicitur: *Erat lux vera*, scilicet per essentiam, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Joan. octavo: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tene-

Descriptio Christi advenientis.
Adveniendi ratio.
Jo. 8. 12.

(*a*) *Ille* in Vulg. non habetur.

(*b*) *Summa lux est summe cognoscibilis, quantum est de se, nisi aliud esset impediens, vel deficiens ex parte intellectus* 1. Dist. 3. par. 1. Art. 1. q. 1. in concl. Quod ipsum confirmant Augustinus, Chrysostomus &c. *Testimonium igitur* (verba sunt Hugonis Card. in hunc ipsum textum) *non propter Christi indigentiam, sed propter populi infirmitatem necessarium fuit; quia populus aliter non recepisset Christum, nisi Joannes, qui sanctitate vitæ omnes trascenderet, eum suo testimonio commendasset &c.*

(*c*) Vocat *originem omnis illuminationis*, ac *fontalem lucem* in Opusculo *de reduct. art. ad Theol.*, nec non *in Ligno vitæ* verbo *Jesus fontalis radius* appellat *superessentialem radium*.

(*d*) Hæc distinctio *per modum efficientis, & disponentis* est apud ipsum Bonaventuram in 4. dist. 5. Art. 3. q. in concl.

(*e*) Prædicta distinctio *lucis illuminantis, illuminatæ, & medio modo se habentis, videlicet illuminantis & illuminatæ*; nec non *lucis illuminantis effective*, & *dispositive*; item *lucis per essentiam*, & *lucis per participationem*, est etiam apud Dionys. Carthus.

(*f*) Scilicet *propter defectum a parte intelligentis; quia sicut dicit Philosophus, sicut se habet oculus noctuæ ad lucem, ita intellectus noster ad manifestissima naturæ*, ait idem S. Bona. 3. dist. 23. art. 1. q. 4. ad 6. atque Itiner. ment. in Deum cap. 5. Vid. supra in Tract. de sac. Script. Myst. §. 53. not. *e*.

tenebris (*a*). Hæc lux præsens erat mundo; unde in mundo erat per præ-
Sap. 7. 24. sentiam. Sapientiæ septimo: Attingit ubique propter suam munditiam (*b*).

VERSUS DECIMUS.

25. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In mundo erat* per effectum; unde *& mundus per ipsum factus est*, per quem cognosci poterat. Sapientiæ tertio de-
Sap. 13. 5. cimo: A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri (*c*); *&* tamen *mundus eum*
Mundus, id est, mundani per Metonymiam. *non cognovit*: *mundus*, id est, mundani, metonymia est. Joan. decimo septimo:
Jo. 17. 25. Pater juste, mundus te non cognovit; hæc est ratio, quare venit. Unde Chry-
Chrysostomus Hom. 7. in cap. 1. Ev. Jo. sostomus: Quia in mundo existens non putabatur adesse, eo quod nondum cognoscebatur, dignatus est induere carnem.

VERSUS XI.

26. *In propria venit, & sui eum non re-*
Advenientis despectio. *ceperunt*. Tangitur hic advenientis despectio, & hoc maxime ab his, qui eum debebant honorare, & de quorum genere assumpsit carnem (*d*). Propter quod dicitur: *in propria venit*; id est, de generatione Judæorum, quam præ ceteris prælegerat, carnem assumpsit. *Et sui*, id est, Judæi, *eum non receperunt*; non quia nulli, sed quia pauci.
Isa. 1. 2. Isaiæ primo: Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Judæi dicti sunt *sui*, quia secundum carnem erat ex eorum genere; quia de semine David erat, qui erat Rex in Israel usque in sempiternum. Vel *sui* per specialem electionem, secundum illud Deu-
Deut. 26. 18. teron. vigesimo sexto: Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris.

VERSUS XII.

27. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus*: Tangitur hic ter-tius, scilicet adventus ipsius fructus, Adventus utilitas. seu utilitas, quæ est Divinæ filiationis adoptio: quia hæc utilitas non se extendit, nisi ad eos, qui eum receperunt, & in eum crediderunt. Ideo dicitur: *Quotquot autem receperunt*. Ita sui eum non receperunt; sed *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Et hæc magna utilitas. Primæ Joan. tertio: Videte qualem cari- 1. Jo. 3. 1.
tatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus. Et in hoc magna utilitas; unde ad Rom. octavo: Si filii, & hæredes, hæredes quidem Ad Rom. 8. 17.
Dei, cohæredes autem Christi. Ita ergo hanc potestatem filiationis Dei dedit his, qui receperunt. Sed quia hæc receptio est per fidem, ideo explicat: *His, qui credunt in nomine ejus*: Ita dedit eis, qui receperant: *His, qui credunt in nomine ejus*, id est in re nominis ejus. Nomen ejus est Emmanuel, Emmanuel, id est, nobiscum Deus.
id est, nobiscum Deus (*e*). Ille igitur credit in nomine, qui credit eum Deum & Hominem. Et hic est filius Dei, primæ Joan. quinto: Omnis, qui 1. Jo. 5. 1.
credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est, sive filius Dei est (*f*). Quia vero filii Dei non fiunt per generationem carnalem, ideo dicitur:

VERSUS XIII.

28. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Qui non ex sanguinibus*, id est, commixtione seminum (*g*); *neque ex voluntate carnis*, id est, mulieris; *neque ex voluntate viri*; id est, delectatione & pruritu; *sed ex Deo nati sunt*; quia Joan. tertio: Quod Jo. 3. 6.
natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Primæ Petri primo: Renati non ex se- 1. Petr. 1. 23.
mine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum, hoc est semper.

VER-

(*a*) Vel heic auctaria immixta leguntur apud Gorran.

(*b*) Similiter Interpres Exposit. in Lib. Sapient. ad hunc ipsum textum.

(*c*) 1. Dist. 3. Par. 1. Art. 1. Q. 2. in Fundament.

(*d*) Heic etiam & in sequentibus plura addita apud Gorran.

(*e*) In Opusc. de laude Mellifl. Nom. D. N. J. C. Serm. sive Sect. 5. num. 31. de quo Vol. 3.

(*f*) Sic etiam Mariana.

(*g*) Sive *seminibus viri ac fœminæ*, Dionys. Carthus. Vid. S. August. in Jo. Evang. cap. 1. Tract. 2. num. 14.

VERSUS XIV.

29. ***Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis.*** Tangitur hic quartum, scilicet adveniendi modus, qui fuit per carnis assumptionem, in qua fuit summa unio. Ideo dicitur: *Verbum caro factum est*; id est, carni unitum. Ad Philipp. secundo: Humiliavit semetipsum formam servi accipiens. Et quia hæc unio fuit inconfusa, fuit etiam indivisa. Ideo dicitur: *Habitavit in nobis*, id est, in nostra natura. *Habitavit;* ergo non est conversus. *Habitavit*; ergo non est separatus de hac nostra habitatione. Levitici vigesimo sexto: Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea. Et in Psal. septuagesimo quinto: In pace factus est locus ejus, & habitatio ejus in Sion.

Adveniendi modus.

Ad Philipp. 2. 8. ac 7.

Levit. 26. 11.

Ps. 75. 2.

30. Sed quæritur primo de illo verbo, quod dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem.* Quia dictum est supra, quod aliqui homines sunt *Tenebræ*. Ergo non omnes illuminat. Si tu dicas, quantum in se est; ergo si voluntati ejus nullus resistere potest, necesse est omnes illuminari (*a*). Ad hæc respondet Augustinus: Sic illuminat omnem, scilicet qui illuminatur; quia nullus illuminatur, nisi per ipsum. Exemplum de Magistro docente pueros. Beda respondet, quod illud intelligitur de lumine naturæ, non gratiæ (*b*); & quilibet habet signatum lumen vultus Dei. Chrysostomus vero exponit, quia paratus est illuminare; sed non omnes illuminantur, quia sibi claudunt viam luminis. Exemplum de cæco existente in sole (*c*). Quod tu objicis: Si vult, facit; dicendum, quod absolute non vult illuminare, nisi eos qui volunt: Sed voluntate conditionali omnes vult illuminari, sicut omnes vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire (*d*).

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat &c.*

Responsio multiplex. *Augustinus Enchir. ad Laurent. cap. 103. num. 27.*

Beda in Ev. Jo. c. 1.

Chrysostomus Hom. 7. in cap. 1. Ev. Jo.

1. adTim. 2. 4.

31. Quæritur de hoc quod dicitur: *In propria venit.* Si enim ejus est venire, cujus est abesse, & Deus nusquam abest; ergo non venit. Item si Deus omnia potest ubique; ergo non indiget propter aliquid venire: ergo si non venisset, idem facere potuisset. Ad hæc respondet Beda: In mundo erat per Divinitatem, in mundum venit per Incarnationem. Venire quippe, vel abire est humanitatis; sed manere est esse Divinitatis. Unde sensus est: *Venit*, id est apparuit. Quod tu quæris, quæ necessitas veniendi? Respond. non propter se, sed propter nos. Et hoc bene innuit Evangelista; quia non cognoscebat mundus sublimitatem, apparuit in humilitate, & humanitate.

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *In propria venit.*

Responsio. *Beda ibi.*

32. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt &c.* Contra: Augustinus de Prædestinatione Sanctorum: Posse credere naturæ est; ergo a natura habent hanc potestatem: Non ergo datam a Christo. Item quare magis dicitur de credentibus, quam de amantibus, vel aliis? Resp. Dicendum, quod est posse perfectum, & activum, & hoc dicitur posse potestatis: Et est posse imperfectum, & passivum, & hoc dicitur possibilitatis (*e*). Primum posse non est, nisi per gratiam (*f*), & de illo loquitur hic. Ideo dicitur: *Dedit potestatem.* De alio loquitur Augustinus. Quod quæritur, quare magis fidei? Responsio est, quia fides est prima virtutum, & fundamentum, (*g*) ideo ei attribuit ut januæ.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri &c.*

Augustinus de prædest. Sanct. c. 5. n. 10.

Responsio.

Posse activum in nobis ad virtutes non est, nisi per gratiam.

Fides prima virtutum, fundamentum & janua.

33. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Verbum caro factum est.* Tria hic verba

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Verbum caro factum est.*

(*a*) Hæc omnia heic non habentur apud Gorran; sed antea, fere ad verbum, exscripserat.

(*b*) Sic loquitur Beda loc. cit. „ *Erat lux* „ *vera, quæ illuminat omnem hominem &c.* Omnem videlicet, qui illuminatur sive naturali „ ingenio, sive Sapientia Divina. Sicut enim „ nemo a seipso esse, ita etiam nemo a seipso „ sapiens esse habet, sed illo illustrante, de „ quo scriptum est: *Omnis sapientia a Domino* „ *Deo est.* "

(*c*) Similiter noster Interpres Exposit. in Cap. 5. Sap. *Non est defectus ex parte solis, sed ex parte ipsorum in tenebris jacentium, nec surgere volentium, nec oculos aperire quærentium &c.*

(*d*) 1. Dist. 46. art. 1. q. 1. ubi supra cit. *egregius Doctor Augustinus in Enchirid.* allegatur.

(*e*) Infra cap. 13. num. 960. Sed & de potencia activa & passiva in 1. dist. 7. dub. 6.

(*f*) Idem in 2. dist. 28. dub. 3. ac 4. nec non ibi Art. 2. Q. 3. in fine. Item Breviloq. part. 5. cap. 2. ac 3. &c.

(*g*) Fides quomodo sit *prima virtutum* explicat 4. dist. 14. par. 1. art. 2. q. 3. in concl. Quomodo autem dicatur *fundamentum* ibi dist. 22. art. 3. q. in concl.

verba dicuntur, & quæstio est, quare magis dixit *Verbum*, quam *Lux*: cum descriptum sit Verbum & sub ratione Verbi, & sub ratione Lucis? Si tu dicis, quia Lux communis est tribus Personis, Verbum soli Filio, qui solus est incarnatus; tunc est quæstio, quare non dixit Filius, & quare solus Filius incarnatus, cum Divina bonitas sit summe communicativa in qualibet Hypostasum? Respondetur ad hoc, quod solus Filius est incarnatus. Sumitur ratio ex parte nativitatis, operis, & effectus. Ratione nativitatis, quia natus de genere Adæ (*a*) Filius Virginis; & non debuit filiatio alii Personæ attribui. Ratione operis, quia recreatio per eum fieri debuit, per quem facta est creatio (*b*). Ex parte effectus, quia nos fecit filios & cohæredes; unde per filium naturalem debemus in hæreditatem & filiationem induci (*c*). Magis autem dixit Verbum, quam Filius, ut excludat intellectum carnalem, & manifestet spiritualem (*d*). Filius enim carnaliter (*e*) est generatus in creaturis; sed Verbum spiritualem habet generationem. Manifestat spiritualem; quia dicit Augustinus: Sicut verbum induit vocem, neque transit in vocem; sic Verbum æternum induit carnem, & non transit in carnem.

Responsio.

Ratio, qua decuit Verbum Dei incarnari.

Quare magis dicitur Verbum, quam Filius.

Augustinus de consen. Evang. L. 1. c. 4. n. 7.

Quæstio quinta de hoc quod dicitur: Factum est caro.

34. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Factum est caro*. Quia aut est sensus *Factum est caro*, id est, mutatum in carnem; aut *Factum caro*, id est, factum, ut sit caro. Neuter intellectus sanus est. (*f*) Si tu dicas, quod Synecdochica (*g*) sit constructio, & *caro* ibi tantum valet, quantum homo; unde *Factum caro*, id est homo: Tunc quæritur; quare magis voluit humanitatem intelligi per carnem, quam per animam; cum anima sit nobilior pars? Et quare usus est hac locutione figurata, cum posset uti propria? Resp. Dicendum, quod illa unio fuit ad nostram eruditionem, & nostram salutem. Et eruditio fuit, quia visibilis; & liberatio, quia passibilis. Quia caro dicit partem visibilem, & materialem passibilem. Ideo &c.

Synecdochica constructio Verbum factum est caro.

Responsio

35. *Et vidimus gloriam ejus*. Supra determinata est Verbi incarnatio, in hac parte determinatur incarnationis cognitio, seu manifestatio. Et habet hæc pars duas, quia primo agit de manifestatione ejus in generali; secundo vero in speciali: ubi: *Et hoc est testimonium Joannis* &c. Prima pars habet duas, quia primo tangitur ipsius Verbi Incarnationis cognitio; secundo vero cognitionis ratio, ibi: *Joannes testimonium perhibet*. Cognitio ergo Verbi incarnati, quam habuerunt Apostoli, & credentes, fuit quantum ad utramque naturam, in quorum persona dicit Evangelista: *Et vidimus gloriam ejus*, id

Divisio.

Cognitio Verbi incarnati.

(*a*) Par. 4. Breviloq. cap. 1. *Congruentissimum fuit humanum genus reparari per Deum hominem natum de genere Adæ*.

(*b*) 3. Dist. 1. art. 2. q. 3. ad 1. *Pater sic est auctor creationis, sicut & recreationis; & sicut per verbum omnia fecit, ita per verbum omnia refecit.*

(*c*) Idem ibi in concl. Et sicut cit. par. 4. Breviloq. cap. 1. dixerat: *Congruentissima fuit nostræ reparationi incarnatio Verbi, ut sicut genus humanum in esse exierat per Verbum increatum, & in culpam ceciderat deserendo Verbum inspiratum, sic a culpa resurgeret per Verbum incarnatum*; ita Cap. 2. ait: *Nullum magis decet ad filiationem adoptivam reducere, quam filium hominis: ac per hoc nullum magis decet fieri filium hominis, quam filium Dei*.

(*d*) Idem in 1. dist. 27. par. 2. art. 1. q. 4. ad finem conclusionis ait: *Quoniam cum audimus Patrem & Filium, cogitamus de Patre carnali & Filio, ut sublevemur ad cogitandam generationem spiritualem, ideo divinissimus Joannes, qui totus erat in contemplatione Divinitatis elevatus, Verbi nomine usus est &c.* Ad *excludendum* autem *intellectum carnalem, & manifestandum spiritualem*, etiam facere videtur illa lectio, quæ nedum est in vetustissimo Evangeliorum Codice Veronensi, verum etiam apud Tertullianum, Irenæum, Auctorem Dialogorum de SS. Trinitate, qui Athanasio tribuuntur &c., nempe: *Qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est*. De qua quidem lectione est tum Epistola Cl. V. Josephi Blanchinii Presbyr. Congregat. Orator. Rom. inscripta Eminentiss. Card. Angelo Mariæ Quirino S. R. E. Bibliothecario, & Episcopo Brixiano, tum singulare Opus Cl. V. Casti Innocentis Ansaldi de authenticis sacrarum Scripturarum apud SS. Patres Lectionibus.

(*e*) Scilicet *quia conceptus ex utero virginali, carnem suam non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne; alioquin nec vere filius hominis diceretur qui originem non haberet ex homine*, ut ait Beda in Luc.

(*f*) Primus error de Verbo mutato in carnem est Eutichetis; secundus autem de Verbo, quod est *factum ut sit caro*; vel sine anima, ita ut in Christo non esset anima, sed Verbum Dei esset ibi loco animæ, & error est Arrii: Vel cum sola anima sensitiva, & error est Apolinaris; contra quos S. Tho. in Evang. Joan. ad hunc textum.

(*g*) *Sinecdochice* habet etiam S. Bonaventura in 2. dist. 22. art. 1. q. 2. in concl.

id est, cognovimus; *gloriam*, scilicet quantum ad Divinitatem. Propterea dicitur: *Gloriam quasi Unigeniti a Patre*. De qua gloria secundæ Petri primo:
2. Petr. 1. 17. Accepit a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus. Quantum vero ad humanitatem dicitur: *Plenum gratiæ & veritatis*, id est, vidimus insuper eum *plenum gratiæ & veritatis (a)*. Vere *plenum*, quia in ipso, sicut dicitur ad Coloss. secundo:
Ad Coloss. 2. 9. Omnis plenitudo Divinitatis corporaliter habitat. *(b) Plenum gratiæ*, ad exhaurienda peccata: *Plenum veritatis*, ad implenda promissa. Ecclesiastici vigesimo
Eccli 24. 25. quarto: In me omnis gratia vitæ & veritatis *(c)*. Et notandum, quod hoc, quod dicitur: *Quasi Unigeniti* non est nota comparationis, aut similitudinis, sed expressio veritatis *(d)*.

Quasi Unigeniti, non comparationis, aut similitudinis nota; sed expressio veritatis.

VERSUS XV.

36. *Joannes testimonium perbibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venit, (e) ante me factus est, quia prior me erat.* Postquam posita est cognitio, ponitur hic cognoscendi ratio; nam triplex fuit in eis ratio cognoscendi. Prima per testimonium authenticum: Secunda per singularem effectum: Tertia per singulare documentum. Prima ergo ratio cognoscendi

Prima cognoscendi ratio per testimonium authenticum.

fuit per testimonium authenticum, scilicet Personæ auctoritate, Joannis videlicet, qui Sanctus fuit ex utero Matris. Propterea dicitur: *Joannes testimonium perbibet de ipso*. Prov. decimo quarto: Testis fidelis non mentitur. *Prov. 14. 5.*
Et clamat Joannes aperte, & secure, secundum illud Isaiæ quinquagesimo octavo: Clama, ne cesses, quasi tuba *Isa. 58. 1.*
exalta vocem tuam. *Et dicit*: *Qui post me venit, ante me factus est*; ideo dignior me etiam secundum humanam naturam effectus. Ad Ephes. primo: Omnia subjecit sub pedibus ejus; & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. *Ad Eph. 1. 22.* Et ratio ejus est; *Quia prior me erat*, scilicet secundum Divinitatem *(f)*. Joannis octavo: Amen amen dico vobis, *Jo. 8. 58.*
antequam Abraham fieret, ego sum. Et sic prior Joanne.

VERSUS XVI.

37. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus (g) gratiam pro gratia.* Tangitur hic secunda ratio cognoscendi, quod Christus erat Dei Filius, scilicet propter singularem effectum; & iste fuit collatio gratiæ. Propterea dicitur: *Et de plenitudine*; quasi dicat: Vere cognovimus eum plenum; quia *de plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia (h)*, gratiam scilicet retributionis pro gratia justificationis, vel e contra

Secunda cognoscendi ratio per singularem effectum.

(a) Ly enim *Plenum gratiæ & veritatis* referri potest ad *vidimus*, tametsi quoque respicere possit ad antecedens *Verbum caro factum est*.

(b) Vulg. *inhabitat*; sed *habitat* Dionys. Carthus. nec non ipsemet S. Bona. 1. Dist. 37. Par. 1. Ar. 3. Q. 2. in concl. ac 3. Dist. 1. Dub. 1. nec non par. 4. de Eccl. Hier. cap. 6. Item optimæ notæ Cod. membr. Episc. Biblioth. Trid.

(c) Vulg. *in me gratia omnis viæ & veritatis*; sed ut supra etiam Serm. 2. in Hexaem. Confer Exposit. in Cant. cap. 7. §. 284. Item in Spec. B. M. V. inter vulgata sub S. Bona. nomine cap. 6.

(d) Ita etiam Comment. in Apocal. cap. 5. sub ver. 6. num. 338. nec non Exposit. in cap. 8. Cant. ver. 10. §. 348. Et sic etiam S. Chrysost. Theophyl. Euthym. Dionys. Carthus. &c. Cod. Vercellen. pro *quasi Unigeniti* habet *sicut unici filii*. Et Cod. Evang. Trid. *tanquam unici*.

(e) Vulg. *venturus est*; sed etiam Codd. Veron. Brixian. & Trident. *venit*. Item S. Cyrillus in Concilio Ephesino. Dionys. autem Carthus. habet *venit*, & *venturus est*.

(f) Sic & SS. August. & Chrysost. nec non Theophyl. Euthym. &c.

(g) Vulg. *&*; sed absque *&* etiam Edit. Bibliorg. Venet. 1484. ac Codd. Vercellen. Veronen. atque Goth. apud Blanchin. quibus accedit Evangeliar. quoque Trident. Quinimo idemmet S. Bona. Commentar. in Apocal. cap. 4. num. 266. nec non ibi cap. 21. num. 1591. ac etiam Collat. de sept. don. Spir. Sanc. num. 2. Insuper d. Speculi Auctor ibi.

(h) Satis indicat Seraphicus noster Interpres præfata verba esse non Joannis Baptistæ, sed Evangelistæ Joannis, utpote conjungenda cum *plenum gratiæ*, quæ sunt ejusdem Evangelistæ; sicut pariter jungit in 3. dist. 13. art. 1. q. 3. in concl. Quodve sint ipsiusmet *Beati Evangelistæ Joannis* dicitur quoque ab Auctore memorati speculi ibidem. Et quamvis apud Dionysium Carthusianum *dicat Origenes esse verba Joannis Baptistæ*; nihilotamen secius apud ipsummet *secundum Hieronymum, Augustinum, & Bedam sunt verba Joannis Evangelistæ redeuntis & exequentis post introductionem testimonii Joannis, quod supra dixit ET VERBUM CARO &c.* Me quidem haud latet, hæc verba; *& de plenitudine ejus &c.* censeri a Gordono *probabilius esse Baptistæ*; sed & scio Cornelium a Lap. secus sentire. Ait enim: *Origenes & Theophylactus censent hæc verba esse Joannis Baptistæ. Melius S. Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, & alii censent esse verba Joannis Evangelistæ, confirmantis præcedentia verba Baptistæ*.

Augustinus Epist. 104. alias 105. ad Sixt. c. 5. n. 19. Enarrat. in Psal. 98. n. 8. L. de grat. & lib. arb. c. 6. n. 15. &c.

Ad Rom. 6. 23.

Zach. 4. 7.

gratiam justificationis accepimus pro obtinenda gratia retributionis, quæ recte dicitur gratia; quia, sicut dicit Augustinus, nihil Deus in nobis præter sua dona coronat (*a*). Ad Rom. sexto: Stipendia peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna. Et Zach. quarto: Exæquabit gratiam gratiæ ejus. Et quod iste effectus sit singularis Christi, ostendit;

VERSUS XVII.

38. *Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* *Quia lex per Moysen data est*, quæ tantum promisit gratiam & veritatem, & non dedit: quia ad Hebr. septimo: Lex neminem ad perfectum, sive ad perfectionem, duxit (*b*): Sed quod lex promisit, Christus exhibuit. Ideo dicitur: *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Propterea clamat Apostolus ad Rom. septimo: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum; non lex Mosaica.

Ad Hebr. 7. 19.

Ad Rom. 7. 24. et seq.

VERSUS XVIII.

39. *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Tangitur hic tertia ratio cognoscendi, quæ scilicet est singulare documentum; quia Christus solus de Deo potuit docere, & docuit certitudinaliter, & aperte, quia solus vidit. Ideo dicitur: *Deum nemo vidit umquam*. Primæ ad Timoth. ultimo: Lucem habitat (*c*) inaccessibilem, & Exodi trigesimo tertio: Non videbit me homo, & vivet.

Tertia cognoscendi ratio per singulare documentum.

1. ad Timoth. 6. 16.

Exo. 33. 20.

40. *Nisi Unigenitus* (*d*). Aliqui Libri habent: *Sed* (*e*) *Unigenitus*. Utraque bona litera. *Nemo vidit, nisi Unigenitus*, debet construi cum præcedenti verbo. Si est ibi *sed*, debet construi cum sequenti: *Sed Unigenitus, qui est in sinu Patris; ipse enarravit*. *In sinu Patris*, quia ab ipso genitus, non recedit ab ipso. Joan. tertio: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo. Ipse enarravit, quia vidit. Joan. tertio: Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur. Ad Hebr. primo: Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.

Jo. 3. 13.

Jo. 3. 11.

Ad Hebr. 1. 2.

41. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicitur: *Plenum gratiæ & veritatis*, secundum quam naturam hoc dictum est, aut secundum Divinam, aut secundum humanam. Secundum Divinam non; quia non est in eo gratia, sed natura est quidquid habet. Nec secundum humanam videtur, quia subdit: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia.* (*f*) Sed gratia a solo Deo datur, non ab homine. Ergo &c. Resp. Dicendum, quod in Christo fuit gratia singularis maxima, quæ potuit esse in homine. Fuit etiam gratia unionis, qua nulla major potest excogitari. Ratione utriusque dicitur fuisse plenus gratia; & ratione hujus duplicis gratiæ fuit caput Ecclesiæ. Et quia Caput in omnia membra redundat; ideo *De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia* (*f*). Quod ergo quæritur, utrum secundum Divinam naturam, vel humanam? Dico, quod Christus dicitur Caput secundum humanam unitam Divinæ (*g*). Sic est plenitu-

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Plenum gratiæ, & veritatis*.

Responsio.

Gratia in Christo singularis personæ, gratia unionis, gratia capitis.

(*a*) Breviloq. par. 5. cap. 3. ex eod. S. August. Heic, in præcedentibus, ac sequentibus plures sunt apud Gorran interpolationes, totque etiam occurrunt passim transpositiones, ac mutationes, ut plane tædeat ipsas deinceps adnotare.

(*b*) Vulg. *Nihil ad perfectum adduxit lex*; sed ipsemet D. Bona. Exposit. in Psalter. Ps. 150. *Lex neminem duxit ad perfectum.*

(*c*) Vulg. *inhabitat*; sed *habitat* S. Gregorius Moral. Lib. 18. cap. 54. num. 92., & Lib. 25. cap. 6. num. 9. Hugo Card. Lyran. Biblior. antiquæ Editiones nostræ Biblioth. Bernardin. ac Gentilott, nec non Venet. 1481. Biblioth. Griezen. ac ipsemet S. Bona. 3. dist. 14. art. 1. q. 3. ad opp. & in concl. nec non alibi quoque, ut supra diximus num. 16. in not. *c*.

(*d*) Sic Codd. Veronen. Gat. Forojulien. Goth. apud Blanchin. Evangeliar. Trid. ac alius Cod. Biblioth. Episc. Castri boni Consilii, nec non S. Hilar. de Trin. Lib. 6. num. 39.

(*e*) Ita apud S. Aug. in Jo. Evang. cap. 1. Tract. 3. num. 17. Hugo Card. Glossa interlin. apud Lyran. Auctor Exposit. in Jo. Evang. sub S. Bona. nomine &c. Verum tam dictum *sed*, quam præcedens *nisi*, desunt in Vulg. quæ tantum habet: *Deum nemo vidit umquam; Unigenitus filius &c.*

(*f*) Sic apertissime idemmet S. Bona. Brevil. Par. 4. cap. 5. nec non in 3. Dist. 13. Art. 1. ac 2. per totum, atque Serm. sive Collat. 3. in Hexaem. Item Dionys. Carthus. &c.

(*g*) Idipsum sentit noster Interpres in eod. 3. ibi Art. 2. Q. 1. in concl.

nitudo redundantiæ (*a*) eſt intelligenda.

Quæſtio ſecunda de hoc quod dicitur: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

42. Item quæritur de hoc quod dicitur: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Contra hoc eſt, quia multi præceſſerunt Chriſtum; ergo multi fuerunt ante plenitudinem Chriſti. Ergo eos fuit ſequutus, & non omnes de ejus plenitudine acceperunt. Reſp. Dicendum, quod omnes acceperunt; quia Chriſtus fuit caput omnium juſtorum ab Abel uſque ad noviſſimum Juſtum (*b*). Huic capiti uniuntur membra ligamine fidei, & dilectionis. Quia ergo nullus fuit ſalvatus ſine fide Chriſti (*c*), ſicut dicit Auguſtinus; nullus fuit ſalvatus, qui non receperit de plenitudine Chriſti (*d*). Quod objicitur, quod ſequutus; dicendum, quod fide fuit omnibus præſens, licet corporaliter ſit ſequutus (*e*).

Reſponſio.

Auguſtinus in Jo. Ev. c. 17. Tract. 109. n. 2.

Quæſtio tertia de hoc quod dicitur: *Deum nemo vidit umquam.*

Num. 12. 8.

Iſa. 6. 1.

43. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Deum nemo vidit umquam.* Contra Num. duodecimo: Ore ad os loquor ei; & palam, & non per figuras, & ænigmata Dominum videt. Item Iſai. ſexto: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum. Reſponſio eſt ad hoc, quod eſt cognoſcere Deum in ſe, & in ſuo effectu. Et cognoſcere Deum in effectu hoc eſt videre per ſpeculum. Et hoc dupliciter, aut per ſpeculum lucidum, & clarum; & ſic videbat primus homo ante lapſum. Aut per ſpeculum obſcuratum; & ſic videmus nos modo: quia propter peccatum & oculi noſtri caligaverunt, & omnes creaturæ obtenebratæ ſunt. Unde videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate. Primæ ad Corinth. tertiodecimo (*f*). Alio modo cognoſcitur Deus in ſe. Et hoc dupliciter, aut clare; & hoc modo a ſolo Filio, & a Beatis (*g*). Alio modo in caligine (*h*), ſicut dicit Dionyſius de Myſtica Theologia & alibi; (*i*) & ſic vidit Moyſes, & ſublimiter contemplantes, in quorum aſpectu nulla figitur imago creaturæ (*k*). Et hunc revera magis ſentiunt, quam cognoſcant. Unde Bernardus dicit: Quod aliquid in ſe ſentiebat aliquando, de quo quando volebat videre, ſtatim amittebat (*l*).

Reſponſio.

Duplex Deum cognoſcendi modus, in ſe, & in ſuo effectu.

1. ad Cor. 13. 12.

Dionyſius de Myſt. Theol. cap. 1. ac 3. nec non Epiſt. 1. ad Gayum, ſive Cajum Monachum, & Epiſt. 5. ad Dorotheum Miniſtrum.

Bernardus in Cant. Serm. 74. n. 5.

VERSUS XIX.

44. *Et hoc eſt teſtimonium Joannis, quando miſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes, & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: tu quis es?* Egit ſupra de manifeſtatione Verbi incarnati in generali, hic agit in ſpeciali; & dividitur hæc pars: Quia ipſum Verbum eſt ſui manifeſtativum, & manifeſtatur per vocem; ideo habet hæc pars duas partes. In prima agitur de manifeſtatione facta per Joannem, qui fuit vox præcurrens Verbum. In ſecunda de manifeſtatione facta per ipſum Verbum. Joan. eodem: *In craſtinum voluit exire.* Pars prima habet tres partes, ſecundum tria teſtimonia Joannis, quæ ſic diſtinguuntur. Primum eſt de naturarum duarum veritate: ſecundum eſt de baptizandi poteſtate: tertium vero de ſanctitate. Vel aliter etiam diſtinguuntur; quia primum fuit factum Phariſæis: ſecundum turbis: tertium vero Joannis diſcipulis. Tertio modo ſic; quia primum teſtimonium perhibitum eſt Chriſto abſente: ſecundum Chriſto ad eum veniente: tertium Chriſto ante eum deambulante. Primum teſtimonium notatur hic: *Et hoc eſt teſtimonium.* Secundum ibi: *Altera die.* Tertium ibi: *Altera iterum die.* Prima pars, in

Diviſio hujus partis.

Teſtimonia tria Joannis præcurſoris.

(*a*) De *redundantia gratiæ capitis* ibi in Expoſitione textus dub. 3. De *plenitudine* autem *ſuperabundantiæ* ibi art. 1. q. 3.

(*b*) Ibidem art. 2. q. 1. in concl.

(*c*) De hoc diſertiſſime in eodem 3. diſt. 25. art. 1. q. 2. in concl.

(*d*) In locis ſupra cit.

(*e*) In eodem 3. Diſt. art. 2. q. 1. ad 4.

(*f*) 1. Diſt. 3. Par. 1. Q. 3. in concl. „Cognoſcere Deum per creaturam, eſt elevari a „cognitione creaturæ ad cognitionem Dei quaſi „per ſcalam mediam: & hoc eſt proprie viatorum, ſicut dicit Bernardus ad Eugenium. „Aliter tamen convenit homini in ſtatu naturæ inſtitutæ, & naturæ lapſæ: quia in „ſtatu primo cognoſcebat Deum per creaturam tanquam per ſpeculum clarum: ſed poſt „lapſum cognovit tanquam per ſpeculum & „ænigma, ſicut dicit Apoſtolus, propter obnubilationem intellectus, & pejorationem „rerum.“ Sic etiam 2. diſt. 23. art. 2. q. 3. in concl. ac 3. diſt. 23. art. 1. q. 4. ad 3.

(*g*) Ita quoque in d. 3. Diſt. 14. art. 1. q: 3. in concl.

(*h*) Breviloq. par. 5. cap. 6. ac 2. diſt. 23. art. 2. q. 3. in concl.

(*i*) Ita ex eod. Dionyſ. etiam Dionyſius Carthuſian.

(*k*) In 2. ibi, nec non Itiner. ment. in Deum cap. 6. Incend. amor. cap. 3. ac alibi paſſim.

(*l*) S. Bernardus ſic inibi loquitur „Adeſſe „ſenſi, affuiſſe recordor..... Unde in animam „venerit, quove abierit, denuo eam dimittens; ſed & qua vel introiret, vel exierit, „etiam nunc ignorare me fateor, ſecundum „illud: *neſcis unde veniat, aut quo vadat.*“

in qua testimonium ponit Christo absente, habet duas; quia primo quærentibus respondet veritatem de seipso. Secunda vero de Christo ibi: *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis*. Veritatem ergo, qua de seipso respondit quærentibus, hoc ordine describit Evangelista: primo in quærentibus insinuat auctoritatem: secundo in Joanne stabilitatem: tertio in quærentibus importunitatem: quarto vero in Joanne humilem veritatem (*a*).

Quærentium auctoritas. 45. Quærentium igitur auctoritatem insinuat; quia erant Personæ authenticæ, & auctorizabiliter missæ, quibus Joannes perhibet testimonium. Propterea dicit: *Et hoc est testimonium Joannis*. Ita dictum est supra, quod Joannes testimonium perhibet. Modo specificat: *Et hoc est testimonium Joannis*, & demonstrat testimonium cum suis circumstantiis. *Hoc* (pronomen *hoc*) *quando miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes, & Levitas*: Ecce Personarum auctoritas, quia missi erant, & honoratiores erant. De hoc Joan. quinto: Jo. 5. 33. Vos misistis ad Joannem, & ille (*b*) testimonium perhibuit veritati. *Miserunt*, inquam, *ut interrogarent eum, tu quis es?* In persona scilicet omnium. Simili modo misit Joannes discipulos suos, ut quærerent in persona sua, ad Christum Matth. undecimo: Matth. 11. 2. ac seq. Mittens Joannes duos ex (*c*) discipulis suis, ait illi: tu es, qui venturus es? Hoc volebant quærere Judæi per Levitas.

VERSUS XX.

46. *Et confessus est, & non negavit: & confessus est, quia non sum ego Christus*. Joannis stabilitas. Tangitur hic scilicet Joannis stabilitas, qui non fuit eorum auctoritate perterritus, ut a vera confessione declinaret. Ideo dicit: *Et confessus est, & non negavit*. Id est, veram confessionem fecit, & in ipsa permansit. Secundæ ad 2. ad Cor. 1. 18. Cor. primo: Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo est, & non; sed est in illo est (*d*). *Et confessus est*, veritatem scilicet, *quia non sum ego Christus*. Respondit magis intentioni, quam quæstioni. De hac fideli confessione Matth. decimo: Omnis qui confitebitur me coram Matth. 10. 32. hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Joannes maxime confessus est, quia cum posset reputari Christus, noluit. Gregorius: Dum non Gregorius in Evang. L. 1. Hom. 7. n. 1. vult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi.

VERSUS XXI.

47. *Et interrogaverunt eum: quid ergo? Elias es tu? Et dixit: non sum. Propheta es tu? Et respondit: non*. Tangitur hic tertium, scilicet quærentium Quærentium importunitas. importunitas: Quia non desistunt unica responsione, sed instanter quærunt. Ideo dicitur: *Et interrogaverunt eum: quid ergo?* Id est, quid es? Si non es Christus. *Elias es tu? Et dixit: non sum*. Et adhuc instant: *Propheta es tu?* Aliquis scilicet minor; *Et respondit: non*. Ideo generaliter de aliis Prophetis quærunt, de Elia specialiter; quia Eliam credebant præcedere Christum (*e*). Matth. decimo septimo: Quid dicunt Scribæ, Matth. 17. 10. quia Eliam oportet (*f*) venire primum? Sed adhuc instant:

VERSUS XXII.

48. *Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos? Quid dicis de teipso? Dixerunt ergo ei: Quis es?* Adhuc instant, & rationem instantiæ dicunt: *Ut responsum demus his, qui miserunt nos. Quid dicis de teipso?* Stultum videbatur eis redire ad mittentes sine certa responsione. Nam Sapientis nuncii est responsa certa referre. sapientis nuncii est responsa certa referre. Prov. vigesimo secundo: Ecce Prov. 22. 20. ac seq. descripsi eam, id est, sapientiam, tibi tripliciter, ut eloquia veritatis responderes ex his illis, qui miserunt te.

VER-

(*a*) Circa similes vocum desinentias vide Prodromum col. 164. ac seqq.
(*b*) *Ille* abest a Vulg.
(*c*) Vulg. *de*; sed *ex* quoque Cod. Corbejen. apud Blanchin.
(*d*) In Vulg. deest *sed est in illo est*; sed habent nostri Codd. Bernardin. 39. ac 40. Goth. apud Blanchin. Hugo Card. Lyran. antiquæ Biblior. Edit. Biblioth. nostræ Bernardin. Gentilott. ac Griezen. Cod. autem membr. Trid. Episcopal. Tabular. *sed est in illo fuit*.
(*e*) Sic Glossa ordinar. apud Lyranum;
(*f*) Vulg. *quod Eliam oporteat*; sed ut supra quoque Cod. Corbejen. apud Blanchin.

VERSUS XXIII.

49. *Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.* Tangitur hic quartum, scilicet in responsione humilis veritas. Humilis, quia non sibi dignitatem attribuit, sed officium. Ideo ait: *Ego vox clamantis in deserto. Clamantis*, inquam, hoc: *Dirigite viam Domini.* Ad literam Joannes in deserto clamabat. Matth. tertio: Venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, & dicens: Parate, sive dirigite, viam Domini; quia prædicabat pœnitentiam, per quam dirigitur via peccatoris ad Dominum, quæ scilicet obliqua est, quamdiu peccat. Dirigitur vero per mandatorum observantiam (*a*); unde Joan. quarto decimo: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus. Sic dirigitur via Dei ad cor; & hoc officium confirmat testimonio Isaiæ: *Sicut dixit Isaias Propheta.* Isaiæ quadragesimo: Vox clamantis in deserto; parate viam Domini.

In responsione humilis veritas. — *Matth.* 3. 1. & 3. — *Jo.* 14. 23. — *Isa.* 40. 3.

50. Sed quæritur hic primo de interrogatione Judæorum. Cum enim scirent originem Joannis, & vitam; ad quid quærunt: *Tu quis es?* Et respondendum est ad hoc, quod quis aliquando quærit substantiam, ut cum dicitur: quis fecit hoc, vel illud? Aliquando propriam nominationem, ut dicit Priscianus (*b*): Quis Pater ille virum qui sic comitatur euntem? Aliquando specialiter inter alias conditiones quærit dignitatem; nam Personæ dignæ, & eminentes, Personæ Ecclesiasticæ (*c*) vocantur. Ideo hic dicendum, quod etsi scirent originem, vitam, & nomen; tamen dubitabant de dignitate.

Quæstio prima de interrogatione Judæorum. — Responsio. — *Priscianus.*

51. Item de responsione Joannis, qua ipse respondet secundæ interrogationi, quod non est Elias. Contra Matth. undecimo: Si vultis scire (*d*), ipse est Elias. Ergo aut Dominus dicit falsum, aut ipse. Item respondet, se non esse Prophetam. Contra Luc. primo: Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis. Respondetur, quod Joannes respondebat magis ad intentionem quærentium, quam ad quæstionem. Intelligendum igitur, quod Judæi quærentes de Elia, corporaliter de ipso quærebant, de illo eodem qui fuit in veteri Testamento. Joannes vero respondet, quod non est Elias proprie. Sed Dominus dicit eum Eliam figurate; quia hoc fuit Joannes in primo adventu, quod Elias in secundo. Similiter dicendum, quod ipsi quærebant de Propheta, & officio prophetandi præcise, sicut Propheta dicit futurum. Joannes vero Propheta erat, & plus quam Propheta, quia demonstravit (*e*). Ideo secundum intentionem eorum, se non esse Prophetam, respondet.

Quæstio secunda de responsione Joannis. — *Matth.* 11. 14. — *Luc.* 1. 76. — Responsio.

52. Item quæritur de tertia responsione; quare scilicet Joannes dictus est *vox*, & quare dixit se esse vocem. Item quid est, quod dicit: *Dirigite viam Domini.* Quia Ieremiæ decimo: Scio Domine, quia non est hominis via ejus, nec est viri, ut ambulet, & dirigat gressus suos. Ergo adhortatur ad impossibile. Resp. Dicendum, quod sicut Filius Dei rectissime dicitur *Verbum*; ita Præcursor ejus rectissime dicitur *vox*. Vox enim quadruplicem proprietatem habet respectu verbi, ratione cujus recte dicitur Joannes *vox*. Vox præit verbum; sic Joannes Christum (*f*). Lucæ primo: Ipse præibit (*g*) ante illum in spiritu, & virtute Eliæ. Manifestat verbum; sic Joannes Christum. Supra eodem: Hic venit in testimonium, ut testi-

Quæstio tertia quare Joannes dictus est *vox*; quidve est quod dicit: *Dirigite viam Domini.* — *Jer.* 10. 23. — Responsio. — Vocis proprietas quadruplex respectu verbi. — *Luc.* 1. 17.

(*a*) Hoc itidem explicat *per mandatorum observantiam* Exposit. in cap. 3. S. Lucæ.

(*b*) Allegatur ab Interprete nostro in 1. Dist. 25. Dub. 2. itidem sine loci designatione.

(*c*) Sive *Ecclesiecdica* apud Lexicon Juridicum Canonicum. Sunt autem Episcoporum, ac Ecclesiæ defensores in Amalth. Onomast. Joseph. Laurentii.

(*d*) Vulg. *recipere*; sed *scire* Codd. Vercellen. & Veronen. nec non perantiquus Cod. noster membr. A. II. 39. Alius tamen noster itidem membr. sed minus antiquus A. I. 40. *recipere*.

(*e*) Exposit. in cap. 7. S. Lucæ „ Quia excellentius fuit ejus officium, quam Prophetarum, ideo ipse Baptista Pharisæis quærentibus: *Propheta es tu?* Respondit: *Non sum*; sed *vox clamantis in deserto*. Nec est aliqua contradictio, sed consonantia; quia Propheta prædicit futura & absentia, sed vox patefacit præsentia. " In hanc rem consulendus S. Greg. Lib. 1. in Evang. Hom. 7. num. 1. ac seq.

(*f*) S. Greg. ibi num. 2.

(*g*) Vulg. *præcedet*; sed *præibit* etiam Cod. Vercellen. apud Blanchin.

testimonium perhiberet de lumine. Transit & relinquit verbum manens; sic Ioannes Christum. *Jo. 3. 30.* Ioan. tertio: Illum oportet crescere, me autem minui. Est inutilis sine verbo; sic Ioannis prædicatio sine Christo. *Jo. 1. 26.* Ioan. eodem: Ego baptizo vos *(a)* in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Quod objicitur de directione, dicendum: Quod directio viæ est per gratiam, & caritatem, quæ a solo Deo; sed præparatio ad directionem est, faciendo quod in nobis est *(b)*. Et hoc præcipitur hic; unde Gregorius: Via Domini ad cor dirigitur, cum ad præceptum vita præparatur *(c)*.

Directio viæ est per gratiam & caritatem.

Gregorius in Evang. Lib. 1. Hom. 7. n. 2.

VER-

(a) Vos non habet Vulg.; sed habent Codd. Vercellen. & Veronen. nec non Gat. apud Blanchin

(b) Apud Gorran: *Sed præparatio ad directionem, quæ a nobis est, est facienda a nobis.* Et ne dictum nostri Interpretis suspicionem ingerat erroris, vide sis quo sensu orthodoxo sit intelligendum in Prodromo nostro col. 132. num. 6. Profecto Doctorem nostrum Seraphicum cum Angelico consensisse in explicanda Christi gratia luculenter ostendit Ludovicus Thomasinus To. 3. & ult. Theol. Dogm. Consensus Scholæ de Gratia Par. 1. pag. 454. ac seq. Edit. Venet. 1730. quemadmodum jam adnotavi in eod. Prodr. ibi not. *n.* Item posse facere activum in nobis ad virtutes, non esse nisi per gratiam, jam supra num. 32. Interpres noster velut certum præmiserat; nec non id ipsum repetit infra cap. 13. num. 960. Docuerat quoque contra Pelagium, qui plus attribuit libero arbitrio quam possit, in 2. Dist. 28. Dub. 3. ad mentem SS. Hieronymi & Augustini: *Omne quod Deus præcipit, in nostra potestate est; quia ipse, qui præcipit, præsto est præbere gratiam adjuvantem, per quam possumus perficere.* Itaque dum ait: *Directio viæ est per gratiam & caritatem*, intelligendus est de gratia habituali gratum faciente, quæ a Deo solo infunditur; ad id vero quod subdit: *Sed præparatio ad directionem est, faciendo quod in nobis est*, subaudienda est *gratia adjuvans*: ita ut hujusmodi præparatio sit a gratia simul, & a libero arbitrio. Hinc ibi Ar. 2. Q. 3. in concl. tanquam certum posuerat: *In bonum, quod ducit ad bonum perfectum sive merito congrui, sive merito condigni, non potest* (scilicet liberum arbitrium) *absque auxilio Dei* (paulo ante dixerat absque munere gratiæ,) *sicut expresse dicunt auctoritates Sanctorum*. Inter hujusmodi vero auctoritates inibi ad finem illam laudaverat Bernardi expressiorem sententiam, in ejus Libro de libero arbitrio contentam: *Tria in nobis Deus operatur, cogitare, velle, & perficere. Primum sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos.* Sed de hoc amplius not. mox seq.

(c) Sicut D. Gregorius nusquam negavit, præparationem hanc fieri a Domino gratia sua adjuvante, ac nobiscum operante; idem de Bonaventura dicamus necessum est, cum a Sanctorum Patrum sententia nunquam declinare consueverit. Igitur per ly *faciendo quod in nobis est* patet nostrum Interpretem intelligere id, quod viribus liberi arbitrii, speciali Dei gratia adjutis, agere possumus. Unde loc. supra cit. q. 1. declarans hanc propositionem: *Sufficienter se ad gratiam disponit, qui facit, quod in se est*, atque eandem explicans per *facere aliquid ordinatum ad gratiam*, firmissime tenet: *Quod liberum arbitrium, si excitetur per aliquod donum gratiæ gratis datæ, potest ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere: si autem omni tali munere contingat ipsum destitui, numquam posset ad illam disponi.* Hincque concludit: *Qualiter erraverit Pelagius, qui liberum arbitrium non solum dixit habere potentiam disponendi se ad gratiam gratum facientem, sed etiam merendi eam propria virtute.* Firmissime quoque tenet in Breviloq. par. 5. cap. 3. in fine „ Licet liberum arbitrium per se legem implere non possit, „ nec gratiam in se efficere, inexcusabile tamen est, si non facit, quod potest: quia gratia gratis data semper est præsto ad commonitionem, cujus adminiculo facere potest, „ quod in se est: quo facto, habet gratiam „ gratum facientem, qua obtenta, Divinam „ impleat legem, & faciat voluntatem Dei: „ qua facta, tandem ad beatitudinem perveniat sempiternam propter opera meritoria, „ quæ totaliter sunt a gratia, totaliter etiam „ a libero arbitrio, licet principalius a gratia. „ Quia, ut dicit Augustinus, gratia cooperatur ad liberum arbitrium sicut sessor ad equum: „ qui quidem sessor liberum arbitrium dirigit, „ deducit, & perducit ad portum æternæ felicitatis, exercendo nos in operibus perfectæ „ virtutis secundum donum ipsius gratiæ septiformis. “ Id ipsum confirmatur ex eodem in 2. Dist. 26. Art. 1. Q. 2. in concl. hisce gravissimis verbis albo lapillo signandis „ Piarum mentium est, ut nihil sibi tribuant, sed „ totum gratiæ Dei. Unde quantumcumque „ aliquis det gratiæ Dei, a pietate non recedit, „ etiamsi multa tribuendo gratiæ Dei, aliquid subtrahat potestati naturæ, vel libero „ arbitrio. Cum vero aliquid gratiæ subtrahitur, & naturæ tribuitur quod est gratiæ, „ ibi potest periculum intervenire. “ Tum subdit de hac doctrina, *quod est securior, & magis recedit ab errore Pelagii.* Item 3. Dist. 26. Art. 2. Q. 2. ad ult. in opp. „ Intueri merita „ attribuendo sibi, hoc est superbiæ, & vanitatis, & sic intuentur superbi..... contra „ quos dicitur: ne dicas in corde tuo, propter „ justitiam meam introduxit me Dominus, ut „ terram hanc possiderem. Intueri autem merita referendo ad Divinam gratiam, hoc est „ humilitatis, & veritatis..... per quem modum intuebatur Paulus merita sua: Abundantius omnibus laboravi; non autem ego, „ sed gratia Dei mecum. “ Sed de prædicta *præparatione* in eodem sensu orthodoxo iterum infra cap. 6. sub num. 454.

VERSUS XXIV.

Testimonium Joannis Baptistæ de Christo. 53. *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.* Jam dixit Joannes veritatem de seipso; hic testimonium dat de Christo, & describitur hoc ordine. Primo ponitur quærentium improbitas: secundo testimonii veritas: tertio testimonii
Quærentium improbitas. celebritas. Tangitur ergo primo quærentium improbitas; quia cum audissent veritatem, quærunt calumniari veritatis Doctorem. Et hujus ratio est, quia malitiosi erant. Ideo dicitur: *Qui missi fuerant, erant ex Pharisæis;* ideo malitiosi, & observatores (*a*). Chrysosto-
Chrysostomus Hom. 15. in Ev. Jo. c. 1. mus: Illi missi fuerunt, qui veritatem nescierunt quærere, sed invidere (*b*); ideo malitiose, & improbe quærunt. Ideo dicitur:

VERSUS XXV.

54. *Et interrogaverunt* (*c*), *& dixerunt ei*, quasi ipsum redarguendo: *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Sine auctoritate facis,
Chrysostomus ibi. & stulte. Unde Chrysostomus: Quia non valuerunt eum blanditiis supplantare, accusationes contra eum invenire attentant. Unde exclamat Chrysosto-
Chrysostomus ibi. mus: O dementia! O elatio! O vesania! O intempestiva cura! Missi estis ab eo edocendi: Tu quis es? Et crimen legis vultis imponere? In hoc ergo innuitur quærentium improbitas.

VERSUS XXVI.

55. *Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo vos* (*d*) *in aqua: medius autem ve-*
Testimonii veritas. *strum stetit, quem vos nescitis.* Tangitur hic secundum, scilicet testimonii veri-

S. Bonav. Tom. I. Supplem.

tas. Joannes enim veritatem sui officii exprimit, & ex hoc dignitatem Christi. Ideo dicit: *Ego baptizo vos in aqua;* id est, lavo exterius, non, tamquam Christus, interius: sed ad Christum præparo (*e*). Unde Act. decimo nono: Joan- Act. 19. 4.
nes baptizavit baptismo pœnitentiæ dicens: In eum, qui venturus erat, ut crederent. Ideo subdit: *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Vestrum*, id est, inter vos (*f*). *Quem nescitis;* secundum quod Dominus Joan. octavo: Neque me Jo. 8. 19.
scitis, neque Patrem meum scitis (*g*). Ad illum ergo præparo. Ideo dicit:

VERSUS XXVII.

56. *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: Cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti. Ipse est, qui post me venturus est;* quia ego illum præcedo, ut Præcursor; *qui ante me factus est*, id est, dignior me, Joan. tertio: Illum oportet cre- Jo. 3. 30.
scere; me autem minui. Illum oportet crescere, & quanto dignior sit, ostendit: *Cujus ego non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti*. Ad literam hoc verum est, quia nullus quantumcumque bonus debet se dignum reputare, ut etiam Christum discalceet. Unde dicebat ille Centurio Matth. octavo. Do- Matth. 8. 8.
mine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Allegorice vero calcea- Allegorica interpretatio calceamenti.
mentum est humanitas Christi; pes calceatus Divinitas humanata, corrigia calceamenti unio naturarum (*h*). Solvere ergo corrigiam calceamenti est explicare mysterium unionis, ad quod indignum se Joannes dicit; quia Isaiæ quinquagesimo tertio: Generationem ejus Isa. 53. 8.
quis enarrabit? Quasi dicat: nemo dignus (*i*).

Ii VER-

(*a*) Sive alienarum actionum exploratores, ut reprehendant; quo sensu Plinius junior in Paneg. cap. 70. *Nemo observator, nemo castigator assistet*.
(*b*) Similiter S. Greg. loc. supra cit. num. 3.
(*c*) Vulg. addit *eum*; sed omittunt etiam Codd. Gat. & Mm. apud Blanchin.
(*d*) Vide supra num. 52.
(*e*) Pariter Doctor noster 4. Dist. 2. Art. 2. Q. 2. in concl.
(*f*) Ita Codex Vercellensis, Glossa ordinar. ac Interpretes alii. Vide ipsiusmet S. Bona. Exposit. in Psalter. Ps. 81. & Serm. 1. Dom. 3. Advent. Dom.
(*g*) Vide infra num. 586.
(*h*) Exposit. in cap. 3. S. Lucæ „ Ad literam potest hoc esse, ut tantum se humiliet, quod non sit dignus servire ei in humillimo ministerio. Unde & in Matthæo: „ *cujus non sum dignus calceamenta portare*. Vel „ spiritualiter per *calceamentum* intelligitur humana natura assumpta secundum illud: *In Idumæam extendam calceamentum meum*. Per „ *corrigiam* intelligo ipsam unionem. “ Ipsissima docet cum in Epistola de sandaliis Apostolorum, tum in Apologia Pauperum Respons. 4. partic. 1. art. 1. Item Postilla in Apocal. cap. 19. sub ver. 12. num. 1424. ac in Psal. 59. nec non disertissime in 3. Dist. 22. Dub. 5. per totum.
(*i*) Cit. Exposit. in cap. 3. S. Lucæ „ Est „ ergo

VERSUS XXVIII.

Testimonii celebritas.

57. *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Tangitur hic tertium, scilicet testimonii celebritas, quæ notatur in hoc, quod in loco communi hoc testimonium dedit, ubi plures concurrebant (*a*). Joan. tertio: Erat autem (*b*) Ioannes baptizans in Ænnon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic (*c*).

Jo. 3. 23.

Quæstio incidens de hoc quod dicitur: *Ego baptizo in aqua.*

58. Quæstio parvula hic incidit de hoc quod dicit: *Ego baptizo in aqua*. Si enim baptismus Ioannis solum exterius carnem lavabat, videtur quod frustra, & inutiliter faciebat. Item Ioannes lege perfectior erat; ergo baptismus Ioannis Sacramentis legis. Si igitur Circumcisio dat gratiam, multo magis baptismus Ioannis. Resp. Dicendum, quod baptismus Ioannis non fuit in remedium, sed in præparationem ad remedium (*d*). Ideo non sequitur ex hoc, quod sit superfluum, nec sequitur, quod gratiam conferre debeat. Baptismus autem ille præparabat ad remedium tripliciter: propter vitæ emendationem; unde dicitur Matth. tertio: Baptizabantur ab eo, confitentes peccata sua: Propter assuefactionem, ut essent idonei, & non respuerent baptismum Christi; unde Gregorius: Decens erat, ut qui nasciturum nascendo prævenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando præveniret. Tertia vero ratio propter Christi manifestationem; Ioan. eodem: *Ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans* (*e*).

Responsio.

Joannis baptismus non fuit in remedium, sed in præparationem ad remedium.

Matth. 3. 6.

Gregorius in Ev. L. 1. Hom. 7. n. 3.

Altera quæstio de hoc quod dicitur: *Medius vestrum.*

59. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Medius vestrum*. Unde est hoc, quod Dominus semper locum medium eligit, cum sit caput? Et videtur, quod non esset in medio eorum; non enim est, nisi in medio bonorum. Dicendum, quod secundum carnem erat medius eorum, id est, in medio tanquam homo mediocris. Dicitur autem Christus stare in medio, vel etiam locum medium specialiter eligere, quia medium est locus humilitatis. Lucæ vigesimo quarto: Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat (*f*), & Matth. decimo octavo. Locus communitatis, quia uniformiter se habet ad omnes (*g*). Act. decimo: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus &c. Locus unitatis, quia extrema uniuntur in medio. Ad Ephes. secundo: Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Locus stabilitatis, quia medium mundi est fixum. Primæ ad Cor. tertio: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Locus proximitatis, quia omnibus partibus approximat. Act. decimo septimo: Quærere Deum si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non sit longe ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. (*h*)

Responsio.

Quotupliciter Christus stare in medio dicitur.

Luc. 22. 27.

Matth. 18. 1.

Act. 10. 34.

Ad Eph. 2. 14.

1. ad Cor. 3. 11.

Act. 17. 27. ac seq.

60. Item de illo verbo quæritur, quod dixit ipse: *Qui post me venturus est*. Contra: Matth. undecimo dicitur, quod misit duos ex discipulis suis dicens eis: Tu es, qui venturus es, an alium expe-

Item alia de hoc quod dicitur: *Qui post me venturus est.*

Matth. 11. 2. ac seq.

„ ergo sensus secundum Bedam: *cujus non sum* „ *dignus &c.*, id est incarnationis mysterium „ explicare &c. " Sic etiam S. Gregorius in Evang. Lib. 1. Hom. 7. num. 3. Unde etiam „ Dionys. Carthus. „ Mystice per *calceamenta* „ intelligitur Christi humanitas, a Verbo induta, „ per *corrigiam* vero unio utriusque. Joannes ergo „ non fuit dignus *corrigiam calceamentorum pedis* „ Christi dissolvere; quia non potuit perfecte „ mysterium incarnationis, seu modum hypo„ staticæ unionis humanæ naturæ cum Verbo, „ explicare. Immo hoc excedit intellectum non „ solum omnium viatorum, sed & Angelico„ rum spirituum. "

(*a*) *Quia propter fluminis trajectum eo frequentius confluebant Judæi*, dicit etiam Menochius.

(*b*) Vide infra num. 186.

(*c*) Dicta ergo *Bethania*, quæ secundum Origenem nuncupatur *Bethabara*, erat, ut ait laud. Dionys. Carthus. *in terra duarum Tribuum, ac mediæ, in aquis prope currentibus*, de quibus *duabus Tribubus, ac media*, supra Tract. de sacr. Script. materia §. 14. Hæc autem *Bethania*, sive *Bethabara, trans Jordanem*, differt ab altera *Bethania citra Jordanem*, in qua Martha, Maria, & Lazarus commorabantur.

(*d*) Idemmet tradit, quod fuit institutus *Baptismus Joannis tantum in signum, non in remedium; quia si esset in remedium, utique esset efficacius remedium, sicut erat expressius signum.* 4. Dist. 2. Art. 2. Q. 2. ad 2.

(*e*) Simillima ibi in concl.

(*f*) Sic etiam Exposit. in cap. 22. S. Lucæ ad hunc textum ac serm. 1. Dom. 3. Advent. Dom.

(*g*) Sic rursum serm. 2. de S. Ambros. Episc. ad finem, nec non modo d. serm. 1. Dom. 3. Advent.

(*h*) De Christo velut medio in multiplici sensu agit noster Interpres in Principio sacræ Script., serm. sive Collat. 1. in Hexaem. Comment. in Apocal. cap. 1. sub ver. 13. gemino Tractatu in cap. 1. ac 10. Ezech. &c.

pectamus? Ibi dubitavit, quomodo hic asserit? Ad hæc dicunt Hæretici (a), quod Ioannes primo credidit; sed postmodum dubitavit. Sed mentiuntur, quia Dominus tunc commendavit Ioannem. Propter hoc dicendum, quod Ioannes certitudinaliter sciebat, ipsum esse Christum (b), nec tunc per discipulos interrogabat tanquam dubitans; sed ut dubitationi discipulorum suorum consuleret, qui in eum non credebant. (c)

Refutatio Hæreticorum dicentium Joannem Baptistam primo credidisse, sed postea dubitasse. Responsio.

VERSUS XXIX.

61. *Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata (d) mundi.* Perhibuit supra B. Ioannes testimonium de Christo absente; hic perhibet testimonium de Christo ad se veniente. Et dividitur hæc pars in duas: quia primo describitur testimonii perhibitio: secundo testimonii certitudo, seu corroboratio ibi: *Et ego nesciebam eum &c.* Testimonii perhibitio describitur hoc ordine: primo tangitur testificandi occasio: secundo testificatio: tertio vero ad testimonium præcedens comparatio. Testificandi occasio primo tangitur; & hæc fuit, quia Iesus venit ad Ioannem ab eo baptizari, propterea dicitur: *Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se*, scilicet ut baptizaretur. Matth. tertio: Venit Iesus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.

Divisio hujus partis in duas.

Testificandi occasio.

Matth. 3. 13.

62. *Et ait*, scilicet Ioannes. Tangitur hic secundum, scilicet ipsa testificatio, in qua perhibet testimonium de innocentia humanitatis, & de virtute Divinitatis. Propter innocentiam dicit: *Ecce Agnus Dei*, id est, innocens, & impollutus. Isa. sextodecimo: Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Quantum ad virtutem Divinitatis dicit: *Ecce qui tollit peccata mundi*, quod est solius Divinæ virtutis. Isa. quadragesimo tertio: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Et dicit: *Ecce*; quia quem alii prænunciaverunt, ipse digito monstrat. Ideo de ipso dicitur Matth. undecimo: Ipse est propheta, & plus quam propheta.

Ipsa testificatio.

Isa. 16. 1.

Peccata mundi tollere solius est Divinæ virtutis.

Isa. 43. 25.

Matth. 11. 9.

VERSUS XXX.

63. *Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat.* Tangitur hic tertium, scilicet ad testimonium præcedens comparatio. Unde replicat testimonium, quod dederat in absentia ejus. Ideo dicit: *Hic est, de quo dixi*, in præcedenti scilicet testimonio. *Post me venit vir*, scilicet temporali nativitate; quia per sex menses post eum natus (e). De hoc viro Ierem. trigesimo primo: Novum faciet (f) Dominus super terram, Femina circumdabit Virum. *Qui ante me factus est*, dignitate scilicet: *quia prior me erat* Divinitate. Supra eodem: In principio erat Verbum.

Ad testimonium præcedens comparatio.

Jer. 31. 22.

64. Sed dubitatio est hic, cum minoris sit ire ad majorem, non e contra,

Dubitatio de hoc quod Joan.

(a) Contra hos *Hæreticos* idem S. Bonav. 3. Dist. 25. Dub. 3.

(b) Quidquid secus sentiant Justinus & Tertullianus.

(c) Sic in 3. ibi, atque Exposit. in cap. 7. S. Luc. nec non serm. alio de Evang. Dom. 2. Advent. Dom. Et ita S. Hilar. Chrysost. Cyrill.

(d) Vulg. post Roman. Correct. *peccatum*, cui sane lectioni plura suffragantur; sed *peccata* in plurali habent etiam Arabicum, item Evangeliar. & alius Biblior. Codd. Trident. nec non S. Jo. Chrysostomus secundum versionem, quæ nunc mihi præ manibus est. Beda quoque, S. Tho., Hugo Card., Nic. Lyran. Dionys. Carthus. a quo allegantur Anselmus, Thomas, Bonaventura. Insuper Exposit. in Jo. Evang. sub S. Bona. nomine, ac ipsemet S. Bona. Comment. in Apocal. cap. 5. sub ver. 6. ac cap. 14. sub ver. 1., in Exposit. Missæ, in Ligno Vitæ, nec non Exposit. in cap. 5. S. Luc. &c. Huic quoque lectioni favent Editiones sacrorum Biblior. antiquiores tam Biblioth. nostræ Bernardin. quam Gentilott., illa etiam grandior sine anno, ac Typographi nomine, item Venet. an. 1481. Biblioth. Griezen. SS. PP. Ambrosius & Augustinus modo unam, modo alteram lectionem usurpant. Item S. Greg. Moral. 29. cap. 31. num. 69. ac in Ezech. Lib. 1. Hom. 1. num. 5. *peccata mundi*; sed *peccatum mundi* in Evang. Lib. 1. Hom. 6. num. 1. S. Leo magnus Serm. 57. de Passio. Dom. 8. Fer. 4. cap. 7. *peccata mundi*. &c.

(e) Exposit. in cap 1. S. Lucæ.

(f) In Vulgata *creavit*; sed ipsemet noster Interpres 2. Dist. 15. Dub. 4. 3. Dist. 1. Ar. 2. Q. 2. ad 9. item Dist. 3. par. 1. Art. 1. Q. 3. in Concl. ac par. 2. Ar. 3. Q. 1. ad opp. 2. nec non Comm. Apoc. cap. 5. v. 9. *faciet &c.* Sicque etiam Hugo Card. hoc ipso cap. 1. Evang. sec. Joan. Insuper in Lect. 6. Offic. Immac. Concept. B. M. V.

nes debuit ire ad Christum, non Christus ad Joannem; neque Christus, utpote omnis expers maculæ, debuit a Joanne baptizari.

tra, videtur, quod Ioannes debuit ire ad Christum. Item cum in Christo nulla fuerit macula, & baptismus significet ablutionem a sorde; ergo falsum signavit in ipso: Ergo si veritas Christi non recipit falsitatem, non debuit baptizari a Ioanne.

Solutio.

Resp. Dicendum, quod aliquid debito modo, vel congruo fit aut quia necessitatis, vel quia supererogationis. Quod minor vadat ad majorem, hoc est debitum necessitatis. Unde dixit Ioannes Domino: Ego a te debeo baptizari, Matth. tertio. *Matth. 3. 14.* Quod vero major vadat ad minorem, hoc est perfectionis, & supererogationis; sic venit ad Ioannem. Unde ipse dixit Ioanni: Sic decet nos implere omnem justitiam, Matth. tertio. *Ibi 15.* Quod igitur venit, fuit condescentionis (*a*), & in commendationem humilitatis. Quod quæritur, quare voluit baptizari? Resp. Dicendum, quod sicut verbo significativo aliquid dicitur de capite ratione membrorum, sic actu exercito aliquid significatur in capite pro membris (*b*). Unde baptismus ille nullam significabat ablutionem interiorem in Christo, sed tantum in membris.

In Scriptura dicuntur aliqua de capite ratione membrorum.

Ratio triplex cur Christus baptizari voluerit.

Ratio autem, quare Christus voluit baptizari, fuit triplex; ut daret exemplum humilitatis: ut vim regenerativam conferret aquis: ut per baptismum Joannis manifestaret se universis (*c*). Et hæc ratio principaliter tangitur in litera (*d*).

VERSUS XXXI.

65. *Et ego nesciebam eum, sed ut manifestaretur (e) in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* Posita est testificatio, ponitur hic ejus corroboratio, seu certitudo, quæ describitur hoc ordine. Primo tangitur modus deveniendi in certitudinem: secundo signum certificandi: tertio testimonium certum.

Modus deveniendi in certitudinem.

Tangitur igitur primo modus deveniendi in certitudinem, qui fuit per actum baptizandi. Ideo dicit: *Et ego nesciebam eum*, id est, non eram certus de ipso in particulari, ac ea certitudine faciali (*f*) sicut nunc (*g*); *Sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* Hoc ipsum dicebat Matth. tertio: Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam, ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni. *Matth. 3. 11.*

VERSUS XXXII.

66. *Et testimonium perbibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & manentem super eum (b).* Tangitur hic secundum, scilicet signum certificans, quod quidem fuit descensus Spiritus sancti; ideo dicit: *Et testimonium perbibuit Joannes*, tanquam certus, *dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo.* Luc. tertio: Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. *Luc. 3. 22.* *Et manentem super eum*; quia in eo requievit. Isa. undecimo: Requiescet super eum Spiritus Domini. *Isa. 11. 2.* Et hoc fuit signum certificans ipsum, ideo dicit:

Signum certificans.

VERSUS XXXIII.

67. *Et ego nesciebam eum: Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego nesciebam eum*, prius ita (*i*). Sed hoc signo cognovi, quia datum fuit mihi a Deo. Ideo

---

(*a*) Hac voce passim utitur Bonaventura in Ligno vitæ, in Legenda S. Franc. &c.

(*b*) Vide supra Tract. de sacr. Scriptur. myster. §. 10. not. *c*.

(*c*) Dist. 2. art. q. 2. ad 3. & 4.

(*d*) Nempe per illa verba, quæ mox Interpres noster adducit: *sed ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.*

(*e*) In Vulg. *manifestetur*; sed præfatæ lectioni *manifestaretur* favent præter Expositionem in Joan. inter Opera Bonaventuriana, vel ipsemet Bonaventura 4. Dist. 2. Art. 2. Q. 2. in concl. Item S. Augustinus in Jo. Evang. cap. 1. Tract. 4. num. 12. Nec non plures Codices, Vercellensis, Veronensis, Brixianus, Turonensis S. Gatiani, & Majoris Monasterii, & Gothicum apud Blanchin. Item perantiquum Evangeliar. Trident. *Manifestaretur* quoque Nonnus Panopolitanus.

(*f*) Hoc adjectivo alibi etiam D. Bona. utitur, pariterque Dionys. Carthus.

(*g*) Sic etiam Hugo Cardin. Lyran. aliique Interpretes. In particulari ergo eum non cognoscebat, vel non ita plene, sicut modo, sciebat; eo quod facie ad faciem oculis corporis ipsum non viderat, neque sciebat determinate, hunc esse, vel illum. Noverat tamen certusque erat, Christum jam venisse, ac esse Dei Filium, seque ejus Præcursorem a Deo constitutum. Vid. infra num. 71.

(*b*) In Vulg. *& mansit super eum.* Sed in Codice Veronensi, & apud Hug. Card. *& manentem super eum.* Evangeliar. Trident. *& manentem in eo.* (*i*) Paulo supra num. 65.

Ideo subdit: *Sed qui misit me baptizare in aqua*, scilicet Dominus. Supra eodem: Fuit homo missus a Deo. *Ille*, inquam, *mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto*. Quia in ejus solo nomine, & virtute datur baptismus. Act. secundo:

Act. 2. 38. Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi (a). Signum vero ejus fuit descensio, & mansio Spiritus sancti.

Beda in Evang. Joan. cap. 1. Unde Beda: In solo Mediatore Spiritus perpetuo mansit; quia ex eo tempore, ex quo homo fieri incepit, ejus ministerio, & opere conceptus est. Ideo hoc signo fuit amplius certificatus.

VERSUS XXXIV.

Testimonium certum.

68. *Et ego vidi, & testimonium perbibui, quia hic est Filius Dei*. Tangitur hic tertium, scilicet testimonium certum. Certum enim est testimonium, quando homo testificatur de hoc, quod vidit. Ideo dicit: *Et ego vidi, & testimonium perbibui, quia hic est Filius Dei*.

Jo. 19. 35. Joan. decimo nono: Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus.

Quæstiones de Spiritus sancti descensu.

69. Sed quæritur hic primo de descensu Spiritus sancti. Si enim Spiritus sanctus est Deus, & Deus ubique est; ergo non descendit. Si tu dicas, quod non descendit per essentiam, sed per effectum: Contra nullus effectus de novo collatus est Christo; quia nullum munus gratiæ habuit tunc, quod non habuisset a conceptione. Ergo non descendit per effectum. Item quæro, quare magis dicitur descendisse in illa columba, quam in alia? Aut enim uniebatur illi columbæ, aut non. Si sic; ergo assumpsit illam creaturam. Si non; ergo æque erat in illa, sicut in alia: Ergo descendit in qualibet columba. Item quare magis descendit in columba, quam in alio aliquo?

Earum resolutio. Resp. Dicendum, quod Deus dicitur esse in creaturis quatuor modis:

Deus dicitur esse in creaturis quatuor modis.

Primo modo per rationem essendi; & sic est in omnibus, & æqualiter, nec descendit, nec movetur, nec recedit. Secundo modo per rationem signandi, vel ostendendi; sic Deus dicebatur esse in iis creaturis, quæ ipsum signant (b), sicut in monte Sinai, & nube. Tertio modo per rationem gratificandi; sic dicitur esse in iis, quos amat, & qui eum amant. Quarto modo per rationem uniendi, vel assumendi; sic in Christo. Primo igitur modo existendi, quia universalis, & communis, non respondet descensus, vel ascensus: aliis modis sic (c). Unde Deus dicitur aliquando descendere, quando descendit creatura, quæ ipsum signat. Aliquando quando confert gratiam. Aliquando quando descendit natura assumpta. Quia igitur ad hoc erat illa columba instituta, & specialiter ostendebat Spiritum, ideo dicitur descendisse in ipsa, non in alia, non ratione effectus specialis, vel novæ unionis, sed ostensionis (d).

Responsio ad illud, quare magis se ostendit per columbam.

70. Quod objicitur, quare magis se ostendit per columbam? Responsio est propter proprietates columbæ; quia columba est simplex animal, mansuetum, & fructuosum. Spiritus vero sanctus est benignus, & fructuosus, & sine dolo. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum (e). *Sap. 1. 5.*

Objectio contra illud: Ego nesciebam eum.

71. Ad illud *ego nesciebam eum*. Contra: testimonium perhibuit Joannes de Christo, antequam baptizaret eum, sicut habitum est supra. Ergo aut cognovit ante, aut tulit testimonium de eo, quod nesciebat. Respondetur secundum Chrysostomum, quod cognovit eum in generali (f); bene enim sciebat, quod Christus venerat, & quod ipse ejus præcursor erat: sed tamen eum particulariter, & singulariter non agnoscebat; quia in deserto ab infantia fuerat, & eum non viderat. Sed hæc respon-

Chrysostomus Hom. 16. in Ev. Jo. c. 1.

(a) Videsis eundem Bonaventuram L. 4. Dist. 3. par. 1. art. 2. q. 2. ad 3. Nec non in Breviloq. par. 6. cap. 7. Ubi habetur *in nomine Christi*, sed in Vulg. *in nomine Jesu Christi*.

(b) De descensu *ratione significationis* Exposit. in cap. 3. S. Lucæ.

(c) De modis, quibus Deus in rebus esse dicitur, agit etiam noster Interpres in 1. Dist. 37. Par. 1. Art. 3. Q. 2. in concl. atque Exposit. in Psalter. Ps. 112.

(d) Breviloq. par. 1. cap. 5. *Apparere vero dicit effectum sensibilem cum expressa significatione; sicut Spiritus sanctus apparuit in columba*. Et paulo infra: *Quod Spiritus Sanctus dicitur in linguis igneis, & in columba apparuisse, hoc non est propter novum vinculum, vel effectum specialem; sed propter unionem, quæ est inter signum, & signatum, sibi specialiter & modo, & origine deputatum*.

(e) In 1. Dist. 16. art. 1. q. 3. ac in 3. Dist. 1. Dub. 4. nec non Exposit. in cap. 3. S. Lucæ &c.

(f) De hujusmodi *cognitione in generali* secundum Chrysostomum idem noster Interpres in 4. Dist. 5. Dub. 3.

responsio non potest stare, quia Joannes cognovit Dominum in utero matris (*a*). Quomodo non cognovit, cum jam tantum creverat? Item Matth.
Matth. 3. 14. tertio dicitur: Ego a te debeo baptizari. Responsio est; quod cognovit, ipsum esse Christum (*b*); sed non cognovit, quod potestatem baptizandi reservasset sibi. Sed tunc objicitur, quia aut de potestate baptizandi exterius, aut de potestate baptizandi interius: utroque modo falsum, quia utrumque
Solutio. debebat scire. Resp. Dicendum, quod si loquatur de Christo, quantum ad substantiam, quod non cognoscebat, intelligendum est sicut supra (*c*) ita plene (*d*), & certitudinaliter (*e*), ut cognovit post signum. Si quantum ad virtutem baptizandi, intelligendum est, quod sextuplex (*f*) est potestas baptizandi; scilicet auctoritatis, cooperationis, excellentiæ, invocationis, institutionis, & ministerii. Primam nulli dedit, nec dare potuit. Ultimam dedit. omnes intermedias non dedit; sed potestatem excellentiæ (*g*), invocationis, & institutionis dare potuit, sed noluit, ne unitas Ecclesiæ rumperetur. De potestate cooperationis dicit Magister Sententiarum, quod dubitavit; sed tamen communiter tenetur, quod illam non potuit dare, & de illa non dubitavit: sed de tertia, quarta, & quinta dubitare potuit (*h*).

Potestas baptizandi sextuplex.

Magister Sententiarum 4. Dist. 5.

VER-

(*a*) Videsis eundem ibi Dist. 6. par. 2. Dub. 1.

(*b*) Ut enim idem Interpres probat Serm. alio Dom. 2. Adventus Domini ab initio: *Non est credendum, Christi præcursorem de adventu Christi in carne dubitasse.*

(*c*) Supra num. 67.

(*d*) Quod non noverit prius ita *plene*, ut postea, est Bedæ responsio.

(*e*) Quodve etiam non noverit prius *ita certitudinaliter*, ut postea, est responsio Dionysii Carthusiani, quia secundum ipsum prius tantum *novit notitia intellectuali*, postea vero etiam *notitia faciali*.

(*f*) *Quintuplex* tantum est in Cod. MS. quo utimur; sed in eo illa, quæ est *institutionis*, a librario prætermissa videtur: quia *sextuplex* est in Edit. Gorran, sicut disertissime *sextuplicem* tradidit S. Bonav. in 4. Dist. 5. art. 3. q. 1. in concl. Hinc hujusmodi defectum librarii heic supplendum duximus.

(*g*) De hac *potestate excellentiæ* responsio alia est S. Augustini apud laud. Dionysium, quod scilicet *Joannes ideo dicit se Christum nescisse, sed per columbam didicisse; quia non scivit ante descensum columbæ quod Christus sibi soli servaret, & nulli Ministrorum suorum communicaret potestatem baptizandi, hoc est, potestatem excellentiæ in baptismo &c.*

(*h*) Ut prædicta doctrina dilucidior reddatur, appareatque vere Bonaventuriana, operæ pretium existimo verba ejusdem S. Bonav., quæ loc. modo cit. habentur, producere. Sic ergo loquitur „ Dicendum quod circa Baptismum
„ possunt sex proprietates annotari, ut videa-
„ mus, quam dare potuit Dominus, & non
„ dedit. Prima est auctoritatis: & hæc est,
„ qua Deus a seipso, non aliunde habet pote-
„ statem interius mundandi a culpa. Secunda
„ est cooperationis, ut homo accepta Divini-
„ tus potentia in tali actu esset cooperator.
„ Tertia est excellentiæ, ut secundum abun-
„ dantiorem gratiam existentem in baptizante,
„ majorem conferret gratiam baptizando. Quar-
„ ta est invocationis, ut homo in nomine Pe-
„ tri baptizari possit, sicut in nomine Christi,
„ vel Trinitatis. Quinta est institutionis, ut
„ sicut Christus habuit potestatem instituen-
„ di baptismum in aqua, ita alius habe-
„ ret in aqua, vel aliter. Sexta est mi-
„ nisterii, qua dat ut per hominem pos-
„ sit exterius ministrari & verbum, & elemen-
„ tum. Primam nec dare potuit, nec dedit.
„ Ultimam dare potuit, & dedit. De omni-
„ bus intermediis dicunt Magistri, quod dare
„ potuit, sed non dedit. Secundam enim &
„ tertiam non dedit, ne spes in homine pone-
„ retur; quia si unus homo posset alium sana-
„ re spiritualiter, vel suis meritis plus de gra-
„ tia dare, speraret homo ab homine gratiam
„ & veniam. Quartam vero, & quintam non
„ dedit, ne tot essent baptismi, quot baptistæ;
„ quia numeratur baptismus, & denominatur
„ ab eo, cujus nomine fit, & ab eo qui insti-
„ tuit: & ideo ne multi essent baptismi, sed
„ unus solus, instituit ut unus solus invocare-
„ tur. De potestate vero cooperationis con-
„ troversia est; quia Magister dicit, quod il-
„ lam dare potuit, hoc tamen communiter ne-
„ gatur. Sed quia Augustinus videtur hoc di-
„ cere, propter hoc notandum, quod coope-
„ rari alii est dupliciter. Vel per modum ve-
„ re efficientis, sicut natura cooperatur Deo
„ in productione naturalium, & liberum arbi-
„ trium gratiæ in faciendo opus meritorium.
„ Vel per modum disponentis, sicut coopera-
„ tur homo Deo, quantum ad gratiam reci-
„ piendam, quia se disponit. Primo modo
„ quidquid videatur dicere Magister, Deus da-
„ re non potuit, quia creatura capax non fuit,
„ nec hoc modo intellexit Augustinus. Sicut
„ enim tactum fuit, & per objectiones osten-
„ sum, dare gratiam est potentiæ infinitæ, &
„ potentiæ super mentem humanam, quæ im-
„ mediate est in Deo. Secundo vero modo
„ dare potuit, ut homo secundum actum in-
„ teriorem baptizato gratiam obtineret, non
„ gratiam efficiendo, sed ipsam impetrando;
„ sicut dedit homini virtutem faciendi mira-
„ cula, non quia ipse ea efficeret, sed quia
„ virtute sibi a Deo data, quoties vellet, im-
„ petraret. Sed hanc non dedit homini, sci-
„ licet ut tantum posset interius in salvando
„ animam, sicut exterius virtute miraculorum
„ sanat corpora. Tunc enim ad eos recurre-
„ retur pro salute animæ sicut ad Deum &c.

VERSUS XXXV.

72. *Altera die iterum stabat Joannes, & ex discipulis ejus duo.* Supra posuit duo testimonia, hic sequitur tertium, quod perhibuit, ipso ante eum deambulante, & describitur testimonium cum fructu suo. Primo ergo notatur ipsa testificatio: secundo Discipulorum conversio: tertio conversorum susceptio: quarto susceptorum fructificatio: quinto vero fructificationis, vel prædicationis acceptatio. Notatur ergo primo ipsa testificatio, quæ facta est in præsentia Domini, & Discipulorum Joannis. Ideo dicit: *Altera die iterum stabat Joannes, & ex Discipulis ejus duo*, qui scilicet erant idonei ad audiendum de Christo testimonium, quia Discipuli humiles: quia Magistro adhærentes: quia etiam se invicem amantes. Unde Discipuli erant, cum Magistro erant, duo erant; sicut dicit Gregorius: Caritas minus, quam inter duos, esse non potest: Unde Luc. decimo: Misit eos binos ante faciem suam (*a*).

Testificatio facta in præsentia Domini, & Discipulorum Joannis.

Caritas minus, quam inter duos, esse non potest. *Gregorius in Evang. L. 1. Hom. 17. n. 1.* *Luc. 10. 1.*

VERSUS XXXVI.

73. *Et respiciens Jesum ambulantem dicit: Ecce Agnus Dei;* ad differentiam Agni typici, & Paschalis. Ideo *Agnum* vocat, ut Discipulos ad ipsum per mansuetudinem attrahat. Matth. undecimo: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Notandum est, quod Christus fuit vir in Incarnatione propter perfectionem sapientiæ. Zach. sexto: Ecce vir oriens nomen ejus. Agnus in Passione propter mansuetudinem patientiæ. Isa. quinquagesimo tertio: Tamquam ovis ad occisionem ductus est (*b*), & quasi Agnus coram tondente se obmutescet; & non aperiet os suum (*c*). Leo in Resurrectione propter fortitudinem potentiæ. Apoc. quinto: Ecce vicit Leo de tribu Juda: Et ibi dicitur, quod tamquam occisus stat Agnus (*d*).

Matth. 11. 29.

Christus vir in incarnatione propter perfectionem sapientiæ. *Zach. 6. 12.*

Agnus in passione propter mansuetudinem patientiæ. *Isa. 53. 7.*

Leo in resurrectione propter fortitudinem potentiæ. *Apoc. 5. 5.* *Ibi 6.*

VERSUS XXXVII.

74. *Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum.* Tangitur hic secundum, scilicet Discipulorum conversio, ad augmentum testimonii; ideo dicit: *Et audierunt eum duo Discipuli loquentem*, id est testificantem. *Et secuti sunt Jesum*, sano consilio Magistri utentes. Isti secuti sunt lucem, quia bona habebant opera. Unde Joan. tertio: Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus.

Discipulorum conversio. *Jo. 3. 21.*

VERSUS XXXVIII.

75. *Conversus autem Jesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod est interpretatum (e) Magister) ubi habitas?* Tangitur hic tertium, scilicet Discipulorum conversorum susceptio. Unde Dominus ad eos convertitur, & alloquitur. Ideo dicit: *Conversus autem Jesus, & videns eos sequentes se.* Conversus est ad conversos, secundum illud Zachar. primo: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Sic conversus dicit eis: *Quid quæritis?* Non hoc dicit dubitando (*f*), sed eorum rectam intentionem per responsionem manifestando.

Discipulorum conversorum susceptio. *Zach. 1. 3.*

76. *Qui dixerunt ei: Rabbi (quod est interpretatum Magister) ubi habitas?* Interpositio est ibi (*g*), & continuatur series literæ: *Rabbi, ubi habitas?* Quasi dicant: te quærimus, tuam doctrinam (*h*), tuam habitationem. Hanc quæstionem facit anima, quæ directe quærit Dominum. Cant. primo: Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie (*i*). Et quia recta intentione sequuntur, ideo admittuntur.

Anima directe quærens Dominum. *Cant. 1. 6.*

VER-

(*a*) Exposit. in cap. 10. S. Lucæ ad hunc textum.

(*b*) Vulg. *sicut ovis ad occisionem ducetur;* sed ut supra secundum LXX. etiam Comment. in Apocal. cap. 5. num. 317.

(*c*) In Ligno Vitæ Tit. *Jesus Pilato traditus.* Vid. infra num. 82.

(*d*) Postilla, sive Comment. in Apocal. ad utrumque textum.

(*e*) Vulg. *quod dicitur interpretatum*, & secundum Evangeliar. Codd. Veronen. & Trident. *quod interpretatur.*

(*f*) Sic Cyrillus, Chrysostomus &c.

(*g*) Quippe ea verba non sunt Joannis Evangelistæ, sed Interpretis. Unde illis caret Chrysostomus Hom. 17. in Joan. Evang. cap. 1.

(*h*) Nanque ab eo, inquit Cyrillus, *discere cupiebant.*

(*i*) Pariter Dionys. Carthus. Vid. quoque supra Exposit. in Cap. 1. Cant. Cantic. ad d. textum.

VERSUS XXXIX.

77. *Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt, ubi maneret, & manserunt ibi (a) die illo: erat autem hora quasi decima (b). Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt, ubi maneret*. E contra ille, qui non recta intentione quærebat, repulsus est. Matth.
Matth. 8. 19. et seq. octavo: Unus Scriba ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris: Dixit ei Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (c). Et quia frustra convertitur, qui non permanet, ideo dicit: *Et manserunt ibi die illo*. Et ratio redditur: *Erat autem hora quasi decima*. In quo significatur dies gratiæ, qui est novissimus, in quo per-
1. Jo. 2. 8. manendum; primæ Joan. secundo: Nunc scimus filioli mei (d), quia novissima hora est. In hac novissima hora permanendum cum Domino Jesu. Luc.
Luc. 22. 28. vigesimo secundo: Vos estis, qui permansistis mecum.

VERSUS XL.

78. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus* (discipulis), *qui audierant a Joanne* (testimonium de Jesu) *& secuti fuerant eum*, scilicet Jesum (e). Tangitur
Discipulorum susceptorum fructificatio. hic quartum, scilicet Discipulorum fructificatio, quia statim postquam conversi sunt; alios vocant, ut Andreas Petrum. Propterea dicit. *Erat autem Andreas &c.* Ideo hunc specialiter nominat (f), ut fructum suæ prædicationis ostendat. Ideo subdit fructum.

VERSUS XLI.

79. *Invenit hic primum, fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus). Invenit hic primum, fratrem suum Simonem*; quia studiose eum quærebat, ut ad inventum thesaurum eum perduceret. Ideo *dicit ei: Invenimus Messiam*. Invenimus sicut boni mercatores margaritam, sicut boni cultores thesaurum absconditum. Matth. tertiodecimo: Simi- *Matth. 13. 44.*
le est regnum cælorum thesauro abscondito in agro &c.

VERSUS XLII.

80. *Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Johanna (g). Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Et adduxit eum ad Jesum*. Apocal. ultimo: Qui audit, dicat: Veni; & qui sitit, *Apoc. 22. 17.*
veniat. *Intuitus autem eum Jesus &c.* Tangitur hic quintum; scilicet prædicationis Discipulorum acceptatio; quia *Prædicationis Discipulorum acceptatio.*
Dominus acceptavit vocationem, seu prædicationem Andreæ, suscipiendo Petrum: propter quod nomen imponit, tanquam suo Discipulo. Ideo dicit: *Intuitus autem eum*, scilicet Petrum, *Jesus*, oculis scilicet benignitatis (de quo intuitu Gen. quadragesimo quarto
Addu-

(a) Vulg. *& apud eum manserunt*; sed *& manserunt ibi* etiam Cod. membr. hujus nostræ Bibl. Bernardinian. A. I. 40.

(b) Scilicet circa vesperam, inquit Dionys. Carthus.

(c) Vid. Menoch. Tirin. Gordon. &c.

(d) *Mei* in Vulg. deest; sed habet quoque Cod. noster Bernardin. cit.

(e) Sic & d. Dionys. Carthus.

(f) De altero qualis fuerit, nihil dicit Interpres noster, sicut nec dixit Joannes. Unde & Natal Alex. Exposit. Evangel. secundum Joan. Cap. 1. Sen. Lit. num. 38. 39. 40. *Quis alter? Ne quæramus curiosius, quod ignotum nobis esse Deus voluit*. Ceterum opinio quorumdam est apud d. Dionysium Carthus. *quod alter fuit Joannes Evangelista*.

(g) Ita quoque legunt Ven. Beda; S. Thom. Hugo Card. Lyran. Dionys. Carthus. ac legitur etiam Exposit. in Cap. 1. S. Joann. inter Opera edita sub nomine S. Bonaventuræ. Item *filius Johanna* nedum habent Editiones Veteres tam nostræ Biblioth. Bernardin. quam Gentilott. etiam grandior sine Typographi nomine & anno, & Venet. 1481. Biblioth. Griezen. ac quoque Cod. noster Bernardin. 40.; Cod. item sacror. Biblior. Biblioth. Episc. Trident. num. 58. sed insuper eidem lectioni favet Syriacum, & Græcum. In Codice autem Vercellensi: *Joannes*; in Veronensi, Brixiano, Turonensi S. Gatiani, nec non Hier. Ep. 122. ad Rustic. n. 1. *Johannis*. Sed in Vulg. post Roman. correct. *Jona* bisyllabum pro trisyllabo *Johannes*, *Johannis*, *Joannes*, vel *Johanna* usurpatur. *Jona* ergo per crasin vocatur, sive per contractionem trium syllabarum in duas; sicut *Jehoscua* contrahitur in *Josue* & *Jesus*, secundum Nonnum, & alios. Porro *Johanna* significat *gratiam*, ac indicat, homines per gratiam ad Christi fidem pervenire; *Jona vero columbam*, innuitque, homines per Spiritum sanctum in Dei amore firmari. Unde belle utrumque congruit. Quodve *Joannes* exponatur *in quo est gratia*, habet ipsemet noster Interpres Exposit. in cap. 6. ac 9. S. Lucæ.

Gen. 44. 21. Adducite fratrem vestrum ad me, & ponam super illum oculos meos) *dixit: Tu es Simon filius Johanna*. Nomen ejus dicit, ut aliud imponat: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Unde cum Beda sciendum, quod idem est Syriaca lingua *Cephas* (*a*), quod Græca, & Latina *Petrus*: & in utraque lingua a petra derivatum est (*b*). Ideo dicit ei Dominus Matth. sextodecimo: Tu es Petrus, & super hanc petram, a qua scilicet tu nomen accepisti, hoc est super me, ædificabo Ecclesiam meam. Primæ ad Cor. decimo: Petra autem erat Christus. Vel super te petram. *Tu enim vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, id est a firma petra Christo, quem ardenter amabis, nomen accipies (*c*).

Beda in Marci Evang. c. 3. L. 1.

Cephas Syrum est.

Matth. 16. 18.

1. ad Cor. 10. 4.

Augustinus Tract. 27. & 124. in Joan. & L. Retract. c. 21.

Petrus nuncupatus a firma petra Christo.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Ecce Agnus Dei*.

81. Sed quæritur hic primo de testimonio illo ultimo: *Ecce Agnus Dei*. Quia cum nihil plus addiderit, videtur insufficiens fuisse testimonium: quia hoc potest dici de quolibet Sancto, maxime de Apostolis. Luc. decimo: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Item quare potius nomine *Agni*, quam alterius animalis ipsum describit? Resp. Dicendum, quod *Agnus* dictus est a Joanne, quia in Agno fuit præfiguratus. Exodi duodecimo, & prædictus a Prophetis, Isaiæ sextodecimo. Et quia Evangelium consonare debet Legi, ideo sub nomine *Agni* demonstratus est a Joanne.

Luc. 10. 3.

Et quare potius nomine Agni, quam alterius animalis describitur.

Responsio.

Exo. 12. 5.

Isa. 16. 1.

Quæstio secunda, ejusque responsio, quare sub Agni nomine præfiguratus.

82. Sed adhuc restat quæstio, quare præfiguratus sub nomine *Agni*, seu in *Agno*? Responsio hujus est, ratione innocentiæ (*d*). Unde Exo. duodecimo; Erit absque macula, masculus, anniculus. Ratione patientiæ Isa. quinquagesimo tertio: Tamquam ovis ad occisionem ductus est (*e*), & quasi agnus coram tondente se obmutescet. Ratione utilitatis magnæ; quia totus utilis: quia ovis tribuit lac in potum, carnem in cibum, lanam in vestimentum, pellem in ornatum. Quod ergo objicitur, quod alii sunt Agni, dicendum, quod innocentia Christi differt ab aliis: quia ipse est sine macula (*f*); quoniam ejus macula nulla fuit: sed alii Sancti sunt sine macula; quia eorum maculæ sunt absterfæ per gratiam.

Exo. 12. 5.

Isa. 53. 7.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Joannes stabat*, & quod coram *duobus discipulis* testimonium perhibuit.

83. Quæritur de perhibitione hujus testimonii. Dicitur enim, quod *Joannes stabat*, & coram *duobus Discipulis* testimonium perhibuit. Contra Joannes missus erat ad prænuntiandum Christum; ergo videtur, quod non deberet stare, sed circumire, ut nomen Christi annuntiaret. Item videtur invidus, quia tantum duobus; cum omnibus deberet dicere, ut omnes crederent per illum. Respondendum est, quod testimonium Joannis, ad hoc ut ei crederetur, debuit esse authenticum, placitum, ac acceptum, & non suspectum: quia authenticum, ideo stabat, non circumibat: quia acceptum, ideo non quibuscumque, sed quærentibus & scire volentibus testimonium exhibebat: quia non suspectum, non se ad annuntiandum ingerebat; unde dicit Chrysostomus: Quod suspectum esset testimonium, si ita se ingereret ad prædicandum, & Judæi fuissent provocati ad contradicendum.

Responsio.

Chrysostomus Hom. 17. in Joan. Evang. cap. 1.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Rabbi, ubi habitas?*

84. Quæritur de hoc quod dicunt: *Rabbi, ubi habitas?* Et Dominus ostendit eis hospitium. Contra: Matth. octavo: Vulpes foveas habent & volucres Cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Ibi dicitur, quod

Matth. 8. 20.

(*a*) Sic in Indicibus Nom. ad finem sacror. Biblior. tam in MSS. eorum Codd. etiam d. Episc. Biblioth. Trident. & nostræ Biblioth. Bernardin. quam in vulgatis, favetque S. Hieron. De Nominibus Hebraicis, ubi legere est: *Cephas; Petrus, Syrum est*.

(*b*) Quod *Cephas* idem sit ac *petra*, vel *Petrus*, alii quoque Interpretes ajunt.

(*c*) Sic S. Tho. in Matth. ibi, & ita fere heic in Joan. doctissimus Estius. Porro tam prior expositio ex duabus prædictis aliam non excludit, quam primarium fundamentum, quod est Christus, non excludit minus principale, quod est Petrus, suique Successores Christi Vicarii. Secundam expositionem literæ conformiorem probat Evangelium Matthæi Hebraicum, Syriacum, Armenicum, Arabicum, Æthiopicum, Ægyptium Copticum, & Persicum. De qua expositione plura apud Eminentissimum Bellarmin. Lib. 1. de Rom. Pont. cap. 10. Cornel. a Lap. & August. Calmet in Matth. ibi. Sed & de primatu Romani Pontificis D. ipse Bonaventura Breviloq. Par. 6. cap. 12. ac etiam alibi.

(*d*) In Exposit. Missæ, sive de sacris Missæ Mysteriis idem Interpres noster: *Christus est Agnus propter innocentiam &c.* Sicque etiam Dom. in Quinquages. Serm. 1.

(*e*) Vide supra num. 73. sed & *ductus est* pro *ducetur* itidem cit. Serm. 1.

(*f*) Ita consone ad ea, quæ idem S. Bonav. refert in Legen. ma. S. Franc. cap. 8. quantopere Vir sanctus afficeretur erga *oviculas*, & *agniculos*, velut Christum figurantes.

Responsio.

quod non habebat hospitium. Resp. Dicendum, quod habere habitaculum est duobus modis: vel per proprietatem possessionis, sicut habent divites homines: vel per quietem inhabitationis, sicut habent omnes, qui declinant ad aliquam domum ad manendum. Primo modo non habuit, tanquam pauper. Secundo modo habuit, tanquam quietus; non enim erat gyrovagus (*a*).

Quæstio quinta de hoc quod dicitur: *Erat unus ex duobus*.

85. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Erat unus ex duobus* (discipulis illis) *Andreas*. Quare Andream nominavit, non alium Discipulum? Aut si alterum tacuit, quare non Andream? Respond. Dicendum, quod ratio exprimendi nomen Andreæ, magis quam alterius, fuit duplex; scilicet quia insignior erat, ut dicit Chrysostomus; & ut ostendat, Petrum per Andream esse vocatum: & in hoc misericordiæ (*b*) patet dispensatio; quia voluit majores & seniores vocare per minores, & sapientes per simplices. Unde Petrum vocat per Andream (*c*), & Nathanaelem sapientem per Philippum rusticum (*d*).

Responsio.

Chrysostomus cit. Hom: 17.

Christus vocare voluit Majores per minores, sapientesque per simplices.

Quæstio sexta de hoc quod dicitur: *Tu vocaberis Cephas*.

86. Quæritur de hoc quod dicitur: *Tu vocaberis Cephas*, utrum ei hoc nomen tunc imposuerit? Quod non videtur per Interlinearem: nondum imponit nomen, sed præsignat. Item Matth. quarto dicitur, quod Dominus vocavit quatuor; & tunc imposuit Simoni nomen Petrus. Item Matth. sextodecimo dicitur, quod tunc imposuit, quando confessus fuit. Respondetur communiter, quod hoc nomen *Petrus* hic fuit præsignatum; Mar. tertio impositum; Matth. sextodecimo confirmatum. Sed Augustinus huic solutioni contradicit dicens, quod hoc nomen fuit Petro impositum, quando ab Andrea ductus est ad Christum. Et Beda similiter dicit super Mar. tert. quod nomen non tunc primum impositum fuit ei (*e*). Propter hoc dicendum, quod modo fuit ei impositum, sed tamen non fuit vulgatum; quia adhuc non ex tunc appellabatur ab aliis Petrus, sed alio nomine suo priori: sed post Mar. tert. voluit, quod hoc nomine vocaretur. Matth. vero sextodecimo hæc nominatio celebris redditur per dignitatem nomini congruentem.

Glossa interlin.

Matth. 4. 18. et 21.

Mar. 3. 16.

Matth. 16. 18.

Responsio.

Augustinus in Jo. Evang. c. 1. Tract. 7. n. 14. nec non L. 2. de consen. Evangel. c. 17. n. 34. Beda L. 1. in Marci Evang. c. 3.

Quæstio septima, quare Dominus Petro potius, quam aliis, in ejus vocatione nomen imposuit.

87. Item quæritur hic, quare Dominus imposuit nomen Petro in sui vocatione, magis quam aliis? Videtur, quod acceptor fuerit personæ, qui dignitatem nominis contulit sine merito. Ad hoc respondet Pelagius, quod hoc fuit propter majorem naturalium strenuitatem, quam vidit in Petro, unde dicitur: *Intuitus eum Jesus*. Et Pelagius dicebat, quod per naturalia contingit mereri. Ad hoc respondendum, quod Deus videt non solum exteriora, sed etiam interiora; non solum quæ sunt, sed etiam quæ futura sunt. In signum ergo quod erat futurus Pastor Ecclesiæ, ei nomen imponitur (*f*). Quod vero dicit Pelagius, quod intuitus est naturalium strenuitatem, Victor (*g*) reprobat. Unde dicit: Non propter fundamentum naturalium superaddidit ædificium virtutum, sicut mentitus est Pelagius, hinc trahens fomentum erroris (*h*): sed intuitus est oculo misericordiæ, & benignitatis.

Pelagius.

Responsio Pelagii, ejusque confutatio.

Victor.

88. Quæ-

(*a*) Exposit. in cap. 9. S. Lucæ, ac in Opusc, *de Paupertate Christi*, ubi etiam contra *Gyrovagos* agitur. Ac sane videtur Auctor non obscure heic se se prodere Franciscanum omnis *proprietatis* osorem. Ceterum & Cornel. a Lap. heic ait: *Hospitium Christus in terris habuit, non propriam habitationem & domum.*

(*b*) *Divinæ prædestinationis* legitur apud Gorran.

(*c*) Velut majorem & seniorem per juniorem. Unde & Dionys. Carth. *Petrum* vocat *majorem & seniorem*, agnoscitque *Andrea antiquiorem.*

(*d*) *Rusticum* translate, id est, literis incultum, rudem, ac quasi semibarbarum.

(*e*) Loc. supra cit. ad illa Marci verba: *Et imposuit Simoni nomen Petrus*, subdit Beda: *Non tunc primum Simoni Petri nomen indidit, verum longe ante, cum a fratre Andrea ad se adductum intuitus dixit: Tu es Simon filius Joanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Item Sa ad eundem Marci textum „ *Imposuit*, pro „ imposuerat olim. Nam id factum prius, ut „ dicitur Joan. 1. “

(*f*) Eadem ratione, interprete Cl. V. Natali Alexandro, Matth. 10. 2. dicitur „ *Primus*, „ *Simon, qui dicitur Petrus*, non ætate, aut vo- „ catione, cum frater ejus Andreas prior esset „ vocatus, nec in cœterorum enumeratione ul- „ la vocationis ætatisque ratio habebatur; sed „ dignitate & auctoritate primus; *Princeps haud* „ *dubie Collegii a Christo designatus, ad retinendam* „ *corporis compagem*, inquit Grotius, quem re- „ liquis Heterodoxis oppono &c. “

(*g*) En iterata hujus *Victoris* mentio.

(*h*) Hinc constat, præfatum *Victorem* improbasse Pelagianam doctrinam, eamque diris quoque devovisse nostrum Bonaventuram. Idem *Victor* etiam a Gorran ipsissimis de more Bonaventuræ verbis laudatur, cujus auctoritate itidem Pelagium confutat.

Quæstio octava, quare in ingressu Religionis nomina non mutabantur. Responsio. *Chrysostomus Hom. 18. in Jo. Evang. c. 1.*

88. Quæstio est etiam, quare modo nomina non mutantur iis, qui Religionem ingrediuntur, vel etiam iis, qui convertuntur ad Christum? (a) Ad hoc respondet Chrysostomus, quod mutatio nominis fiebat in virtutis incitamentum. Quoniam igitur modo nomen unum habemus, quod maxime est ad virtutem incitativum, ideo illo nomine contenti esse debemus. Et hoc nomen est Christianitatis, quia omnes dicimur Christiani (b); tamen adhuc servat mutationem nominis Romana Ecclesia in summo Pontifice.

Romana Ecclesia in Romano Pontifice mutationem nominis servat.

VERSUS XLIII.

89. *In crastinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Jesus: Sequere me.* Ista pars, quæ incipit ab illo loco: Hoc est testimonium Joannis &c., in qua agitur de Verbi manifestatione, divisa fuit in duas. In prima agitur de manifestatione Verbi facta per vocem usque ad locum istum. Deinceps vero usque ad finem vigesimi primi agitur de manifestatione facta per ipsum Verbum. Et quia manifestatio respectum habet ad eos, quibus fit, & ad eum, de quo fit; ideo habet hæc pars duas partes. In prima agitur de manifestatione secundum quod respicit conditiones a parte eorum, quibus fit. In secunda agitur de manifestatione secundum quod respicit conditiones a parte Verbi manifestati; & incipit illa pars in principio quinti Capituli: Post hæc erat dies. Prima pars habet quatuor partes secundum quatuor genera Personarum; quibus se manifestat. In prima manifestat se suis Discipulis. In secunda parte manifestat se Judæis in medio secundi Capituli: Post hæc descendit &c. In tertia manifestat se Samaritanis in principio quarti Capituli: Ut ergo cognovit Jesus &c. In quarta parte manifestat se Galilæis circa finem quarti Capituli ibi: Post duos dies exiit &c. Prima pars, in qua manifestat se suis Discipulis, habet duas: in prima agitur de Discipulorum vocatione: in secunda de manifestatione facta Discipulis vocatis, ibi: Et die tertio Nuptiæ factæ sunt.

Divisio hujus partis in duas.

Subdivisio primæ partis in quatuor.

90. Vocatio igitur Discipulorum, a Domino facta, describitur hoc ordine. Primo notatur vocatio simplicis: secundo vocatio sapientis: tertio vocati attractio: quarto attracti confirmatio. Vocatio ergo simplicis, scilicet Philippi, primo facta a Domino, describitur; quia ab ipso Domino de Galilæa vocatus est. Propterea dicit: *In Crastinum*, scilicet post conversionem Andreæ, & Petri (c), *voluit exire in Galilæam; & invenit Philippum*. Non casualiter (d), sed ex proposito invenitur, quod perditum. Sic Dominus Discipulos suos invenit; quia a perditione eripuit. Luc. quintodecimo: Mulier, quæ perdidit drachmam unam, quærit dili-

Vocatio Discipulorum a Domino facta describitur.

Vocatio simplicis.

Luc. 15. 8. et seq.

(a) Certe S. P. Franciscus, cum ita fuisset vocatus a Patre, vel post suam ad Christum conversionem, *nominationis paternæ vocabulum tenuit*, referente ipsomet S. Bonaventura in Legenda minori Lect. 1. num. 1. *Nominationis*, inquam, *paternæ*; quia primo a Matre *Joannes* vocatus ibi, ac Exposit. in cap. 1. Reg. FF. Min. Primævum quoque nomen semper retinuere ejusdem S. P. Francisci Socii, qui ad novam ipsiusmet Religionem se se converterunt; nec non ipsemet S. Bonaventura, de quo in Prodromo, col. 7., ex inolita videlicet consuetudine primævi nominis in sacro baptismate impositi non mutandi; quam quidem consuetudinem postea quoque perdurasse, patet exemplo etiam S. Ludovici Episcopi Tolosani, qui hoc ipsum servavit nomen, cum *professus est institutum B. Francisci, Romæ in Conventu Aræ Cæli, susceptus a R. Patre Ioanne a Murro Generali Ministro in Ordinem Minorum*, teste Auctore Anonymo Synchrono in ejus Vita Cap. 3. num. 21. apud Bollandian. Me quidem non latet, S. Antonium Patavinum, dum transiit ab inclyto Ordine Canonicor. Regul. S. Aug. ad Minoriticum, non servasse nomen *Fernandi*, sibi in sacro baptismatis lavacro impositum, ac in illud *Antonii* voluisse mutatum; sed quare? Hanc dat rationem Lect. 7. Officii in ejusdem Festo, prout est in membr. Rom. Breviar. quod mihi gratiosissime commodavit Illustriss. D. Albertus digniss. Præpositus Griezensis Can. Reg. S. Aug. *Antonium se deinceps appellari rogavit, ut & sic requirentium ipsum sollicitudinem pia cautela deluderet, eorumque importunitates sub igneto facilius nomine declinaret*. Ceterum Vir Religiosus, Moricus nomine, sacri Ordinis Crucigerorum, de quo idem S. Bonaventura cap. 4. Legen. ma., ita Minorum novo cætui adjunctus est, ut alio deinceps nomine neutiquam fuerit nuncupatus.

(b) Similia quoque legere est ex eodem Chrysostomo Hom. 18. in Joan. post medium, Exposit. in cap. 1. S. Jo. inter jam edita sub S. Bonav. nomine.

(c) *In crastinum, scilicet post vocationem Petri*, inquit etiam Lyranus. Et Dionys. Carthus. *post collocutionem Iesu, Andreæ, & Petri*.

(d) *Non improvise aut casualiter*, dicit quoque idem Dionys.

diligenter, donec inveniat. *Et dicit ei Jesus: Sequere me*; tanquam servus Dominum, tanquam Discipulus Magistrum, ut possis consequi. Ad Philip. tertio: Sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum a Christo Jesu. Et tangit Evangelista locum, unde erat Philippus oriundus, ad majorem manifestationem. Propterea dicit:

Ad Philip. 3. 12.

VERSUS XLIV.

91 *Erat autem Philippus a Bethsaida, Civitate Andreæ, & Petri.* Ed ideo intelligendum, quod motus est sequi, quia vidit illos sequentes. Cortina enim cortinam trahit, (*a*) secundum quod Exodi vigesimo sexto in compositione Tabernaculi signatum est. Moraliter vero *Philippus* os lampadis interpretatur (*b*), *Bethsaida* domus venationis sive venatorum (*c*). Per os sapientia notatur eloquentiæ, de qua Luc. vigesimo primo: Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri. Per lampadem honestas conversationis, Matth. quinto: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant &c. Per venatores Prædicatores, Jerem. sextodecimo: Mittam eis venatores multos, & venabuntur eos. In vocatione igitur Philippi de Bethsaida significatur, quod qui assumit officium prædicationis, debet habere sapientiam eloquentiæ, & honestatem vitæ; quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur (*d*).

Exo. 26. 1. ac seqq.

Philippus os lampadis. Bethsaida domus venatorum.

Luc. 21. 15.

Matth. 5. 16.

Jer. 16. 16.

Gregorius in Evang. L. 1. Hom. 12. n. 1. Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur.

VERSUS XLV.

92. *Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege; & Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.* Tangitur hic secundum, scilicet vocatio sapientis, quæ facta est mediante simplici. Propterea dicit: *Invenit Philippus Nathanael.* Sicut enim ipse inventus fuerat a Christo; sic & Nathanaelem invenit. Beda: Vide venatorem istum, quantum capiendis animabus esset intentus. Unde & sequitur: *Et dicit ei, quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ* (supple scripserunt). Aliqui libri habent *& Prophetis* (*e*), & debet suppleri litera: *Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetis*, supple, scriptum est. *Invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth.* Iste erat Christus, qui prænuntiatus fuit a Lege, & Prophetis. Duter. decimo octavo: Prophetam suscitabit tibi Dominus de gente tua &c. Isa. septimo: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium &c. Hunc dicebat filium Joseph reputatione. Luc. tertio. Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Et hoc quidem dixit Nathanaeli tanquam ei, qui peritus erat in Lege, & Prophetis. Et hoc patet ex ipsius responsione.

Vocatio sapientis.

Beda in Evang. Jo. cap. 1.

Deut. 18. 15.

Isa. 7. 14.

Luc. 3. 23.

VERSUS XLVI.

93. *Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse. Dicit ei Philippus: Veni, & vide. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse.* Ista litera legitur remissive (*f*), ut sit sensus, quod aliquid potest esse boni a Nazareth, propter illud quod scribitur Matth. secundo: Quod scriptum est per Prophetam (*g*), quoniam Nazaræus vocabitur. Et accipitur de Isaia undecimo secundum Hebraicam veritatem, ubi nos habemus: Flos de radice ejus ascendet, ipsi habent: Nazaræus.

Matth. 2. 23.

Isa. 11. 1.

(*a*) Ita D. ipsemet Bona. Par. 3. cap. 2. de Eccl. Hierar. versus fin.

(*b*) Exposit. in cap. 6. S. Lucæ, nec non in Indicibus Nom. supra cit. col. 486. not. *a*.

(*c*) Exposit. in cap. 1. S. Jo. edita sub Bonaventuræ nomine, & sic etiam Beda, & paulo ante memorati Indices Nom. Vide infra cap. 5. ver. 2. num. 299.

(*d*) Sic rursum D. Bona. Serm. 1. Dom. in Sexagesima paulo ante finem *Rogemus ergo &c.* uti & alibi sæpius. Vid. Comment. in Apocal. cap. 8. num. 548.

(*e*) Ita quoque legit S. Thomas Comment. in Jo. cap. 1. ac habetur in Trident. Codd. nec non in Codice Turonensi Majoris Monasterii. In illo vero S. Gatiani Turonensi: *& Prophetiis*.

(*f*) Sic in antiquioribus nostris sacror. Biblior. Editionibus, & in Cod. Brixiano apud Blanchinium, atque in alio Cod. Biblioth. Episcopal. Triden. nec non apud ipsummet S. Bona. Exposit. in cap. 1. S. Luc. de qua mox infra.

(*g*) In Vulg. *Prophetas*. Et quamvis S. Hieronymus veram hanc lectionem asserat (quæ etiam est Codicis MS. San-Germanensis) inquiens L. 1. Comment. *Nunc autem pluraliter Prophetas vocans, ostendit, se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum*; nihilo tamen secius *Prophetam* Lucas Brugensis in antiquis Codicibus reperit. Et ita sane legere est in MSS. Codicibus, Vercellensi, Veronensi, Corbejensi,

zaræus. Ideo hoc intelligens Nathanael, tanquam peritus, asseruit (*a*). Aliter legitur interrogative, quasi dubitans quærat: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Scilicet tantum bonum: quia

Mich. 5. 2. sicut scribitur Mich. quinto: Et tu Bethlehem Ephrata parvulus &c., de Bethlehem nasciturus erat Christus. Ideo Judæi dixerunt Joan. septimo:

Jo. 7. 41. Numquid a Galilæa venit Christus? Seu legatur remissive, seu interrogative (*b*), asserit hic Philippus, & hortatur, ut veniat, propter quod sequitur: *Dicit ei Philippus: Veni, & vide.*

Chrysostomus cit. Hom. 18. Chrysostomus: Philippus divitias, quas invenit, per verba demonstrare non potens, ad inventum ducit thesaurum fratrem suum (*c*). Ex quo intelligendum est, quod Nathanael statim secutus est Philippum.

VERSUS XLVII.

94. *Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Tangitur hic tertium, scilicet attractio vocati. Attrahit

Attractio vocati.

per commendationem, & per secretorum revelationem. Per commendationem; unde dicit: *Vidit Jesus Nathanael venientem ad se* (scilicet per admonitionem Philippi simplicis) *& dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Ideo dolus non est, quia cum sit sapiens, non erubuit sequi simplicem; quia hoc quod credebat in corde, protulit ore; quia non veniebat voluntate tentandi, sed studio proficiendi. E contra

Prov. 12. 20. tra Prov. duodecimo: Dolus in corde cogitantium mala. Sed Nathanael non credit commendationi suæ, nisi per hoc audiat certitudinem; quia non debet

Homo pronus non sit, ut de se bona credat.

esse pronus homo credere de se bona. Ideo

VERSUS XLVIII.

95. *Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Jesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Dicit ei Nathanael: Unde me nosti?* Quid me sic commendas? Et Dominus attrahit per secretorum revelationem; ideo sequitur: *Respondit Jesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Ad literam: Ipse in loco secreto, ut in horto, erat, unde eum Philippus vocavit. Vel mystice ficus dicitur consuetudo peccandi, ut primi Parentes sub fici foliis se

Ficus mystice peccandi consuetudinem designat.

texerunt Gen. tertio (*d*), ubi est prius *Gen. 3. 7.*

visus a Deo, & quæsitus, quam ipse Deum quæreret. Hac revelatione Nathanael attractus est; unde sequitur ejus fidelis confessio.

VERSUS XLIX.

96. *Respondit ei Nathanael, & dixit* (*e*): *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. Respondit ei Nathanael, & dixit, tu es Filius Dei*, quantum ad Divinitatem (*f*), quia nosti secreta cordis. Jerem. decimo septimo: Ego Dominus scrutans *Jer. 17. 10.*

corda (*g*), & probans renes. *Tu es Rex Israel*, quantum ad humanitatem. Similiter confessa est turba Joan. duodecimo: Benedictus, qui venit in nomine *Jo. 12. 13.*

Domini, Rex Israel.

VERSUS L.

97. *Respondit Jesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: majus his videbis.* Tangitur hic quartum, scilicet

---

ac Brixiano apud Cl. Blanchinium. Eandemque lectionem S. Thomas confirmat Comment. in Matth. cap. 2. licet in Catena legat in plurali *Prophetas*.

(*a*) Exposit. in cap. 1. S. Lucæ ad prædictum textum Isaiæ 11. 1. „Dicit Hieronymus (To. „ 2. Epist. 101. post med.) quod secundum „ hebraicam veritatem habetur: *Et Nazaræus* „ *de radice ejus crescet*: Igitur a Nazareth po„ test aliquid boni esse: immo flos omnis bo„ ni." Vide sis quoque in Planctu de Pass. Dom. sive de Vit. Myst. Cap. 17. num. 56.

(*b*) Itidem S. Thomas censet, id intelligi posse tam *interrogative*, quam *assertive*. Et Dionys. Carthus. *Non est certum, an verba ista locutus sit Nathanael, asserendo, vel dubitando, vel abnegando. Augustinus enim sentit, quod dixit hæc verba assertive &c.*

(*c*) *Fratrem* quoque vocat Glossa ordinar. apud Lyran. & Dionys. Carthus. *fratrem suum carnalem*. Vid. infra num. 101.

(*d*) Pariter heic S. Thomas.

(*e*) Vulg. *ait*; sed *dixit* quoque Codd. Vercellen. & Brixian.

(*f*) Cognovisse Nathanaelem *Filium Dei quantum ad Divinitatem* censent etiam Cyrill. August. Ammon. Glossa, Dionys. Carthus. Estius, Maldonatus, Gordonus, Natalis Alexander &c.

(*g*) Vulg. *cor*; sed *corda* in plurali etiam Cod. noster Bernardin. 40. ac Ps. 7. ver. 10. juxta Vulg. ipsam: *scrutans corda, & renes Deus.*

Attracti confirmatio. licet jam attracti confirmatio; confirmat enim eum per promissionem ostensionis majorum, propter quod dicit: *Respondit Jesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis:* & ita pro modico es tractus ad fidem. *Majus his videbis.* Joan: quinto: Majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Et specificat quod est illis *majus*. Jo. 5. 20.

VERSUS LI.

98. *Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, quia (a) videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super (b) Filium hominis. Videbitis cœlum apertum*, secundum quod dicitur Matth. tertio de eo, quod Joannes vidit: Ecce aperti sunt ei cœli. *Et Angelos Dei ascendentes, & descendentes super Filium hominis.* Ad literam Angeli ad ipsum descenderunt, secundum quod Matth. quarto dicitur: Accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Spiritualiter vero, ut dicit Augustinus, quod dictum est Nathanaeli, modo impletur in Christianis: quia postquam Deus homo ascendit, credentibus in eum aperitur aditus cœli, & vident Angelos, id est Prædicatores, *ascendentes*, dum arcana Deitatis considerant; *& descendentes*, dum humana de eo prædicant. Ista visio figurata est Gen. vigesimo octavo, ubi dicitur, quod Jacob vidit Dominum innixum scalæ, & Angelos ascendentes, & descendentes (c).

Matth. 3. 16. — Matth. 4. 11. Marc. 1. 13. — Augustinus in Jo. Evang. c. 1. Tract. 7. n. 23. ac contra Faust. L. 12. c. 26. — Gen. 28. 12. ac seq.

99. Sed quæritur hic de adventu Domini in Galilæam, quare dicitur hic, quod *in crastinum*, post testimonium Joannis, venit in Galilæam? (d) Contra: alii Evangelistæ dicunt, quod statim ductus est in desertum a Spiritu Matth. quarto, & Mar. primo. Item ibidem dicitur, quod Jesus venit in Galilæam, postquam Joannes traditus est. Sed constat, quod adhuc non erat traditus, sicut dicitur Joan. tertio, quod Joannes longo post tempore baptizavit. Ad hoc respondet Augustinus in Libro de concordia Evang. secundo, quod duplex fuit adventus Domini in Galilæam. Primus fuit post testimonium Joannis, antequam mitteretur in carcerem; & de hoc omnes alii Evangelistæ tacent (e). Secundus vero fuit, postquam Joannes missus est in carcerem, & de hoc dicitur Joan. quarto Capitulo (f). In primo adventu fecit miraculum de Nuptiis (g). In secundo adventu miraculum de Filio Reguli (h). Quod ergo dicitur, quod ductus est in desertum, intelligendum est, quod testimonium illud fuit datum post reditum Domini de deserto (i).

Quæstio de adventu Domini in Galilæam. — Matth. 4. 1. & Mar. 1. 12. — Jo. 3. 23. ac seq. — Responsio. — Augustinus de consen. Evang. L. 2. c. 18. n. 42. — Jo. 4. 3. 43. & 47. — Adventus Christi primus, & secundus in Galilæam.

100.

(a) Deest *quia* in Vulg.; sed habet etiam Interpres Tract. de sacr. Script. Myster. §. 43.

(b) Vulg. *supra*; sed *super* etiam Cod. noster Bernardinian. ac nonnullæ Biblior. Editiones. Item Hugo Card. Lyran. Cod. Goth. apud Blanchin. ac idem Interpres cit. Tract.

(c) De hujusmodi *Scala*, scilicet *Deo homine*, sive *Jesu Christo*, in Proœm. Breviloq. *de sublimit. sacr. Script.*, in Eccl. Hierarch. par. 1. cap. 1., in Exposit. cap. 9. ac 24. S. Lucæ, nec non cit. Tract. de sacr. Script. myster.

(d) Supra num. 89.

(e) Ita quoque ex eodem Augustino Exposit. in cap. 4. S. Luc. ubi ait „ Attendendum, „ quod Evangelista non prosequitur ordinem „ rei gestæ, sed ordinem intentionis suæ, & „ hoc quidem facit pluries: & ideo, cum Evangelista narrat post, quod alius ante, non est „ repugnantia; quia non intendunt dicere eo „ ordine esse facta, quo sunt scripta, sicut dicit Augustinus. Patet quia Lucas cum aliis „ duobus Matthæo & Marco nihil narrat de „ primo adventu Christi in Galilæam, sed de „ secundo. De primo vero determinat solus „ Joannes. " Unde & Cornel. a Lap. Comment. in Matth. cap. 4. ver. 12. animadvertit, „ Omittit siletque Matthæus, æque ac Marcus „ & Lucas, legationem Judæorum ad Joannem „ Baptistam, rogantium, an ipse esset Messias; „ item Joannis ad Christum, rogantis per discipulos: *Tu es, qui venturus es?* Ad hæc conversionem aquæ in vinum in Cana Galileæ; „ ejectionem vendentium & ementium e templo; Nicodemi accessum ad Christum &c. „ quæ omnia facta sunt ante captivitatem Joannis Baptistæ; & a solo Joanne Evangelista „ cap. 1. vers. 34. recensentur &c. " Sic & Beda in Prologo suo super Joannem testatur, & ex eo Dionys. Carthus. Enarrat. in Evang. Matth. cap. 4. Art. 8. ab init.

(f) Idem Cornel. ibi „ Fuit hic secessus Christi „ secundus e Judæa in Galilæam (primus enim „ fuit Joannis 1. 43.) idemque est cum eo, „ qui a Marco c. 1. 14. & Luca c. 4. 14., & „ Joanne c. 4. v. 3. & 43. recensetur, ut recte Jansenius ex iisdem circumstantiis colligit. "

(g) Infra cap. 2. num. 104. ac seqq.

(h) Infra cap. 4. num. 278. ac num. 283. Et sic post Augustinum supra allegatum fere ad verbum Exposit. cap. 1. S. Joan. edit. sub S. Bona. nomine.

(i) Hinc discimus primo, Christum, in Jordane posteaquam fuit a Joanne baptizatus, secessisse in desertum. Secundo redeuntem a deserto, in quo dies quadraginta, totidemque noctes jejunio transegerat, denuo ad Joannem Baptistam venisse, a quo luculentissime commen-

Quæstio altera ve vocatione Discipulorum.

100. Item quæritur de vocatione Discipulorum, quia dubitatur similiter. Dicitur enim hic, quod vocati fuerunt antequam Joannes traderetur. Matthæus vero dicit, quod post traditionem Joannis vocati fuerunt. Item Matthæus dicit, quod vocavit Petrum, & Andream de navi. Hic dictum est, quod ad testimonium Joannis, venerunt ad eum primo Andreas, deinde Petrus.

Responsio. *Augustinus de cons. Evang. L. 2. c. 17. n. 39.*

Matthæus per recapitulationem loquitur, ubi Joannes ordinem Historiæ servat.

Resp. Dicendum, sicut dicit Augustinus, quod Joannes servat ordinem Historiæ; sed Matthæus illud dicit per recapitulationem (*a*). Quod objicitur de modo vocandi, dicendum ad hoc, quod Discipuli Domini dupliciter sunt vocati: uno modo ad fidem: alio modo ad perfectionem. Primo modo vocati fuerunt Petrus, & Andreas, ut Dominum cognoscerent, & in Deum crederent, testimonio Joannis. Secundo modo vocati sunt de navibus, ut omnia relinquerent, & Christum sequerentur. De prima loquitur hic Joannes. De secunda vero loquitur Matthæus (*b*).

Item alia de loco vocationis. *Chrysostomus Hom. 19. in Ev. S. Jo. c. 1.*

101. Item de loco vocationis, quia Dominus vocavit Discipulos de Galilæa, quærit Chrysostomus, cum Judæi essent peritiores in Lege, unde est, quod de Jerosolymis non elegit? Et juxta hoc quæritur, quare vocavit Nathanaelem per Philippum medium? Et iterum cum Nathanael esset persona tam sancta, ut Dominus dicit, & etiam in Lege peritissimus, talem Dominus videtur debuisse constituere in Apostolum. Si dicas, quod voluit eligere simplices; ergo si omnis Christi actio nostra est instructio, videtur quod nos deberemus eligere Prælatos simplices, & idiotas. Ad hoc docet nos respondere Apostolus primæ ad Cor. primo: Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt &c. Et ratio hujus est, ut confundat alta mundi, & ut non glorietur in conspectu ejus omnis caro, & ut ostendatur quod factum est per Apostolos esse virtutis Divinæ, non humanæ prudentiæ. Hinc est, quod Galilæos elegit Apostolos, & Piscatores, & Rusticos simplices; quia, sicut dicit Chrysostomus, Galilæa habet incolas rusticanos (*c*). Hinc etiam est, quod per se vocavit Philippum simplicem, & per illum sapientem Fratrem (*d*). Hinc est etiam, quod Nathanaelem magnum Doctorem in Lege non

Responsio.

1. ad Cor. 1. 26. ac seqq.

Chrysostomus cit. Hom. 19.

mendatus est Joan. 1. 29. Tertio, ea occasione selegisse Discipulos aliquot, se seque ad missionem comparasse. Quippe ait Dionys. Carthus. Enarrat. in Evangel. Joan. cap. 2. Art. 7. ab init. „ Vocatio prædictorum Discipulorum facta est statim post reditum Christi a deserto, „ in quod fuit ingressus statim suscepto baptismo “. Confer August. Calmet. Comment. Lit. in Matth. cap. 4. v. 12., in Luc. c. 4. v. 14. & heic in Joan. v. 29. Fuit autem baptizatus a Joanne anno circiter trigesimo vitæ suæ 6. Januarii, eademque die a Jordane regressus, quadraginta dierum jejunium orsus est in deserto, Matth. 4. 1. Mar. 1. 12. ac Luc. 4. 1. Decima quinta Februarii, victo tentatore, absolutoque quadraginta dierum jejunio, in Galilæam revertitur. Prima Martii, quinquagesimo sexto die a baptismo, legatis Judæorum Jo. 1. 20. respondet Joannes Baptista *se non esse Christum*. Secunda Martii Joannes *videns Iesum venientem ad se ait*: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* Jo. 1. 29. Idem fecit, dixitque Joannes postridie, nimirum die tertia Martii, quo audito duo ex ejus Discipulis mox secuti sunt Jesum, quorum unus Andreas fratrem suum Simonem ad Jesum adduxit Jo. 1. 35. ac seqq. Quarta die Philippus & Nathanael v. 43. ac seqq. Vide sis Monotessaron sive Chronotaxim annorum & gestorum Christi Cornel. a Lap. ante ejus Comment. in Matth. num. 8. ac seqq. nec non Chron. Iac. Tirini cap. 49.

(*a*) Pariter S. Thomas, qui in Joan. Evang. cap. 2. sic loquitur „ Secundum Augustinum „ de consensu Evangelistarum, Matthæus non „ servat ordinem Historiæ, sed illud quod prætermiserat recapitulans, ea narrat post Joannis incarcerationem quæ antea facta fuerant. „ Unde sine ulla temporis consequentis differentia dixit (IV. 18.) *Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres &c.* non addens, Post hoc, vel in diebus illis. “ Porro de prædicta *recapitulatione* loquens S. August. Lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 36. num. 52. inquit „ Sextam regulam Tichonius *Recapitulationem* vocat, in obscuritate Scripturarum satis vigilanter inventam. Sic enim dicuntur „ quædam quasi sequantur in ordine temporis, „ vel rerum continuatione narrentur, cum ad „ priora quæ prætermissa fuerant, latenter narratio revocetur: quod nisi ex hac regula intelligatur, erratur &c. “. Et QQ. in Gen. Q. 25. num. 1. „ Recapitulatio illa, si advertatur in Scripturis, multas quæstiones solvit, quæ indissolubiles possunt videri &c. “

(*b*) Plura circa hanc Evangelistarum conciliationem, scire cupiens adire poterit Natal. Alexandr. Exposit. in cap. 4. Evang. secundum Matth. sens. lit. num. 16. ac seq.

(*c*) Ita quoque ex eod. Chrys. in Exposit. sub S. Bona. nomine.

(*d*) *Fratrem suum in lege doctissimum* quoque appellat Hugo Card. *Fratrem suum literatum, &c.*

ele

non fecit Apostolum (*a*). Hinc est, quod Paulum non inter primos Apostolos vocavit; sed novissime omnium visus est ei, ut tanquam abortivus humiliaretur. Quod ergo objicis, quod nos deberemus eligere simplices; respondendum, quod Dominus elegit simplices, ut faceret sapientes; sed quia non est in nostra potestate facere sapientes, ideo sapientes factos debemus præficere.

Sapientes præficiendi sunt.

Quæstio penultima de obedientia Apostolorum.

102. Item quæritur de obedientia Apostolorum, quia statim secuti nullis visis signis. Videtur quod stulte moti fuerint, sicut dicitur hic de Philippo, & de aliis. Unde Hæretici reprehendunt Matthæum (*b*). Responderi potest, quod illuminati fuerunt interius; vel etiam dicendum, quod exterius fuerunt inducti, Quidam testimonio, ut Andreas, & ejus socius: quidam miraculo (*c*), ut dicitur de Petro Luc. quinto: Quidam exemplo; & sic Philippus, quia vidit Andream & Petrum compatriotas (*d*) suos sequentes, quos noverat esse bonos.

Responsio.

Luc. 5. 3. ac seqq.

Andreas & Petrus Philippi compatriotæ, sive populares.

Postrema quæstio, cur Christus vocatus a Nathanael Filius Dei, se dicit filium hominis.

103. Item quærit Beda, cum Nathanael vocet Christum Filium Dei (*e*), unde est hoc, quod ipse se vocat filium Hominis? Et respondet Beda, quod justo dispensationis moderamine hoc actum est, ut cum utraque natura commemoratur, ipse suam humilitatem (*f*), ille ejus altitudinem fateatur; ut per hoc innotescat utraque natura in Christo, & exemplum humilitatis daretur: unde homo semper in se humilia recognoscat, & dicat. Quod maxime est contra eos, qui habentes aliquos consanguineos nobiles, cum quæritur de origine, non respondent nomen Patris, sed Avunculi; vel alicujus famosi consanguinei. Dominus noster Jesus Christus cum sit nobilis ex parte Patris, sed infimus ex parte Matris, vocat se filium Hominis sæpe, raro dicit se filium Dei, nisi necessitate compulsus. Et notatur ad differentiam aliorum, quod alii dicuntur filii Hominum, qui sunt ex commixtione seminum generati; Christus vero, qui unicum solum habuit Parentem, recte filium Hominis se appellat (*g*).

Responsio.

Beda in Evang. Jo. c. 1. ad finem.

Superbia eorum retunditur, qui de avita consanguineorum nobilitate gloriantur.

Cur Christus vocatus filius hominis.

C A-

---

edoctum in lege & Prophetis, etiam Lyran. Vide supra num. 93.

(*a*) Similiter Glossa ordinar. apud Lyran. ac S. Greg. Moral. Lib. 33. cap. 16. num. 32. Nostro ergo Interpreti minime probabatur opinio eorum, qui putant, Nathanaelem esse ipsummet Apostolum Bartholomæum, adeo ut nomen proprium ejusdem Apostoli fuerit *Nathanael*, cognomen *Bartholomæus*, id est, filius Ptolomæi. Id negantem amplexus est noster Interpres, quam etiam probabiliorem censet Sa.

(*b*) Porphyrius & Julianus apud Lib. 1. Comment. S. Hieron. in Matth. cap. 9. ver. 9. Nec non apud ipsummet Interpretem nostrum Exposit. in Cap. 5. S. Lucæ.

(*c*) Idem Interpres ibi de hujusmodi *miraculo*.

(*d*) Hoc vocabulum acceptum ad significandos ejusdem patriæ viros legitur apud Papiam Lombardum, qui nostro Bonaventuræ usui fuit. Apud Gorran tamen Gallum legere est *conterraneos*, ut magis infra patebit. Hinc prædictum vocabulum indicare mihi videtur Scriptorem potius natione Italum, quam Gallum, illudque fuisse ab ipsomet Bonaventura adhibitum, etiam infra constabit cap. 4. num. 278.

(*e*) Dubitant quidem Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Thomas, an Nathanael ipse crediderit tunc Christum vere Dei Filium, æternum, ejusdemque cum Patre substantiæ; sed neutiquam dubitant Augustinus, Cyrillus, Ammonius, ac post Bedam noster Interpres.

(*f*) Cornel. a Lap. Comment. in Matth. cap. 8. sub ver. 20. „ *Filius hominis*. Id est, homo ab homine prognatus: ita passim se vocat Christus studio humilitatis; quia ipse cum esset Deus, pro nobis dignatus est incarnari fierique homo. “ Item ipsemet D. Bona. Exposit. in cap. 6. S. Luc. ad illa verba: *Dominus est filius hominis, etiam Sabbati*, subdit: *Vocat se filium hominis, quantum ad humilitatem humanitatis assumptæ: & dicit se Dominum Sabbati & legis, quantum ad sublimitatem Divinitatis occultæ.*

(*g*) Sic Iren. Lib. 3. cap: 18. Tertull. Lib. contra Marcion. cap. 10. ac seqq. Gregor. Nazianz. Orat. 4. de Theolog. Item Theophylact. &c. De Filio hominis Christo antonomastice sic appellato, deque hac veritate contra Crellium, & Vuolzogen. Socinianos, ac Grotium vindicata, Natal. Alexand. Exposit. in Evang. secundum Luc. cap. 6. Sen. Lit. num. 3. 4. 5. colum. m. 993.

CAPUT SECUNDUM.

1. ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Gali-
lææ: & erat mater Jesu ibi. 2. Vocatus est
autem & Jesus, & discipuli ejus ad nuptias.
3. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad
eum: Vinum non habent. 4. Et dicit ei Je-
sus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum
venit hora mea. 5. Dicit mater ejus mini-
stris: Quodcumque dixerit vobis, facite. 6.
Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ se-
cundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel
ternas. 7. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt
eas usque ad summum. 8. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, & ferte
architriclino. Et tulerunt. 9. Ut autem gustavit architriclinus aquam
vinum factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui
hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus: 10. Et dicit ei:
Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint,
tunc id, quod deterius est: Tu autem servasti bonum vinum usque
adhuc. 11. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: Et
manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus. 12.
Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus,
& discipuli ejus: Et ibi manserunt non multis diebus. 13. Et prope
erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam. 14. Et invenit
in templo vendentes, boves, & oves, & columbas, & numularios seden-
tes. 15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit
de templo, oves quoque, & boves, & numulariorum effudit æs, &
mensas subvertit. 16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte
ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.
17. Recordati sunt vero discipuli ejus quia scriptum est: Zelus domus
tuæ comedit me. 18. Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod
signum ostendis nobis quia hæc facis? 19. Respondit Jesus, & dixit
eis: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. 20. Di-
xerunt ergo Judæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum
hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? 21. Ille autem dicebat de
templo corporis sui. 22. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati
sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & ser-
moni, quem dixit Jesus. 23. Cum autem esset Jerosolymis in pascha
in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus,
quæ faciebat. 24. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo
quod ipse nosset omnes. 25. Et quia opus ei non erat ut quis testi-
monium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

104.

ET die tertio (a) *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Jesu ibi*. Postquam descripta est Discipulorum vocatio, describitur hic facta per Verbum, & de Verbo incarnato manifestatio; unde Glossa dicit, quod post ostensiones factas per Joannem, ipse Dominus miraculo se ostendit. Hanc igitur manifestationem describit Evangelista hoc ordine. Primo innuitur miraculi faciendi occasio. Secundo miraculi impetratio. Tertio mirabilis aquæ in vinum conversio. Quarto miraculi approbatio. Quinto Christi manifestatio, & Discipulorum ædificatio, quibus Dominus per hoc miraculum se ipsum manifestare dignatus est. Primo igitur innuitur miraculi faciendi occasio, quæ fuit, quod in nuptiis Dominus erat præsens cum Discipulis, propter quod dicitur: *Et die tertio*, scilicet post Discipulorum vocationem (b), *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*. Tangitur locus: *Et erat mater Jesu ibi*. Non dicitur, quod fuerit vocata; quia ratione affinitatis ivit tanquam officiosa, sicut etiam abiit in montana ad Elisabeth ad serviendum ei, ut dicitur Luc. primo. Ratione hujus vocatus fuit etiam Dominus. Propterea dicitur:

Glossa ordinar.

Ordo in describendo miraculo in Cana Galilææ.

Miraculi faciendi occasio.

Luc. 1. 39.

VERSUS SECUNDUS.

105. *Vocatus est autem & Jesus, & Discipuli ejus ad Nuptias*. Chrysostomus: Vocatus est ad Nuptias, non ut aliquis magnus, sed ut consanguineus; & ipse, ut humilis, invitationem non respuit, sed ivit: juxta quod docet Luc. quartodecimo: Cum vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco.

Chrysostomus Hom. 20. in Jo. Evan. c. 2.

Luc. 14. 10.

VERSUS TERTIUS.

106. *Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent*. Tangitur hic secundum, scilicet miraculi impetratio, quæ facta est a Matre miserante sponsi inopiam (c). Propterea dicitur: *Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent*; quasi dicat: Tua abundantia supple eorum inopiam; sciebat enim, quod esset dives in misericordia, & potentia, quamvis appareret egenus. Sed Dominus innuens Matri, quod non poterat hoc ipsa præcipere, secundum quod Mater, nec ipse facere, secundum quod Filius, nec debebat facere, nisi cum adesset tempus proprium; hinc sequitur:

Miraculi impetratio.

Ad Eph. 2. 4.

VER-

(a) Sic etiam apud Hug. Card. sed *tertia* in Vulg. De hoc *die tertio* vel *tertia* infra num. 115. secundum allegoriam, secundum vero literam paulo infra.

(b) *Scilicet a vocatione Philippi & Nathanaelis fratris ejus*, ait Lyran. Cornel. autem a Lap. „ *Die tertia*, a Christi abitu in Galilæam, & „ a vocatione Philippi cap. 1. v. 43. Hoc enim „ ultimum est tempus a Joanne nominatum. „ Ita Origen. Jansen. Toletus, & Franciscus „ Lucas. Aut potius a visitatione & conver„ sione Andreæ & Petri cap. 1. v. 38. Illa „ enim die cœpit Jesus colligere Discipulos, „ iisque se patefacere; inde ergo Joannes com„ putat hic diem tertium, quo iisdem plane se „ patefecit, ostenditque se esse Messiam, per „ conversionem aquæ in vinum. “ Item celebris idemmet Interpres in Chronotaxi gestorum Christi num. 12. „ Tertia exinde die a „ vocatione Petri & Andreæ, scilicet die 5. „ Martii, quæ fuit sexagesima a baptismo Chri„ sti, ait S. Epiphan. hæres. 51. Christus vo„ catus ad nuptias in Cana Galilææ, mutavit „ aquam in vinum; hocque primum ejus fuit „ miraculum, quo se, quis esset, mundo pate„ fecit. Joan. 2. 1. “ Idipsum habet Tirin. in Chron. sac. cap. 49.

(c) Hæc Seraphicus noster Interpres ad normam illorum Patrum, qui crediderunt, Mariam unius caritatis, & misericordiæ caussa id postulasse. Qui vero ex priscis Patribus secus sensisse videntur, aut excusandi, aut ad hanc regulam revocandi.

VERSUS QUARTUS.

107. *Et dicit ei Jesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Quid mihi, & tibi est mulier?* Glossa: Id est, quæ natura est mihi, & tibi communis, secundum quam hoc faciam (*a*)? Mulierem vocat non a fragilitate, sed a natura, & sexu. Hæc enim est illa mulier, de qua Prov. ultimo: Mulierem fortem quis inveniet (*b*)? Quasi dicat: Hoc petere potens es ut sancta mulier, non præcipere ut mater, nec adhuc oportet facere: *Nondum venit hora mea*, id est, meæ clarificationis, & passionis, de qua Joan. decimo septimo: Pater, venit hora, clarifica filium tuum. Sed Mater sciens, hanc responsionem non esse ex indignatione, sed ex humilitate, & instructione, fiducialiter præcipit; unde sequitur:

Glossa interlin. — Cur Deipara vocata mulier a Filio. — Prov. 31. 10. — Jo. 17. 1.

VERSUS QUINTUS.

108. *Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.* Sciebat enim, quod posset; sciebat etiam, quod sciret; sciebat quod vellet: quia semper ei obediebat. Unde Luc. secundo: Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis, Jesus scilicet Parentibus; & ex hoc certa erat, quod faceret. Ideo dicit: *Quodcumque dixerit vobis, facite*, tanquam boni ministri, ut miraculum consequamini, sicut & Naaman: Pater etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debuisses. *Facite quodcumque dixerit*, non diffidatis. Ioan. undecimo: Si credideris, videbis gloriam Dei.

Luc. 2. 51. — 4. Reg. 5. 13. — Jo. 11. 40.

VERSUS SEXTUS.

109. *Erant autem ibi hydriæ lapideæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas.* Tangitur hic tertium, scilicet miraculi operatio. Et quia Deus omnia facit in certo pondere, numero, & mensura, dicit mensuram, in qua hoc miraculum factum est; propter quod dicitur: *Erant autem ibi hydriæ lapideæ sex*. Hydriæ sunt vasa aquæ receptibilia. Gen. vigesimo quarto: Præbe mihi pauxillum aquæ ad bibendum de hydria tua. Hæ hydriæ *positæ secundum purificationem Judæorum*, id est, secundum morem Judæorum ad se purificandum. De hoc more Marc. septimo: Et a foro nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum. *Capientes singulæ metretas binas, vel ternas.* Metreta dicitur a metron, & vocatur hic mensura communis, & usitata, sicut Parisius septarium vini dicimus (*c*). Secundum has igitur mensuras factum est miraculum ad Domini imperium; propter quod subdit:

Miraculi operatio. — Sap. 11. 21. — Gen. 24. 17. — Marc. 7. 4. — Metreta. — Septarium Parisiense.

VERSUS SEPTIMUS.

110. *Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.* Et intelligendum, quod cum impletæ fuerunt, Domini virtute in vinum conversa est aqua; ideo impleri præcepit, ut plenum opus faceret, secundum quod in conditione rerum Gen. primo: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Et Deut. trigesimo secundo: Dei perfecta sunt opera.

Gen. 1. 31. — Deut. 32. 4.

VERSUS OCTAVUS.

111. *Et dixit* (*d*) *eis Jesus: Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt.* Tangitur hic quartum, scilicet miraculi approbatio in approbatione vini facta testimonio Architriclini, cujus erat de vino probare; propter quod dicit: *Et dixit*

Miraculi approbatio.

(*a*) Glossa interlin. apud Lyran. sic ait: *Augustinus: Quid est commune Deitati meæ, & tibi matri secundum carnem?* Videsis S. August. Tract. 8. in Jo. Evang. cap. 2. num. 9.

(*b*) Sic Exposit. in cap. 1. S. Lucæ idem Interpres.

(*c*) Apud Gorran *Sextarium*. Ex ly *Parisius* arguitur, hæc fuisse scripta a Bonav. dum esset Parisiis. In Glossario Ducangiano „ *Septarium*, a Gall. *Septier*, pro *Sextarium*. Charta apud Lobinell. tom. 2. Hist. Britan. col. „ 128. *Honores quos in pace & maxima tranquillitate tenebant, scilicet decimas... Sex septaria frumenti singulis annis &c.* " Et Verbo *sextarium*, vel *sextarius*, admonemur „ Variæ „ fuit capacitatis sextarius pro variis locis, cum „ in aridis, tum in liquidis, ut de aliis mensuris passim est a nobis observatum." Quod autem spectat ly *Parisius* pro *Parisiis*, Vide Prodromum col. 421.

(*d*) Vulg. *dicit*; sed *dixit* etiam S. Thom. in Comment. tametsi in Cat. *dicit*. Sed & Cod.

dixit eis Jesus, scilicet Ministris: *Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt*, secundum ejus imperium: scilicet ideo ad ipsum præcepit ferri, quia Nuptiis præerat, & judicabat de hujusmodi. Architriclinus a Triclinio; Triclinium, id est, tres ordines discumbentium, altitudine distantes (a); inde Architriclinus, quia præerat convivio ordinis trium mensarum; vel Architriclinus trium Camerarum; vel generaliter, qui præesset servientibus, ut dicit Chrysostomus. Ad hunc præcepit ferri, ut de vino judicaret; propter quod dicitur:

Triclinium. Architriclinus.

Chrysostomus Hom. 21. in Jo. Evang. c. 12.

VERSUS NONUS.

112. *Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam*, id est, vinum factum ex aqua, *& non sciebat, unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat Sponsum Architriclinus*; ut scilicet ipsum redarguat, & vinum commendet, & extollat.

VERSUS DECIMUS.

113. *Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit* (*primum*, id est, in principio) *& cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est*, quia tunc non valent dijudicare, sed omne vinum dicunt bonum: *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc*; id est, usque ad finem, & ita inordinate, & contra morem fecisti. Malus mos erat iste, quia contra veritatem, & contra sobrietatem. Unde ad Eph. quinto: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed impleamini (b) Spiritu sancto, loquentes &c.

Ad Eph. 5. 18.

VERSUS XI.

114. *Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli ejus.* Tangitur hic quintum, scilicet Divinæ gloriæ manifestatio, & fidei Discipulorum ædificatio. Ratione manifestationis suæ dicit: *Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam.* Glossa: Id est, latentem Divinitatem. Io. quartodecimo: Ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Ratione ædificationis Discipulorum dicit: *Et crediderunt in eum Discipuli ejus*; id est, firmius crediderunt. Beda: Discumbente Domino ad Nuptias, vinum defecit, ut, vino meliori per ipsum mirabili ordine facto, manifestaretur gloria latentis in homine Dei, & credentium in eum fides aucta proficeret (c).

Divinæ gloriæ manifestatio, & fidei Discipulorum ædificatio.

Glossa interlin. *Jo. 14. 21.* *Beda in Evan. c. 2. paucis post init.*

115. Allegorice triplex est dies (d), secundum triplex tempus, Naturæ scilicet, Legis, & Gratiæ (e). In hoc tertio nuptiæ factæ sunt inter Christum, & Ecclesiam, in carnis assumptione, de quibus Matth. vigesimo secundo: Simile est (f) Regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. In his nuptiis aquæ insipidæ, & sine nutrimento, conversæ sunt in vinum sapidum, & jucundum; quia umbra legis in veritatem, ad Hebr. decimo: Umbram habens lex futurorum bonorum &c.; varietas sacrificiorum in unitatem, ad Hebr. decimo: Omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam &c.; asperitas pœnarum in levitatem, Act. quintodecimo: Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum &c.? ænigmata in lucem, secundæ ad Cor. tertio: Usque in hodiernum diem velamen est positum, nos autem (g) revelata facie gloriam Domini speculantes &c.; terrores in amorem, ad Rom. octavo: Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum &c.; promissiones in adeptionem, Luc. primo in Cantico Zachariæ: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem ple-

Allegorica expositio triplicis diei, & Christi nuptiarum.

Matth. 22. 2. *Ad Heb. 10. 1.* *Ad Heb. 10. 11. ac seq.* *Act. 15. 10.* *2. ad Cor. 3. 15. ac seqq.* *Ad Rom. 8. 15.* *Luc. 1. 68.*

Brixian. apud Blanchin. habet *dixit*, sicut etiam Cod. noster Bernardinian.

(a) Sic Beda in Evang. Jo. Cap. 2. ac Glossa ordinar.

(b) In Vulg. *implemini*; at *impleamini* perantiquus Cod. noster membr. A. II. 39. Hugo Card. Lyran. Edit. Biblior. Basileen. 1509.

(c) De textu prædicto latius disserentem videsis nostrum Interpretem Serm. 1. per totum Dom. 2. post Epiphaniam.

(d) De quo supra num. 104.

(e) Ita etiam Exposit. in cap. 2. S. Jo. inter edita sub Bonav. nomine. Favet Beda in Evang. Jo. cap. 2. ab init. nec non Glossa ordinar.

(f) Vulg. *factum est*; sed sine *factum* etiam Serm. de Seminante num. 38.

(g) Vulg. *nos vero omnes*; sed *nos autem* ipsemet Interpres etiam Comment. in Apocal. cap. 1. num. 2. ac alibi pluries.

plebis suæ. Et hæc facta sunt ad preces Virginis, ipsa intercedente, Luc. primo: Ne timeas Maria invenisti enim gratiam apud Dominum. Luc. 1. 30.

Moralis expositio de Nuptiis Dei & Animæ.

116. Moraliter Nuptiæ istæ sunt Dei & Animæ (a) in ipsa reconciliatione Animæ ad Deum. Oseæ secundo: Sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus. Ose. 2. 20. Ad has Nuptias faciendas venit Dominus Jesus, sed invitatus. Apocal. tertio: Ecce ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo (b) ad illum, & cœnabo cum illo. Apoc. 3. 20. Vinum in his nuptiis defecit. Hoc vinum est interna devotio, de quo in Psal. Vinum lætificat cor hominis. Psal. 103. 15. Et Matth. nono: Nemo mittit vinum novum in utres veteres. Matth. 9. 17. Istud vinum deficit, cum homo efficitur aridus, & indevotus, sicut dicit Anima sancta in Psal. Anima mea, sicut terra sine aqua, tibi. Psal. 142. 6. Sed ad preces Virginis, quæ compatitur miseris, Dominus implet hydrias aqua compunctionis, quæ convertitur in dulcedinem devotionis (c). Unde Exo. quinto decimo dicitur, quod aquæ Marath in dulcedinem conversæ sunt. Exo. 15. 25. Nota igitur, quod hydria, in qua hauritur aqua, est consideratio. Hydria vacua est consideratio defectus, & vacuitatis, quam incurrit homo per peccatum. Ista hydria impletur aqua, cum homo ex consideratione tali lacrymis perfunditur. Est igitur hydria prima consideratio defectus cognitionis; Tob. quinto: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo &c.? Tob. 5. 12. Secunda hydria consideratio defectus circumspectionis circa hostem; secundæ ad Cor. undecimo: Timeo autem, ne sicut serpens seduxit Hevam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo. 2. ad Cor. 11. 3. Tertia est consideratio defectus internæ consolationis; Jer. secundo: Vide quia malum, & amarum est, te reliquisse Dominum Deum tuum. Jer. 2. 1. Quarta est consideratio defectus virtutis ad resistendum; Psal. Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum, & ipsum non est mecum. Psal. 37. 11. Quinta est consideratio defectus stabilitatis; Gen. octavo: Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Gen. 8. 21. Sexta est consideratio defectus securitatis ad prœmium expectandum; Ecclesiastici nono: Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. Eccle. 9. 1. Tunc implentur istæ hydriæ aqua usque ad summum, quando anima pœnitens lavat per singulas noctes ex his considerationibus lectum suum. Psal. 6. 7. Et ex aqua vinum fit optimum devotionis, de quo Zach. nono: Quid bonum ejus (d), & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Zach. 9. 17. In hoc convertitur aqua compunctionis; unde sancta Anima in Psal. Convertisti planctum meum in gaudium mihi. Psal. 29. 12.

Quæstio prima de tempore nuptiarum.

117. Incidit quæstio inter Expositores, primo de tempore nuptiarum; dicitur enim a quibusdam, quod factæ fuerunt eo die, quo Dominus baptizazatus. Sed quomodo potest hoc stare, cum dicatur, quod *die tertio factæ sunt*, postquam Dominus venit de Judæa (e)? Respondent, quod eodem die, anno revoluto (f). Sed tunc repugnat sequens litera; dicitur enim Joan. eodem, quod descendit Capharnaum, & quod non mansit

(a) De hujusmodi *nuptiis* idem Interpres Præfat. in Cant. Canticor. §. 23. Item Comment. in Apocal. cap. 19. ver. 7. num. 1393. ac sequenti &c.

(b) Vid. Comment. in Apocal. ad d. cap. & text. num. 240.

(c) Hinc Natal. Alexand. in Exposit. Evang. secundum Joan. cap. 2. sens. Moral. num. 1. 2. sic hortatur B. M. V. pios cultores „ Ad „ illam confugiamus, non ut aquæ in vinum „ mutationem; sed ut conversionem cordis no„ stri impetremus: non ut bona temporalia, „ quæ fluxa sunt & insipida sicut aqua; sed „ ut bona spiritualia, gratiam, caritatem, fru„ ctum vitis veræ, sanguinis & meritorum „ Christi applicationem, vinum germinans Vir„ gines, bonorumque operum fœcunditatem „ tribuens, a Deo obtineamus. “

(d) Vulg. *est;* sed absque *est* quoque supra Exposit. in Cant. cap. 1. §. 24. col. 85. ac Vol. 2. Comment. in Apocal. cap. 14. num. 1023. nec non apud Marianam secundum Hebr.

(e) Hugo Card. „ *Et die tertio*, postquam „ exivit de Judæa ubi fuerat cum Joanne “

(f) Serm. 1. Dom. 2. post Epiph. *Eadem die, licet diversis temporibus, triplex fecit signum &c.* Ita quoque idem Hugo Card. inquiens „ Vel „ sic (*& die tertio*) i. tertio repetito, ita ut „ *tertio* notet ordinem, & numerum factorum „ Christi, secundum trium annorum revolutio„ nem. Verbi gratia. Tertiadecima die na„ tivitatis Christi adoraverunt tres Magi Do„ minum, eadem die transactis annis triginta, „ baptizatus est Christus, eadem die, anno uno „ revoluto mutavit aquam in vinum. Est er„ go sensus (*Et die tertio*) i. eadem die, ter„ tio repetito, i. in tertia repetitione ejusdem „ diei, sc. tertia decima a Nativitate. “ Similiter S. Tho. Comment. in Jo. Evang. Cap. 2.

mansit ibi diu, quia erat proximum Pascha (a); ergo nuptiæ istæ factæ fuerunt prope Pascha, non ergo in Epiphania. Quod si concedatur, in contrarium est mos Ecclesiæ; quia Ecclesia eodem die festa tria celebrat. Resp. Dicendum, quod, sicut dictum est, hic sunt diversæ opiniones, & utraque probabilis, & sustineri potest. Si enim velimus sustinere, quod factum fuerit hoc miraculum post baptismum Domini, & reditum ejus de deserto, & adventum in Galilæam (b), dicemus, quod fuit prope Pascha. Nec obstat mos Ecclesiæ; quia Ecclesia simul ista tria celebrat de Stella, & Columba, & vino mutato, quia Dominus in his tribus primo innotuit: vel quia aquæ mutatio significat vim regenerativam aquis collatam, Domino baptizato (c). Si autem velimus sustinere aliam opinionem, respondebimus, quod *post hæc* (d) *descendit Capharnaum* intelligendum, quod non statim *post hæc*; sed aliquanto tempore interposito, ita quod Pascha appropinquabat.

Responsio.

Cur tria signa simul in Epiphania celebrantur.

118. Quæstio de eo, cujus fuerunt nuptiæ. Et quod fuerunt Ioannis, dicitur in Prologo Hier. supra, & Augustinus dixit in Glossa similiter super principium (e). Sed contra opponit Victor (f): Cum virginitas sit perpetuæ incorruptionis meditatio (g), non est credendum, quod Ioannes, cui testimonium de virginitate perhibetur, unquam consenserit in actum carnis. Respondendum ad hoc, quod quia Majorum (h) auctoritas in hoc concurrit, tenendum, quod fuerunt Joannis (i). Et hujus signum potest haberi ex litera; quia Joannes erat consanguineus Domini, & propter hanc caussam ipse, & Mater ejus ad nuptias sunt vocati. Quod ergo objicit Victor, dupliciter solvitur. Uno modo, quod non consenserit in carnis actum, seu copulam carnalem absolute; sed, sicut Maria Virgo, dispositioni sancti Spiritus se commisit, ut sic Virgo, qui erat Virginem servaturus, in modo Virginitatis cum Virgine conveniret. Aliter respondetur, quod esto quod consentiret absolute, virtus non est minuta; quia licite consensit (k). Similiter dignitas virginitatis; quia cum virginitas dicat incorruptionem mentis, & carnis, potest tripliciter perdi. Aut perditur incorruptio utriusque, & tunc perditur æternaliter, & temporaliter. Aut perditur incorruptio mentis tantum, & tunc perditur recuperabiliter (l). Aut incorruptio corporalis tantum, & tunc perditur temporaliter, sed non æternaliter; quia gloriam virginitatis habebit: sed tamen, sicut dicit Leo Papa de

Quæstio secunda de eo, cujus fuerunt nuptiæ.

Augustinus, sive incertus Auctor Præfationis Commentario ejusdem S. Aug. præfixæ.

Victor.

Virginitas est perpetuæ incorruptionis meditatio.

Responsio.

Virginitas, ut est incorruptio mentis & carnis potest tripliciter perdi.

(a) Infra ver. 12. ac seq. num. 121. & 123.

(b) Vide supra Cap. 1. num. 99.

(c) Hæc plausibilior est inter Interpretes recentiores opinio.

(d) Vulg. *post hoc*; sed *post hæc* etiam apud Exposit. in Evang. S. Jo. sub Bonav. nomine. Apud S. Tho. in Cat. cap. 2. Evang. S. Joan. *post hæc*; sed *post hoc* Comment. in idem cap. 2. Evang. S. Jo. In Edit. autem Lugdun. sacr. Biblior. 1568. in textu *post hæc*; & in margine *hoc*. Sed & Editiones antiquiores habent *post hæc*, nec non Glossa ordinar. Lyran. Dionys. Carth. Item Codd. Veronen. & Brixian. in Evang. Quadrupl. Cl. Blanchinii. Quibus apud ipsum in Vindic. Canonicar. Scripturar. accedit Exempl. Goth. Insuper *post hæc* habent Cod. noster Bernardinian. & alius Tabular. Episc. Tridentin. Evangeliarium autem Trident. vetustissimum ejusd. Tabular. habet quidem *post hoc*, sed addit *signum*.

(e) Præfatus incertus Auctor sic ait: *Iste est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit &c.* Ad confirmationem hujus opinionis refert Tirinus in fine Chronici sacri, quod *ipse Joannes revelavit S. Geltrudi, Joannem fuisse Sponsum illum in nuptiis Canæ Galilææ*; ac etiam addit apud ipsum Barradius, *Sponsam quoque Joannis se pariter virginem consecrasse Christo, ac lateri Beatæ Virginis adhæsisse*. Favet insuper S. Bonaventuræ S. Tho. 2. 2. Q. 186. Art. 4. Soto in 4. Dist. 27. Q. 1. ad 4. & alii, quorum tamen opinioni non adhærent Estius, Cornel. a Lap. Mariana, aliique recentiores, verosimilius rati, sponsum in hisce nuptiis fuisse potius Simonem Apostolum, qui a Cana hac cognominatus est *Cananæus*. Vide supra Prologum num. 12. in not. *b*.

(f) Jam hujus *Victoris* mentionem sæpius audivimus.

(g) Hanc virginitatis definitionem idem tradit Bonaventura in 4. Dist. 32. Dub. 3. nec non in Centiloq. par. 3. sect. 42. prope finem.

(h) Apud Gorran *major*.

(i) Huic ergo opinioni adhæsit noster Interpres, quia pro ipsa stare censuit *Majorum* auctoritatem, quam pro sua modestia reverebatur. Unde intelligendus est secundum horum potius opinionem suo tempore pervulgatam, quam secundum propriam certam sententiam loquutus. Namque ait in 4. Dist. 33. Ar. 2. Q. 3. ad opp. de beato Joanne, quod *voluit nubere, sicut dicitur*.

(k) *Licite*, inquam, *consensit*, quia, uti legere est apud ipsum Bonaventuram in 4. Dist. 28. art. 1. q. 6. in concl. *Joannes nec voverat, nec proposuerat virginitatem servare*.

(l) Idipsum tradit in 4. Dist. 33. art. 2. q. 3. ad 4. in fine inquiens „ Si perdatur in-„ corruptio mentis, salva incorruptione carnis, „ tunc

Leo Papa ad Episcopos Africanos Epist. 1. alias 87. c. 8. To. 1. Edit. Lugdun. 1700.

de corruptis per violentiam, non audeant tales sacris Virginibus se comparare (*a*). Quia igitur Joannes carne mansit incorruptus, etsi mens consentiret, postmodum tamen in idem rediit.

Quæstio tertia de hoc quod Dominus ivit ad nuptias.

119. Quæritur de hoc quod Dominus ivit ad nuptias. Et videtur, quod non debuerit. Si enim locus nuptiarum est locns commessationis, & ipse Dominus omnem commessationem debuit fugere, ergo nec illuc ire.

Responsio.

Resp. Dicendum, quod ivit, ut fidem astrueret, & hæresim extirparet. Fidem Discipulorum vocatorum firmavit per miraculum. Fidem etiam sponsi adeptus est.

Hæresis Juliani nuptias damnantis.

Hæresim extirpavit, scilicet Juliani (*b*), qui nuptias damnat. Quod contra, Dominus voluit esse præsens, & nuptias firmare, & approbare miraculo. Si vero Dominus vocatus ire recusasset, tunc videretur hæresi illi favisse, & nuptias damnare.

Quæstio quarta de responsione Domini ad Matrem.

120. Quæritur de responsione Domini ad Matrem: *Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Aut enim Divina Virgo petebat petendum, aut non petendum. Si petebat petendum; ergo non debuit ita acriter respondere. Si petebat non petendum; ergo petentem non debuit exaudire. Item quid est, quod dixit: *Nondum venit hora?* Aut enim venit, & ita falsum dicit: aut non venit, & ita male facit, quod ante horam facit.

Responsio.

Resp. Dicendum, quod Domini responsio non est insultatoria; sed instructoria. Ostendit enim, qua ratione matri petenti satisfaciat. Unde in petente tria considerantur: petens, & hæc est mater Domini: pro quibus petit, quia pro consanguineis pauperibus: quid petit, quia miraculum. Dominus ostendit in responsione, quod hoc non debebat petere, ut mater; quia non ex natura ab ipsa tracta hoc poterat facere. Ideo dicit ei: *Mulier*, non dicit *Mater*. Non debebat petere pro consanguineis, tanquam curam habens parentum carnalium. Ideo dicit: *Quid mihi, & tibi est?* Ostendit, quod miraculum non est solum faciendum propter indigentiam, sed potius ad manifestandam suam gloriam, cujus manifestandæ nondum erat necessitas. Ideo dicit: *Nondum venit hora mea*. Quia tamen petens Mulier Sancta erat: quia illi, pro quibus petebat, pauperes erant: quia Discipulis gloria manifestanda erat: ideo exaudivit eam. Quod objicitur de hora, intelligendum, nondum venerat perfectæ manifestationis, qualis fuit circa mortem. De hora dicit Augustinus, non qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. Unde Joan. decimo: Potestatem habeo ponendi animam meam, & nemo eam tollit a me.

Augustinus in Jo. Evang. c. 2. Tract. 8. n. 12.

Jo. 10. 18.

VERSUS XII.

121. *Post hæc (c) descendit Capharnaum ipse, & Mater ejus, & Fratres ejus, & Discipuli ejus: & ibi manserunt non multis diebus.* Manifestavit se supra Dominus Discipulis. In hac parte usque ad quartum Capitulum agitur de manifestatione facta Judæis, quibus se tripliciter manifestat; scilicet signo, verbo, & Sacramento.

Divisio hujus partis in tres.

Ideo habet hæc pars tres partes. In prima agitur de manifestatione facta per signum virtutis. In secunda per verbum eruditionis ibi: *Erat autem quidam homo (d) ex Pha-*

Jo. 3. 1.

„ tunc perditur quod formale est, & manet „ quod est materiale: & quia illa redit ad „ suum propositum, & habet materiale substratum, redeunte virginitate, virgo judicanda „ est, licet non in tanta gloria, in quanta esset, si nunquam consensisset: & hoc sentire „ videtur magis pium." Alioquin, ut idem Doctor argumentatur ad opp. prædictæ quæstionis, *paucissimis deberetur aureola, etiam non beato Joanni, qui voluit nubere, sicut dicitur: & tamen ejus virginitas multum commendatur.* Sic commendatur virginitas S. Ursulæ & Sociarum ejus, quæ tamen desponsatæ fuisse dicuntur. Sic virginitas S. Elzearii cum S. Delphina conjuge sua. Sic virginitas B. Cunegundis Boleslao Poloniæ Duci in matrimonium traditæ &c.

(*a*) Sic secundum S. Bonaventuram ibi ex Leone Papa, potius quam apud Gorran: *Sicut dicit Hieronymus, non debent tales inter Virgines se computare.*

(*b*) Videsis S. August. contra Julianum Pelagianum L. 1. cap. 2. num. 4. Forte tamen loco *Juliani* legendum *Tatiani*, ut est apud Bedam Hom. Dom. 1. post Epiph., ac refert S. Thomas in Catena in Evang. S. Jo. cap. 2. & habetur etiam apud Dionys. Carthus. viderique potest de prædicta *Tatiani hæresi* noster Alphonsus de castro Zamorensis Lib. 11. adversus Hæreses verbo *Nuptiæ*.

(*c*) Vide supra col. 511. num. 117. in not. *d*.

(*d*) Vulg. *homo* absque *quidam*. Apud Emanuelem Sa: *Homo, id est, quidam, Heb.* Et apud Jo. Marianam pariter: *Homo, id est, quidam, more Hebr.* Item *erat autem homo quidam* in prisco Evangeliar. Ecclesiæ nostræ Trident.

Pharisæis. In tertia per Sacramentum regenerationis ibi: *Post hæc venit Jesus, & Discipuli ejus in Judæam terram* (a). Prima pars habet duas partes. In prima manifestat se signo auctoritatis. In secunda signo virtutis, & potestatis ibi: *Responderunt ergo Judæi, & dixerunt &c.*

Jo. 3. 22.

Signum auctoritatis.

122. Signum auctoritatis fuit in potestativa transgredientium correctione, quæ describitur hoc ordine. Primo innuitur Domini ad corripiendum expeditio: secundo vero manifesta Judæorum transgressio: tertio transgredientium correctio: quarto correctionis approbatio. Domini ad corripiendum expeditio in hoc notatur, quo descendit Capharnaum, ut ibi Matrem, & Fratres relinqueret; propterea dicit: *Post hæc* (scilicet quæ narrata sunt) *descendit Capharnaum ipse, & Mater ejus, & Fratres ejus, & Discipuli ejus*. Cum omnibus descendit, quia ad habitandum ibi venit Matth. quarto: Relicta Civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum maritima. Ideo cum omnibus descendit; ut expeditius ascenderet. Propterea dicit: *Et ibi manserunt non multis diebus*. Et ratio hujus subditur.

Domini ad corripiendum expeditio.

Matth. 4. 13.

VERSUS XIII.

123. *Et prope erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam*. Et propterea ad se præparandum descendit. Chrysostomus: Ideo descendit, paulo post Jerosolymam ascensurus, ut non ubique Fratres, & Matrem traheret. Ascendit autem secundum morem Judæorum, & mandatum Legis Deut. sextodecimo: Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum coram Domino. Et licet Dominus non esset Legi subjectus, observabat tamen, ne videretur contrarius.

Chrysostomus in Jo. Evang. Hom. 22.

Deut. 16. 16.

VERSUS XIV.

124. *Et invenit in Templo vendentes oves, & boves* (b), *& columbas, & numularios sedentes*. Tangitur hic secundum, scilicet Judæorum manifesta transgressio; quia de Templo fecerunt forum, propter quod dicitur: *Et invenit in Templo vendentes oves, & boves, & columbas*. Hoc enim introduxerat avaritia Sacerdotum, ut volentibus offerre non deesset oblatio. *Et numularios sedentes* (supple invenit), & hos introduxerunt Sacerdotes, ut volentibus offerre non deesset pretium; & sic totaliter avaritiæ deserviebant. Ideo conquerebatur Dominus per Jeremiam sexto: A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student.

Judæorum manifesta transgressio.

Jer. 6. 13.

VERSUS XV.

125. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, oves quoque, & boves, & numulariorum effudit as, & mensas subvertit*. Tangitur hic tertium, scilicet Domini potestativa correctio; quia non tantum verbo corripuit, sed etiam facto. Propterea dicit: *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis*, scilicet ad percutiendum, *omnes ejecit de Templo, oves quoque, & boves*, tanquam indignos esse in Templo; sicut dixit Dominus ad Sobnam Templi Præpositum Isa. vigesimo secundo: Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. *Et numulariorum effudit as, & mensas subvertit*. Et sic aspere corripuit facto. Corripuit etiam verbo & hos vendentes columbas. Propterea subdit:

Domini potestativa correctio.

Isa. 22. 19.

VERSUS XVI.

126. *Et his, qui vendebant columbas, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*. De hac domo dicitur in Psalmo: Domum tuam, Domine, decet sanctitudo, non negotiatio. Augustinus: Si talia prohibet in loco orationis, quanto magis potationes, & ebrietates, & cetera consimilia (c)? Ideo præcepit in Regula sua (d), quod in Oratorio nihil

Psal. 92. 5.

Augustinus in Jo. Evang. c. 2. Tract. 10. n. 4.

Idem in Reg. ad servos Dei n. 3.

(a) Vide infra cap. 3. num. 184.

(b) Vulg. *boves, & oves*; sed ut supra S. Thomas tam Comment. in Jo. Evang. quam in Catena. Habet etiam *oves & boves* Editio sacror. Biblior. Lugdun. 1568. ita tamen, ut in margine alia lectio notetur *boves & oves*. Sed & *oves & boves* habent Editiones longe antiquiores, nec non Codd. Vercellen. & Brixian. nosterque Bernardinian.

(c) Similiter cum cit. Augustino Exposit. in cap. 2. S. Jo. inter edita sub Bonav. nomine.

(d) Inter Bonaventuriana inedita *Epistola declarantes Regulam S. August.* in Prodromo col. 725. ac de hujusmodi *Regula* ibi col. 509.

hil fiat, præter id, ad quod institutum est.

VERSUS XVII.

127. *Recordati sunt vero Discipuli ejus, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.* Hic notatur quartum, scilicet correctionis approbatio facta per Scripturam; propterea dicit: *Recordati sunt vero Discipuli ejus*, non tunc, sed post resurrectionem, cum intellexerunt Scripturam. Tunc, inquam, recordati sunt, *quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me* in illo Psalmo sexagesimo octavo: Salvum me fac Deus. De hujus zeli comestione dicit Augustinus: Ille comeditur zelo domus Dei, qui omnia, quæ videt ibi perversa, satagit corrigi, cupit emendari, non quiescit: si emendare non potest, tolerat, & gemit (*a*).

Correctionis approbatio.

Ps. 68. 10.

Augustinus in Jo. Evang. c. 2. Tract. 10. n. 9.

128. Mystice sunt tria hic notanda, scilicet adventus Domini in Templum, inventio transgressorum, & eorum ejectio. De adventu Hieronymus: Secundum mysticum intellectum Jesus quotidie ingreditur Templum Patris, & ejicit omnes de Ecclesia, habens reos unius criminis vendentes pariter & ementes. Scriptum est enim: Gratis accepistis, gratis date, Matth. decimo (*b*). *Invenit vendentes boves.* Beda: Boves sunt Prædicatores, quibus aratur, & seminatur terra Domini semine verbi Dei, primæ ad Cor. nono: Non alligabis os bovi trituranti. Item Beda (*c*): Boves vendunt, qui non Divino amore, sed terreni quæstus intuitu verbum prædicationis audientibus impendunt. *Invenit & vendentes oves.* Oves sunt, sicut dicit idem Beda, opera pietatis, & misericordiæ. Has vendunt, qui humanæ

Mystice notanda tria de adventu Domini in templum, inventione transgressorum, eorumque ejectione.

Hieronymus Comment. in Matth. L. 3. c. 21.

Matth. 10. 8.

Beda in Evang. Jo. cap. 2.

1. ad Cor. 9. 9.

Beda ibi.

Beda ibi.

gratia laudis opera pietatis exercent, sicuti sunt hypocritæ. *Invenit vendentes columbas.* Columbæ sunt dona Spiritus sancti; quia super Christum in specie Columbæ apparuit Matth. tertio. Has columbas vendunt, qui acceptam Spiritus sancti gratiam ad pretium dant; qui impositionem manuum, qua Spiritus sanctus accipitur, etsi non ad quæstum pecuniæ, ad vulgi tamen favorem tribuunt; qui sacros Ordines (*d*) non ad vitæ meritum, sed ad gratiam largiuntur. *Invenit numularios.* Beda. Numos mutuo dant in Templo, qui non simulate cælestibus, sed aperte terrenis rebus in Ecclesia deserviunt, sua quærentes, non quæ Jesu Christi; ad Philip. secundo: Omnes quærunt quæ sua sunt. *Ejecit vendentes oves & boves*, ut dicit Beda, quia talium vitam pariter & doctrinam ostendit esse reprobam. *Numulariorum effudit æs, & mensas subvertit;* quia damnatis in fine reprobis, etiam ipsarum rerum, quas dilexerunt, tollet figuram, secundum quod scriptum est: Transibit mundus (*e*), & concupiscentia ejus, primæ Joan. secundo. Et: Præterit figura hujus mundi, primæ ad Cor. septimo. Columbas auferri præcepit, &, secundum Hieronymum in Matthæum, cathedras vendentium columbas evertit, qui vendunt gratiam Spiritus sancti (*f*); quia talium negotiatorum Sacerdotium destruit. Hinc est, quod sacri Canones simoniacam hæræsim damnant (*g*), & eos Sacerdotio privari præcipiunt, qui de Sacerdotio pretium quærunt.

Columbæ sunt dona Spiritus sancti.

Matth. 3. 16.

Beda ibi.

Ad Philip. 2. 21.

Beda ibi.

1. Jo. 2. 17.

1. ad Cor. 7. 31.

Hieronymus ibi.

Sacri Canones contra Simoniacam hæresim.

129. Quæritur hic de ordine Historiæ. Hic enim dicitur, quod hæc ejectio fuit statim post primum miraculum: Matth. vero vigesimo primo nar-

Quæstio, & Augustini responsio de ordine Historiæ.

Matth. 21. 1. ac seqq.

(*a*) Sic ex eodem Augustino in Exposit. cap. 2. S. Jo. inter edita sub Bonav. nomine.

(*b*) Loc. supra cit. col. 162. To. 7. Edit. Veron. 1737. inquit Hieronymus „ Secundum „ mysticos intellectus quotidie Jesus ingreditur „ Templum Patris, & ejicit omnes tam Epi- „ scopos & Presbyteros & Diaconos, quam „ laicos, & universam turbam de Ecclesia sua, „ & unius criminis habet vendentes pariter & „ ementes. Scriptum est enim: *Gratis accepi-* „ *stis, gratis date.* “ Vide hujus textus ampliorem declarationem apud ipsummet Interpretem nostrum Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. Hoc ipsomet textu heic quoque utitur Dionys. Carthus.

(*c*) Apud Gorran *Bernar.*

(*d*) Heic noster Interpres ex Beda memorat *sacros Ordines*, sicut paulo ante *impositionem manuum*, quia, ut inquit in 4. Dist. 24. par. 2. art. 1. q. 4., *manus est organum organorum, in quo scilicet principalius residet potestas operandi, unde sic ordinabant in Ecclesia primitiva.*

(*e*) Vulg. *transit mundus*; sed *mundus transibit*, pervetustus Cod. noster Membr. A. II. 39. aliusque noster membr. Art. I. 40. Item Lyran. &c.

(*f*) Secundum etiam Origenem, mystice vendunt columbas, qui pecunia vendunt gratiam Spiritus Sancti, puta Ordinationes, Sacerdotia, & Beneficia; Columba enim est Symbolum Spiritus sancti.

(*g*) De *simeniaca hæresi* Doctor noster 4. Dist. 25. Dub. 6. & Art. 1. Q. 3. & 4. ubi etiam de sacris Canonibus ipsam damnantibus.

narratur hoc fuisse circa Passionem, quando sedit super asellum. Ad hoc respondet Augustinus de concord. Evang. quod bis hoc factum est; sed primum commemoratum est a Joanne, secundum ab aliis. Et per hoc solvuntur repugnantiæ, quæ possunt objici; quia ibi duriori modo corripit, & alia verba dicit, quam hic (a).

Augustinus de consen. Evang. L. 2. c. 68. n. 129.

Quæstio alia de inventione ovium in Templo.

130. Item quæritur de inventione ovium in Templo. Sacerdotes non patiebantur, quod immundi homines intrarent in Templum; quanto ergo minus de ovibus, & bobus, qui magis templum fædarent? Multo minus videtur probabile: Resp. Dicendum, quod quatuor Atria erant in Templo. Primum erat Sacerdotum. Secundum mundorum Virorum. Tertium mundarum Mulierum. Quartum Immundorum & Gentilium. Et quodlibet istorum large appellabatur Templum, & in hoc quarto invenit hujusmodi animalia.

Responsio. Quatuor templi atria.

Tertia quæstio de correctione.

131. Item quæritur de correctione. Quia dicitur Matth. quintodecimo: Sinite illos: cœci sunt, & duces cæcorum. Non videtur curasse de eorum correctione. Ut quid ergo tam acriter eos modo redarguit, cum erant incorrigibiles? Resp. Dicendum, quod etsi sciret eos incorrigibiles, volebat tamen zelum suum erga domum Dei ostendere, ut Prælatis exemplum daret, & ut Patri se consonum ostenderet, & Legis amicum, quam non venit solvere, sed ut adimpleret.

Matth. 15. 14. Responsio.

Quæstio quarta, quare vendentes columbas solo verbo corripuit, alios etiam facto.

132. Item quæritur, quare illos, qui vendebant columbas, solo verbo corripuit (b), alios etiam facto (c)? Et videtur, quod magis illos debuit corripere, quia per illos Simoniaci designantur, qui sunt acrius corripiendi. Ad hoc est ratio literalis, quia columbæ minus dehonestabant Templum. Mystica ratio est, quia per illos intelliguntur Simoniaci, qui non sunt parva pœna corripiendi; sed sententialiter de Ecclesia ejiciendi: vel quia per columbam intelligitur donum Spiritus sancti, quod non est ejiciendum.

Responsio.

Columba significat Spiritus sancti donum.

133. Item quæritur de hoc, cum Judæi essent multi, & furiosi, & Christus unicus, & inermis; quomodo non surrexerunt in eum, & non cæciderunt, quando ita ejiciebat eos, & res eorum? Ad hoc dicunt aliqui, quod etsi mali essent, tamen erant hypocritæ; & ideo, ut non ostenderent avaritiam, nec malitiam, nec turbatos se ostendunt, nec eum lædunt. Hieronymus aliter respondet, quod igneum quiddam, atque sydereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis majestas relucebat in facie, immutans eorum animum, ut non audeant in ipsum immittere manum. Unde Hieronymus majus reputat istud signum, quam Lazari suscitationem, quod unus homo inermis tot expulit, & exterruit.

Quæstio quinta cum responsionibus, quomodo Judæi ita ejecti cum ovibus non insurrexerunt in Christum.

Hieronymus ibi. *Hieronymus ibi.*

134. Quæritur etiam de hoc, quod dicitur, quod zelus fuit in Christo. Si enim zelus importat iram, & ira perturbationem, & in Christo non potuit esse perturbatio: ergo nec zelus. Ad hoc respondet Victor (d), quod zelus dicitur dupliciter. Uno modo importat animi perturbationem, quemadmodum & ira; & sic non fuit in Christo: Isa. quadragesimo secundo: Non erit tristis, neque turbulentus. Alio modo zelus idem est quod fervens amor, & sic fuit in Christo. Unde dicit Glossa (e): Zelus est fervor animi, quo mens, abjecto timore humano, pro defensione veritatis accenditur (f).

Quæstio sexta de hoc quod dicitur de zelo in Christo.

Victor. Zelus duplex.

Isa. 42. 4.

Glossa interlin.

VER-

(a) Ubi enim heic mitius ait: *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*; ibi durius increpat: *Fecistis eam speluncam latronum*, ut etiam habetur in Exposit. cap. 2. S. Jo. inter edita sub Bonaventuræ nomine. Unde S. Jo. Chrysost. Hom. 22. in Jo. Evang. cap. 2. Francisco Aretino interprete: *Vehementiori castigatione usus, latronum speluncam appellavit, nunc in ipso principio remissius agit.* De prædicto utroque textu heic Jo. 2. & Matth. 21. D. ipse Bona. Serm. 1. de Dedicat. Eccl. post init.

(b) Nempe per prædicta verba mitiora: *Nolite facere &c.*

(c) Nam *omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & numulariorum effudit æs, & mensas subvertit.*

(d) Vel hinc argui posse videtur, *Victorem* hunc, toties ab Auctore nostro laudatum, fuisse Evangeliorum Interpretem.

(e) Apud Gorran *Augustinus*; sed ut supra ipsemet Doctor noster Exposit. Prol. 1. Sent. Dub. 3. nec non L. 4. Pharet. cap. 36. & heic apud S. Tho. & Lyran. Apud autem Hugonem Card. *Glo. Augustini*.

(f) Similiter hanc solvit Quæstionem in 3. Dist. 15. Art. 2. Q. 3. in concl.

VERSUS XVIII.

135. *Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* Manifestavit se Dominus signo auctoritatis; hic se manifestat signo potestatis, non exhibito, sed petito, & promisso. Et hoc signum fuit mirabilis sui resuscitatio; & hoc ordine proceditur. In hac manifestatione primo ponitur hujus signi postulatio. Secundo postulati oblatio. Tertio oblati expositio. Quarto consequens fidei Judæorum ædificatio, & per hoc Christi manifestatio. Primo ergo describitur signi postulatio, quæ facta fuit a Judæis videntibus, quod tantæ auctoritatis se ostenderit. Propterea dicitur: *Responderunt ergo Judæi* (Domino scilicet corripienti) *& dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* Quærunt signum potestatis. Primæ ad Cor. primo: Judæi signa quærunt. Similiter accesserunt Matth. vigesimo primo, dicentes: In qua potestate hæc facis? Et stulte quærebant, quia ipsum factum magnum signum erat. Chrysostomus: O insania! Signo ne opus erat, ut ea, quæ male fiebant, cessare faceret? Zelum vero talem accipere pro domo Dei, nonne maximum signum virtutis erat (*a*)?

Signi postulatio.

1. ad Cor. 1. 22.

Matth. 21. 23.

Chrysostomus in Jo. Ev. Hom. 22.

VERSUS XIX.

136. *Respondit Jesus, & dixit eis: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Tangitur hic secundum, scilicet signi petiti oblatio, & offert signum maximæ virtutis de resuscitatione sui; propter quod dicit: *Solvite templum hoc*, scilicet occidendo; *solvite*, id est solvetis (*b*): *& in tribus diebus excitabo illud*; id est, suscitabo quasi de somno. Mors enim in Scriptura dicitur dormitio, & resurrectio excitatio. Psal. Ego dormivi, & soporatus sum &c. (*c*) *Diebus tribus*, scilicet per synecdochen (*d*). Oseæ sexto: Vivificabit nos post duos dies, & in (*e*) die tertia suscitabit nos, scilicet in Capite.

Signi petiti oblatio.

Ps. 3. 6.

Synecdoche de tribus diebus a morte Christi ad ejus resurrectionem.

Ose. 6. 3.

VERSUS XX.

137. *Dixerunt ergo ei* (*f*) *Judæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Tangitur hic tertium, scilicet signi oblati expositio; quia non de Templo materiali hoc dicebat, sed de Templo corporis sui. Et Judæi intelligebant de materiali; propter quod dicitur: *Dixerunt ergo ei Judæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Quasi dicant: Hoc omnino est incredibile, & ter impossibile; intelligendo Templum, quod in prima ædificatione fuit consummatum in septem (*g*) annis; sed in secunda propter guerras (*h*) & impedimenta sub Zorobabel per quadraginta sex annos (*i*). De hoc Dominus non intelligebat; ideo dicitur:

Signi oblati expositio.

 VER-

(*a*) Sic ex eodem Chrysost. habet etiam Exposit. in cap. 2. Evang. S. Jo. sub Bonav. nomine. At Editio Basileæ 1530., Francisco Aretino interprete, sic habet: *O summam dementiam, quonam signo opus erat, cum malefacta corriperet, & Dei domum tanta purgaret ignominia? Zelus ille pro domus Dei honore maximum fuit virtutis signum, quod boni adverterunt.*

(*b*) Interprete etiam Euthymio, illud non est imperantis, sed prædicentis simul & permittentis, de quo noster Interpres infra num. 143.

(*c*) Sic Exposit. in Psalter. in d. Ps. ac text.

(*d*) 3. Dist. 22. Art. 1. Q. 3. in concl.

(*e*) Vulg. *in* absque *&*; sed *& in* quoque Cod. noster Bernard. 21.

(*f*) Ly *ei* in Vulg. deest; sed *ei* etiam habet noster Cod. Bernardinian.

(*g*) Apud Gorran *sex*; sed perperam.

(*h*) Vocabulum hoc neque a Bonaventuræ ævo, neque a Bonaventura ipso alienum est, utpote vel a S. ipso Bernardo in genuinis ejus Operibus usurpatum. Vide Prodromum col. 162.

(*i*) Ita quoque heic Glossa ordinar. S. Thomas, Hugo Card. allegans Chrysostomum, & Augustinum, Nicolaus Lyran. Dionys. Carthus. &c. Sed alii Interpretes post Baronium ea Judæorum verba malunt intelligere de Templo ab Herode Ascalonita restituto. Est quoque tertia sententia eorum, qui censent, Judæos loqui de utroque Templo, tam Zorobabelico, quam Herodiaco, pro qua laudantur Arias, Franciscus Lucas, ac Gaspar Sanchez. Videsis Cornelium a Lapide in hunc locum, ubi pro prima sententia, quæ dicit, Judæos loqui de Templo Zorobabelico, citat S. Chrysostomum, Bedam, Theophylactum, Euthymium, Eucherium, Toletum, Jansenium, Maldonatum, & Eusebium in Chronico. Observat autem cit. Dionys. Carthus. quod *non est magna vis verificandi hæc verba Judæorum* (scilicet de templo ædificato 46. annis) *qui multa falsa dixerunt contra Christum.*

VERSUS XXI.

138. *Ille autem dicebat de Templo corporis sui*. Si enim corpora nostra Templum sunt Spiritus sancti primæ ad Cor. sexto; quanto magis Corpus Christi, in quo plenitudo Divinitatis corporaliter habitat (*a*), secundum quod dicitur ad Colofs. secundo? Et hanc intelligentiam spiritualem non habebant nec Judæi, nec carnales Discipuli; sed post resurrectionem. Ideo dicitur:

1. ad Cor. 6. 19. *Ad Coloss. 2. 9.*

VERSUS XXII.

139. *Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt Discipuli ejus, quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ, & sermoni, quem dixerat* (*b*) *Jesus. Cum ergo &c. recordati sunt, quia hoc dicebat*, scilicet de corpore suo. Tunc enim aperuit illis sensum ad intelligendum. Luc. ultimo: Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. *Et ex tunc crediderunt Scripturæ* (*c*), in qua scilicet præfigurata est Christi resurrectio, ut in Jona (*d*), *& sermoni, quem dixerat Jesus*; quia hac ratione prædicebat Joan. decimoquarto: Nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.

Luc. 24. 45. *Jo. 14. 29.*

VERSUS XXIII.

140. *Cum autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa* (*e*), *quæ faciebat*. Tangitur hic quartum, scilicet fidei Judæorum ædificatio ad aspectum signorum potestatis. Intelligi enim potest, quod multa fecerit, licet Evangelista non descripserit, sicut dicit Chrysostomus. Propterea dicitur: *Cum autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo*, ad quem scilicet ascenderat, *multi crediderunt &c.* Et quia signis innitebantur, ideo in fide infirmi erant. Propterea dicitur:

Fidei Judæorum ædificatio. *Chrysostomus cit. Hom. 22.*

VERSUS XXIV.

141. *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. Non credebat semetipsum eis*; non quia timeret, sed quia eorum infirmitatem cognosceret. Et quomodo hoc sciret, ostendit; quia non ut homo relatione, sed ut Deus interna visione: *Eo quod ipse nosset omnes*. Primi Reg. sextodecimo: Homo videt ea, quæ parent, Deus (*f*) autem intuetur cor.

1. Reg. 16. 7.

VERSUS XXV.

142. *Et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine*. Jerem. decimo septimo: Ego Dominus scrutans corda (*g*), & probans renes. Ad Heb. quarto: Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.

Jer. 17. 10. *Ad Heb. 4. 12.*

143. Sed quæritur hic primo de hoc quod Dominus dicit Judæis: *Solvite*. Videtur, quod eis imperavit, ut se ipsum occiderent. Resp. Dicendum, quod Scriptura imperativo modo aliquando utitur, imperative ut ibi: Deum time, & mandata ejus observa, Ecclesiastis ultimo: Aliquando prædictive, ut hic. Glossa: *Solvite*, id est, solvetis. Aliquando permissive (*h*). Matth. octavo: Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos (*i*). Aliquando ironice Joan. tertiodecimo: Quod facis, fac citius; dixit Dominus ad Judam de proditione.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Solvite. *Eccle 12. 13.* *Glossa interlin.* *Matth. 8. 31.* *Jo. 13. 27.*

144. Item quærit Chrysostomus de hoc, quod Dominus signum de resurrectio-

Quæstio secunda de signo resurrectionis. *Chrysostomus cit. Hom. 22.*

(*a*) Verbo *habitare* pro *inhabitare*, nedum alibi utitur S. Bona. sed & S. Hieron. in cap. 11. Isaiæ. Vid. supra cap. 1. num. 35.

(*b*) Vulg. *dixit*; sed *dixerat* Cod. Veron. apud Blanchinium.

(*c*) Scriptura est, præter supra allegatum Oseæ locum: *Vivificabit nos &c.*, illud Psal. 15. 10. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*.

(*d*) Vid. Matth. 12. 40. nec non Exposit. in Psalter. Ps. 3. de qua supra num. 136. in not. *c*.

(*e*) Vulg. *signa ejus*; sed absque *ejus* etiam Codd. Vercellen. Veronen. & Brixian.

(*f*) Vulg. *Dominus*; sed *Deus* etiam S. Gregorius Moral. cap. 30. num. 51.

(*g*) Vid. supra cap. 1. num. 96.

(*h*) Vide supra num. 136. in not. *b*.

(*i*) Vulg. *in gregem porcorum*; sed *mitte nos in porcos* habet etiam Doctor noster 2. Dist. 10. Dub. 1. ubi pariter id intelligendum censet, *non imperative, sed potius permissive*. Legit etiam *in porcos* Comment. in Apocal. cap. 20. ver. 3. num. 1464.

rectione semper respondet Judæis; & Matth. duodecimo, & sextodecimo dicitur, quod non dabitur eis, nisi signum Jonæ Prophetæ. *Matth. 12. 39. & 16. 4.* Cum enim ipsi non intelligerent, ad quid hoc signum eis dabat? Et si dabat, quare non sic dabat, ut intelligerent? Resp. Dicendum, quod signum hoc dabat eis, quia summum, & quia occultum. Summum, quia a morte posse liberare seipsum, etiam post mortem, hoc est omnium novorum novissimum, & mirabilissimum. Quia etiam occultum, dabat eis, & ænigmatice dicebat: quia justo judicio se ita manifestabat, ut lateret, (*a*) quousque post resurrectionem se manifestaret. Si enim omnino fuisset manifestatus, nequaquam fuisset mortuus; ideo mittit eos ad tempus resurrectionis. Et ideo loquebatur eis ænigmatice, & etiam Discipulis; quia etsi tunc non intelligerent, postmodum clarius erant intellecturi (*b*).

Quæstio tertia, cur Christus se Templo comparat. *Augustinus Enchir. c. 86. L. 14. de Trin. c. 5. ac L. 83. qq. q. 56.*

145. Quæstio est, quare Dominus se Templum dicit, & Templo se comparat? Et respondet Augustinus, quod hoc non solum est propter inhabitationem Divinitatis, sed etiam propter similitudinem ad Templum: quia sicut Templum quadraginta sex annis ædificatum est, sic corporeus fœtus quadraginta sex diebus formatur, & illis multiplicatis per senarium, nascitur (*c*). Sed hoc non satis valet ad propositum, ut videtur (*d*); quia Corpus Christi ab instanti conceptionis fuit perfectum, & anima perfecta, & usum habuit liberi arbitrii. Propter hoc dicendum, quod corpus perfici est duobus modis; vel organizatione, vel mole. Corpora alia a corpore Christi infra illud tempus, vel in illo tempore ædificantur, & perficiuntur, id est ad perfectionem tendunt organizatione, vel mole: Corpus vero Christi tantum mole, non membrorum distinctione (*e*).

CA-

(*a*) Sive, ut exponit Gordonus, *quia nec aliud merebantur homines non credituri.*

(*b*) *Suo tempore evidens futurum erat istud, quod jam obscure proponitur*, inquit idem Gordonus.

(*c*) Videndus omnino est S. Bonaventura Exposit. in Cap. 7. Sapient. post init. ex Augustino ibi.

(*d*) Nota *non satis, & ut videtur*, propter debitam in S. Augustinum observantiam, quem alias ipse vocat modo *Doctorem egregium* in 1. Sent. Dist. 46. Art. 1. Q. 1. in Concl.; modo *præcipuum Doctorem Latinum* in 3. Dist. 3. Par. 2. Art. 2. Q. 1. in Concl.; modo de eodem fatetur, quod *multum facit auctoritas Augustini* in 4. Dist. 50. Par. 1. Art. 1. Q. 3. in fine. Unde etiam in hoc ipso Commentario ejus testimonio præ ceteris utitur.

(*e*) De hoc idem S. Bonaventura in 3. Dist. 3. par. 2. art. 3. q. 1. ac 2. ubi post hinc inde disputata concludit, quod quidem Corpus Christi ad perfectam quantitatis molem congrue per temporis successionem deductum fuerit; sed ab instanti suæ conceptionis subito fuerit formatum, & membrorum habuerit distinctionem: ac qualiter intelligenda sint Augustini verba locis supra cit. inibi docet. Ceterum symbolice 46. annos fabricæ Templi significare, totidem diebus fabricatum esse corpus Christi, tradit Cornelius a Lapide nedum ex Augustino, sed etiam ex Beda, S. Cypriano, seu potius Auctore Tractatus de Sion, & Sina, Clemente Alexandrino, & aliis. Nota insuper, quod ea, quæ supra dicuntur de *corporibus aliis a corpore Christi*, ut scilicet ipsis anima rationalis a Deo infundatur, legere est etiam apud S. Tho. Comment. in Jo. cap. 2. nituntur que auctoritate sui temporis *Physicorum*, quibus recentiores *Physici* non consentiunt. Placet quod ait egregius ævi nostri Philosophus P. Fortunatus a Brixia Phys. partic. Par. 2. sect. 3. num. 4907. *Quantum autem temporis ad id requiratur, certo scire nullus mortalium potest;*

CAPUT TERTIUM.

1. ERAT autem homo ex Pharisæis, Nicodemus
nomine, princeps Judæorum. 2. Hic venit
ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus
quia a Deo venisti magister: nemo enim po-
test hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit
Deus cum eo. 3. Respondit Jesus, & dixit
ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis rena-
tus fuerit denuo, non potest videre regnum
Dei. 4. Dicit ad eum Nicodemus: Quo-
modo potest homo nasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem
matris suæ iterato introire, & renasci? 5. Respondit Jesus: Amen,
amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non
potest introire in regnum Dei. 6. Quod natum est ex carne, caro
est: Et quod natum est ex spiritu, spiritus est. 7. Non mireris quia
dixi tibi: Oportet vos nasci denuo. 8. Spiritus ubi vult spirat: Et
vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: Sic est
omnis, qui natus est ex spiritu. 9. Respondit Nicodemus, & dixit
ei: Quomodo possunt hæc fieri? 10. Respondit Jesus, & dixit ei:
Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? 11. Amen, amen dico
tibi, quia quod scimus loquimur, & quod videmus testamur, & te-
stimonium nostrum non accipitis. 12. Si terrena dixi vobis, & non
creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis? 13. Et nemo
ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est
in cœlo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari
oportet Filium hominis. 15. Ut omnis, qui credit in ipsum, non
pereat, sed habeat vitam æternam. 16. Sic enim Deus dilexit mun-
dum, ut Filium suum unigenitum daret: Ut omnis, qui credit in
eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 17. Non enim misit
Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur
mundus per ipsum. 18. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem
non credit, jam judicatus est: Quia non credit in nomine unigeniti
Filii Dei. 19. Hoc est autem judicium: Quia lux venit in mundum,
& dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: Erant enim eo-
rum mala opera: 20 Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non
venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: 21. Qui autem facit
veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo
sunt facta. 22. Post hæc venit Jesus, & discipuli ejus, in terram Ju-
dæam: Et illic demorabatur cum eis, & baptizabat. 23. Erat autem
& Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim: quia aquæ multæ erant
illic,

illic, & veniebant, & baptizabantur. 24. Nondum enim missus fue-
rat Joannes in carcerem. 25. Facta est autem quæstio ex discipulis
Joannis cum Judæis de Purificatione. 26. Et venerunt ad Joannem,
& dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testi-
monium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.
27. Respondit Joannes, & dixit: Non potest homo accipere quidquam,
nisi fuerit ei datum de cœlo. 28. Ipsi vos mihi testimonium perhi-
betis, quod dixerim: Non sum ego Christus: sed quia missus sum
ante illum. 29. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem spon-
si, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc
ergo gaudium meum impletum est. 30. Illum oportet crescere, me
autem minui. 31. Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de
terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super
omnes est. 32. Et quod vidit, & audivit, hoc testatur: & testimo-
nium ejus nemo accipit. 33. Qui accepit ejus testimonium, signavit
quia Deus verax est. 34. Quem enim misit Deus, verba Dei loqui-
tur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum. 35. Pater diligit
Filium, & omnia dedit in manu ejus. 36. Qui credit in Filium, ha-
bet vitam æternam: Qui autem incredulus est Filio, non videbit vi-
tam, sed ira Dei manet super eum.

EXPOSITIO,

VERSUS PRIMUS.

146.

Manifestatio Christi verbo eruditionis post signum virtutis.

Erat autem quidam (*a*) *homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum*. Manifestavit se Dominus Judæis signo virtutis; hic secundo manifestat se verbo eruditionis: Et hoc instruens omnes Judæos in persona Nicodemi principis Judæorum. Et quia verbum eruditionis tradi non debet, nisi auri attendenti; ideo primo hic notatur diligentia Nicodemi: secundo vero doctrina Domini ibi: *Respondit Jesus, & dixit ei: Amen &c.* Describitur autem Nicodemus a quadruplici conditione, ut ostendatur idoneus ad disciplinam. Describitur a vitæ honestate, ab officii dignitate, a discendi sollicitudine, a discendi aptitudine.

Descriptio Nicodemi ex quadruplici conditione.

A vitæ honestate.

147. Describitur igitur a vitæ honestate primo, cum dicitur: *Erat autem quidam homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine. Ex Pharisæis*, quæ secta erat probabilior (*b*), & honestior supra omnes sectas Judæorum (*c*). Unde Apostolus gloriatur ad Philipp. tertio; Secundum legem Pharisæus. Describitur etiam ab officii dignitate, cum dicitur: *Princeps Judæorum*. Unde & ipse restitit furori Judæorum Joan. septimo: Numquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius? Describitur etiam a discendi solicitudine, dum dicitur:

Quæ Pharisæorum secta.

Ad Philip. 3. 5.

Ab officii dignitate.

Jo. 7. 51.

A discendi solicitudine.

VERSUS SECUNDUS.

148. *Hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia a Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum illo* (*d*). *Hic venit ad Jesum nocte*. Ideo nocte venit, ut quietius posset instrui, & doceri; quia tunc hora est quieta. Unde in Psal. Media nocte surgebam ad confitendnm tibi. Describitur a discendi aptitudine, cum dicitur: *Et dixit ei*, scilicet Jesu: *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti Magister*. Aptus enim erat doceri, quia doceri venerat, & Christum perfectum Doctorem credebat; & ideo ejus Discipulus esse volebat, & propter hoc Magistrum vocabat, sicut Discipuli Joan. tertiodecimo: Vos vocatis me, Magister, & Domine. Et ratio, quare hoc dicit, infertur: *Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum illo*. Ideo patet, quod erat ex his, de quibus dictum est supra secundo: Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa (*e*), quæ faciebat. Signa erant ratio credendi, quod esset a Deo. Unde Joan. nono dixit cæcus: Nisi esset hic homo a Deo, non posset facere quicquam (*f*).

Ps. 118. 62.

A discendi aptitudine.

Jo. 13. 13.

Jo. 2. 23.

Jo. 9. 33.

149. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicitur, quod *Nicodemus* erat *Princeps Judæorum*, & credebat in Jesum. Quia dicitur Joan septimo: Numquid aliquis ex Principibus credidit in eum? Quasi dicant: non. Resp. Dicendum, quod Nicodemus credidit, & erat ex Principibus. Et illud verbum, quod dicitur Joan. septimo, fuit verbum Pharisæorum, qui decepti fuerunt. Nicodemus enim credebat, etsi non palam, tamen occulte (*g*).

Quæstio prima de hoc quod *Nicodemus erat Princeps Judæorum*, & credebat in Jesum.

Jo. 7. 48.

Responsio.

150.

(*a*) Vide supra Cap. 2. ver. 12. num. 121. in not. *d*.

(*b*) Sive *probatior*. Cicero 2. de Orat. cap. 36. *probabiliorem oratorem* vocat, cujus ingenium & eloquentia magis probatur, ac placet. *Probabilior* pro *rationabilior* accipitur a Valerio Max. Lib 6. cap. 2.

(*c*) Ita quoque S. Thomas heic; nec non ipsemet Interpres noster Exposit. in Cap. 5. S. Lucæ, ubi vocat *Pharisæos inter alios excellentiores in observando, & legis doctores in erudiendo*.

(*d*) Vulg. *nisi fuerit Deus cum eo*; sed *cum illo* etiam Cod. Vercellen. apud Blanchinium.

(*e*) Vide supra cap. 2. ver. 23. num. 140. in not. *e*.

(*f*) Vide infra suo loco.

(*g*) Sic heic etiam in jam edita sub Bonaventuræ nomine Expositione.

Quæstio secunda, cur ipse venerit ad Jesum nocte? — Jo. hic ℣ 20.

150. Item quæritur, cum hora illa sit hora malefactorum, quia qui male agit, odit lucem, unde est hoc, quod Nicodemus venire voluit *nocte*? Et videtur, quod inordinate venerit. Resp. Dicendum, quod in caussa fuit verecundia, quædam infirmitas, & diligentia. De verecundia dicit Victor (*a*): Nocte venit; quia Magister in Israel palam discere erubuit. De infirmitate Chrysostomus: Adhuc judaica detinebatur infirmitate; propterea & nocte venit, trepidans in die hoc facere. De diligentia dicit Beda: Nocte venit cupiens secreta allocutione mysteria fidei percipere (*b*), cujus jam aperta ostensione signorum aliquatenus rudimenta perceperat.

Responsio. — Victor. — Chrysostomus Hom. 23. in c. 1. Evang. S. Jo. — Beda in d. c. 3.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: Nemo potest hæc signa facere &c. — Matth. 7. 22.

151. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum illo*. Contra Matth. septimo: Multi dicent mihi in illa die: Domine in nomine tuo Dæmonia ejecimus &c. Respondent quidam ad hoc, facientes vim in verbo: *Nisi Deus fuerit cum illo*. Differt enim dicere: Deus est cum homine, & homo cum Deo. Sicut videmus velle Augustinum dicere in Lib. Confess. Mecum eras, & ego non eram tecum. Sic & in proposito, homo est cum Deo, quando habet caritatem, per quam adhæret Deo. Sed Deus cum homine, quando aliquem specialem effectum, & donum facit in homine. Sic est cum illis, quibus tribuit virtutem faciendi miracula. Sed illud non solvitur; quia Nicodemus hoc non intendebat dicere: immo vere quod esset a Deo. Propterea dicendum, quod etsi boni, & mali faciant miracula, distinguuntur tamen hi ab illis, scilicet modo, & fine. Modo, quia boni per publicam justitiam, mali per signa publicæ justitiæ. Fine, quia boni ad ædificationem, mali ad inanem gloriam (*c*). Et quia Nicodemus in modo faciendi, & fine, miracula distinguebat; maxime hoc scire poterat in Christo, quia non per invocationem faciebat miracula (*d*).

Quorumdam responsio. — Augustinus Confessionum l. 10. c. 27. n. 38. — Responsio nostri Interpretis. — Inter miracula a bonis & a malis perpetrata distinctio.

VERSUS TERTIUS.

152. *Respondit Jesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis natus (e) fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*. Descripta est diligentia Nicodemi, describitur hic doctrina Christi, in qua docet Nicodemum, quomodo possit pervenire ad salutem; quia hoc quærere venerat. Et habet hæc pars tres partes, secundum tria, quæ ipsum docet. Primo docet ipsum, quæ sit via salutis. Secundo quod salutis principium, ibi: *Nemo ascendit in Cælum &c.* Tertio quod est salutis impedimentum, ibi: *Non enim misit Deus Filium suum &c.*

Descriptio doctrinæ Christi traditæ Nicodemo.

153. Primo igitur docet, quæ sit via salutis; quoniam docet Sacramentum regenerationis, in cujus instructione procedit hoc ordine. Primo exprimit necessitatem regenerationis: secundo modum regenerandi: tertio modum intelligendi. Necessitatem igitur regenerationis exprimit ipsi Nicodemo de nocte venienti, & quærenti: *Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo*, id est, regeneratus, *non potest videre regnum Dei*. *Amen, amen*, nominaliter Apoc. tertio: Hæc dicit: Amen, id est, veritas: verbaliter Jer. fiat (*f*). Hebraice amen adverbialiter; & sic in proposito *amen*, id est, vere (*g*). *Nisi quis &c.* Et secundum hoc patet, quod regeneratio sit

Docet viam salutis. — Et primo necessitatem regenerationis exprimit. — Apoc. 3. 14. Jer. 28. 6.

(*a*) En rursus *Victor* Evangelii secundum Joannem Interpres sæpius a S. Bonaventura laudatus. Sed in prædicta Expositione jam edita loco *Victoris* allegatur *Glossa*; ac sane ita habet Glossa ordinar.

(*b*) Sic etiam in Exposit. sub S. Bonav. nomine; sed apud Bedam sic lego: *Cupiens secreta ejus allocutione plenius discere mysteria fidei*.

(*c*) Hæc ipsissima tradit noster Interpres ex Augustino, magisque declarat in 2. Dist. 7. par. 2. q. 2. versus finem.

(*d*) Ut quando dixit: *Volo; mundare, in quo se asserit velle, & præcipit, ut velle sit ei posse &c.*, inquit Interpres noster Exposit. in cap. 5. S. Lucæ.

(*e*) In Vulg. *renatus*. Sed ly *natus* est etiam apud Hugon. Card. Lyran. in margine, atque Dionys. Carthus. & consentaneum Græco est, ac legitur in Codicibus S. Gatiani Turonensis, ac Brixiano, apud Blanchinium, nostroque Bernardiniano; ac etiam alii antiqui Libri pro composito *renatus* scribunt hoc loco *natus* consentanee eidem Græco, & simile est infra ver. 4. Sic inter Lectionum varietates apud Franciscum Lucam Brugensem. *Renatus* tamen est cum in Cod. Tabular. sive Biblioth. Episcop. Trident. tum in ejusd. vetustiss. Evangeliar.

(*f*) Apud Gorran *Isa. Fiat, fiat*; sed ut supra noster Interpres etiam Comment. in Apocal. cap. 3. ver. 14. num. 221. Vel pro *fiat*, legendum cum Vulg. *sic faciat*.

(*g*) Sic in margine MS. Codicis; nec secus idem Interpres ad finem Expositionis Orationis Dominicæ. Hebræum *amen* semper geminat, & du-

Nativitas multiplex. sit necessaria ad salutem. Nativitas
Jo. 16. 21. naturæ Joan. sextodecimo: Mulier cum parit, tristitiam habet; cum autem peperit (a) puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Culpæ ad Eph.
Ad Eph. 2. 3. secundo: Eramus natura filii iræ; natura, id est, corruptione naturæ. Ideo
Job 3. 3. Job tertio: Pereat dies, in qua natus sum. Gratiæ primæ Joannis quinto:
1. Jo. 5. 18. Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum; & hoc fit per Sacramentum.
Job 11. 17. Gloriæ Job undecimo: Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. Hic igitur dicit necessariam nativitatem Sacramenti, & Gratiæ (b).

VERSUS QUARTUS.

154. *Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato*
Secundo modum regenerandi, qui est spiritualis. *introire, & renasci?* Tangitur hic secundum, scilicet modus regenerandi, qui est spiritualis. Sed Nicodemus æstimans ipsum esse carnalem, dubitat, & quærit: *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex?* Quasi diceret, hoc est impossibile, de sene juvenem fieri. Job
Job 7. 6. septimo: Dies mei velocius transierunt, quam a texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe. Impossibilitas etiam est a parte generantis; unde dicit: *Numquid potest in ventrem matris suæ &c.* Adhuc carnalis erat, & ideo carnaliter intelligebat. Primæ ad
1. ad Cor. 2. 14. Cor. secundo: Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Sed Dominus ipsum retraxit ab intelligentia carnali ad spiritualem; propter quod dicitur:

VERSUS QUINTUS.

155. *Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire*, sive *intrare (c) in regnum Dei.* Quasi dicat: Non intelligo de nativitate, quæ est ex ventre; sed quæ est ex aqua: Non intelligo de nativitate, quæ est ex semine; sed quæ est ex Spiritu sancto: Quia illa carnalis & manifesta; ista spiritualis, & occulta. Propterea dicit:

VERSUS SEXTUS.

156. *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est.* Ideo sicut generatio ex carne est carnalis, ita generatio ex spiritu est spiritualis. Supra primo: Qui non ex Jo. 1. 13.
sanguinibus, neque ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt. Nec tantum est spiritualis, immo etiam occulta; & ideo non debet mirari Nicodemus animalis, si non intelligat. Propterea dicit:

VERSUS SEPTIMUS.

157. *Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo*, quamvis non intelligas, quia

VERSUS OCTAVUS.

158. *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu. Spiritus ubi vult spirat*, dando gratiam (d) ad Rom. nono; Cujus vult Ad Rom. 9. 18.
miseretur, & quem vult indurat. *Et vo-*

& duplicat S. Joannes, dicens: *Amen, amen*, cum ceteri Evangelistæ simplex ac unum *amen* duntaxat ponere consueverint. Caussæ hujus diversitatis vestigari poterunt apud Interpretes.

(a) Vide infra suo loco.

(b) De hujusmodi *multiplici Nativitate* etiam in Collationibus jam editis sub Bonaventuræ nomine in cap. 3. S. Jo. Collat. 15.

(c) *Intrare* habet noster Interpres Serm. de seminante num. 19. nec non Comment. in Apocal. cap. 22. num. 1712.

(d) Tametsi *Spiritus* heic secundum multorum interpretationem accipiatur pro *vento*; recte tamen Estius censet, *hunc locum de Spiritu sancto debere accipi. Et quis dicat*, pergit idem Estius, *ventum spirare, ubi vult; cum ventus sit res prorsus inanimata? Neque hujusmodi improprietatem usquam alibi sonat Scriptura. Item in præcedentibus non alius per Spiritum intelligitur, quam Spiritus sanctus.* Profecto, addiderim ego, in Evangeliario nostro Trid. Ecclesiæ, ubi in præcedentibus habetur tantum: *Quod natum est ex spiritu, spiritus est*; in eodem legitur: *Quod natum est de carne, caro est, quoniam de carne natum est: Et quod de Spiritu natum est, Spiritus est, QUONIAM DEUS SPIRITUS EST.* Quam lectionem confirmat quoque Evangeliarium Ecclesiæ Vercellensis sic habens: *Quod natum est de carne, caro est, quia de carne natum est: & quod natum est de Spiritu, spiritus est, QUIA DEUS SPIRITUS EST, ET EX DEO NATUS EST.* Eamdem quoque lectionem *quoniam* vel *quia Deus Spiritus est*, roborant Tertullianus in Lib. de carne Christi ab ipso Romæ scripto adver-
sus

vocem ejus audis, in Prædicatoribus Matth. decimo: Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. *Sed nescis unde veniat, aut quo vadat*. Job nono: Si venerit ad me, non videbo eum, & (a) si abierit, non intelligam (b). *Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu*, scilicet spiritualis, & occultus. Ad Rom. sexto: Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Sicut sepultura, & mors, & vita, est spiritualis; ita etiam generatio (c).

Matth. 10. 20. *Job 9. 11.* *Ad Rom. 6. 4.*

VERSUS NONUS.

159. *Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?* Tangitur hic tertium, scilicet modus intelligendi hanc regenerationem spiritualem, quem quia non habebat Nicodemus, ideo dubitat, & quærit; unde dicit: *Quomodo possunt hæc fieri?* Et in hoc notatur diligentia in Nicodemo, qui non cessavit a quærendo, donec intelligeret. Chrysostomus: Si Judæi audissent, statim deridentes recederent; & ideo meretur a Domino plenius edoceri, quia motus est per intellectus captivationem, & fidem: Ideo humiliat eum, propter quod dicit:

Tertio modum intelligendi regenerationem spiritualem.

Chrysostomus cit. Hom. 23.

VERSUS DECIMUS.

160. *Respondit Jesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Quasi dicat: Te Doctorem magnum reputas, & tamen ignoras fidei initia. Ad Heb: quinto: Cum deberetis esse magistri propter tempus, rursus indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei; quasi dicat: Si vis intelligere, oportet te humiliare, & credere: Quia si hoc non credis, nec majora intelligere poteris. Propterea dicit:

Ad Heb. 5. 12.

VERSUS XI.

161. *Amen, amen dico tibi, quia nos* (d), *quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis*. *Nos quod scimus loquimur, nos*, id est, ego, & mei Apostoli, ut dicit Glossa; vel *nos* pluraliter mysterium Trinitatis innuit. *Et quod vidimus testamur*. Joan. octavo: Ego quod vidi apud Patrem meum, hoc (e) loquor. Et ita credendum esset mihi; sed tamen vos non creditis. Ideo subdit: *Et testimonium nostrum non accipitis*. Joan. quinto: Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me. Et si non accipitis me in parvis, quæ dixi, neque creditis; multo minus nec in magnis: ideo subdit:

Glossa interlin. *Jo. 8. 28.* *Jo. 5. 43.*

VERSUS XII.

162. *Si terrena dixi vobis, & non credidistis: Quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?*

sus Marcionem, Apellem, & Valentinum, nec non in Africa Cyprianus, & cum illo plurimi Episcopi in Synodo, quæ Carthagine an. 256. celebrata est, & in qua agebatur *de baptizandis hæreticis*. Item S. Ambrosius in Lib. de Spiritu sancto. Vide sis noviss. S. Ambrosii Editorem ad hunc Joannis locum To. 2. pag. 677. Germonium Lib. de veteribus Hæreticis Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus pag 116. nec non Ruggerium in Descriptione Codicis Evangeliorum Vercellensis, atque Blanchinium in Evangeliar. Quadrupl. Latinæ Versionis antiquæ, seu Veteris Italicæ, par. 1. in Prolegom. pag. 62. ac seqq. Quod si ex præfata lectione, quam Ariani impio flagitio deprehenso circa an. 357. ex sacris Voluminibus erasisse dicuntur, colligere licuit miram Vercellensis Codicis antiquitatem; idipsum de nostri Tridentini Codicis ipsam continentis vetustate lectori judicandum relinquo. Certe illud saltem elici potest, autographa, unde desumpti ambo sunt, longe esse antiquissima, & a dolo, fraude, temerariaque manu Arianorum exempta. Sicut ergo per *Spiritum* in præcedentibus ver. 6. intelligitur Spiritus sanctus; ita heic quoque, ut etiam exponunt Origenes, Didymus, Nazianzenus, Augustinus, Gregorius, & alii, quos allegat, sequiturque Toletus. Vid. infra num. 166. nec non quod dixi Vol. 2. *delle Notizie Istorico-Critiche della Chiesa di Trento Dissertaz. previa* pag. LX. not. *d*.

(a) Vulg. sine *&*; sed cum *&* S. Greg. Moral. Lib. 9. cap. 12. num. 19.

(b) Recolantur dicta supra cap. 1. sub ver. 18. num. 43. ex S. Bernardo in not. *l*.

(c) De generatione spirituali per Christum, prout opponitur generationi carnali per Adam, loquitur etiam noster Interpres Exposit. in cap. 3. S. Lucæ.

(d) Ly *nos* Vulg. non habet; sed *nos* habet etiam Cod. noster Bernardinian., nec non Glossa interlin. apud Lyran.

(e) Vulg. *Ego quod vidi apud Patrem meum loquor*; sed vide infra cap. 8. num. 616.

credetis? Quasi dicat, non; & ideo modus intelligendi est per fidem credere minora, antequam perveniatur ad sublimia. Primæ ad Cor. tertio: Tamquam parvulis in Christo lac dedi vobis potum, non escam. Si autem lac non susciperent, quomodo escam suscipere possent? Ex prædictis igitur patet, quod regeneratio est necessaria, est spiritualis & occulta, & quod nullus potest intelligere, nisi credat.

1. ad Cor. 3. 2.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Nisi quis natus fuerit &c.

163. Quæritur de hoc quod dicitur: *nisi quis natus (a) fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Contra: si hoc erat præceptum, ergo nullus salvari potest, nisi baptizatus ex aqua & spiritu. Contra: multi Martyres fuerunt, qui baptizati non fuerunt. Item multi sunt qui habent fidem, & morte præveniuntur: sed dicitur Joan. eodem: Omnis, qui credit in Filium Dei, non perit; ergo etsi non baptizetur, salvabitur. Quod si non est præceptum; ergo male dicit, quod non potest introire in regnum Dei: quia *videre* hic accipitur pro visione patriæ. Resp. Dicendum, quod est Baptismus fluminis, flaminis, & sanguinis (*b*). Unde respondendum, quod secundum legem communem omnes tenentur baptizari; quia præceptum est. Si autem intervenerit impossibilitas, aut adest gratia, seu Baptismus flaminis, vel sanguinis, aut non: si sic, supplet illum Baptismum, quando non est possibilitas. Si vero non adest, impossibilitas non excusat, nec facit, ut salvetur, non propter transgressionem præcepti; sed propter maculam originalem, quæ deleta non est gratia. Et sic patet, quod qui habent fidem formatam, salvantur, cum morte præveniuntur (*c*).

Responsio de triplici baptismo.

Quæstio secunda, utrum tunc fuerit necessarius Baptismus.

164. Item quæritur, utrum ex tunc fuerit necessarium baptizari? Quod sic videtur; quia tunc promulgata fuit sententia, quod sine hoc non erat salus. Item si tunc non fuit institutus, quando ergo fuit institutus Baptismus? Respondet Magister Hugo (*d*), & distinguit triplex tempus; quoddam, in quo cucurrit Circumcisio tantum, ut ante adventum Christi: quoddam, in quo Baptismus tantum, ut post manifestationem Evangelii: quoddam, in quo utrumque mixtim, ut tempore medio. Et tunc habebat effectum suum Circumcisio (*e*); & tempore illo non erat necessarium baptizari, nec Dominus hic sententialiter promulgavit regenerationis necessitatem, sed quod facturus erat, revelavit amico (*f*). Quod quæritur, quando institutus fuit Baptismus? Dicendum, quod materialiter, cum baptizatus fuit Christus: formaliter, cum resurrexit, & formam dedit ultimo Matthæi (*g*): Effective, cum passus fuit, quia inde habuit virtutem: sed finaliter, cum ejus necessitatem prædixit, & utilitatem, ut hic: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest &c.* (*b*)

Responsio. Hugo Vict. l. 2. par. 6. c. 4.

Quando fuit institutus Baptismus.

Matth. 28. 19.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: Quod natum est ex carne, caro est.

165. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Quod natum est ex carne, caro est, ergo & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Contra: ergo quod nascitur ex sancto, sanctum: ergo sanctus homo generat sanctum filium; quod manifeste falsum, immo frequenter peccatorem. Item si quod nascitur ex spiritu, est spiritus; ergo quod nascitur ex Deo, est Deus: sed omnes sumus nati ex Deo, sicut dicitur primæ Joan. quinto; ergo omnes sumus Dii. Resp. Dicendum, quod hæc intelligenda sunt per se: quod nascitur ex carne generante, scilicet secundum quod caro est, est carnale; similiter de spiritu, est spirituale. Quod objicitur de viro sancto & puro, respondetur, quod carnaliter generat; ideo generat carnalem. Unde etsi sit purgatus, secundum quod persona; non tamen secundum quod est generationis principium. Exemplum est de grano mundo, quod generat granum cum paleis. Quod objicitur de spiritu, illud dicitur, non per essentiam, sed per conformitatem, & adhærentiam. Primæ ad Cor. sexto: Qui adhæret Deo (*i*), unus spiritus est.

1. Jo. 5. 1. & seqq. Responsio.

1. ad Cor. 6. 17.

166.

(*a*) Vide supra num. 152.
(*b*) In 4. Dist. 4. Part. 2. Art. 1. QQ. 1. ac 2. atque Exposit. in cap. 3. S. Luc. &c.
(*c*) Ibi.
(*d*) Laudat ipsum quoque in hanc rem sub nomine *Hugonis a S. Victore* Interpres noster in 4. Dist. 3. par. 2. Dub. 1. ac art. 3. q. 2. in conclus.
(*e*) Ut videlicet determinatio quædam erat remedii adhibiti in lege naturæ, atque ipsum complectebatur.
(*f*) 4. Dist. 3. par. 2. Dub. 1.
(*g*) Ibi.
(*h*) Ibi art. 1. q. 1. ad 5. argum.
(*i*) In Vulg. *Domino*; sed *Deo* habet noster Interpres in 3. Dist. 24. Dub. 4. & Dist. 27. Art.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Spiritus ubi vult spirat, & nescis &c.*

Bernardus in Cant. Serm. 57. n. 3. ac seq. Chrysostomus Hom. 25. in c. 3.

166. Quæritur de hoc quod dicitur: *Spiritus ubi vult spirat, & nescis, unde veniat.* Contra, Bernardus in Canticis dicit, quod debeat homo cognoscere tempus visitationis spiritualis. Chrysostomus respondet, quod hoc dixit de vento (*a*), quia homo non habet ejus cognitionem, multo minus spiritualis nativitatis. Sed Augustinus (*b*) istam expositionem respuit, quia bene scit homo, quod auster venit a meridie, & tendit ad septemtrionem; ideo exponit de Spiritu sancto (*c*). Quod ergo dicitur; *Nescis, unde veniat*, facienda est vis in verbo. Non dicit, nescis quando veniat; quia bene potest scire per fervorem, & teporem, quando venit: Sed *nescis, unde veniat*, utrum scilicet ad retribuendum in præsenti bona, quæ homo gessit, vel ad augenda merita. *Nescis, quo vadat*, utrum longe nunquam reversurus, vel prope illico rediturus. Ideo dicit Bernardus, quod semper timendum est. Time, inquit, cum arriserit, time cum abierit, & cum denuo revertetur.

Responsio. *Augustinus in Jo. Evang. c. 3. Tract. 12. n. 7.*

Bernardus in Cant. Serm. 54. n. 9.

Quæstio quinta de hoc quod dicitur: *Si terrena dixi vobis &c.*

167. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Si terrena dixi vobis &c.* quæ sunt ista terrena? quia totum est spirituale, quod locutus est, nihil terrenum. Ad hoc respondet Chrysostomus, quod terrena, quæ dixit, sunt illa, quæ dixit de spiritu, id est de vento. Sed Augustinus exponit de suscitatione Templi, quam prædixerat in præcedenti capitulo, quod scilicet de terra erat, seu intelligatur de templo materiali; seu de Corpore Christi; quia de terra nostra sumptum est. Potest responderi aliter, quod terrena vocat ea, quæ prædicta sunt; non absolute, sed quia parva in respectu dicendorum.

Responsio. *Chrysostomus ibi.* *August. ibi.*

VERSUS XIII.

168. *Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Determinavit supra salutis viam, hic determinat salutis principium, ut per hoc plene satisfiat Nicodemo quærenti, quomodo illa possint fieri? Et describitur hic salutis principium hoc ordine: primo determinatur, quod est principium salvans: secundo quis modus salvandi: tertio quæ ratio movet ad salvandum. Principium salvans nos est ille, qui solus potest introire in Cœlum per se, & omnes per illum; & hic est Christus Dominus. Propterea dicit: *Et nemo ascendit in cælum*, id est, nemo habet virtutem illuc ascendendi; *nisi qui descendit de cælo* per assumptionem humanitatis; *Filius hominis, qui est in cælo* per præsentiam, & immensitatem Divinitatis (*d*). Ergo omnis, qui ascendit, & salvatur, ascendit per eum. De hac potentia ascendendi, & descendendi ad Eph quarto: Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos; ut adimpleret (*e*) omnia. De existentia ejus in Cœlo supra primo: Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Ipse est, qui facit ascendere de morte ad vitam. Joan. octavo: Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis.

Docet salutis principium. Principium salvans. *Ad Eph. 4. 10.* *Jo. 1. 18.* *Jo. 8. 36.*

VERSUS XIV.

169. *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Tangitur hic secundum, scilicet quomodo Filius Dei salvat. Et quia per Passionem, ideo dicit: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto.* Num. vigesimo primo: Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem percussi aspicientes (*f*) sanaban-

Modus salvandi. *Num. 21. 9.*

---

art. 1. q. 2. in fine. Item in Opusc. *de septem gradibus contemplationis*. Vid. Comment. in Apocal. cap. 8. num. 590.

(*a*) 1. Dist. 10. art. 2. q. 3. in concl. *Dicitur Spiritus flatus, sicut accipit Chrysostomus in Homilia super Joannem: Spiritus ubi vult spirat &c.* Item Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Author Quæstionum in vetus & novum Testamentum inter Opera S. Augustini, ac plerique ex Recentioribus.

(*b*) Pariter Origenes, Ammonius, Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Gregorius magnus, Bernardus &c.

(*c*) Exponit de Spiritu sancto etiam noster Interpres 1. Dist. 27. par. 2. art. 1. q. 2. ad 4. Confer supra dicta num. 158. in not. *d*.

(*d*) In 3. Dist. 22. Dub. 4.

(*e*) Vulg. *impleret*; sed *adimpleret* etiam Cod. Goth. apud Blanchin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. Hugo Card. Lyran. & antiquæ Biblior. Editiones Biblioth. nostræ Bernardin. Gentilott. ac Griezen.

(*f*) Vulg. *quem cum percussi aspicerent*; sed *quem percussi aspicientes* etiam Cod noster Bernardin. 21. nec non modo cit. Biblioth. Episc. Trident.

nabantur, *Ita exaltari oportet Filium hominis*, ſcilicet in Crucis patibulo, ut omnes in eum aſpicientes per fidem ſanentur. Ideo dicit:

VERSUS XV.

170. *Ut omnis, qui credit in eum (a), non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Joan. undecimo: Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Optime deſcribit Paſſionem in relatione ad figuram, ut fiat credibilior. Et optime præceſſit figura; quia ſicut ibi non ſanabantur per ſerpentem, niſi aſpicientes: ſic nec per Chriſtum, niſi in eum credentes (b).

Jo. 11. 25. & ſeq.

Serpens æneus Chriſtum præfigurabat.

VERSUS XVI.

171. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Tangitur hic tertium, ſcilicet ratio movens ad ſic ſalvandum. Et hæc fuit immenſitas Divini amoris ad hominem perditum, propter quod dicitur: *Sic enim Deus dilexit mundum*, id eſt, hominem mundanum, & peccatorem: *ut Filium ſuum unigenitum daret*, ad Eph. ſecundo: Deus, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto (c), cujus gratia ſalvati eſtis. Ideo nimia, quia plus dedit, quam oportuit; ad Rom. octavo: Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. *Daret*, inquam, pro omnibus ad ſufficientiam, ſed quantum ad efficaciam pro electis, & credentibus. Ideo ſubdit: *ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Aliis non valet Paſſio, niſi credentibus; quia, ſicut dicitur ad Heb. undecimo; Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.

Ratio movens ad ſalvandum.

Ad Eph. 2. 4.

Ad Rom. 8. 32.

Ad Heb. 11. 6.

172. Sed quæſtio incidit hic de hoc, quod dicitur: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit.* Contra: Omnes Sancti aſcendunt; & tamen nullus deſcendit. Item Corpus Chriſti aſcendit in cœlum; & tamen non deſcendit. Item objicitur: ſi hoc intelligitur de Chriſto, aut intelligitur ſecundum naturam Divinam, aut humanam. Secundum humanam, non; quia illa non deſcendit de cœlo: & quia tunc, cum loquebatur, non erat in cœlo. Secundum Divinam non poteſt, quia non aſcendit; quia major eſſe non potuit, nec locum mutavit. Reſpondent quidam, quod exceptio hic non tantum comprehendit Chriſtum, qui eſt Caput, immo totum Corpus Chriſti; & illi omnes, & ſoli aſcendunt. Sed hoc non poteſt ſtare, quia Corpus non deſcendit de Cœlo (d). Propterea intelligendum, quod *aſcendere* hic dicitur propria virtute, non aliunde data, & ſic ſolus Chriſtus potuit (e). Quod objicitur de corpore, reſpondet Auguſtinus, quod non obſtat; quia corpus eſt tanquam indumentum: unde ſi aliquis deſcendit nudus de monte, & aſcendit veſtitus, dicimus: nemo aſcendit, niſi qui deſcendit (f). Sic & in propoſito. Quod quæritur, ſecundum quam naturam hoc dicitur? Reſp. Dicendum, quod in illa oratione tria dicuntur de una Hypoſtaſi; aſcendere convenit ei ratione humanæ naturæ: Deſcendere ratione Divinæ, relate ad humanam; quia ſe humiliavit aſſumendo carnem: Eſſe vero in cœlo, ut tunc, ſecundum Divinam pure. Et ſic non poteſt totum retorqueri ad unam

Quæſtio incidens de hoc quod dicitur: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit.*

Reſponſio aliorum.

Noſtri Interpretis.

Auguſtinus Serm. 263. de Aſcenſione Domini 3. n. 3. alias de Tempore 174. & de Diverſis 90.

(a) Vulg. *in ipſum;* ſed *in eum* quoque Codd. Evangelior. Vercellen. Veronen. Brixian. noſterque Trident.

(b) In Expoſit. Miſſæ, ſive in ſacræ Miſſæ Myſterium; nec non Serm. 1. de Invent. S. Crucis, ac Serm. de Exaltat. S. Crucis. Item Expoſit. in Cap. 16. Sap. &c.

(c) Sic in Procem. Lib. 3. Sentent. Vulg. *in Chriſto.*

(d) Niſi videlicet eo ſenſu, quo inquit Interpres noſter Expoſit. in Cap. 3. S. Lucæ „ *Nemo aſcendit in Cælum, niſi qui deſcendit de* „ *cælo*, id eſt, niſi ſit membrum Chriſti, qui „ deſcendit de Cœlo &c. “ Nanque ut ait etiam S. Thomas Comment. in Jo. Evang. ad hunc textum „ Propterea Filius Dei de cœlis „ deſcendit, ut nos faciendo membra ſua ad „ aſcenſum cœlorum præpararet; nunc quidem „ in ſpe, tandem vero in re. Eph. 2. 6. *Qui* „ *reſuſcitavit nos, & conſedere nos fecit in cæleſti-* „ *bus in Chriſto Jeſu.* “

(e) In 3. Diſt. 22. Dub. 4. „ Aſcendere „ uno modo idem eſt quod propria virtute „ ſcandere ſine adminiculo virtutis alienæ: & „ hoc modo ſoli Chriſto convenit. Alio mo- „ do aſcendere idem eſt quod ſurſum ſcandere: & hoc modo convenit aliis Sanctis. “

(f) Apud Gorran: *Eumdem aſcendere, qui deſcendit.* Prædictis ſimilia refert S. Tho. in Catena ex Beda in Jo. cap. 3.

unam naturam, sed ad unam Hypostasim (a).

Quæstio altera de hoc quod dicitur: *Sicut exaltavit &c.* *Chrysostomus in Jo. c. 3. Hom. 26.*

173. Item quærit Chrisostomus de hoc, quod dicitur: *Sicut exaltavit &c.* quare, cum exprimat Passionem, non dixit pendere in Cruce? Nam sic apertius loqueretur. Resp. Dicendum quod Dominus revelabat Passionis mysterium Nicodemo, ut honestum, ut credibile, ut secretum. Ut honestum, ne homo adhuc carnalis despiceret, & horreret; ideo dixit: *exaltari*, non suspendi. Ut credibile, ut fidem adhiberet; ideo per figuram præcedentem admirabilem, Passionis effectum mirabilem insinuat. Ut etiam secretum, ut carius habeat; & ideo non explanat, sed relinquit ei locum meditandi, & per hoc proficiendi, & ad donum intellectus perveniendi.

Responsio.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Qui credit in eum non pereat.*

174. Quæstio est de hoc quod dicitur: *Ut omnis, qui credit in eum non pereat.* Ergo nullus, qui habet fidem, damnabitur, quantumcumque malus. Si tu dicas, quod intelligitur de fide formata; ergo secundum hoc nullus, qui habet fidem formatam, potest damnari. Resp. Dicendum, quod hic loquitur de fide vera. Vera autem fides excludit fictionem duplicem. Fides enim est ficta, aut quia credit, sed non amat; aut quia credit, & amat, sed non perseverat. Vera est igitur fides, quæ quod credit amat, & perseverat (b); & omnis talis salvabitur.

Responsio.

Fides vera est, quæ quod credit amat, & perseverat.

VERSUS XVII.

175. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Supra determinavit, quæ sit salutis via, & quod salutis principium; hic tertio jam determinat, quod est salutis impedimentum. Et primo ostendit, quod impedimentum nostræ salutis non est ex parte Dei: Secundo, quod est ex parte defectus fidei: Tertio vero, quod est ex parte defectus operis boni. Ostendit igitur primo, quod non est ex parte Dei nostra damnatio, cum dicit: *Non enim misit &c.*; & debet ita continuari ad præcedens: Vere dixi, quod Deus dedit Filium, *ut omnis, qui credit in eum, habeat vitam æternam*; non, inquam, ut damnetur. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum*, scilicet ipsum condemnando; *sed ut salvetur mundus per ipsum*. Primæ Joan. tertio: In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiatorem (c) pro peccatis nostris. Ideo ad propitiandum, non ad damnandum.

Docet quale sit impedimentum salutis.

Non est ex parte Dei.

1. Jo. 3. 16. ac 1. Jo. 4. 10.

VERSUS XVIII.

176. *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est; quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Tangitur hic secundum, quod damnatio & judicium venit ex parte defectus fidei. Et hoc ostendit per hoc, quod qui credit, non judicatur; sed qui non credit, jam est judicatus. Propter hoc quod dicit: *Qui credit in eum*, scilicet in Dei Filium, *non judicatur*, ait Joan. quinto: In judicium non veniet (d), sed transiet de morte ad vitam (e). *Qui autem non credit, jam judicatus est*, id est, pro damnato habetur; *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei* (f). Quia sicut dictum est Act.

Venit ex parte defectus fidei.

Jo. 5. 24.

(a) In 3. ibidem „ Iste descensus & ascensus conveniebat Divinæ personæ, secundum „ Divinam naturam, relatam tamen ad humanam. Et per hoc patet responsio ad utram „ que objectionem prius factam &c. " Videsis loc. cit. ubi similiter objicitur, & solvitur, sicut heic; nec non S. Tho. cit. Comment. in Jo. Evang. Et hæc solutio quam longissime est ab hæresi Valentiniana, quæ effutiebat, Christum de cœlo descendisse, cœleste corpus secum ferendo; de qua infra num. 207.

(b) Hoc pacto fides *affectum stabilit, & sustentat totam fabricam spiritualem*, 3. Dist. 23. art. 2. q. 5. in concl.; ac nedum *ratione suæ soliditatis sustentat*, sed etiam *ratione suæ virtuositatis conservat*, Serm. 3. Dom. 23. post Pent.

(c) In Vulg. *propitiationem*; sed *propitiatorem* quoque Hugo Card. & Biblior. Edit. Basileen. 1509. Insuper ipsemet Interpres noster pariter ad Rom. c. 3. v. 25. in 3. Dist. 19. art. 1. q. 1. ad 5. itidem legit *propitiatorem* pro *propitiationem*.

(d) Vulg. *in judicium non venit*; sed *in judicium non veniet* habent etiam Codd. Veronen. Brixian. Gat. Mm. apud Blanchin. nec non ipsemet Interpres noster in 4. Dist. 47. Ar. 1. Q. 3. in Fundam.

(e) Vulg. *transiit a* morte *ad* vitam; sed ut supra quoque S. Tho. Comment. in Evangel. S. Jo. cap. 5. Item *transiet de morte ad vitam* pariter habet S. August. Epist. 55. alias 19. ad Januar. cap. 1. num. 2. Nec non *transiet de morte in vitam* Cod. Biblior. Biblioth. Episcop. Trident. num. 58.

(f) Notat noster Interpres Exposit. in Psalt. Psalm. 34. „ Triplex est judicium in præsenti.

Act. 4. 12. Act. quarto: Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Et ideo qui in ejus nomine non credit, merito est damnatus.

VERSUS XIX.

177. *Hoc est autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera.* Tangitur hic tertium, scilicet quod impedimentum salutis, & ratio damnationis, & judicii,

Item ex parte defectus operis boni.

est ex parte defectus operis boni, ratione cujus homo refugit salutem. Propterea dicitur: *Et hoc est judicium,*

Glossa Interlin.

Glossa, id est, causa damnationis. *Quia lux venit in mundum,* id est, Verbum in-

Jo. 12. 46.

carnatum. Joan. duodecimo: Ego lux in Mundum veni, ut qui credit in me, in tenebris non maneat; *Et dilexerunt homines magis tenebras,* scilicet erroris, *quam lucem* veritatis. Job. vigesimo

Job 24. 13.

quarto: Ipsi fuerunt rebelles lumini. Et ratio hujus cæcitatis est defectus operis boni; propter quod dicitur: *Erant enim eorum mala opera.* Et quod malum opus sit ratio fugiendi lucem, ostendit:

VERSUS XX.

178. *Omnis enim, qui male agit, odit*

Job 24. 15.

lucem. Job vigesimo quarto: Oculus adulteri observat caliginem. *Et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus,* id est manifestentur esse mala.

Ad Eph. 5. 11. et 13.

Ad Eph. quinto: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem illa (*a*) redarguite; omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur. Sed e contrario bonum opus ducit ad lucem. Ideo dicitur:

VERSUS XXI.

179. *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem.* Matth. quinto: Nemo ab- *Matth. 5. 15.*

scondit lucernam sub modio, sed super candelabrum; quia bona opera lux sunt. Unde & subdit: *Ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* In Deo fiunt, quæ in caritate; primæ Joan.

quarto: Qui manet in caritate in Deo *1. Jo. 4. 16.*

manet, & Deus in eo. Qui est summa lux; & ideo ad ejus honorem sunt revelanda. Matth. quinto: Sic luceat *Matth. 5. 16.*

lux vestra coram hominibus, & videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

180. Sed incidit hic quæstio, primo de hoc quod dicitur, quod *non misit Filium suum in mundum, ut judicet.* Contra: habetur Joan. quinto: Pater omne judicium dedit Filio. Responsio. Est adventus duplex, primus, & secundus (*b*). Primus misericordiæ: secundus justitiæ. In primo venit ad propitiandum, non ad judicandum: sed in secundo venturus est ad judicandum (*c*).

Quæstio incidens de hoc quod dicitur: Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet &c.

Responsio.

Adventus Christi duplex.

181. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Qui non credit, jam judicatus est.* Contra: Si Deus non judicat bis in id ipsum, & infideles jam sunt judicati; ergo in die judicii non judicabuntur. Si dicas, quod jam judicati sunt merito; similiter mali Christiani. Responsio: Est judicium præsentis punitionis; & hoc omnes mali judicabuntur: quia non est dedecus peccati sine decore justitiæ (*d*): maxime hoc judicio judicabuntur infideles; quia infidelitas magna pœna sibi est. Est etiam judicium extremæ discussionis, & hoc non judicabuntur infideles. Et est judicium futuræ retributionis. Primo judicantur omnes mali: secundo mediocriter boni, & mali: ultimo omnes boni, & omnes mali (*e*). Dicitur ergo infidelis jam judicatus vel propter excæcationem, vel quia non judicabitur per discussionem, ut dicit Gregorius (*f*).

Quæstio altera de hoc quod dicitur: Qui non credit jam judicatus est.

Responsio.

Non est dedecus peccati sine decore justitiæ.

Gregorius L. 26. Moral. c. 27. n. 50.

182. Item objicitur de hoc quod dicitur: *Omnis, qui male agit, odit lucem.* Contra: Omnes homines desiderant natura-

Objectio de hoc quod dicitur: Omnis, qui male agit, odit lucem.

„ ti. Judicium discretionis, unde hoc: *Judica* „ *me Deus, & discerne causam meam.* Est judi- „ cium afflictionis, unde hoc: *Judicium incipit* „ *a domo Dei &c.* Est præmonstratio damna- „ tionis, unde hoc: *Qui non credit, jam judi-* „ *catus est,* id est, ejus, qui non suscipit Sa- „ cramentum fidei, sententia damnationis est.

(*a*) *Illa* in Vulg. deest.

(*b*) Exposit. in cap. 12. S. Lucæ, & alibi passim.

(*c*) Ibi in cap. 9. Item Serm. 1. ac 2. Dom. 1. Advent.

(*d*) Sic Breviloq. part. 3. cap. 4. ac Centiloq. par. 2. Sect. 2. Item Serm. de Seminan. sive Exposit. Parabolar. Evangelicar. de regno Cœlor. num. 46. ad fin.

(*e*) Breviloq. par. 7. cap. 1.

(*f*) Sic 4. Dist. 47. art. 1. q. 3. in concl. Et quamvis noster Interpres etiam Comm. in Apocal. c. 13. sub ver. 10. adseveret „ Jam data est sen- „ ten-

turaliter scire (a), sicut & beati esse (b): sed malitia operis non inducit odium beatitudinis; ergo nec lucis.

Solutio. Resp. Dicendum, quod hoc dupliciter potest considerari; aut ratione effectus primi, secundum quod est principium cognitionis, & sic a nullo oditur: aut ratione effectus secundi, qui est turpitudinem manifestare, quod quia omnes mali abhorrent, ideo & lucem quantum ad hunc effectum (c). Sed beatitudo non habet effectum in anima contrarium alicui naturali desiderio.

Alia objectio contra eumdem textum. Augustinus in Jo. Ev. c. 3. Tract. 12. n. 13.

183. Item objicit Augustinus: Si qui male agit, non venit ad lucem; ergo nullus unquam peccator convertitur ad fidem.

Solutio. Respondendum: Quando diligit manere in malo opere, ad lucem non venit; sed si incipit malum odire, tunc potest ad lucem venire. Et sic veniunt peccatores per contritionem.

VERSUS XXII

184. *Post hæc venit Jesus, & Discipuli ejus in Judæam terram (d): & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* Manifestavit se Dominus Judæis virtutis signo, & eruditionis verbo; manifestat se regenerationis Sacramento, recipiendo Judæos ad Baptismum.

Manifestatio Christi per regenerationis Sacramentum.

Et quia tam Dominus, quam Joannes baptizabat, & tamen solus Dominus regenerabat; ideo primo introducitur Christi, & Joannis purificatio: secundo de præcellentia nascens quæstio ibi: *Facta est ergo quæstio &c.*: tertio vero quæstionis terminatio ibi. *Respondit Joannes &c.*

Christi & Joannis purificatio.

185. Describitur ergo primo Christi purificatio per Baptismum, per quam Judæis se manifestat; ideo dicitur: *Post hæc*, id est, post prædictas manifestationes, *venit Jesus, & Discipuli ejus in Judæam terram*, ut scilicet Judæis se manifestum faceret per Baptismum. Unde & subdit: *& illic demorabatur cum eis*, scilicet Discipulis, *& baptizabat*; secundum quod Joannes ei testimonium perhibuerat, supra Primo: Super quem videris Spiritum descendentem, hic est qui baptizat. Nec ipse solus baptizabat, immo & ejus Præcursor; propter quod dicitur:

VERSUS XXIII.

186. *Erat autem Joannes (e) baptizans in Ænnon juxta Salim*, id est, Salem, quod fuit Castrum Melchisedech (f), ad Heb. septimo. Et ratio subditur: *Quia erant illic aquæ multæ.* Bona ratio; quia baptismus Joannis tantum in aqua. Matth. tertio: Ego quidem baptizavi vos aqua, dicebat Joannes. *Et veniebant*, scilicet ad eum, *& baptizabantur*, etiam Christo baptizante (g). Matth. tertio: Exibat ad eum Jerosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur ab eo.

Salem Castrum Melchisedech. Ad Heb. 7. 1.

Matth. 3. 11.

Matth. 3. 5. et seq.

VERSUS XXIV.

187. *Nondum enim missus erat (h) Joannes in carcerem;* quia tunc secundum Chrysostomum cessavit ejus baptismus, absente magistro: Erat enim temporalis (i). De incarceratione Joannis. Matth. quartodecimo: Herodes tenuit Joan-

Chrysost. Hom. 28. in c. 3. Jo.

Matth. 14. 3.

„ tentia contra Antichristum, & suos, & om„ nes infideles. Joan. tertio: *Qui non credit, „ jam judicatus est* “ nihilo tamen minus ibi c. 1. sub ver. 4. fatetur „ Venturus est, sci„ licet ad judicium, judicaturus mundum, con„ tra Manichæos, qui dicunt, generale judicium „ jam factum esse, propter id quod Joan. ter„ tio dicitur: *Qui non credit, jam judicatus est.*

(a) 2. Dist. 22. Dub. 3. ex Aristot. Procem. Metaph. in primis verbis.

(b) 4. Dist. 49. Par. 1. Art. 1. Q. 2. in Fundam. & in concl. ex Boet. Lib. 3. de consolat. Phil. Pros. 2.

(c) 1. Sent. in Prol. Magistri Dub. 6.

(d) Vulg. *in terram Judæam*; sed *in Judæam terram* etiam S. Aug., nec non Codd. Vercellen. Veronen. & Brixian. nosterque Trident. ac etiam Bernardinian.

(e) Vulg. *erat autem & Joannes*; sed absque *&* dicti Codd. Vercellen. & Veronen. ac Trid.

(f) Consentit heic S. Thomas inquiens: *Salim alio nomine dicitur Salem, quæ est Villa, unde Melchisedech Rex fuit.* Item Hugo Card. & Auctor Exposit. in Joannem inter Opera Bonaventuriana &c. His præluxit Glossa ordinar. nec non S. Hieronymus Epist. 73. alias 120. ad Evangelum num. 7. ratus vel ipse Salim, sive Salem, urbem esse, in qua Melchisedech regnavit, ac tradens, ædium Melchisedech rudera ipsius ætate adhuc superfuisse. Id tamen non videtur credibile P. Calmet putanti post Josephum, & alios, Urbem regiam Melchisedechi fuisse potius Jerusalem. Quod ipsum Nicolaus Lyranus præmonuit.

(g) Infra num. 190.

(h) Vulg. *fuerat*; sed *erat* etiam Cod. Veron.

(i) In 4. Dist. 2. art. 2. q. 1. ad opp. 2. ex Chrysost. super Joan. *Cessavit statim, quando Joan-*

Joannem, & alligavit eum, & misit (a) in carcerem &c.

VERSUS XXV.

188. *Facta est ergo (b) quæstio ex Discipulis Joannis cum Judæis de purificatione*. Hic introducitur ex duplici purificatione procedens quæstio, quæ ortum habuit a Discipulis Joannis calumniantibus Judæos, quod, relicto Joannis baptismate, ibant ad Christum, propter quod dicitur: *Facta est ergo quæstio ex Discipulis Joannis*, quasi ab ipsis trahens originem, *cum Judæis* contradicentibus, *de purificatione*: ubi scilicet esset major purificatio; utrum in baptismo Joannis, vel Christi? Et dicebant Discipuli Joannis, baptismum Joannis esse majorem; Judæi e contrario. Propter quod videntes, se non posse prævalere, ipsum Christum per invidiam accusant; propter quod subditur:

Ex duplici purificatione Christi & Joannis procedens quæstio.

VERSUS XXVI.

189. *Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui (c) testimonium perbibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*. *Qui erat tecum trans Jordanem*; tecum erat tanquam minor, quia tu ipsum baptizasti, quem etiam exaltasti. Unde subdunt: *Cui testimonium perbibuisti*; supra primo: Joannes testimonium perhibet de ipso &c. *Ecce hic baptizat*, quasi officium sibi usurpat; & ut provocent in æmulationem, adducunt: *Et omnes veniunt ad eum*, quasi de te amplius non curantes. Æmulatione movebantur. Simile fecit Josue filius Nun, Num. undecimo de viris prophetantibus; Dixit Moysi: Domine mi Moyses, prohibe eos. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?

Jo. 1. 15.

Num. 11. 28. et seq.

190. Sed incidit hic quæstio primo de hoc quod dicitur, quod Jesus baptizabat. Contra Joan. quarto: Jesus non baptizabat, sed Discipuli ejus; ergo est ibi contradictio. Resp. Dicendum, quod ille facit, ejus auctoritate facit. Unde facere aliquid hoc est dupliciter, scilicet auctoritate, vel ministerio: Christus baptizabat auctoritate (d); sed Discipuli ejus ministerio (e): vel Christus baptizabat interius; Discipuli vero exterius.

Quæstio prima de hoc quod dicitur, quod Jesus baptizabat.

Jo. 4. 2.

Responsio.

191. Sed tunc est quæstio, unde est hoc, quod Dominus in propria persona non baptizabat exterius (f)? Et videtur, quod deberet, ut aliis præberet exemplum, & formam, & modum. Resp. Dicendum, quod ipse aliis præbuit modum, & docuit; sed tamen non baptizabat caussa vitandi erroris, & præsumptionis: erroris; quia credidissent homines, quod alii, qui non essent ab eo baptizati, vere baptizati non essent: præsumptionis; ne baptizati ab ipso extollerentur, & despicerent baptizatos a Discipulis, & per hoc baptismum Discipulorum.

Quæstio secunda de hoc, quod in propria persona non baptizabat exterius.

Responsio.

192. Item quæritur, cum baptismus Joannis esset præparatorius ad Baptismum Christi (g), & adveniente veritate cessat umbra; videtur, quod debuit cessare baptizare, ex quo Christus incepit. Resp. Dicendum, quod cessavit, sed non statim. Et ratio fuit quadruplex: ne videretur ei contrarius; ne videretur instabilis; ne videretur indignanter tulisse; ne Discipulos suos in invidiam, & zelum mitteret.

Quæstio tertia de hoc quod Joannes videtur debuisse a baptizandi munere cessare, quando Christus incepit.

Responsio.

193. Item quæritur, quis baptismus potior, utrum Christi, vel Joannis? Quod

Quis baptismus potior, an Christi, vel Joannis?

Joannes missus est in carcerem &c., & in concl. *Cessavit Joanne cessante*.

(a) Vulg. *posuit*; sed *misit* etiam Codd. Corbejen. San-Germanen. Veronen. & Brixian.

(b) Vulg. *Facta est autem*; sed & S. August. *Facta est ergo*, nec non Codd. Vercell. & Brixian. ac Exemplar Goth. nosterque Bernardin. In Trident. *itaque*.

(c) Vulg. *cui tu*; sed absque *tu* etiam Cod. Vercellen. ac noster Bernardinian.

(d) *Hæc est*, secundum Bonaventuram in 4. Dist. 5 art. 3. q. 1. in concl., *qua Deus a se ipso, non aliunde, habet potestatem interius mundandi a culpa*.

(e) Hæc autem ministerialis potestas (ut idem inquit inibi Bonaventura) illa est, *quæ datur, ut per hominem possit exterius ministrari & verbum, & elementum*.

(f) 4. Dist. 3. par. 2. Art. 1. Q. 1. ad 5. *Baptizabat, etsi non ipse in propria persona, tamen discipuli in sua præsentia*. Unde & S. Cyrillus Patriarcha Alexandrin. ait, quod *baptizabat Christus per discipulos suos, Joannes non per alios, sed manibus suis*.

(g) *Fuit enim ad Baptismum Christi nunciandum, manifestando auctorem, & præparando materiam*, in 4. Dist. 2. art. 2. q. 2. in concl.

Quod Joannis videtur; quia Christus fuit baptizatus baptismo Joannis: ergo sicut nobilior fuit Melchisedech Sacerdotio Levi, quia Levi fuit a Melchisedech decimatus; eadem ratione videtur de baptismate. Item Christus non baptizabat, sed Discipuli Christi non erant majores Joanne; ergo nec baptismus Discipulorum Christi major baptismate Joannis. Item quæritur, utrum baptismus ille daret gratiam? Et quod non videtur, quia dicitur Joan. septimo: Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus: & si aliquis baptizatus fuisset mortuus ante Passionem, non intrasset regnum Dei. Resp. Dicendum, quod secundum Chrysostomum baptismus Discipulorum Christi ante Passionem fuit tantum præparatorius, sicut & baptismus Joannis; unde uterque erat expers gratiæ. Tamen Beda dicit, quod in illo baptizandi actu contulit Christus aquis vim regenerativam contactu carnis suæ *(a)*. Et Augustinus dicit, quod baptizavit Joannes, & rebaptizatum est: baptizavit Judas, & rebaptizatum non est *(b)*. Unde dicunt, quod baptismus ille gratiam dabat: & ideo nobilior; quia nobilioris efficaciæ. Quod ergo objicitur, quod Christus fuit baptizatus, dicendum, quod baptismus Joannis nullum omnino in Christum habuit effectum *(c)*. Quod objicitur, quod Discipuli baptizabant, dicendum est quod exterius; sed tamen in eo baptismo Christus baptizabat interius: non sic autem in baptismate Joannis. Quod objicitur, Spiritus nondum erat datus; intelligendum est de datione visibili, & aperta, quando, dabatur per manuum impositionem, non de datione invisibili *(d)*. Quod objicitur, quod non evolaret ad cœlum baptizatus mortuus, dicendum, quod non erat propter defectum gratiæ in baptismo; sed quia pretium nondum erat solutum. Et si objiciatur, quod baptismus habuit efficaciam a Passione; intelligendum, quod efficaciam habuit collationis gratiæ a virtute Divina ibi invisibiliter operante: a Passione vero quantum ad januæ apertionem *(e)*: vel si nondum erat passus, tamen fides Passionis erat præsens, ratione cujus efficaciam habebat, licet non aperiendi januam, tamen dandi gratiam *(f)*.

Jo. 7. 39. — *Chrysostomus Hom. 28. in c. Jo. 3.* — *Beda in Hom. Evan. oct. Epiph.* — *Augustinus in Jo. Evang. c. 1. Tract. 5. n. 18.* — Spiritus sancti datio alia visibilis, alia invisibilis.

VERSUS XXVII.

194. *Respondit Joannes, & dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.* Posita est supra Christi & Joannis per baptismum purificatio, & ex hoc procedens dubitatio; ponitur hic quæstionis terminatio facta a Joanne, Discipulis requirentibus. Unde determinat, quod Christus est regenerator, non ipse, & procedit hoc ordine. Primo Joannes se ipsum humiliat, & Christo postponit, per considerationem fragilitatis humanæ. Secundo Christum sibi præponit in baptizandi potentia. Tertio in prædicandi sapientia. Quarto in omnis gratiæ excellentia. Quæstionis terminatio, sive definitio.

195. Primo igitur se ipsum humiliat per considerationem fragilitatis humanæ contra Discipulos volentes, quod seipsum, & baptismum suum magnificaret; propter quod dicit: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum* Joannes seipsum humiliat.

(a) Sic 4. Dist. 2. art. 2. q. 2. in concl. ex eodem Beda ibi.

(b) Ita ibi q. 3. in Fundam. nec non ad finem, ubi una cum Augustino etiam Bedam in hanc rem pariter allegat; Bedam, inquam, super Mar. cap. 1. Joan.

(c) Ibi q. 2. in concl. nec non Exposit. in cap. 3. S. Lucæ.

(d) Ibi in 4. q. 3. ad 4. *Quod dicitur, quod Samaritani baptizati a Philippo baptismo Christi non receperunt Spiritum sanctum, intelligitur visibiliter; quia ille non erat Philippus Apostolus, sed Discipulus: & ideo baptizare potuit, & prædicare, sed non manus imponere ad dandum Spiritum sanctum visibiliter &c.* Quod autem spectat iteratum *dationis* invisibilis, ac supra *dationis* visibilis vocabulum; scio quidem, quod adeo displicuerit Casimiro Oudino in Opusculo *de septem donis Spiritus sancti*, adscripto S. Bonaventuræ, ut quamvis illud agnoscat fateaturque *doctum atque insigne Opusculum quoad ordinem, quem instituit, & operis argumentum*, immo ipsum palam dicat *Opus dignissimum*; illud tamen abjudicat sancto Doctori To. 3. col. 403. ac seq. ob sæpius adhibitam vocem *dationis*, & similes voces barbaras, quas putat *non legi in legitimis Divi Bonaventuræ Operibus*; eam nihilominus nedum legimus in hoc Commentario, sed & in Commentariis Sententiarum &c. Vide sis iteratum ejusdem vocis usum in 3. Dist. 13. art. 1. q. 2. ad 1.

(e) Exposit. in cit. cap. 3. S. Lucæ.

(f) Hinc patet, nostrum Seraphicum Interpretem in ea fuisse sententia, quod Baptismus fuerit ante Christi Passionem institutus, quam quidem sententiam, ut Augustinianæ doctrinæ con-

Jac. 1. 17. *tum de cœlo*. Jacobi primo: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*a*). Et ita cum sim ego purus homo, non possum mihi attribuere, nisi quod mihi datum est; & propterea Christi officium non mihi attribuo, sed Præcursoris. Primæ ad Cor. 1. ad Cor. 4. 7. quarto: Quid autem habes, quod non accepisti?

VERSUS XXVIII.

196. *Ipsi vos mihi testimonium perbibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus*. Et supra primo: Et confessus est, quia non sum ego Christus. *Sed quoniam* (*b*) *missus sum ante illum*, tanquam vox ante verbum, supra primo: Ego vox clamantis in deserto, dirigite &c.

VERSUS XXIX.

197. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit illum* (*c*), *gaudio gaudet propter vocem sponsi. In hoc ergo* (*d*) *gaudium meum impletum est*. Hic secundo Christum (*e*) sibi præponit in potentia baptizandi. Illius enim est baptizare, cujus est regenerare; & illius regenerare, qui habet sponsam, ex qua generet. Propterea dicit: *Qui habet sponsam, sponsus est*, & ex ea regenerare potest, & baptizare; ad Eph. quinto: Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam; & semetipsum (*f*) tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam (*g*) lavacro aquæ in verbo vitæ. Beda: Christus est sponsus; sponsa est Ecclesia de Gentibus congregata. Secundo ad Cor. undecimo: Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Illius igitur est regenerare (*h*): mei autem non est regenerare (*i*), nec invidere; sed potius gaudere; tanquam Amici. Ideo subdit: *Amicus autem sponsi, qui stat*, per gratiam, *& audit illum*, per inspirationem internam, *gaudio gaudet propter vocem sponsi*, id est, plene gaudet (*k*); quia vult secum gaudere. *Amicus*, Joan. quintodecimo: Vos amici mei estis &c. *Stat*, ad Rom. quartodecimo: Suo Domino stat, aut cadit. *Audit*, Psalm. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus &c. *Gaudio gaudet*, ad Philip. ultimo: Gaudete in Domino semper &c. Et hoc modo gaudebat Joannes tanquam Amicus; non dolebat ut invidus. Ideo dicit: *In hoc ergo gaudium meum impletum est*, id est, perfectum; scilicet tunc gaudium est impletum, cum habet quod desiderat. Joan. sextodecimo: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Christum sibi præponit in baptizandi potentia. — *Ad Eph. 5. 25. ac seq.* — *Beda in Evang. Jo. c. 3.* — *2. ad Cor. 11. 2.* — *Jo. 15. 14.* — *Ad Rom. 14. 4.* — *Ps. 84. 9.* — *Ad Philip. 4. 4.* — *Gaudium est perfectum illius, qui habet quod desiderat.* — *Jo. 16. 24.*

VERSUS XXX.

198. *Illum oportet crescere, me autem minui*. Hoc optimum signum veræ dilectionis, cum aliquis gaudet de alterius exaltatione cum sua depressione. *Illum oportet crescere* in morte, quia exaltatus

Veræ dilectionis signum de alterius exaltatione cum sui depressione gaudere.

consentaneam, defendit P. Leonardus Vanroy Tract. de Bapt. c. 1. q. 1. Patet insuper tenuisse sententiam contra Tertullianum & Chrysostomum, quod Christi baptismus ante mortem suam expiarit peccata; quam sententiam diserte tradit S. Augustinus, & post ipsum S. Tho. Scotus, Richardus de media Villa, Cajetanus, Sotus, ceterique Doctores, quos allegat & sequitur Gabriel Vasquez 3. par. Q. 66. Art. 3. Disp. 140. cap. 3.

(*a*) Hoc textu sæpius utitur Auctor in eamdem rem Serm. 2. sive Coll. in Hexaem. Ab eodem auspicatur Opusculum *de reductione artium ad Theologiam*. Eumdem allegat Lib. 3. dist. 33. art. unico q. 5. ad arg. Nec non par. 5. Breviloq. cap. 1. & alibi quoque.

(*b*) Vulg. *sed quia*; at etiam Cod. noster Bernardinian. 40. *sed quoniam*.

(*c*) Vulg. *eum*; sed *illum* quoque Cod. Vercel.

(*d*) Vulg. *Hoc ergo*; sed *in hoc ergo* etiam S. Thomas. Item *in hoc* Glos. Or. Exposit. sub S. Bonav. nomine. Nec non *in hoc ergo &c.* S. Jo. Chrysost. in cap. 3. Evang. Jo. Hom. 28. prædictusque Cod. noster Bernardinian. Cod. autem Evangelior. Ecclesiæ Trident. *Hoc igitur gaudium adimpletum est*.

(*e*) *Christum*, inquam; quia, ut loquitur idem Interpres Exposit. in cap. 5 S. Lucæ, ubi eumdem textum allegat, *Sponsus iste Christus est..... ut in Psalmo: Et ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo.*

(*f*) Vulg. *seipsum*; sed *semetipsum* duo quoque Codd. nostri Bernardin. ac Goth. apud Blanchin. aliusque Tabular. sive Biblioth. Episcop. Triden.

(*g*) Vulg. non habet *eam*; pervetustus tamen Cod. noster Bernard. 39. ac modo d. Tabular. sive Biblioth. Episc. Trident. Hugo Card. Lyran. antiquæ Biblior. Edit. habent *eam*.

(*h*) Exposit. in cap. 3. S. Lucæ, ubi de *spirituali regeneratione Christi*, sive *Christi regeneratione Sacramentali*.

(*i*) 4. Dist. 2. art. 2. q. 3. *Baptismus Joannis solum assuefaciebat, non regenerabat*.

(*k*) *Absorptus delectatione voluptatis*, inquit Comm. in Apocal. cap. 7. sub ver. 9. num. 490.

tatus in cruce; *me autem minui* in amputato capite. Vel *illum oportet crescere* in fama, ut credatur Christus; *me autem minui*, ut qui credor Christus, credar ejus Præcursor. Vel *illum oportet crescere* in baptizando, & in numero Discipulorum; *me minui*, quia baptismus meus, & discipulatus in proximo cessare debet: sed Christi e contrario ampliari. De hac ampliatione gaudebat Apostolus ad Philip. primo: Sive per occasionem, sive per veritatem annuntietur Christus, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Rationem autem, quare Christum oportet crescere, reddit, quia desursum venit; propter quod dicit:

Ad Philip. 1. 18.

VERSUS XXXI.

199. *Qui desursum venit, super omnes est. Qui de terra est, de terra loquitur* (*a*). *Qui de cœlo venit, super omnes est. Qui desursum venit, super omnes est.* Glossa: Ideo merito crescit, & propter hoc omnibus superefertur. Psal. Omnia subjecisti sub pedibus ejus &c. *Qui de terra est, de terra loquitur*. Hic tertio præponit, scilicet Christum in prædicandi sapientia; quia Joannes, ut terrenus, de terrenis loqui poterat; sed Christus cœlestia. Propterea dicit: *Qui de terra est &c.*; talis Joannes, qui in peccatis conceptus. *Qui de cœlo venit, super omnes est*, in dignitate docendi, Christus de cælo. Primæ ad Cor. quintodecimo: Primus homo de terra terrenus, homo secundus de cœlo cœlestis. Ideo de cœlo, quia spiritualis, quia sublimis Deitate. Joan. octavo: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Et quia de supernis est, de supernis loquitur certitudinaliter (*b*); propter hoc dicit:

Glossa interlin. Ps. 8. 8.

Christum sibi præponit in prædicandi sapientia.

1. ad Cor. 15. 47.

Jo. 8. 23.

VERSUS XXXII.

200. *Et quod vidit, & audivit, hoc testatur*; tanquam certus. *Vidit*, ut Dei sapientia, quia seipsum videt. *Audivit*, ut Filius accipiendo a Patre. Joan. quintodecimo: Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Et licet ejus doctrina sit excellentissima, tamen a carnalibus despicitur. Propterea subdit: *Et testimonium ejus nemo accipit*, id est, nullus homo mundanus. Joan. quintodecimo: Et viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Sed spirituales, qui accipiunt de doctrina ejus, certi fiunt; propterea dicit:

Jo. 15. 15.

Jo. 15. 24.

VERSUS XXXIII.

201. *Qui autem acceperit* (*c*) *ejus testimonium, signavit quia Deus verax est*; id est, tanquam sigillum in corde certitudinaliter imprimet.

VERSUS XXXIV.

202. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur*; & sic verax est, sicut Deus. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Hic quarto præponit Christum sibi in gratiæ excellentia, quia omnes in gratia excellit; & ista excellentia est ratio prædictorum, propterea subdit: *Non enim &c.* Vere dixi, quod ipse est sponsus; ipse cœlestia loquitur; & super omnes est: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, scilicet Christo (*d*). Non ad mensuram certam, sicut aliis (*e*); & rationem subdit:

Christum sibi præponit in gratiæ excellentia.

VERSUS XXXV.

203. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* Matth. undecimo: Omnia

---

(*a*) In Vulg. *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur*. Sed noster Interpres etiam in Opusc. de perfect. Vit. ad Soror. Cap. 4. & in 3. Dist. 2. art. 2. q. 1. legit: *Qui de terra est, de terra loquitur*; sicque itidem habet Cod. noster Bernardinian. & S. Greg. in Evang. Lib. 1. Hom. 6. num. 1. Inter lectiones ergo heic abeuntes a lectione Vulgatæ recenseri potest præfata lectio, uti illa quoque Codicis Turonensis Majoris Monasterii apud Blanchinium: *Qui de terra est, ex terra loquitur*.

(*b*) Hoc adverbio quoque utitur S. Bona. vel ubi elegantius loquitur, uti in Legenda Ma. S. Franc. quemadmodum animadvertimus in Prodromo col. 592. Item in Legenda S. Clar. num. 46.

(*c*) Vulg. *Qui accepit*; sed *qui autem acceperit* etiam S. Thomas, Hugo Card., Lyranus &c. In Edit. Biblior. sacr. Lugdun. 1568. pariter in textu. *Qui autem acceperit*; & in margine: *Qui accepit*. Sed & Editiones multo antiquiores habent: *Qui autem acceperit*; nec non Cod. noster Bernardinian.

(*d*) Ita & Dionys. Carthus.

(*e*) In 1. Dist. 48. Dub. 3. ac in 3. Dist. 13. art. 1. q. 2. in concl. Infra num. 208.

Matth. 11. 27. *Nullus, nisi per Christum, salvatur.* Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et ideo nullus salvatur, nisi per Filium; propterea subdit:

VERSUS XXXVI.

204. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, in merito scilicet. *Qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam*; non habebit gloriam, sed pænam. Unde dicit: *Sed ira Dei manet super eum*. *Jo. 12. 48.* Joan. duodecimo: Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum; *ira* scilicet vindictæ, de qua *Prov. 6. 34.* Prov. sexto: Zelus & furor viri in die vindictæ non parcet &c.; vel *ira*, id est, culpa originalis, per quam filius iræ *(a)*. *Ad Eph. 2. 3.* Ad Eph. secundo: Eramus natura filii iræ.

Quæstio prima, cur Joannes vocat se Sponsi amicum. *Chrysostomus in c. Jo. 3. Hom. 28.* *Responsio.* *Chrysostomus ibi.* 205. Sed quærit hic Chrysostomus primo de hoc, quod Joannes vocat se sponsi amicum, cum supra non fuerit ausus dicere se dignum servum, supra primo: Cujus non sum dignus &c. Respondet Chrysostomus, quod responsiones aptantur interrogationibus; & supra Joannes incitabatur ad abjectionem: ideo se humiliavit, & indignum servum vocavit. Hic incitatur ad æmulationem; & ideo se amicum vocat, & gaudere de bono ejus dicit.

Quæstio secunda, de hoc quod dicit Joannes: Qui de terra est, de terra loquitur. 206. Quæritur de hoc quod dicit Joannes: *Qui de terra est, de terra loquitur*. Hoc dixit pro se, & videtur, quod inconvenienter dixerit; quia ipse non loquebatur terrena, sed cælestia. *Chrysostomus seq. Hom. 29.* Chrysostomus respondet ad hoc, quod hoc non dixit absolute, sed comparative; non quia essent terrena, sed quia terrena erant comparatione doctrinæ Christi. *Augustinus in Jo. Evang. c. 3. Tract. 14. n. 6.* Augustinus respondet, quod propositio illa intelligenda secundum se, seu cum reduplicatione: *Qui de terra est*, secundum quod terrenus, *loquitur de terra*; si autem de cœlestibus, hoc est secundum quod imbutus spiritu, qui desursum venit *(b)*.

207. Quæritur de hoc quod dicit: *De cælo venit &c.* *Quæstio tertia de hoc quod dicitur: Qui de cælo venit &c.* Videtur ex hoc, quod Christus non assumpserit carnem humanam, sed cœlestem *(c)*; aut si humanam, quare non dicitur venire de terra, ut alii homines? Respondet Augustinus: *De cælo*, sive desursum, hoc est, de altitudine humanæ naturæ ante peccatum primi Parentis *(d)*. *Augustinus, sive potius Fulgentius de fide ad Pet. c. 2. n. 15.* Sed hoc consonare videtur illi hæresi *(e)*, quod aliqua particula mansit in Adam incorrupta, quæ per successiones usque ad Virginem traducta est, & de illa facta est caro Christi. Propter quod sane intelligendum est verbum *(f)*, quod istud dicitur per quandam assimilationem; quia sicut caro in Adam ante peccatum fuit pura, & sine macula, sic Christus carnem immaculatam assumpsit (g). Et notandum, quod terram nominat hic naturam passibilem, non corruptam per generationem corruptione vitiosa, secundum quam non est Christus genitus, sed per virtutem Divinam Spiritu sancto conceptus: ideo desursum.

208. Item quæritur de hoc, quod dicitur: *Non ad mensuram dat Deus spiritum*. *Quæstio quarta de hoc quod dicitur: Non ad mensuram dat Deus spiritum.* Aut intelligit de Christo secundum Divinam naturam, aut secundum humanam. Secundum Divinam naturam non potest; quia ipse non recipit spiritum, immo ab ipso & Patre Spiritus Sanctus procedit. Secundum humanam, contra: Gratia Christi hominis est creata; sed omnia creat Deus in certo pondere, numero, & mensura, unde *Sap. 11. 21.* nihil creatum est infinitum: ergo ad mensuram. Resp. Dicendum, quod *Responsio.* est mensura limitationis, & mensura divisionis. Mensuram limitationis voco, qua unumquodque creatum finitum *Mensura duplex limitationis, & divisionis:* est in sua substantia, & virtute, & limita-

---

(a) 2. Dist. 18. art. 2. q. 3. ad 2.

(b) Sic Augustinus ibi, non quoad verba, sed quoad sensum.

(c) Quæ est hæresis Valentini hæresiarchæ, de qua supra Col. 543. in not. a. Vid. Alphonsum de Castro Lib. 4. adversus Hæreses de Christo, Joannem Standa in Lex. Polem. To. 2. sub verbo *Valentinus Philosophus*.

(d) Sic & Fulgentius ibi in Append. To. 6. tantum quoad sensum.

(e) Hanc hæresim egregie confutat idem S. Bonaventura 3. Sent. Dist. 3. par. 2. art. 2. q. 1. in concl. una cum Magistro sententiarum, ac Magistro Hugone de S. Victore, nec non cum Sanctis utriusque Ecclesiæ Patribus Damasceno Doctore Græco, & Augustino Doctore Latino præcipuo.

(f) Illud scilicet *Augustini*, sive potius *Fulgentii* loc. supra cit. qui etiam ab ipsomet D. Bona. allegatur in 3. ibi.

(g) Iterum in 3. ibi „ *Pro tanto dicit Augustinus* (Fulgentius) *quod caro Christi venerit de altitudine humanæ naturæ, non quod in primis parentibus sine pollutione fuerit; sed quod sic purificata fuerit, & mundata in sua assumptione, quod similis fuerit carni in statu innocentiæ.* “

mitatum. Mensuram divisionis voco determinationem alicujus ad aliquem actum. Secundum istud primæ ad
a ad Cor. 12. 4. Cor. duodecimo: Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: quando scilicet gratia datur alicui ad aliquem effectum determinatum, sicut dicit Apostolus. Christus gratiam habuit ad mensuram primo modo; quia gratia ejus non fuit infinita (a): secundo modo habuit non ad mensuram; quia non fuit in eo arctata ad aliquam operationem, sed ad omnem, sicut caput ha-
Chrysostomus in Jo. 3. Hom. 29. bet omnes sensus (b). Unde Chrysostomus spiritum hic dicit actionem spiritus; hæc est, quæ dividitur. Unde patet, quod loquitur de mensura, quæ est per gratiarum divisionem respectu nostri (c).

209. Item de hoc, quod dicitur: *Qui credit habet vitam æternam*. Quia si habet, non credit. Responsio: Habere sempiternam vitam nunc est in spe per amorem imperfectum; sed tunc perfecte habetur, quando perfecte amatur, scilicet in patria, ubi non creditur, sed habetur (d). Quæstio quinta de hoc quod dicitur: *Qui credit habet vitam æternam.*

CA-

(a) In eod. 3. Dist. 13. Art. 1. Q. 2. in concl. Post plura in hanc rem sic concludit „ Concedendum est ergo, quod gratia Christi secundum quod homo, est finita & mensurata; quia creata est in numero, pondere, & mensura. "

(b) Ibi „ Si loquamur de ea in comparatione ad gratias aliorum hominum, sic improportionabiliter excedit ratione unionis ad personam Verbi, ad quam unionem gratia illa disposuit animam Christi. Gratia enim illa propter conjunctionem summam cum Verbo æterno habet excedere in infinitum, & incommensurabiliter gratias aliorum hominum.... Et propterea dicuntur fuisse in eo omnes sensus; quia usum habuit completum omnium donorum excellentiori modo, quam unquam adhuc pertingi possit ab aliquo &c." Quodve supra ait *ad quam unionem gratia illa disposuit animam Christi*, ibi ad 5. diserte declarat, id intelligendum de dispositione, non *per modum necessitatis, sive condignationis*; sed de *dispositione congruitatis*. Hanc opinionem D. Bona. accepit a Magistro suo Alexandro Alensi 3. par. Q. 12. memb. 1. ar. 1. Q. 11. memb. 1. & Q. 7. memb. 2. ar. 1. & eidem adhæret Ricardus de Media Villa in 3. Dist. 2. Art. 2. Q. 3. Pro eadem laudantur S. Thomas, Paludanus, Gabriel, & Marsilius. Vide sis Franciscum Suarez Comment. in par. 3. D. Tho. To. 5. Q. 2. Ar. 12. Disp. 10. Sect. 2. & Gabrielem Vasquez Commentar. in eamdem part. 3. D. Tho. Q. 6. Art. 6. Disp. 40. cap. 1. qui tamen ibi cap. 2. post Scotum aliosque statuit: *Multo probabilior, & in Scholis magis communis opinio est, gratiam habitualem non fuisse dispositionem ex parte humanitatis, ut hypostatice assumeretur*. Hanc sententiam amplexus fuit Dionys. Carthus. prædictum textum exponens, qui alias in cæteris heic cum D. Bona. convenit.

(c) Ibi ad 1. „ Ad id quod objicitur primo, quod datus est Christo Spiritus non ad mensuram; dicendum quod si intelligatur de datione æterna, vel de datione per idiomatum communicationem, tunc privatur ibi mensura simpliciter. Si autem per spiritum datum, intelligamus ipsam donationem donorum Spiritus sancti; sic non privatur ibi mensura simpliciter, sed commensuratione respectu nostri, quibus datur Spiritus sanctus ad usus aliquorum donorum determinate secundum Spiritus distributionem, quemadmodum dicitur: Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ &c. Sed Christo data sunt omnia illa dona sine arctatione aliqua. Et pro tanto dicitur ei datus spiritus sine mensura. "

(d) Non credit ergo secundum Interpretem nostrum, habens vitam æternam in re per amorem fruitionis perfectum, qui ex visione fidem evacuante consequitur; sed qui habet in spe per amorem minus perfectum. Unde Dionys. Carthus. „ *Qui credit in Filium*, fide formata, perseveranti, & operatoria; *habet vitam æternam*, id est, beatitudinem sempiternam, nunc in spe, in merito (*supra num.* 204.) & in radice: non enim inaniter eam præstolatur, sed habet caussam adipiscendi eam, quæ est actio bona ex caritate procedens in adultis. In infantibus vero sufficit fides formata sine proprio opere cum merito Christi. " Item Sa „ *Habet*, scilicet merito. Intellige vero fidem operibus comitatam. " Vid. supra num. 204. Hactenus ad pleniorem propositæ Quæstionis solutionem.

CAPUT QUARTUM.

1. UT ergo cognovit Jesus, quia audierunt Phari-
sæi quod Jesus plures discipulos facit, & bap-
tizat, quam Joannes, 2. (quamquam Jesus
non baptizaret, sed discipuli ejus,) 3. reli-
quit Judæam, & abiit iterum in Galilæam:
4. Oportebat autem eum transire per Sama-
riam. 5. Venit ergo in civitatem Samariæ,
quæ dicitur Sichar: juxta prædium, quod de-
dit Jacob Joseph filio suo. 6. Erat autem ibi
fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.
Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam.
Dicit ei Jesus: Da mihi bibere. (8. Discipuli enim ejus abierant in
civitatem ut cibos emerent.) 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana:
Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier
Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis. 10. Respondit
Jesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi:
Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vi-
vam. 11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, &
puteus altus est: Unde ergo habes aquam vivam? 12. Numquid tu
major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo
bibit, & filii ejus, & pecora ejus? 13. Respondit Jesus, & dixit ei:
Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua,
quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: 14. Sed aqua, quam ego
dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 15. Dicit
ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque
veniam huc haurire. 16. Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum,
& veni huc. 17. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Di-
cit ei Jesus: Bene dixisti, quia non habeo virum: 18 Quinque enim
viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixi-
sti. 19. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. 20. Pa-
tres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jerosolymis
est locus, ubi adorare oportet. 21. Dicit ei Jesus: Mulier crede mi-
hi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosoly-
mis adorabitis Patrem. 22. Vos adoratis quod nescitis: Nos adoramus
quod scimus, quia salus ex Judæis est. 23. Sed venit hora, & nunc
est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.
Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. 24. Spiritus est Deus:

& eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. 25.
Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus): cum
ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. 26. Dicit ei Jesus: Ego
sum, qui loquor tecum. 27. Et continuo venerunt discipuli ejus: &
mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid
quæris, aut quid loqueris cum ea? 28. Reliquit ergo hydriam suam
mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus: 29. Venite,
& videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid
ipse est Christus? 30. Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.
31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. 32. Ille
autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.
33. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei
manducare? 34. Dicit eis Jesus: Meus cibus est, ut faciam volunta-
tem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. 35. Nonne vos di-
citis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico
vobis: Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam
ad messem. 36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fru-
ctum in vitam æternam: ut, & qui seminat, simul gaudeat, & qui
metit. 37. In hoc enim est verbum verum: Quia alius est qui semi-
nat, alius est qui metit. 38. Ego misi vos metere quod vos non la-
borastis: Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis. 39. Ex
civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter
verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæ-
cumque feci. 40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogave-
runt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. 41. Et multo
plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. 42. Et mulieri di-
cebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: Ipsi enim
audivimus, & scimus, quia hic est vere Salvator mundi. 43. Post
duos autem dies exiit inde: & abiit in Galilæam. 44. Ipse enim Jesus
testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non ha-
bet. 45. Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi,
cum omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die festo: & ipsi enim
venerant ad diem festum. 46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ,
ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cujus filius infirma-
batur Capharnaum. 47. Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Ju-
dæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, &
sanaret filium ejus: incipiebat enim mori. 48. Dixit ergo Jesus ad
eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. 49. Dicit ad eum
Regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus. 50. Di-
cit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem
dixit ei Jesus, & ibat. 51. Jam autem eo descendente, servi occurre-
runt ei, & nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. 52. Inter-
rogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei:
Quia heri hora septima reliquit eum febris. 53. Cognovit ergo pater
quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: & credi-
dit ipse, & domus ejus tota. 54. Hoc iterum secundum signum fecit
Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam.

EXPOSITIO,

VERSUS PRIMUS.

210.

Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures Discipulos facit, & baptizat, quam Joannes. Manifestavit se Dominus supra Discipulis, & Judæis; in hac parte manifestat se Samaritanis, & hic prædicando, & annuntiando eis verbum salutis. Et habet pars ista duas partes. In prima notatur prædicandi opportunitas. In secunda prædicationis forma, ibi: *Venit mulier de Samaria*, ubi Dominus Samaritanæ incipit prædicare. Opportunitas autem erat ex parte loci; & hæc quidem fuit duplex, scilicet ad transeundum, & ad quiescendum. *Divisio in duas partes.*

211. Tangitur ergo primo opportunitas loci ad transeundum. Cum enim vellet ire a Judæa in Galilæam, necesse habebat pertransire Samariam. Propterea dicit: *Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi*. Audierunt, inquam, a Discipulis Joannis, qui tanquam invidi, & detractores referebant supra tertio dicentes: Omnes veniunt ad eum. Audierunt, inquam, *quod Jesus plures Discipulos facit, & baptizat, quam Joannes*. Et ex hoc manifestum erat eis, quod ipse esset major, & celebrior Joannes, & jam eis manifestatus. Hoc audierunt, quia sic relatum fuerat. *Opportunitas loci ad transeundum. Jo. 3. 26.*

VERSUS SECUNDUS.

212. *Quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus*, ne provocarentur ad invidiam.

VERSUS TERTIUS.

213. *Reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam*; quia semel abierat supra primo (*a*). Chrysostomus: Recessit Dominus, non timoris gratia, sed abscindens eorum livorem, atque invidiam. Unde Joan. septimo: Ambulabat Jesus in Galilæam: non enim volebat in Judæam ire, quia quærebant eum Judæi interficere. Sic facta prædicatione Judæis, offert se opportunitas prædicandi Samaritanis; unde dicit: *Chrysostomus in c. Jo. 3. Hom. 30. Jo. 7. 1.*

VERSUS QUARTUS.

214. *Oportebat autem eum transire per mediam (b) Samariam*. Et sic aderat loci opportunitas ad transeundum. Luc. decimo septimo: Dum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam. Sicut transibat, sic redire oportebat. *Luc. 17. 11.*

VERSUS QUINTUS.

215. *Venit ergo in Civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo.* Tangitur hic opportunitas loci ad quiescendum, quia lassus erat, & locus amænus se offerebat. Unde locum describit a Civitate, cum dicit; *Venit ergo in Civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar*. Sichar in lingua Chaldaica, Sichen in Hebraica (*c*). Hæc est Civitas, ubi Simeon & Levi occiderunt viros in ultionem stupri Sororis. Gen. trigesimo quarto. Et hæc Civitas erat (supple) *juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo.* *Opportunitas loci ad quiescendum. Sichar in lingua Caldaica, Sichen in Hebraica. Gen. 34. 25. ac seqq.*

Gen.

(*a*) Hic fuit ergo secundus Christi secessus in Galilæam, primus autem cap. 1. v. 43. a Joanne relatus. Vide supra cit. cap. 1. num. 99. nec non cap. 2. num. 117.

(*b*) In Vulg. *mediam* deest. Quidam tamen Libri similiter addunt *mediam*, uti videre est inter Lectionum varietates a Francisco Luca Brugensi observatas. Certe *mediam* habent antiquiores Editiones, nec non Hugo Card., Nicolaus Lyranus, Dionys. Carthus. &c. Item Cod. noster Bernardinian.

(*c*) Sic etiam Hugo Card. Quæ autem tempore Christi *Sichar* dicebatur, in Libris veteris Testamenti *Sichen* & *Sichima* nuncupatur.

Gen. 48. 22. Gen. quadragesimo octavo: Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. Et hic locus opportunus erat ad quiescendum, quia amænus. Propterea dicit:

VERSUS SEXTUS.

216. *Erat autem ibi fons Jacob*, id est, quem Jacob invenerat, secundum quod dicitur Joannis eodem. Et Christus indigebat quiete; ideo dicitur: *Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*; quia locus frigidus erat, & calor jam erat. Ideo subdit: *Hora autem (a) erat quasi sexta*; & ideo fatigatus erat longo itinere ex jejunio, & calore. Unde ipse Dominus dicit in Psalm.
Ps. 87. 16. Pauper sum ego, & in laboribus a juventute mea; exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus.

Allegoria de transitu Christi in Galilæam relicta Judæa.

217. Allegorice: *Jesus*, relicta Iudæa, *transit per mediam Samariam in Galilæam*; quia a Iudæis excæcatis Christus migravit. Galilæa enim transmigratio interpretatur (b). Ad Rom. undecimo: Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret (c). Et

Galilæa interpretatur transmigratio.
Ad Rom. 11. 25.
Act. 13. 46.

Act. tertiodecimo: Dixerunt Paulus & Barnabas Iudæis: Vobis oportebat primum loqui verbum: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. *Jesus fatigatus ex itinere, sedet hora sexta*; quia Filius Dei carnem nostram cum pænalitatibus assumpsit sexta ætate, sicut dicit Augustinus (d). Ierem. quartodecimo: Quare sicut colonus futurus es in terra, & sicut (e) viator declinans ad manendum? *Super puteum aquæ sedet*; quia super fluenta gratiæ requiescit, ut effundat in se credentibus. Ioan. septimo: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

Augustinus in Jo. Evang. c. 4. Tract. 15. n. 7. n. 7. ac seq.
Jer. 14. 8.
Jo. 7. 38.

Quare Christus sedere dicitur supra fontem.

218. Notandum, quod *Christus sedere* dicitur *supra fontem*; quia ipse est, in quo requiescit fons omnis gratiæ. Unde recte per illum fontem intelligitur, Gen. secundo: Fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ. Iste est Christus, a quo procedit quadruplex flumen, sive aqua, scilicet aqua munditiæ. De hac aqua Ezech. trigesimo sexto: Effundam super vos aquam mundam &c. Et sic Christus dicitur fons munditiæ, sive baptismus Zach. tertiodecimo: Erit fons patens domui David, & habitatoribus Jerusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Baptismus enim mundat peccatorem, & menstruatam; quia delet originale, & actuale. Aqua sapientiæ. Ecclesiastici quintodecimo: Aqua sapientiæ salutaris potavit (f) illum. Et hæc est sacra doctrina, & sic Christus dicitur fons sapientiæ. Ecclesiastici primo: Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis (g). Iste irrigat corda Doctorum. Prov. quinto: Deriventur fontes tui foras &c. Aqua gratiæ. Joan. septimo: Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Et sic dicitur Christus fons gratiæ Joan. eodem: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Hæc est gratia Jerem. secundo: Fons aquæ vivæ, de qua Joan. eodem: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Et sic dicitur Christus fons vitæ. Psal. Apud te est fons vitæ &c: Ed Apocal. septimo: Agnus deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Omnes aquæ istorum fontium procedunt a Christo (b). Unde Isa. duodecimo: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (i). Sed non procedunt,

Gen. 2. 6.
A Christo procedit quadruplex flumen.
Ezech. 36. 25.
Zach. 13. 1.
Eccli 15. 3.
Eccli 1. 5.
Prov. 5. 16.
Jo. 7. 39.
Jo. 4. 13. ac seqq.
Jer. 2. 13.
Jo. 4. 13.
Ps. 35. 10.
Apoc. 7. 17.
Is. 12. 3.
Aquæ Divinæ gratiæ, velut in Valles, defluunt in humiles.

(a) Vulg. *Hora erat* sine *autem*; sed *autem* etiam in Cod. Veron. apud Blanchin. ac in Cod. nostro Bernardin. & alio Tabular. sive Biblioth. Capitular. Trident. nec non apud eumdem Hug. S. Tho., Lyran. Dionys. Carthus. antiquiores Edit. &c.

(b) Exposit. in Cap. 17. S. Lucæ.

(c) Vulg. *intraret*; sed *subintraret* etiam Serm. 15. in Hexaem. nec non S. Gregor. in Ezech. Lib. 1. Hom. 12. num. 6.

(d) Sed & de *sexta ætate, in qua natus est Christus in effigie hominis*, in Procem. Breviloq. de longit. sacr. Scriptur.

(e) Vulg. utrobique pro *sicut* habet *quasi*; sed *sicut* habent quoque Syrus & Arabicus. Item *sicut colonus* legit quoque S. Greg. Moral. Lib. 14. cap. 41. num. 49.

(f) Vulg. *potabit*; sed *potavit* etiam Comment. in Apocal. cap. 21. ver. 6. num. 1562. & Exposit. in Psalter. Ps. 141. Sicque pariter Card. Jo. Vitalis in Speculo Morali totius sacræ Scripturæ verbo *Doctor* fol. 118. retro.

(g) Sic cit. Comment. in Apocal. cap. 21. num. 1562.

(b) Vide sis nostrum Interpretem in Procem. sive Prol. Lib. 1. Sent.

(i) De perfectione vitæ ad Sorores sive Sororem c. 6. ac in Ligno vitæ, ubi de *Jesu translanceato*, Comment. in Apocal. cap. 7. ver. 17. num. 521. &c.

cedunt, nisi in humiles, & valles. Psal. Qui emittis fontes in convallibus, id est in humilibus (a).

Ps. 103. 10.

Diabolus qualis fons.

219. Diabolus sedet super fontem; quia in ipso est fons immunditiæ, de quo Levitici vigesimo: Qui cojerit cum muliere in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. Mulier menstrua, & immunda, est caro nostra. Cum illa coit, qui ejus desideriis satisfacit. Fons imitationis perversæ, Prov. vigesimo quinto: Fons turbatus pede, & vena corrupta, justus cadens coram impio. Impius enim, dum considerat in justo mala, & bona, imitatur mala. Fons curiositatis vanæ. Ecclesiastici vigesimo sexto: Sicut viator sitiens, ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet; quia curiosi totum volunt scire, & de omni sapientia tentare. Fons damnationis æternæ. Apoc. octavo: Cecidit de Cælo stella magna ardens tanquam facula, in fontes aquarum, & nomen stellæ dicitur absinthium; quia Diabolus de Cælo Empyreo incidit in summam calamitatem pænarum, ad quas aquas trahit omnes suos potatores (b).

Levit. 20, 18. — *Prov. 25. 26.* — *Eccli 26. 15.*

Curiositatis vitio laborant illi, qui totum volunt scire, & de omni sapientia tentare.

Apoc. 8. 10. ac seq.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Ut cognovit Jesus.*

220. Ad intelligentiam Literæ primo quæritur de hoc quod dicitur: *Ut cognovit Jesus*. Aut hoc dicit secundum Divinitatem, aut secundum humanitatem. Quocumque modo hoc dicat, videtur falsum; quia Christus omnia scivit a nativitate: Ergo post nihil cognoscere incepit. Respondetur ad hoc, quod sicut Christus dicitur ignorare, quia non facit nos scire, sicut de die judicii; (c) sic dicitur aliquid primo cognoscere, quia cognoscere se primo ostendit. Unde hoc prius novit, sed tamen tunc primo ostendit (d). Vel respondendum, quod Christus sciebat prius præscientia; sed postmodum scivit relatione: & hoc non erat inconveniens secundum humanam (e).

Responsio.

Matth. 24. 36. & Mar. 13. 32.

Quæstio secunda de hoc quod Dominus reliquerit Judæam.

221 Item quæritur de hoc quod Dominus reliquerit Judæam propter Pharisæos jam cognoscentes. Videtur, quod timuerit, & quod fugerit. Ad hoc respondet Chrysostomus, quod non timore, sed propter scandalum eorum vitandum, & zelum invidiæ. Sed tunc objicitur; quia veritas doctrinæ non est dimittenda propter scandalum, in multis locis ut Matth. quintodecimo (f): Quare ergo nunc propter scandalum dimittit? Item si propter invidiam; quæro, quare magis invidebant Christo, quam Joanni, cum Joannes similiter baptizaret? Resp. Dicendum, quod tripli ci ex caussa reliquit Judæam; scilicet propter sandalum vitandum; propter fructum augmentandum; & propter exemplum dandum. Propter scandalum, ne Judæi efficerentur per zeli accessionem pejores: sed hæc non fuit tota caussa. Immo etiam propter fructum; quia ibi parum profecisset, & alibi multum profecit: & tunc relinquenda est prædicatio propter scandalum, quando alibi plus fructificare potest. Propter exmplum etiam dimisit, sicut dicit Augustinus, ut ostendat nobis esse licitum persequentium furorem declinare (g). Quod quæritur, quare magis persequebantur Christum, quam Joannem? Responsio est, quia Joannes non baptizabat in nomine suo, sed in nomine Christi venturi: Christus vero in nomine suo. Unde docebat, & baptizabat, sicut potestatem habens.

Chrysostomus cit. Hom. 30. — *Matth. 15. 12.*

Responsio.

Prædicatio relinquenda, quando alibi plus fructificari potest.

Augustinus in Jo. Evang. c. 4. Tract. 15. n. 2.

Cur major Pharisæorum persecutio in Christum, quam in Joannem.

Quæstio tertia, cur dicatur *fons Jacob*, qui postea vocatur *puteus*?

Augustinus ibi n. 5.

222. Item quærit Augustinus, quomodo dicit Evangelista: *Fons Jacob*, cum infra dicatur *puteus*? Respondet Augustinus, quod omnis puteus est fons; sed non contra vertitur. Ubi enim ema-

(a) Similiter sensu tropologico Cap. 2. de perfect. Vit. ad Soror. *Sicut aqua confluit ad valles, sic gratia Spiritus sancti confluit ad humiles &c.*; nec non Serm. 2. in ord. 24. de uno S. Confessore inter Bonaventurian. *Quanto plus homo habet de humilitate, tanto plus habet de Christi sublimitate; aqua enim de montibus, sive de tumore montium, fluit ad valles*. Consulendi S. Greg. in Ezech. Lib. 2. Hom. 7. num. 8. & in Evang. Lib. 1. Hom. 20. num. 3. Cassiodor. Exposit. in d. Ps, ac S. Bernard. Ser. 4. in Vig. Nativ.

(b) Comm. in Apocal. cap. 8. ver. 10. num. 569. satis innuit id etiam intelligi posse de *Diabolo*.

(c) In 3. Dist. 14. Ar. 1. Q. 3. in concl.

(d) In 4. Dist. 48. art. 1. q. 4. ad 1.

(e) Dixerat quoque 3. Dist. 14. art. 3. q. 2. in concl. *Quod Christus non proficiebat veniendo in notitiam rei prius incognitæ: Sed quod prius cognoscebat uno modo, scilicet per simplicem notitiam, cognoscebat postea alio modo, scilicet per experientiam.*

(f) Ibi enim dicitur: *Tunc accedentes Discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?*

(g) Sic in Apolog. Pauper. secun. Respons. prim. particul. Art. 1.

emanat aqua de terra in superficie, est tantum fons. Ubi in profundo, & fons & puteus dicitur.

VERSUS SEPTIMUS.

223. *Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere.* Determinata opportunitate loci ad prædicandum, determinatur hic manifestatio facta per prædicationem. Et quia manifestatio hæc primo facta est specialiter, secundo vero communiter; ideo primo agitur de prædicatione facta mulieri, secundo de prædicatione facta Samaritanis. Ibi: *Reliquit ergo mulier hydriam suam &c.* Et quia non est efficax prædicatio fidei, nisi cum consensu liberi arbitrii, & liberum arbitrium non consentit, nisi excitetur a Deo (*a*); ideo primo Dominus mulierem excitat: secundo excitatæ & consentienti veritatem fidei annuntiat. Ibi: *Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam &c.* Excitat igitur Dominus mulierem hoc ordine, scilicet primo petendo obsequium: secundo promittendo, vel offerendo beneficium: tertio explicando beneficium oblatum.

Manifestatio Christi facta per prædicationem specialiter Mulieri Samaritanæ.

Liberum arbitrium prædicationi fidei non consentit, nisi excitatum a Deo.

224. Excitat postulando obsequium potus, quem mulier ministrare poterat; quia aquam haurire venerat. Propterea dicit: *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* Et ita potum dare poterat, & Christus indigebat, & ideo petebat. Ideo sequitur: *Dicit ei Jesus: Da mihi bibere.* Indigebat quidem potu; quia non erat qui ministraret. Unde dicit:

Excitat Christus Mulierem Samaritanam ad fidem postulando obsequium potus.

VERSUS OCTAVUS.

225. *Discipuli enim ejus abierant in Civitatem, ut cibos emerent.* Bene dicit *emerent*, non gratis quærerent; quia non fuisset ibi qui daret (*b*). Unde dicitur Lucæ nono: Et euntes intraverunt, scilicet Discipuli, in Civitatem Samaritanorum, ut pararent illi, & non receperunt eum; quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.

Luc. 9. 52. et seq.

VERSUS NONUS.

226. *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Hic secundo excitat eam promittendo, vel offerendo beneficium; quia mulier considerans, ipsum esse Judæum, noluit impendere obsequium, sed magis quæstionem ingerit. Propterea ait: *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana*, a qua scilicet potum petiverat: *Quomodo tu, Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Ipsum esse Judæum ex habitu cognovit, ut Glossa dicit. Et rationem hujus quæstionis subjungit Evangelista: *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis*, ipsos immundos reputantes; quia Gentiles (*c*). Unde Gen. quadragesimo tertio: Illicitum est Ægyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant hujuscemodi convivium. Quia ergo mulier non fuerat mota ad obsequium faciendum, allicit eam Dominus promittendo beneficium; propter quod dicit:

Promittendo & offerendo beneficium.

Glossa interlin.

Gen. 43. 32.

VERSUS DECIMUS.

227. *Respondit Jesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam. Si scires donum Dei. Donum Dei* est Spiritus sanctus, de quo Act. secundo: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum, & accipietis donum sancti Spiritus. Spiritus sanctus dicitur donum; quia non debet vendi. Act. octavo: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Si hoc, inquam, cognosceres, *& quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere*; quoniam scilicet ipse dator sancti Spiritus; non fecisses quæstionem, sed doni postulationem. Ideo dicit: *Tu forsitan petisses ab eo. Forsitan* non est nota dubitationis,

Act. 2. 38.

Spiritus sanctus non debet vendi.

Act. 8. 20.

Forsitan non est nota dubitationis, sed libertatis arbitrii.

(*a*) Eo videlicet modo, quem declarat Doctor noster par. 5. Breviloq. c. 2. ac 3.

(*b*) De Christi paupertate ait idem Doctor: *Habuit loculos in articulo necessitatis, utpote quoniam transibat per Samaritanos.*

(*c*) Exposit. in cap. 9. S. Lucæ „ Samaritani isti fuerunt coloni positi in Civitatibus „ Samariæ pro filiis Israel in Assyrios translatis, sicut dicitur, quod Rex Assyriorum adduxit de Babylone, & de Cutha &c. Sequitur: Et collocavit eos in Civitatibus Samariæ „ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, „ & habitaverunt in urbibus ejus. Et de istis „ subditur postmodum ibidem, quod fuerunt „ ti-

nis, sed libertatis arbitrii (*a*). Et ille petitioni tuæ satisfecisset; ideo dicit: *Et dedisset tibi aquam vivam. Tibi* petenti *dedisset*. Matth. septimo: Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. *Aquam vivam* vocat gratiam fidei, quæ vivere facit: Habac. secundo: Justus meus ex fide vivit (*b*).

Matth. 7. 8.

Habac. 2. 4. & ad Hebr. 10. 38.

VERSUS XI.

228. *Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?* Tangitur hic tertium, scilicet explicatio doni, vel beneficii oblati. Mulier enim carnaliter de dono temporali intelligebat; & propterea dubitabat, & explicari petebat. Propter hoc ait: *Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est*. Et ideo non potes dare de aqua putei hujus; sed etiam aliunde quomodo habere potes? Unde sequitur: *Unde ergo habes aquam vivam?* Ista scilicet nobiliorem?

Explicando beneficium oblatum.

VERSUS XII.

229. *Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus? Numquid tu major es patre nostro Jacob?* Simile Joan. octavo: Numquid tu major es patre nostro Abraham? *Qui dedit nobis puteum*; ideo dedit, quia invenit. De hoc puteo Gen. vigesimo nono: Profectus ergo Jacob venit in terram Orientalem, & vidit in agro puteum &c. Cujus os (*c*) grandi lapide claudebatur. Nec tantum aliis dedit; sed etiam ad proprium usum habuit, quasi meliorem non habens. Ideo dicit: *Et ipse ex eo bibit, & Filii ejus, & pecora ejus*. Habetur Gen. vigesimo nono, quod Jacob ibi adaquavit pecora. Mulier ergo carnaliter intelligens, & Domini potentiam nesciens, non alliciebatur. Ideo explicat Christus donum, & dicit:

Jo. 8. 53.

Gen. 29. 1. et seq.

Gen. 29. 12.

VERSUS XIII.

230. *Respondit Jesus, & dixit ei: Omnis, qui biberit ex aqua hac*, scilicet visibili, & materiali, *sitiet iterum*. Et ideo non est magnum hanc dare, nec ego hanc promitto.. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*. Joan. sexto: Qui credit in me, non sitiet in æternum. Et ratio subditur, quare non sitiet:

Jo. 6. 35.

VERSUS XIV.

231. *Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Salientis*; quia illuc salire facit (*d*), ubi est fons indeficiens. Psal. Apud te est fons vitæ. Fons etiam perfecte reficiens; unde in Ps. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ad hanc aquam invitat Dominus. Isa. quinquagesimo quinto: Omnes sitientes venite ad aquas &c. Sic igitur mulierem excitavit petendo obsequium, offerendo beneficium, explicando donum oblatum (*e*).

Ps. 35. 10.

Ibi 9.

Isa. 55. 1.

232. Quæritur hic, cum Dominus præcipiat Discipulis suis, ut in Civitates Samaritanorum non ingrediantur, nec in viam gentium. Matth. decimo, & etiam Matth. quintodecimo dicat: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel; unde est hoc, quod modo prædicat Samaritanis? Resp. Dicendum, quod hoc Dominus Discipulis prohibuit, non quia malum esset; sed

Quæstio prima, cur Christus, qui inhibuit Discipulis suis ingressum in Samaritanorum Civitates, modo Samaritanis prædicat.

Matth. 10. 5. et 15. 24.

Responsio.

„ timentes Dominum, sed nihilominus & idolis servientes.“ Hinc *Gentiles* vocat etiam S. Jo. Chrysost. cit. Hom. 30. Item *alienigenas, & ad gentem Judæorum non pertinentes* S. Aug. cit. Tract. 15. num. 10.

(*a*) Exposit. in cap. 4. S. Jo. sub S. Bonaventuræ nomine similiter. De *forte, quod non est nota dubitationis* ipsemet S. Bona. 2. Dist. 22. Art. 1. Q. 1. ad 1. Vide infra cap. 5. ver. 46. num. 371.

(*b*) Sic Serm. 3. Dom. 23. post Pentec. Et vide infra cap. 14. num. 990.

(*c*) Vulg. *& ejus os*.

(*d*) Simili plane modo Interpres noster Comm. in Apocal. cap. 21. ver. 6. num. 1561. exponit *dabo de fonte aquæ vitæ*, inquiens: *id est, quæ facit æternaliter vivere*. Et sic etiam ait Sa „ *Salientis*, id est, salire facientis.“

(*e*) Heic innui *Spiritus sancti dona, ac notitiam veritatis, quæ sitim extinguit, sive notitiam interiorem, quæ ad gustum procedit, & interius per gratiarum dona reficit*; tradit etiam noster Interpres Serm. sive Collat. 17. in Hexaem. Tum loco paulo ante allegato præfati Comm. in Apoc. *Aquæ hujus fontis sunt dona suæ liberalitatis, quæ emanant a fonte æternitatis; nam qui biberit ex aqua hujus fontis, non sitiet in æternum, Joannis quarto*. Ubi in hanc rem alia plura subjungit.

sed ne Judæos, ad quos primo venerat, scandalizaret. Ideo præcepit, quod non ex proposito principali ad eos irent, unde nec Dominus se ingessit. Sed quia vult, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & opportunitas se obtulit, & mulier ad eum venit; ideo verbum prædicationis aperuit.

1. ad Tim. 2. 4.

Quæstio secunda de potu, quem Christus a Samaritana petivit.

233. Item quæritur, cum Judæi reputent Samaritanos immundos, & Dominus legem custodiebat; unde est hoc quod a Samaritana bibere petebat? Præterea ipse sciebat ejus responsionem, antequam peteret; & sciebat, quod ipsa potum non daret. Ergo frustra, & stulte petebat. Respondet Chrysostomus, quod Dominus reputabat pro indifferenti hujusmodi observantias custodire, ut dicitur Matth. quintodecimo, quod nihil extrinsecum coinquinat hominem; & ideo non dimisit petere ab illa, quamvis esset Samaritana. Quod objicis, quod sciebat, quod non daret; dicendum, quod sciebat, quod ei prudenter responderet: & ut ex illa responsione occasionem docendi haberet: ideo petiit.

Responsio. *Chrysostomus cit. Hom. 30.* *Matth. 15. 11.*

Quæstio tertia de hoc quod Discipuli iverant in Civitatem, ut cibos emerent.

234. Item quæritur de hoc, quod Discipuli iverant in Civitatem, ut cibos emerent. Contra: Discipuli erant Judæi; ergo non debebant Samaritanis communicare. Item Dominus præcepit eis, ut non haberent aurum, neque argentum. Matth. decimo. Quomodo ergo iverant emere, si pecuniam non habebant? Resp. Dicendum, quod Discipuli didicerant a Domino, nihil esse immundum, sed commune. Vel dicendum, quod aliqui cibi erant indifferentes quoad Judæos, & Samaritanos, ut panis, & poma; & tales cibos iverant emere. Quod objicitur, quod non habebant unde emerent; dicendum, quod non adhuc missi erant miracula facere, & prædicare (a). Præterea erant in terra ignota, ubi panem & alios cibos gratis non invenirent. Ideo pro necessitatis tempore argentum portabant (b).

Matth. 10. 9. Responsio.

Quæstio quarta de hoc quod Mulier dicit: *Numquid tu major es patre nostro Jacob?*

235. Item quæritur de hoc quod mulier dicit: *Numquid tu major es patre nostro Jacob?* Contra: Ex hoc videtur implicare, quod Jacob esset pater Samaritanorum; & hoc falsum est, quia ipsi missi fuerant a Rege Assyriorum (c). Resp: Dicendum, quod Pater aliquando dicitur ob temporis antiquitatem; sicut dicimus senes viros Patres. Aliquando auctoritate; sic Prælatos, & viros authenticos dicimus Patres. Aliquando beneficio, vel educatione; sic Patres dicimus, a quibus beneficia percipimus. Aliquando generatione; sic illos, qui nos genuerunt. Mulier dicit Jacob patrem primis tribus rationibus præhabitis (d).

Responsio.

Quæstio quinta de hoc quod dicitur: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*

236. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Contra: Aut intelligit de siti corporali, aut spirituali. Si de corporali, falsum; quia sitiunt qui gratiam habent. Si de spirituali, adhuc falsum videtur, Ecclesiastici vigesimo quarto: Qui bibunt me, adhuc sitiunt (e). Resp. Dicendum, quod de siti spirituali loquitur. Quædam enim sitis est non habiti, ut habeatur; quædam habiti, ut amplius habeatur; quædam est perfecte habiti, ut continuetur (f). Prima est in concupiscentia. Secunda in gratia. Tertia vero in gloria. Hic loquitur de prima siti, ideo &c: Sitis enim gratiæ (g) non est rei non habitæ; quia, sicut dicit Augustinus, qui habet donum æternum (h), amando habet, licet non perfecte (i).

Eccli 24. 29. Responsio.

Augustinus Lib. de diversis qq. 83. q. 35. n. 1. ac seq.

VER-

(a) Videlicet nondum advenerat illud tempus, quando dictum est illis a Domino: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*, Matth. 10. supra cit.

(b) Hæc indicare videntur auctorem ejus Instituti, quod, Apostolorum more, citra necessitatem, pecunia non utitur. Vide supra num. 225. in not. *b*.

(c) Ita etiam in Exposit. cap. 9. S. Lucæ. Vide supra num. 226. in not. *c*.

(d) Nimirum tribus prioribus, antiquitate, auctoritate, ac potissimum beneficio putei, ac educatione in Judæorum religione, quam ex parte sequebantur.

(e) *Sitiunt* habet, quoque Cod. noster Bernardin. 21.; sed *sitient* Vulg.

(f) Pariter Exposit. in cap. 4. S. Jo. sub S. Bonav. nomine.

(g) De *siti gratiæ* August. qq. in Num. Lib. 4. q. 35.

(h) Scilicet *donum Spiritus sancti*, uti cit. L. qq. 83. q. 64. n. 4. declarat.

(i) Nam (eodem Auctore August. Lib. de utilit. credendi cap. 15. num. 33.) *adipisci certissimum & summum bonum nemo potest, nisi id plene perfecteque dilexerit*. Quare scite dixerat supra noster Interpres in fine cap. 3. num. 209. *Habere spiritualia est per amorem, & tunc perfecte habentur, quando perfecte amantur*.

VERSUS XV.

237. *Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Postquam excitavit Dominus mulierem ad consentiendum; hic jam mulieri consentienti, & petenti, verbum fidei proponit ad credendum: quia mulier etsi esset excitata, non tamen erat illuminata. Ideo Dominus non statim verbum fidei proponit; sed hoc ordine procedit. Primo revelat secretum. Secundo manifestat dubium. Tertio vero aperit fidei sacramentum.

Mulieri consentienti & petenti proponitur verbum Dei ad credendum.

238. Mulieri igitur jam petenti aquam ita promissam, & ex hoc consentienti, revelat secretum; propter quod audit petitionem mulieris dicentis: *Dicit ad eum mulier &c.* Ita promiserat ei Dominus aquam indeficientem; ideo hanc petit mulier: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Et sitis erat pœnalis, & labor hauriendi: & ideo petebat donum Dei; quia, sicut dicit Gregorius, mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt (*a*). Propterea Dominus vocat oppressos Matth: undecimo: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Mulieri igitur sic petenti Dominus aperit secretum, sed non statim, ne indignetur, quia conviciosum: sed occasionem dicendi quærit; unde sequitur

Ipsi revelatur secretum.

Gregorius apud ipsum Bona. Exposit. in c. 6. & 14. S. Luc. Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. *Matth.* 11. 28.

VERSUS XVI.

239. *Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum. Tuum*, non per matrimonium; sed per abusum. *Et veni huc.* Non hoc dicebat, quia crederet, eam habere virum; sed ut respondenti secretum de viro revelaret. Unde

VERSUS XVII.

240. *Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum.* Ex hac veraci responsione Dominus, occasione accepta, subdit secreti revelationem. Unde & sequitur: *Dicit ei Jesus: Bene dixisti, quia non habeo virum*; quia verum confessa est.

VERSUS XVIII.

241. *Quinque enim viros habuisti*: ecce revelat præterita. *Et hunc* (*b*), *quem habes, non est tuus vir. Hunc*, id est, hic (*c*). Antithesis est (*d*). Revelat præsentia, & ut non indignetur, verum commendat: *Hoc vere dixisti.* In quo traditur forma Prædicatoribus, ut, cum volunt audientibus dicere aspera, immisceant & dulcia. Unde Paulus hanc formam servabat primæ ad Cor. undecimo: Laudo, inquit, vos: in hoc non laudo; non omnino reprehendebat (*e*).

Prædicatores, cum suis auditoribus duro dicunt aspera, immisceant & dulcia.

1. ad Cor. 11. 22.

242. Mystice: Mulier est pars inferior rationis. Vir ejus naturalis, & legitimus est pars superior recte dijudicans

Mystica interpretatio mulieris & viri.

(*a*) Sic etiam in Quadragesimali apud Segneri Conc. 27. diei Veneris post 4. Dom. num. 5. pariter absque loco, ubi id S. Gregorius dixerit. Supra cit. autem cap. 6. Exposit. in Luc. pag. 220. col. 2. noviss. Edit. Venet. invenio quidem allegationem in margine sic: *Greg. Lib. 6. Registri cap.* 27. sed in Editionibus ejusdem Registri Epistolarum d. S. Greg., quæ mihi præ manibus sunt, quasve consului, nil prædictorum inibi reperi. Pariter in Exercit. perfect. P. Alphonsi Rodriquez Tract. 4. de tentat. cap. 3. fit allegatio *D. Greg. L. 23. Moral. c. 14. & seq.* sed & inibi nihil lego, nisi aliquid simile quo ad sensum eod. Lib. Moral. 23. cap. 25. num. 51. Simile etiam, quo ad sensum, deprehendi apud ipsum S. Greg. Lib. 3. Moral. cap. 9. num. 15. nec non in Evang. Lib. 2. Hom. 36. num. 9. De prædicta vero aqua mystica idem Moral. Lib. 6. cap. 16. num. 20. ac Lib. 12. cap. 5. num. 6.

(*b*) Non desunt Codices aliqui ab Editione Vulgata abeuntes, in quibus legere est *hunc* pro *nunc*. Certe *hunc* habet Codex noster Bernardinian. nec non ille Tabular, sive Biblioth. Episcopal. Trident. ac Evangeliarium ipsum antiquissimum Eccl. Tridentin. ejusdem Tabular. Item Codd. Mm. ac Goth. apud Blanchin. Dionys. Carthus. ac etiam sacror. Biblior. Edit. Lugdun. 1568.

(*c*) Secundum d. lectionem, quam etiam habent *quidam* notati apud Brugen.

(*d*) In hoc consistit d. *Antithesis*, quod Christus opponit sextum quinque prioribus, propterea quod illi legitimi fuerint, hic vere illegitimus. Ita Augustinus, Beda, Euthymius, Rupertus, Cornel. a Lap. Gordon. & alii passim; licet S. Jo. Chrysostomus, Maldonatus &c. vel illos putent fuisse illegitimos.

(*e*) Glossa ordinar. apud Lyran. sic habet „ *Laudo vos.* Vel sic distingue: *Laudo vos in* „ *hoc?* Utique *non laudo.* “ Et apud Hugonem Card. „ *Laudo vos, in hoc non laudo.* „ *Laudo vos* in quibusdam aliis; sed..... *in hoc* „ *non laudo*, id est, non laudabile invenio. „ Vel interrogative: *Laudo vos in hoc?* Et re- „ spondeo: *non laudo.* “ Vulg. *laudo vos? in hoc non laudo*.

cans (a). Primæ ad Cor. undecimo: Vir est imago & gloria Dei, mulier autem est gloria viri. Hæc mulier reprehenditur, quod habuit quinque viros, quando quinque carnis sensibus in infantia deservit, qui ei principabantur, tamquam viri. Pueri sequuntur desideria juvenilia; propter hoc dicit Apostolus secundæ ad Tim. secundo: Juvenilia desideria fuge. Hæc juvenilia desideria etsi videantur dulcia, tamen sunt aspera. Unde significantur per quinque juga boum. Luc. quartodecimo: Juga boum emi quinque, id est, quinque sensuum (b) gravia desideria. Primus vir gustus; huic serviunt gulosi, in quorum persona Ecclesiastis secundo: Nonne melius est comedere, & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? Isa. vigesimo secundo: Comedamus, & bibamus; cras enim moriemur. Secundus tactus; huic serviunt luxuriosi, in quorum persona Sap. secundo: Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum sit exors &c. Tertius olfactus; huic serviunt deliciosi, in quorum persona dicitur Sap. secundo: Unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis; coronemus nos rosis &c. Quartus visus; huic deserviunt avari, Ecclesiastici quartodecimo: Insatiabilis oculus cupidi in partem (c) iniquitatis, non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. Quintus auditus; huic deserviunt curiosi, Act. decimo septimo: Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi (d). Redarguitur de viro sexto non suo. Hic vir est error, quo anima abducitur, & seducitur. Hoc igitur errore rejecto, hortatur Dominus, ut vocet virum, id est, naturale rationis judicium, ut possit fidei Sacramenta percipere (e); & non sit, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Tali animæ dat Dominus aquam salientem in vitam æternam. Hæc est aqua gratiæ, quæ a Deo descendit; ideo ad Deum salire facit: Proprietas enim aquæ est, ut tantum ascendat, quantum descendit (f).

1. ad Cor. 11. 7. — 2. ad Tim. 2. 22. — Luc. 14. 19. — Eccle 2. 24. — Isa. 22. 13. — Sap. 2. 8. — Sap. 2. 7. ac seq. — Eccli 14. 9. — Act. 17. 21. — Ps. 31. 9. — Proprietas aquæ est, ut tantum ascendat, quantum descendit.

VERSUS XIX.

243. *Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu.* Tangitur hic secundum; postquam enim revelavit secretum, manifestat dubium. Mulier enim videns, quod Dominus esset cognitor secretorum, suam dubitationem terminandam proponit; propter quod ait: *Domine, video quia Propheta es tu.*

Manifestatur dubium.

VERSUS XX.

244. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, scilicet Abraham & Jacob; *& vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Si igitur Patres sunt imitandi: quomodo ergo vos hoc dicitis, quasi morem Patrum contemnentes? Hoc dicebant Judæi propter illud Deuter. duodecimo: Cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo, quem elegerit Dominus. Hujus quæstionis dubio Dominus satisfacit, ostendens, quod neque ibi, neque in Judæa perfecte adorabant; ideo addit:

Deut. 12. 13. ac seq.

VERSUS XXI.

245. *Dicit ei Jesus: Mulier crede mihi quia veniet (g) hora, quando neque in monte hoc, neque Jerosolymis adorabitis Patrem.* Ista hora est tempus gratiæ, in

(a) Ita noster Interpres ex Augustino de Trinitate etiam in 2. Dist. 16. art. 2. q. 2. ad arg. in fine.

(b) Exposit. in cap. 14. S. Lucæ ibi, nec non S. Greg. in Evang. Lib. 2. Hom. 36. num. 4.

(c) Vulg. *in parte*; sed *in partem* duo etiam nostri Codd. Bernard. ac Hugo Card.

(d) Exposit. in Ecclesiasten Cap. 12.

(e) Nempe *Divina illuminatione, quæ rationem elevat in his, quæ sunt super ipsam*, ut inquit noster Interpres 3. Dist. 23. art. 2. q. 2. in concl. In iis autem, quæ non sunt super ipsam rationem, *inservit nobis Deus nobile judicatorium, ubi quid sit lucis, quid tenebrarum cognoscitur in libro lucis, qui veritas est; quia veritas in corde hominum naturaliter est impressa*, ut idem ex Augustino loquitur 2. Dist. 39. art. 1. q. 2. in fine.

(f) Certum hoc est Hydrostatices principium, quo pariter utitur Interpres noster inquiens Proœm. in 1. Sententiar. *Natura aquæ hujus est, quod tantum ascendit, quantum descendit.* Quod etiam adhibet Serm. 2. de SS. Apost. De hoc rursum infra cap. 7. num. 543.

(g) Vulg. *venit*; sed *veniet* etiam apud Hugonem Card. & Lyranum. Edit. Lugdunen. sacror. Biblior. 1568. etiam habet *veniet*; sed *venit* in margine notat. Item *veniet* antiquiores aliæ plures Biblior. Editiones, nec non Codd. Corbejen. & Brixian. apud Blanchin. atque etiam Evangeliar. Eccl. Trident.

quo evacuari debebat error Gentilium, & umbra mandatorum legalium. De hac hora ad Rom. tertiodecimo: Hora est jam nos de somno surgere: Nox præcessit, dies autem appropinquavit &c. Hæc hora locum orationis non determinat alicubi, sed ubique. Primæ ad Tim. secundo: Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus &c. Et licet nec hic, nec Jerosolymis perfecte nunc adoretur; tamen melius Jerosolymis. Ideo dicit:

Ad Rom. 13. 11. et seq.

1. ad Tim. 2. 8.

VERSUS XXII.

246. *Vos adoratis quod nescitis: Nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. Vos adoratis quod nescitis;* quia legem non habetis. Item Deum simul & idola colitis, & Deum localem creditis. Quarti Reg decimo septimo dicitur de Samaritanis, quod serviebant Domino terræ, & idolis suis (*a*). *Nos adoramus quod scimus. Nos*, scilicet Judæi; *quia salus ex Judæis est*, id est, Christus salvator. Ad Gal. tertio: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Quia ergo nec Jerosolymis perfecte adoratur, docet mulierem quando, & quomodo perfecte adoretur, ne eam detineat in suspenso. Ideo dicit:

4. Reg. 17. 33.

Ad Gal. 3. 16.

VERSUS XXIII.

247. *Sed venit hora, & nunc est, quando veri adaratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.* Dixi, quod non perfecte adoratis, quia Dominum localem creditis: Nec Judæi perfecte; quia sub figuris. *Sed venit hora*, scilicet gratiæ; *& nunc est*; quia Christus jam venerat: *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. In spiritu*, contra localitatem, & corpulentiam. *In veritate*, rejecta umbra; secundum quod dicebat Apostolus secundæ ad Cor. tertio: Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes transformamur in eamdem imaginem a claritate &c. (*b*). Et quod sint isti veri adoratores, ostendit dicens: *Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum*; supple, sicut dictum est: *In spiritu, & veritate.*

2. ad Cor. 3. 18.

VERSUS XXIV.

248. *Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Spiritus est Deus*, non corpus (*c*), ut vos creditis. Isa. quadragesimo: Cui similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei? *Et eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*; ut sic ei conformentur, ut sint in spiritu, & non in carne. Ad Rom. octavo: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Sint in veritate, non in fictione. Sap. primo: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum (*d*).

Isa. 40. 18.

Ad Rom. 8. 8.

Sap. 1. 5.

VERSUS XXV.

249. *Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Hic jam tertio, ex quo manifestavit dubium, aperit fidei Sacramentum. Mulier enim a Domino instructa, ad Christum, & tempus gratiæ, oculum considerationis elevat; propter quod ait: *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: Cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Sciebat hoc mulier; quia Samaritani Legem admittebant. Credebant maxime, quia Christus in Lege promittebatur, non tantum Judæis, sed Gentibus. Gen. quadragesimo nono: Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium. Ex quo igitur mulier perducta est usque ad Christum, & in eum jam parata credere; quid restat, nisi ut Dominus aperiat ei seipsum? Propter hoc sequitur.

Aperitur fidei sacramentum.

Gen. 49. 10.

VER-

(*a*) *Fuerunt timentes Dominum*, inquit Interpres noster Exposit. in cap. 9. S. Lucæ; *sed nihilominus idolis suis servientes*, ubi ille ipse locus 4. Reg. c. 17. allegatur. Recolantur dicta supra num. 226.

(*b*) Vid. Comment. in Apocal. cap. 1. num. 2. ac cap. 2. num. 115.

(*c*) 1. Dist. 10. art. 2. q. 3. in concl. contra Anthropomorphitas & Audianos. Tertullianus autem Lib. contra Praxeam, & Lactantius Lib. de ira Dei, Deo corpus attribuentes, voce corporis videntur abusi, nec aliud per corpus, quam substantiam solidam intellexisse, incompositam tamen. Ceterum Deum esse, *quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio, qualitatis expers, & quantitatis &c.*, inquit Arnobius Lib. 1. contra Gentes.

(*d*) Exposit. in Lib. Sap. ad hunc textum.

VERSUS XXVI.

250. *Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum.* Similiter Dominus respondit cœco. Joan. nono, cum quæreret, quis esset Dei Filius, in quem deberet credere, Dominus respondit: Vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Jam fide pronuntiata, terminatur prædicatio, & colloquium; quia Discipuli revertuntur. Ideo subdit:

Jo. 9. 37.

VERSUS XXVII.

251. *Et continuo venerunt Discipuli ejus, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur.* Admirabantur ejus clementiam, & dignationem. Augustinus: Bonum admirabantur, non malum suspicabantur. Et hæc admiratio non duxit in quæstionem, sed in reverentiam, & timorem. Ideo dicit: *Nemo tamen dixit ei (a): Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Quid quæris?* Quasi, quæ est hujus locutionis necessitas? *Quid loqueris?* Quæ scilicet est hujus locutionis utilitas? Verbum enim, quod caret ratione justæ necessitatis, vel piæ utilitatis, ut dicit Gregorius, otiosum est (*b*).

Augustinus in Jo. Ev. c. 4. Tract. 15. n. 29.

Gregorius Moral. L. 8. c. 37. n. 58.

252. Incidit hic quæstio; primo de hoc quod dicitur: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Jerosolymis adorabitis Patrem.* Si hoc verum est; ergo non deberent construi Templa ad orationem. Item si eos, qui adorant, in spiritu oportet adorare; ergo peccant, qui ad orandum faciunt imagines corporales. Resp. Dicendum, quod conditiones orationis quædam sunt essentiales, ut recta intentio, & justa petitio; quædam accidentales, ut tempus, & locus. Dico igitur, quod Dominus non dixit locum determinatum ab oratione vera esse resecandum, ut superfluum; sed cognoscendum non esse de orationis essentia: quia veri adoratores ubique Deum odorant. Et licet non sit necessarius, non tamen est superfluus; valet enim ad memoriam habendam, ad devotionem excitandam, ad unitatem servandam, ad societatem Angelorum obtinendam: quia prævenerunt Principes conjuncti psallentibus. Quod objicitur de imaginibus, dicendum, quod modo non obsunt; quia non creditur aliquid in eis esse Divinum, nec Deum esse ibi corporaliter; sed solum significative (*c*).

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Jerosolymis adorabitis Patrem.*

Responsio. Conditiones orationis.

Ps. 67. 26.

253. Item quæritur de hoc quod Dominus de Judæis dicit: *Nos adoramus quod scimus.* Contra Joan. octavo: Neque me scitis, neque Patrem meum scitis, dicit Dominus Jesus Judæis. Responsio: Infra de infidelibus intelligitur, qui erant Judæi solo nomine. Hic autem de Judæis veris loquitur, qui re & merito Judæi appellantur.

Quæstio secunda de hoc quod de Judæis dicitur: *Nos adoramus quod scimus.* *Jo. 8. 19.*

Responsio.

254. Item quæritur, cum verbum abbreviatum fecerit Dominus super terram (*d*), unde hoc est, quod Samaritanam per tot verba Christus protraxit? Respondet Chrysostomus, quod si statim dixisset mulieri: Ego sum Christus, videretur delirare; & ideo paulatim tanquam bonus Doctor provexit & nobis exemplum tribuit, ut non dedignemur paucis auditoribus prædicare, quando ipse uni vetulæ (*e*) tam longum sermonem fecit.

Quæstio tertia, cur Christus torupliribus verbis Samaritanam fuerit allocutus.

Responsio.

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 4. Hom. 32.

Prædicator non dedignetur paucis auditoribus prædicare.

255. Item quæritur, cum Discipuli dubitarent, & Petrus audacter soleret a Domino quærere; quare non quæsierunt a Domino quid loqueretur? Ad hoc est responsio, quod si quæsissent, viderentur jam ipsum habere suspectum; ideo timebant argui de stulta quæstione, & de indisciplina: & ideo non fuerunt ausi quærere.

Quæstio quarta cur Discipuli a Christo quid loqueretur, non quæsierunt.

Responsio.

VERSUS XXVIII.

256. *Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in Civitatem, & dicit hominibus illis.* Jam terminata est pars, in qua Dominus prædicavit, & se ostendit mulieri Samaritanæ singulariter & private; hic incipit secunda pars, in qua Dominus communiter Samaritanis prædi-

(*a*) Vulg. ly *ei* non habet; sed habent Codd. Veronen. & Cant. apud Blanchinium. Pro *ei* in Cod. Vercellen. est *illi*.

(*b*) Hunc Gregorii textum adhibet noster Interpres in 2. Dist. 41. art. 1. q. 3.

(*c*) Idipsum tradit Doctor noster in 3. Dist. 9. art. 1. q. 2. ad 5. nec non Exposit. in cap. 13. Sap. in fine.

(*d*) Ex Regula S. P. Franc. c. 9. de Prædicatoribus, ubi ipsis sermonis brevitas commendatur; *quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram*; idque desumptum ex Apostolo ad Rom. 9. v. 28. *quia verbum breviatum faciet Dominus super terram*.

(*e*) Habuerat enim quinque viros, ille autem, quem post illos habebat, suus non erat. Unde satis provectæ ætatis fuisse conjicitur.

Manifestatio Christi facta communiter Samaritanis.

dicat, & eis seipsum manifestat. Et quia hæc manifestatio partim facta est præconio mulieris, partim sermone Christi, & hic Discipulis audientibus, qui ad hoc idem debebant esse soliciti; ideo proceditur in hac manifestatione secundum hunc ordinem. Primo enim notatur diligentia mulieris ad nomen Christi annuntiandum. Secundo desiderium Christi ad vocatos suscipiendum. Tertio animatio Discipulorom ad prædicandum. Quarto Samaritanorum devotio ad credendum, ad quam ordinantur omnia, quæ hic determinantur.

Diligentia mulieris ad nomen Christi annuntiandum.

257. Primo igitur describitur strenuitas diligentiæ mulieris, quam habuit ad manifestationem nominis Christi, & conversionem suæ gentis; quia statim ivit annuntiare veritatem, quam perceperat. Propter quod dicitur: *Reliquit ergo hydriam suam mulier.* Audito verbo fidei; hydriam reliquit, ut citius curreret, & annuntiaret, ne forte Dominus recederet; vel quia præ fervore oblita ejus, pro quo venerat, Christum præconizare volebat. Unde Chrysostomus: Docet nos hæc mulier in spiritualium auditione omnia temporalia contemnere. *Et abiit in Civitatem*, ad vulgandum scilicet nomen Christi. Unde & sequitur. *Et dicit hominibus illis;*

Chrysostomus ibi seq. Hom. 33.

VERSUS XXIX.

258. *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Eos attrahebat per hoc, quod secreta revelaverat. Non dixit: venite, & videte Prophetam; sed vitam suam divulgat, ut omnes evellat, & attrahat. *Numquid ipse est Christus?* Non asseruit, ne decepta videretur. Non asseruit, sed dubitando proposuit, ut ipsi pariter dubitent, & per hoc veniant certificari. Chrysostomus: Nolebat ex propria admonitione eos inducere; sed ex auditione illius: Propter quod excitati veniunt. Unde sequitur:

Chrysostomus cit. Hom. 33.

VERSUS XXX.

259. *Exierunt ergo de Civitate, & veniebant ad eum.* Recte exibant, quia Christus ante portam erat tanquam ignotus, & extra portam passus est. Unde ad Heb. ultimo: Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est, exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. In hoc innuitur, quod qui volunt doceri a Christo, debent relinquere Civitatis tumultum (a). Jer. quadragesimo octavo: Relinquite Civitates, & habitate in petra habitatores Moab; quia dicitur in Psal. In terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi (b).

Ad Heb. 13. 12. ac seq.

Qui volunt a Christo doceri, relinquant Civitatis tumultum.

Jer. 48. 28.

Ps. 62. 3.

VERSUS XXXI.

260. *Interea rogabant eum Discipuli ejus (c) dicentes: Rabbi, manduca.* Tangitur hic secundum, scilicet Christi desiderium ad vocatos suscipiendum; quia eorum salutem desiderat ut cibum: Immo amplius quam cibum corporalem, etiam tempore indigentiæ, quando erat famelicus. Propterea dicit: *Interea*; id est, dum mulier ivit, & Samaritani veniebant, *rogabant eum Discipuli ejus*, quasi soliciti de Magistro, *dicentes: Rabbi, manduca*; quia cibos attulerant, & hora comedendi jam transierat. Chrysostomus: Videntes eum fatigatum ex itinere, & calore, & jejunio rogabant, ut manducaret; sed Dominus magis cibum spiritualem desiderans, quam carnalem (d), manducare recusat. Propter quod dicit:

Desiderium Christi ad vocatos suscipiendum.

Chrysost. in Jo. Evang. c. 4. Hom. 33.

VERSUS XXXII.

261. *Ille autem dixit (e) eis; Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Illum

(a) His similia una cum præcedenti textu legere est apud nostrum Interpretem Exposit. in cap. 9. S. Lucæ. Videsis quoque ea, quæ scribit ibi in cap. 4. nec non in cap. 6.

(b) Certe de deserto loco Interpres loquens in cit. Exposit. cap. 9. S. Lucæ ait „ Hic locus est aptus eruditioni secundum illud Oseæ: „ *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor* „ *ejus* “. In eamdem rem antea illud etiam allegaverat Jerem. *Relinquite civitates &c.* Vide S. Jo. Chrysostomum in Jo. Evang. cap. 6. Hom. 41. post init.

(c) Vulg. non habet *ejus*; sed habent etiam Codd. Evangelior. Brixian. & Trident. Item Cod. noster Bernardin. sacror. Biblior. ac Dionys. Carthus.

(d) De *cibo spirituali, & corporali*, sive *carnali*, idem Interpres Exposit. in Psalter. Ps. 33.

(e) Vulg. *dicit*; sed *dixit* etiam Codd. Veronen. Brixian. Tridentin. Tebular. sive Biblioth. Episc.

Illum huic præfero. Illum nesciebant Discipuli; quia erat spiritualis, & ipsi erant carnales. Primæ ad Cor secundo: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Ideo patet, quod nesciebant; quia carnaliter intelligebant. Unde ait:

1 ad Cor. 2. 14.

VERSUS XXXIII.

262. *Dicebant ergo Discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit illi (a) manducare?* Augustinus: Quid mirum, si mulier illa non intelligebat aquam? Ecce Discipuli non intelligunt escam. Et quia Magistri est docere Discipulos non intelligentes; ideo sequitur explanatio.

Augustinus in Jo. Evang. c. 4. Tract. 15. n. 31.
Magistri est docere Discipulos non intelligentes.

VERSUS XXXIV.

263. *Dicit eis Jesus: Meus cibus est,* quem scilicet vos nescitis, *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me (b).* Voluntas Dei nostra salus. Joan. sexto: Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Hanc voluntatem volebat Dominus consummare per opus redemptionis. Ideo dicit: *Ut perficiam opus ejus.* Opus Dei dicitur per excellentiam opus misericordiosissimæ reconciliationis. Unde in Psal. Miserationes ejus super omnia opera ejus. Opus igitur Dei est nostra ad Deum per fidem conversio. Joan. sexto: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.

Voluntas Dei nostra salus.
Jo. 6. 40.
Ps. 144. 9.
Opus Dei nostra ad Deum per fidem conversio.
Jo. 6. 29.

VERSUS XXXV.

264. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, & videte regiones; quia albæ sunt jam ad messem.* Tangitur hic tertium, scilicet animatio Discipulorum ad prædicandum propter salutem Samaritanorum. Et ad hoc animat eos tum ex consideratione habilitatis eorum ad credendum, tum ex consideratione mercedis prædicatorum. Ad considerandam habilitatem credentium instigat sub parabola dicens: *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit?* Ad literam æstas erat propinqua (c). Et hoc dicunt homines, cum vident tempus metendi appropinquare (d), quod per totum annum expectant. *Ecce dico vobis: Levate oculos vestros,* id est, considerationem vestram; *& videte regiones,* id est, multitudinem Gentilium; *quia albæ sunt ad messem,* id est, propinquæ ad fidem; quia parati ad credendum, si est qui annunciet. Matth. nono: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (e). Sic igitur animat etiam ex consideratione fructus metentium. Ideo dicit:

Animatio Discipulorum ad prædicandum.
Matth. 9. 37. et seq. ac Luc. 10. 2.

VERSUS XXXVI.

265. *Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. Et qui metit, mercedem accipit,* non temporalem, sed æternam. Unde dicit,

---

Episc. ac ipsum Evangeliar. Eccl. Trident. nosterque Bernardin. Hugo Card. Lyran. atque Dionys. Carthus.

(a) Vulg. *ei*; sed *illi* etiam Codd. Vercellen. ac Tridentin. Evangelior.

(b) Ibi in Psal. 40. in fine, ubi sic lego „ „ Est panis voluntas Dei, unde hoc: *Meus ci-* „ *bus est, ut faciam voluntatem Patris mei* " Sicque etiam Par. 1. c. 1. de Ecclesiast. Hierarch. Vide infra num. 275. in not. *c.*

(c) Circa hujusmodi tempus discrepant Interpretes apud Gordonum, an quod hic narrat Joannes, dictum sit tempore hyemali, ut ait Jansenius; an ut aliis videtur vernali tempore proximo æstati. Et ad hoc declarandum notantur tres solemnitates, quibus tres messes adduntur. Prima in Paschate, quando instante messe hordeacea colligebatur manipulus ex spicis primo natis. Altera in Pentecoste, quando quarundam frugum plena messis erat. Tertia in festo Tabernaculorum Augusto mense, quando erat messis triticea. Secundum autem sic notata, *quisque*, ut inquit idem Gordonus, *suæ opinioni aptam eliget.* Variam quoque affert interpretationem Hugo Card. de *tempore hyemis, & circa Pascha, vel Pentecoste, usque ad messem Augusti.*

(d) Prædicta verba proverbium esse de brevi futura messe, & inde Christum hujus vulgaris dicti usurpatione voluisse tandem denotare messem spiritualem instare, & regiones albas messoribus laboraturis, inquiunt etiam apud laudatum Gordonum S. Thomas & Cajetanus. Unde Glossa interlinear. apud Lyran. *Sicut jam vicina est messis terræ, ita & messis hominum.* Hugo autem Card. de hujusmodi *appropinquante tempore metendi* sic loquitur: *Homines semper solent dicere, qui desiderant tempus messis, ecce messis venit. Et dicunt hoc quatuor adhuc mensibus intermediis; sicut modo communiter dicitur in quolibet anno circa Pascha, vel Pentecoste, ecce parum deest usque ad Augustum.*

(e) Sic etiam idemmet Interpres noster Exposit. in cap. 10. S. Luc. ibi.

cit: *Et congregat fructum in vitam æternam*, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur Matth. sexto. De hac mercede dicitur Luc. sexto (a): Gaudete, & exultate: Ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Et hæc merces est communis & metentium, & seminantium. Ideo dicit: *Ut, & qui seminat &c.* Bene dico (b), quod fructum congregat qui metit, non seminanti tantum, sed etiam sibi; *ut, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit*. Psal. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione &c. Et rationem reddit, quare tam metentes, quam seminantes gaudere debent; quia, secundum proverbium, alii sunt isti, & alii illi. Ideo dicit:

Matth. 6. 20. *Luc. 6. 23.* *Ps. 125. 6.*

VERSUS XXXVII

266 *In hoc enim verbum est verum* (c). Scilicet proverbium quod consuevit dici: *Quia alius est qui seminat, & alius* (d) *qui metit*; nam seminaverunt Prophetæ, sed post messuerunt Apostoli: & hoc quidem Domini beneficio, & imperio, cujus erat auctoritas. Ideo dicit:

VERSUS XXXVIII.

267. *Ego misi vos metere quod non laborastis*. De hac missione Matth. nono: Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem. *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*; quia fructus prædicationis eorum colligitis. Primæ Petri primo: Revelatum est, scilicet Prophetis, quia non sibi ipsis (e), scilicet prohetabant, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis;

Matth. 9. 38. *1. Pet. 1. 12.*

VERSUS XXXIX.

268. *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci*. Tangitur Samaritanorum devotio ad credendum, quæ inchoata est in sermone mulieris. Propter quod dicit: *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum*. Et ratio subditur: *Propter verbum mulieris testimonium perhibentis*, scilicet de ejus Divinitate: *Quia dixit mihi omnia quæcumque feci*. Ad testimonium mulieris crediderunt in eum Samaritani; sed Judæi recusaverunt credere Joanni. Unde Dominus dixit Judæis, Matth. vigesimo primo: Amen dico vobis, quod (f) publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei (g). Et licet non crederent firmiter, credebant tamen devote. Ideo subdit:

Samaritanorum devotio ad credendum. *Matth. 21. 31.*

VERSUS XL.

269. *Cum ergo venissent ad eum* (h) *Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Rogaverunt eum, ut ibi maneret*, Luc. ultimo: Mane nobiscum, quoniam advesperascit. E contra Judæi expulerunt eum. Chrysostomus: Pharisæi multa signa videntes non solum non crediderunt, sed a regione eum abjecerunt. Unde Matth. octavo dicitur, quod tota Civitas Genesareth exiit obviam Jesu, & viso eo rogabant eum (i), ut transiret a finibus eorum. Dominus autem Samaritanorum precibus condescendit. Unde dicitur: *Et mansit ibi duos dies*, ad fidem eorum confirmandam, & multiplicandam; quod & fecit. Unde dicitur;

Luc. 24. 29. *Chrysostomus ibi Hom. 34.* *Matth. 8. 34.*

VER-

(a) Apud Gorran *Matth. quinto*. Sed ibi lectio variat.
(b) Simili loquendi, ac continuandi modo alibi quoque sæpius utitur noster Interpres. Vide infra cap. 5. num. 334.
(c) Vulg. *est verbum verum*; sed ut supra pariter apud Lyran. ac in Evangeliar. Eccl. Trid.
(d) Vulg. *alius est*; sed absque *est* etiam Cod. noster Bernardinian. atque Veronen. apud Blanchin. ac d. Evangeliar. Eccl. Trident.
(e) Vulg. *sibimetipsis*; sed *sibi ipsis* duo quoque nostri Codd. Bernardin. ac Hugo Card.
(f) Vulg. *quia*; sed *quod* etiam Codd. Vercellen. & Veronen.
(g) Vid. Comment. in Apocal. cap. 21. num. 1656.
(h) Vulg. *cum venissent ergo ad illum*; sed *ad eum* etiam Codd. Evangelior. Veronen. Brixian. & Trident.
(i) Vulg. sine *eum*; sed *eum* etiam habent Codd. Vercellen. ac noster Bernardin. 40. Item Hug. Card. Lyran. nec non antiquæ Biblior. Editiones.

VERSUS XLI.

270. ***Et multo plures crediderunt (a) propter sermonem ejus.*** Nec mirum, quia sicut dixit ei Petrus Joan. sexto: Domine ad quem ibimus; verba vitæ æternæ habes. Nec tantum multiplicavit, sed etiam confirmavit. Unde sequitur:

Jo. 6. 69.

VERSUS XLII.

271. *Et mulieri dicebant, quia jam non propter loquelam tuam credimus*, quasi mendicantes rationem humanam abs te (*b*); *ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est vere Salvator mundi*: id est, audiendo scivimus. Quia sicut dicitur ad Rom. decimo: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. *Vere Salvator mundi*, non tantum Judæorum, Joan. supra tertio: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret &c. Ideo primæ Joan. secundo: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi, Iste significatus est per Joseph (*c*) de quo dicitur Gen. quadragesimo primo. quod Pharao vertitque nomen ejus vocavitque eum lingua Ægyptiaca Salvator mundi.

Ad Rom. 10. 17. *Jo. 3. 16.* *1. Jo. 2. 2.* *Gen. 41. 45.*

272. Incidit hic quæstio, cum dicatur in Psal. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, & testimonium mulieris sit vanum & fragile, sicut sexus infirmus; videtur, quod Dominus non debuerit per mulierem se ipsum Samaritanis manifestare: Resp. Dicendum, quod Christus non accipit testimonium humanum propter suam indigentiam, sed solum propter indigentiam audientium. Quia igitur testimonium mulieris minime erat suspectum Samaritanis, voluit Dominus per mulierem eis innotescere; non quia ejus testimonium haberet robur, sed quia Samaritanis credibile. Alia ratio fuit ad Judæorum duritiam condemnandam in judicio; quia ipsi non crediderunt Joanni Baptistæ, sed Samaritani uni mulierculæ: sicut ipse Dominus dixit eis, quod Regina Austri, & Ninivitæ surgent in judicio contra Judæos Matth. duodecimo.

Quæstio cur Christus se per mulierem Samaritanis manifestare voluerit. *Ps. 92. 5.* Responsio. *Matth. 12. 41. ac seq.*

273. Item quæritur de testimonio mulieris, quod dixit: *Venite, & videte virum, qui dixit mihi omnia quæcumque feci.* Contra: non dixit ei nisi de viris, quos habuerat. Aut ergo mulier non plura fecerat, quod falsum est; aut mentiebatur, & falsum dicebat. Resp. Dicendum, quod mulier, quando hoc dixit, non tantum respexit ad sermonem dicentis, sed ad sapientiam, per quam dicebat. Et sicut ei unum secretum dixerat, eadem virtute poterat dicere omnia quæcumque fecerat. Ideo mulier volens Christi virtutem exprimere, dixit in universali &c.

Quæstio altera quare Mulier de Christo dixerit: *Qui dixit mihi omnia &c.* Responsio.

274. Item objicitur, cum Lex Evangelica non sit umbræ, vel figuræ, sed potius veritatis apertæ; unde est hoc, quod Dominus Discipulis suis loquitur in parabolis? Videtur, quod non sic deberet loqui, sed aperte. Resp. Dicendum, quod loqui in figuris est dupliciter: aut ita quod veritas ibi claudatur, & non explicetur audientibus; & hoc dicit umbram, & obscuritatem, & hoc pertinet ad legem veterem, non ad novam: alio modo est loqui in similitudinibus, ita quod similitudo illa explicetur, & manifestetur; & tunc non est loqui in umbra, sed potius in luce, & hoc modo loquitur Dominus, ut res obscure proposita in figura, per expositionem clare intelligatur, & sensus humanus humilietur (*d*), & veritas ardentius ametur, & firmius teneatur (*e*). Veritas enim aliquantulum latens gratior efficitur, dum aperitur (*f*).

Objectio de Christo Discipulis suis loquente in parabolis. Solutio.

275. Item objicitur de hoc, quod Dominus nostram salutem suum vocat cibum, similiter fidem nostram supra vocavit suum potum. Hoc non videtur debite & congrue dictum. Cibus enim conservat eum, qui cibatur; sed Chri-

Objectio altera de Christo vocante salutem nostram cibum suum.

(*a*) Vulg. addit *in eum*; sed absque *in eum* etiam Codd. Evangelior. Vercellen. Veronen. ac Tridentin.

(*b*) A qua scilicet amplius non movebantur *principaliter*, ut eumdem textum exponens idem ait in 3. Dist. 24. art. 2. q. 3. ad arg.

(*c*) Serm. sive Coll. 14. in Hexaem., nec non Exposit. in cap. 24. S. Luc.

(*d*) Sive *ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate in humilitate literæ latente superbi comprimantur*, ait in Prooem. Breviloq. de profundit. sacr. Script. Similiter Tract. in cap. 1. Ezech. de sacr. Scriptur. Mysterio §. 62.

(*e*) Ibi §. 59.

(*f*) Ibi §. 60.

Christus conservat nos, non nos Christum: Ergo non sumus cibus Christi.
Solutio. Resp. Dicendum, quod triplex est in cibo proprietas. Prima est, quod vehementer desideratur: secunda est, quod per ipsum ille, qui cibatur, reficitur: tertia, quod cibus in corpus trajicitur. Ratione primæ proprietatis est Christus cibus noster, quia eum desideramus; & nos suus, quia ipse nostram salutem desiderat *(a)*. Ratione secundæ proprietatis, quia nutrit, & reficit, Christus est cibus noster, non e contra *(b)*. Ratione tertiæ nos sumus cibus Christi, quia ipse trajicit nos in corpus suum *(c)*. Unde Augustinus dicit, quod in Cruce manducavit latronem *(d)*.

Augustinus enarrat. in Ps. 6°. serm. 1. n. 9.

276. Est etiam quæstio, cum Dominus videret eos habiles ad credendum, quid est, quod tantum per duos dies apud eos voluit morari? Videtur, quod amplius, & diutius debuisset cum eis esse. Resp. Dicendum, quod hoc fecit propter vitandum scandalum Judæorum, ne indignarentur, quod eis relictis transiret ad alienigenas.

Quæstio quare Christus tantum biduo apud Samaritanos moratus.

Responsio.

277. Item quæritur de hoc, quod Dominus dixit Discipulis suis: *Alius est qui seminat, & alius qui metit*; unde dicit Apostolos messores, non seminatores. Sed contra: Verbum Dei est semen; ergo qui prædicat, seminat: Sed Apostoli fuerunt Prædicatores &c. Item secundæ ad Cor. nono: Qui parce seminat, parce & metet; ergo qui nihil seminat, nihil metit. Item videtur, quod Apostoli non sint messores, sed Angeli. Matth. tertiodecimo: Messis est consummatio sæculi, messores autem sunt Angeli; non ergo Apostoli. Resp. Dicendum, quod hæc tria tempora habent ordinem; tempus legis Mosaycæ, Gratiæ, & Gloriæ. Tempus Gratiæ est sicut fructus respectu temporis legis Mosaycæ: tempus Gloriæ est sicut fructus respectu temporis Gratiæ. Secundum hoc quia messis dicit collectionem fructus, duplex est messis. Prima in tempore Gratiæ; & hujusmodi sunt messores Apostoli, & seminatores Prophetæ, qui de hac Gratia prædixerunt, & populum expectare fecerunt. Alia est in tempore Gloriæ; & hujus sunt messores Angeli, & seminatores Apostoli quo ad aliquos, sed omnes quo ad seipsos. Et procedunt rationes per diversas vias; quia loquitur Dominus de messe Gratiæ *(e)*.

Alia quæstio cur Apostoli dicti messores, non seminatores.

2. ad Cor. 9. 6.

Matth. 13. 39.

Responsio.

VERSUS XLIII.

278. *Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam*. Manifestavit se Dominus supra Discipulis, Judæis, & Samaritanis; hic incipit quarta pars hujus partis, in qua manifestat se ipsum Galilæis Compatriotis *(f)* tanquam durioribus ad credendum. Et proceditur in hac manifestatione, quæ facta est per miraculum, hoc ordine. Primo insinuatur in Galilæis defectus reverentiæ ad honorandum: Secundo defectus fidei ad credendum *(g)*: Tertio vero impetratio miraculi: Quarto ædificatio fidei. Primo igitur insinuatur defectus reverentiæ ad Christum honorandum; quia enim erant Compatriotæ *(h)* Christi, ideo ad eorum irreverentiam amovendam, venit ad eos Christus, ut in miraculis se ostendat. Propterea dicit: *Post duos autem dies*, quibus scilicet fuit in Samaria, *exiit inde, & abiit in Galilæam*, patriam scilicet suam, ut eos duriores converteret. Ideo subdit:

Quarta pars primæ partis. Manifestat se Christus Galilæis compatriotis, sive popularibus.

Defectus reverentiæ in Galilæis ad Christum honorandum.

VER-

(a) Eodem sensu explicant metaphoram cibi Chrysostomus ac Theophylactus.

(b) Namque eodem nostro Interprete par. 1. de Eccl. Hierarch. c. 1. *Christus* ratione primæ proprietatis *sic refectus*, ratione secundæ *& spiritualiter & sacramentaliter nos reficere non desistit, juxta illud Sapientiæ: Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti*.

(c) Quomodo in Christum immutemur, & incorporemur, scilicet caritatis amore, idem noster Interpres declarat in 4. Dist. 9. art. 1. q. 2. Quomodo etiam Christus reficiatur & reficiat cit. par. 1. de Eccl. Hier. c. 1. Vide supra num. 263. in not. *b*.

(d) Ibi ait de confessione boni latronis S. Aug. *Confessione effudit ex se saniem, & factus est aptus cibus Domini*.

(e) Similia videsis apud nostrum Interpretem Exposit. in cap. 10. S. Lucæ ad illud: *Messis quidem multa &c.*

(f) Apud Gorran *conterraneis*. Vocem autem præfatam adhibet quoque S. Bona. in Legenda S. Claræ cap. 7. num. 63. Recolantur superius adnotata cap. 1. num. 102.

(g) Et apposite quidem heic utrumque indicatur; ordo enim poscebat, ut Christus, qui paulo ante apud Samaritanos benevolentiam, & credendi promptitudinem expertus fuerat, heic ingratam patriam ex opposito memoraret; velut ex hac antithesi eosdem Samaritanos commendans, inquit in hunc locum etiam Gordonus.

(h) Apud Gorran rursum *conterranei*.

VERSUS XLIV.

279. *Ipse enim Jesus testimonium perhibuit*, id est, tanquam verum asseruit, *quia Propheta in patria sua honorem non habet*. Luc. quarto: Nemo Propheta acceptus est in patria sua (a). Glossa dicit, quod quia in primo adventu in Galilæam, honorem non habuerat, ideo adhuc secundo revertitur, ut vel sic saltem in eum credant per signa. Jam enim quodam modo habilitati (b) erant per signa, quæ Jerosolymis viderant. Propterea dicit:

Luc. 4. 24. Glossa ordinar.

VERSUS XLV.

280. *Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi*; quasi paulisper honorare cæperunt. Ad Philipp. secundo: Excipite Epaphroditum cum omni gaudio in Domino, & ejusmodi cum honore habetote. Et ratio subditur: *Cum vidissent omnia, quæ fecerat Jerosolymis in die festo*; vidissent, inquam; *& ipsi enim ascenderant (c) ad diem festum*. Ista omnia, quæ viderunt, fuerunt signa, & miracula, supra secundo: Cum esset Jerosolymis in die festo, multi crediderunt in eum, videntes signa, quæ faciebat.

Ad Philip. 2. 29. Jo. 2. 23.

VERSUS XLVI.

281. *Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum, & erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Venit ergo iterum in Cana Galilææ*, ut scilicet vel sic credant; *ubi fecit aquam vinum*, quod fuit signorum suorum initium, per quod innotuit Discipulis. Unde Glossa: Hoc miraculum pauci crediderant, id est, Discipuli, supra secundo: Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana Galilææ, & crediderunt in eum Discipuli ejus.

Glossa ordinar. Jo. 2. 11.

282. *Et erat quidam Regulus*. Tangitur hic secundum, scilicet defectus fidei ad credendum. Sicut quodam modo honorabant; quodam modo non ita; etiam quodam modo credebant, quodam modo non. Et hoc patet, quod Regulus non credebat, eum posse ejus sanare filium, nisi præsens esset. Propter quod dicitur: *Et erat quidam Regulus*, a regni scilicet parvitate, *cujus filius infirmabatur Capharnaum*, & ita in Domini absentia.

Defectus fidei ad credendum.

VERSUS XLVII.

283. *Hic cum audisset, quod Jesus venit (d) a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori. Hic cum audisset, quod Jesus venit a Judæa in Galilæam*; quia fama adventus ejus (e), percrebuerat. Marci primo: Processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ: *Abiit ad eum* per devotionem. Matth. octavo: Accessit ad eum Centurio, rogans eum &c. (f). *Et rogabat eum, ut descenderet* per præsentiam corporalem, supra secundo: Descendit Capharnaum ipse, & mater ejus &c. *Et sanaret filium ejus* per potentiam mirabilem, Luc. sexto: Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. *Incipiebat enim mori* per impotentiam naturalem, quarti Reg. vigesimo dictum est Ezechiæ: Morieris tu, & non vives, secundum caussas scilicet inferiores. Et quia iste Regulus etsi petebat, non tamen firmiter credebat; ideo Dominus eum arguit incredulitatis, propter quod dicitur:

Adventus Christi secundus in Galilæam. Marc. 1. 28. Matth. 8. 5. Jo. 2. 12. Luc. 6. 19. 4. Reg. 20. 1.

VERSUS XLVIII.

284. *Dixit ergo Jesus ad eum: nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*; & ita ad credendum duri estis. Signa sunt minora, sed prodigia sunt majora miracula. De hac Judæorum duritia Joan. duodecimo: Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum; quod contra Samaritani solo verbo crediderunt, ut probatum est.

Signa sunt minora, sed prodigia majora miracula. Jo. 12. 37.

(a) Vide quoque Matth. c. 13. v. 57.
(b) Hoc verbum a S. Bonaventura sæpius usurpatum novimus, quidquid dicat Oudinus.
(c) Vulg. *venerant*.
(d) In Vulg. *quia Jesus adveniret*; sed *quod Jesus venit* habent etiam Codd. Vercellen. & Veronen. apud Blanchinium; & *quia Jesus venit* Evangeliar. Eccl. Trident.
(e) De hoc secundo adventu in Galilæam supra Cap. 1. num. 99.
(f) Nonnulli autumant, prædictum Regulum esse Centurionem, de quo Matth. 8. Ita censuit S. Irenæus; sed S. Jo. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius &c. diversos arbitrantur, quorum sententiæ, quæ verior est, nostrum Interpretem adhæsisse etiam infra patebit nu. 295.

VERSUS XLIX.

285. *Dicit ad eum Regulus: Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.* Tangitur hic tertium, scilicet impetratio miraculi, quæ etsi non fieret propter fidem perfectam (*a*), facta est propter petentis instantiam. Unde & Regulus iterum petit: *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.* Quia instanter petiit, obtinuit. Matth. septimo: Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Et Luc. undecimo: Et si non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios, panes scilicet. Ideo subditur:

Impetratio miraculi. Matth. 7. 8. Luc. 11. 8.

VERSUS L.

286. *Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit*, id est, sanus factus est. Ideo dixit *vivit*, quia ab infirmitate mortali convaluerat. Et hoc quidem homo meruit; quia quamvis nondum crederet in Christum, credidit tamen verbo Christi. Ideo dicitur: *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, & ibat.* Glossa: Sic meruit salutem filio, & sibi. Unde Dominus Mar. nono viro roganti pro salute filii dixit: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti; id est, impetrari ab eo possunt.

Glossa interlin. Mar. 9. 22.

VERSUS LI.

287. *Jam autem eo descendente, occurrerunt ei servi ejus (b), & nuntiaverunt ei (c) dicentes, quia filius ejus viveret.* Tangitur hic quartum, scilicet ædificatio fidei, quæ facta est ex cognitione virtutis, & miraculi, quod cognovit ex relatione servorum; propter quod dicitur: *Jam autem eo descendente, occurrerunt ei servi ejus;* bonum scilicet nuntium habentes non sustinuerunt, quousque domum perveniret: sed occurrerunt præ gaudio festinanter, sicut servi Domino. Matth. vigesimo quinto: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. *Et nuntiaverunt ei dicentes, quia filius ejus viveret*, id est, sanatus fuerat.

Ædificatio fidei. Matth. 25. 6.

VERSUS LII.

288. *Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit*, ut per horam recognoscat in filio Christi potentiam. *Et dixerunt ei: quia heri hora septima reliquit eum febris*; & ex hoc cognovit Christi virtutem. Unde sequitur:

VERSUS LIII.

289. *Cognovit ergo Pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit*; & ita, quod ipsius verbo virtuose sanatus erat, juxta illud Sap. sextodecimo: Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus, Domine. Et ex hac cognitione sequitur ædificatio fidei. Ideo dicitur: *Et credidit ipse, & domus ejus tota.* Jam fide perfecta ipse credidit huic secundo signo, qui tamen propter primum non crediderat. Ideo subjungit Evangelista:

Sap. 16. 12.

VERSUS LIV.

290. *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus; secundum* scilicet respectu illius, quod fuit in nuptiis, *cum venisset a Judæa in Galilæam*, ut qui per primum non crediderant, per secundum credant. Exo. quarto: Dixit Dominus Moysi: Si non crediderint tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.

Exo. 4. 8.

291. Moraliter hic considerandum est, quis Regulus, quis Reguli filius, qua infirmitate detinetur, qua hora sanatur. Rex dicitur superior pars rationis, cui totum regnum animæ est commissum ad judicandum. Unde in Psal. Et nunc Reges intelligite. Iste dicitur Regulus a justitiæ parvitate, quando anima male, & pueriliter regit. Ecclesiastæ decimo: Væ tibi terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes mane comedunt. Hujus Regis filius dicitur inferior portio rationis, quæ ejusdem naturæ est, & ab ipsa edocenda (*d*). Ecclesiastici trigesimo: Qui

Moralis expositio de Regulo, Reguli filio, hujus infirmitate, & hora obtentæ sanitatis. Ps. 2. 10. Eccle 10. 16.

(*a*) Apud Gorran *in eis perficiendam*. Vid. infra num. 294.

(*b*) Vulg. *servi occurrerunt ei*.

(*c*) Ly *ei* Vulg. non habet; sed habent Codd. Vercell. & Veron. nosterque Bernardinian. aliusque Tabular. sive Biblioth. Episc. Trident.

(*d*) Sicut supra in hoc eodem Capitulo num. 242. comparavit noster Interpres superiorem rationis partem *Viro*, inferiorem *Mulieri*, secundum ea quæ ab eo scripta adnotavimus in 2. Dist.

Eccli 30. 2. Qui docet filium suum, laudabitur. Hic Regis filius infirmatur febre, quando ratio sequitur concupiscentiam, quæ est tanquam febris calida, & putrida. *Eccli 23. 22.* Ecclesiastici vigesimo tertio: Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat *(a)*. Concupiscentia hæc tanquam febris hominem inquietat, modo per calorem, modo per frigus. Isa. quinquagesimo *Isa. 57. 20.* septimo: Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum. Iste liberatur hora septima diei. Dies hic potest dici Christus, quia ipse est sol lucens super terram. *Jo. 8. 12.* Joan. octavo: Ego sum lux mundi. Horæ istius diei sunt diversi status Christi, ex quorum consideratione anima a diversis ægritudinibus liberatur.

Diversi status Christi Domini velut duodecim diei horæ, ex quarum consideratione anima a diversis ægritudinibus liberatur.

292. Prima hora est Incarnatio, & hæc liberat a superbia, illuminando ad humilitatem; quia humiliavit se in Incarnatione. *Ad Philip. 2. 7.* Ad Philip. secundo: Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Secunda est Nativitas, & hæc liberat ab avaritia, illuminando ad paupertatem; quia Christus pauper natus est, *Luc. 2. 7.* sicut dicitur Luc. secundo: Peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio *(b)*. Tertia Circumcisio, & hæc liberat ab inobedientia, illuminando ad obedientiam. Cum enim Christus non esset legi subjectus, tamen se legi subjecit *(c)*. Unde recte de eo dicitur illud Apostoli primæ ad Cor. *1. ad Cor. 9. 19.* nono: Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci. Quarta est Apparitio *(d)*, & hæc liberat ab invidia, illuminando ad doctrinæ communicationem; quia ipse tunc notitiam sui Gentibus communicavit. Sap. septimo: Lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia, & *Sap. 7. 12. et seq.* ignorabam quoniam horum omnium mater est, quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo *(e)*. Quinta est in Templo Oblatio, & hæc liberat ab ingratitudine, illuminando ad orationem *(f)*; quoniam tunc ipse Dominus in Templo oblatus est in signum, quod per gratitudinem se totum debet homo offerre. Luc. secundo: Tulerunt *Luc. 2. 22.* puerum Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Sexta ipsius Baptizatio, & hæc liberat ab immunditia, illuminando ad vitæ puritatem; quia Christus lavatus est in Jordanis flumine. Math. tertio: Venit Jesus a Ga- *Matth. 3. 13.* lilæa in Jordanem, ut baptizaretur ab eo. Primæ Pet. tertio: Salvos facit *1. Pet. 3. 21.* Baptisma, non carnis depositio sordium &c. Septima est in jejunio Tentatio, & hæc liberat a febre filium Reguli, illuminando ad carnis mortificationem; quia tunc Christus carnem suo jejunio maceravit. Matth. quarto: Ductus est Jesus in desertum a Spiri- *Matth. 4. 1. et seq.* tu, ut tentaretur a Diabolo: cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Octava est Passio, & hæc liberat ab iracundia, illuminando ad patientiam; quia Christus in patiendo fuit patientissimus. Primæ Pet. secundo: Christus passus *1. Pet. 2. 21.* est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Nona est ad inferos Descensio, & hæc liberat a duritia, illuminando ad misericordiam; quia Dominus misertus est his, qui erant in tenebris, & umbra mortis. Zach. nono: Tu quoque in sanguine testa- *Zach. 9. 11.* menti tui eduxisti vinctos de lacu *(g)*. Ma-

Dist. 16. art. 2. q. 2. ad arg. in fine; ita heic superiorem *Regi*, inferiorem *Reguli filio*. Siquidem ut idem ait in eodem 2. Dist. 24. par. 1. art. 2. q. 2. in concl. *Vocatur superior, quia regit, & inferior, quia regitur*. Hanc interpretationem postea adhibuit etiam Card. Jo. Vitalis in Speculo Morali totius sacræ Scripturæ Verbo *Confessio* fol. 100. retro.

(a) Sic ibi modo laudatus Card. Jo. Vital.

(b) De hoc fusius Interpres Exposit. in cap. 2. Lucæ ad eundem textum.

(c) Scilicet, ut ibidem ait, *propter legis impletionem*.

(d) Cur dicatur *Apparitio* Epiphaniæ festum, videri potest apud S. Leonem Magnum Serm. 33. in Epiph. solemnit. 4. Cap. 1. nec non apud ipsummet nostrum Interpretem serm. 1. Dom. 2. post Epiph.

(e) Exposit. quoque in cap. 7. Sap. in prædictis verbis idem Interpres notat *liberalitatem communicationis sapientiæ*.

(f) Et ad talem quidem *orationem*, ut orans *ascendat ad contemplationem Dei, & sursum ascendens gemat ex amore & devotione*, ut dicit Interpres cit. Exposit. in cap. 2. S. Lucæ.

(g) Sic noster Interpres Comment. in Apocal. cap. 5. ver. 1. num. 317. nec non Serm. 1. Dom. in ram. Palmar. Eodemque sensu in Ligno Vitæ Tit. *Jesus triumphans mortuus &c.*

Maxima misericordia est sanguinem pro captivis dare. Decima in sepulchro Requietio, & hæc liberat a mundi pressura; illuminando ad pacem; quia Christus in sepulchro quievit. Psal. In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Et iterum: In pace factus est locus ejus. Undecima Resurrectio, & hæc liberat a vitæ vetustate, illuminando ad vitæ novitatem; quia tunc Christus novus homo factus est. Ad Rom. sexto: Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Duodecima Ascensio, & hæc liberat ab amore terrenorum, illuminando ad desiderium æternorum, ad quæ Christus nos præcessit. Ad Coloss. tertio: Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram *(a)*.

Ps. 4. 9. — *Ps. 75. 3.* — *Ad Rom. 6. 4.* — *Ad Coloss. 3. 1. ac seq.*

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Propheta in patria sua honorem non habet.*

293. Quæritur de hoc quod dicit, quod *Propheta in patria sua honorem non habet*. Contra hoc: Quia non honoratur, nisi ubi cognoscitur; ergo si cognoscitur inter Compatriotas *(b)*, non inter Alienigenas, videtur quod magis honoretur in patria sua, quam in aliena. Item videmus, quod David in patria sua honorem regni habuit. Item videtur, quod Christus habuit honorem in patria sua. Dicitur enim in Litera, quod exceperunt eum Galilæi; ergo honoraverunt. Resp. Dicendum, quod propter duplicem rationem non honoratur Propheta in patria sua; tum ratione generationis carnalis, tum ratione conversationis familiaris. Ratione generationis; quando quis habet Patrem, & Matrem, ignobiles, & viles, & pauperes, sicut Christus credebatur habere; ratione horum despicitur. Ratione etiam conversationis familiaris; quia familiaritas parit contemptum. Ideo cum parentes Christi pauperes nossent, & ejus educationem; nihil in eo esse Divinum credebant. Quod ergo objicitur, quod notitia facit hominem honorari, dicendum: Quod notitia virtutis adjuvat; sed notitia originis, & infirmitatis impedit. Quod objicitur de David, responsio est, quod a raro contingentibus non debet sermo pronuntiari. Et quia hoc raro contingit, ideo &c. *(c)*. Quod objicitur, quod Galilæi exceperunt, respondet Augustinus: Quod exceperunt exterius corporaliter, sed non interius per fidem; & hunc honorem Deus requirit. Non enim facit Dominus vim de festo exteriori, sed de mente fideli.

Responsio.

Augustinus in Jo. Evang. c. 4. Tract. 16. n. 3. Deus non tam attendit ad festum exterius, quam ad mentem fidelem.

Quæstio secunda utrum Regulus crederet, vel non? *Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 28. n. 1.*

294. Item quærit Gregorius *(d)* de isto Regulo, utrum crederet, vel non? Quod non, videtur; quia Dominus increpat eum dicens: *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*. Hoc ipsum arguitur per Literam; quia petebat quod descenderet: quasi, nisi in præsentia, sanare non posset. Sed contra hoc est; si non credidit, quomodo salutem filii a Domino postulavit? Resp. Dicendum, quod credidit, sed semiplene. Credidit enim in Christo esse virtutem ad sanandum filium; sed non credidit in eo esse Divinitatem, per quam posset ubique. Unde fides fuit, cum petiit; sed defectus fidei, cum requirebat præsentiam corporalem *(e)*.

Responsio.

Quæstio tertia cur Christus ire se obtulit ad servum Centurionis, non ad filium Reguli. *Gregorius Cit. n. 2.*

295. Item quærit dictus Gregorius, unde est, quod Dominus ad servum Centurionis ire se obtulit, ad filium Reguli, cum rogaretur, ire recusavit? Resp. Dicendum, quod hoc fuit ad ædificationem fidei, & morum; Fidei quidem, quia dum se obtulit Centurioni, ipsius fidei devotionem manifestavit. Dum se retraxit a Reguli filio, curando eum in absentia, ad Divinitatis fidem invitavit. Ad ædificationem vero morum, ut nostram superbiam confringeret *(f)*, qui magnos veneramur, & parvos despicimus; Dominus se obtulit ire ad Centurionis servum, & recusavit ire ad Reguli filium *(g)*.

Responsio.

C A-

(a) Serm. sive Collat. 2. in Hexaem.

(b) Apud Gorran rursus *conterraneos*. Noster autem Interpres Exposit. in cap. 4 S. Lucæ ad hæc ipsa verba: *Quia nemo Propheta acceptus est in patria sua*, non *conterraneorum*, sed *compatriatarum* vocabulo utitur.

(c) Ibidem præfato exempo David contraria exempla opponuntur eorum, qui a fratribus, contribulibus, ac *compatriotis* adversa passi sunt.

(d) Apud Gorran *Augustinus*.

(e) Sic ibi cit. Gregor. Credidisse tamen, ac commendasse *virtutis excellentiam & magnificentiam, quæ in hoc vocabulo: DOMINE, importatur, apparet*, ait idemmet Interpres noster, *triplici ratione*, de qua ipse Serm. 2. Dom. 20. post Pentec. ubi differit de eodem textu.

(f) Apud Gorran *retunderet*.

(g) Heic manifeste supponit Interpres noster Regulum a Centurione omnino diversum. Porro quæ ipse retulit ex S. Gregorio, similia iis quoque sunt, quæ scribit S. Ambrosius in Exposit. Evang. sec. Luc. Lib. 5.

CAPUT QUINTUM.

1. POST hæc erat festus dies Judæorum, & ascen-
dit Jesus Jerosolymam. 2. Est autem Jeroso-
lymis Probatica piscina, quæ cognominatur
Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.
3. In his jacebat multitudo magna languen-
tium, cæcorum, claudorum, aridorum, expe-
ctantium aquæ motum. 4. Angelus autem
Domini descendebat secundum tempus in pi-
scinam: & movebatur aqua. Et qui prior
descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacum-
que detinebatur infirmitate. 5. Erat autem quidam homo ibi, triginta
& octo annos habens in infirmitate sua. 6. Hunc cum vidisset Jesus
jacentem, & cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei:
Vis sanus fieri? 7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non
habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum ve-
nio enim ego, alius ante me descendit. 8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle
grabatum tuum, & ambula. 9. Et statim sanus factus est homo ille:
& sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in
die illo. 10. Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum
est, non licet tibi tollere grabatum tuum. 11. Respondit eis: Qui
me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.
12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi:
Tolle grabatum tuum, & ambula? 13. Is autem, qui sanus fuerat
effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit a turba constituta
in loco. 14. Postea invenit eum Jesus in templo, & dixit illi: Ecce
sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.
15. Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia fecit eum sanum. 16.
Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato.
17. Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, &
ego operor. 18. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interfi-
cere: quia non solum solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat
Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, & dixit eis:
19. Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam,
nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc
& Filius similiter facit. 20. Pater enim diligit Filium, & omnia de-
monstrat ei, quæ ipse facit: & majora his demonstrabit ei opera, ut

vos

vos miremini. 21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic
& Filius, quos vult, vivificat. 22. Neque enim Pater judicat quem-
quam: sed omne judicium dedit Filio. 23. Ut omnes honorificent Fi-
lium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non ho-
norificat Patrem, qui misit illum. 24 Amen, amen dico vobis, quia
qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam
æternam, & in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam.
25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando
mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent. 26. Sicut
enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam
in semetipso: 27. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Fi-
lius hominis est. 28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua
omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: 29. Et
procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala
egerunt, in resurrectionem judicii. 30. Non possum ego a meipso fa-
cere quidquam. Sicut audio, judico: & judicium meum justum est:
quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me:
31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non
est verum. 32. Alius est qui testimonium perhibet de me: & scio
quia verum est testimonium quod perhibet de me. 33. Vos misistis ad
Joannem: & testimonium perhibuit veritati. 34. Ego autem non ab
homine testimonium accipio: sed hæc dico ut vos salvi sitis. 35. Ille
erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exul-
tare in luce ejus. 36. Ego autem habeo testimonium majus Joanne.
Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera, quæ
ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: 37. Et
qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem
ejus umquam audistis, neque speciem ejus vidistis. 38. Et verbum
ejus non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non
creditis. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam
æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: 40 Et
non vultis venire ad me ut vitam habeatis. 41. Claritatem ab homi-
nibus non accipio. 42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non
habetis in vobis. 43. Ego veni in nomine Patris mei, & non acci-
pitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 44. Quo-
modo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & glo-
riam, quæ a solo Deo est, non quæritis? 45. Nolite putare quia ego
accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in
quo vos speratis. 46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan &
mihi: de me enim ille scripsit. 47. Si autem illius literis non cre-
ditis: quomodo verbis meis credetis?

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

296.

POST *hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam.* Terminata est pars illa principalis, in qua agitur de manifestatione Verbi incarnati, secundum quod respicit conditiones a parte eorum, quibus fit manifestatio; hic incipit secunda pars principalis, in qua agitur de manifestatione Verbi incarnati, secundum quod respicit conditiones a parte ipsius Verbi manifestati. Ostendit enim, quod ipse Dei Filius, qui est Patris Verbum, manifestat se curatorem, conservatorem, directorem, & vivificatorem. Primo igitur ostendit se curatorem in præsenti Capitulo. Secundo conservatorem in sexto Capitulo ibi: *Post hæc abiit &c.* Tertio directorem a principio septimi usque ad undecimum, & incipit ibi: *Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam &c.* Quarto vero perfectum vivificatorem in Lazari resuscitatione in principio undecimi ibi: *Erat autem quidam languens Lazarus.*

Secunda pars principalis de manifestatione Verbi incarnati.

297. Præsens igitur Capitulum, in quo manifestat se curatorem per mirabilem Paralytici liberationem, habet quatuor partes, secundum quatuor, quæ determinantur ibi. In prima enim tangitur miraculosa curatio. In secunda curationis calumniatio ibi: *Erat autem Sabbatum.* In tertia calumniationis confutatio ibi: *Respondit itaque Jesus, & dixit eis.* In quarta confutationis corroboratio, & hoc per multa testimonia ibi: *Si ego testimonium perhibeo &c.*

298. Mirabilis igitur curatio secundum Literam describitur a quatuor: Primo a congruentia temporis: Secundo a dispositione loci: Tertio a necessitate languentis: Quarto a potestate curantis. Primo igitur describitur a congruentia temporis; quia tempus festivum erat, in quo Dominus beneficia consuevit impendere. Propterea dicitur: *Post hæc,* scilicet quæ supra narrata sunt, *erat dies festus Judæorum.* Chrysostomus dicit: Quod ille dies festus erat Pentecostes (*a*), qui erat medius inter Pascha, & Scenophegiam, id est, solemnitatem Tabernaculorum. *Et ascendit Jesus Jerosolymam,* sicut habebant in consuetudine omnes Judæi. Luc. secundo: Ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi &c.

Mirabilis curationis descriptio secundum literam.

Primo a congruentia temporis.

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 5. Hom. 35.

Luc. 2. 42.

VERSUS SECUNDUS.

299. *Est autem Jerosolymis Probatica Piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.* Hic secundo tangitur dispositio loci, ubi facta est curatio; quia in loco curationis, qui erat Piscina Probatica, propter quod dicitur: *Est autem Jerosolymis Probatica Piscina,* id est, peculiaris; quia ibi lavabantur hostiæ pecudum. Et erat hæc Piscina juxta Templum, & ab hoc officio denominationem acceperat. Ideo dicitur: *Quæ cognominatur Hebraice Bethsaida,* id est, domus pecudum (*b*); quia hoc habebat officium. Habebat etiam ornatum, unde dicitur: *Quinque porticus habens.* Et quare hos habebat, ratio redditur.

Secundo a dispositione loci.

Quid designetur per Piscinam Probaticam.

Quid per Bethsaidam, quæ domus pecudum interpretatur.

VER-

(*a*) Ita quoque Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, S. Tho. Lyran. Maldonatus &c. Sed pro Paschate stant S. Irenæus, Rupertus, Jansenius, Toletus, Franciscus Lucas &c.

(*b*) In interpret. nom. Hebraicor. ad calcem sacror. Biblior. Cod. nostri membr. A. I. 40. *Bethsaida domus frugum, vel domus pecudum, seu domus peculiaris, aut domus venatorum.* Et quod *Beth* interpretetur *domus* habet etiam noster Interpres Exposit. in cap. 1. Lament. Jerem. Proph. In Arabico tamen interpretatio est *piscina ovium.*

VERSUS TERTIUS.

300. *In his jacebat multitudo magna languentium*, id est, per naturam incurabilium (*a*). Unde dicitur: *Cæcorum*, *claudorum*, *aridorum*, *expectantium aquæ motum*; ut scilicet sanarentur per Divinæ gratiæ beneficium, quod impendebatur in Angeli descensu. Ideo dicitur:

VERSUS QUARTUS.

301. *Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in Piscinam*, ad sanandum scilicet. Et hujus descensus subdit signum: *Et movebatur aqua*; ut aquam viderent qui Angelum videre non poterant. Et deinde Divinum subdit effectum: *Et quicumque prior descendebat* (*b*) *in Piscinam post motionem aquæ*; tamquam solicitior, *sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate*; sine distinctione, quia
Act. 10. 34. sicut dicitur Act. decimo: Non est personarum acceptor Deus &c.

VERSUS QUINTUS.

302. *Erat autem quidam homo ibi*, *triginta octo* (*c*) *annos habens in infirmitate*
Tertio a necessitate languentis. *sua*. Tangitur hic tertium, scilicet languentis necessitas, quia diu infirmus fuerat, & omni auxilio destitutus erat. Diu infirmus fuerat, unde dicitur: *Erat autem quidam homo ibi*. *Quidam* dicit, quia iste in miseria singularis fuit; *triginta octo annos habens in infirmitate sua*: Ecce infirmitatis longitudo, qua Dominus motus est misereri, & quærere, & alloqui eum. Unde dicitur:

VERSUS SEXTUS.

303. *Hunc cum vidisset Jesus jacentem*, id est, infirmitate opprimente; *& cognovisset*, *quia jam multum temporis* (*d*) *haberet* in pœnalitate miseriæ; *dicit ei*, per benignitatem misericordiæ: *Vis sanus fieri*, per virtutem Divinæ potentiæ? Non hoc quærebat, quia de voluntate dubitaret; sed ut suam indigentiam ipse languens manifestaret. Quod & facit sua responsione, ideo subditur:

VERSUS SEPTIMUS.

304. *Respondit ei languidus: Domine*, *hominem non habeo*, *ut cum turbata fuerit aqua*, *mittat me in Piscinam*; id est, ita pauper sum, ut non sit qui adjuvet.
Ps. Tribulatio proxima est, & (*e*) non Ps. 21. 12.
est qui adjuvet. Et ego ex me sum impotens, unde subditur: *Dum venio enim ego*, *alius ante me descendit*; & ita sanari non possum, quia non sanatur nisi unus, id est, ille qui prior descendit. Et sic innuitur languentis necessitas.

VERSUS OCTAVUS.

305. *Dicit ei Jesus*: *Surge*, *tolle grabatum tuum*, *& ambula*. Tangitur hic
quartum, scilicet Curantis potestas, Quarto a potestate curantis.
quia solo præcepto sanat. Ideo dicit: *Surge* &c. *Surge* per valetudinem. *Tolle grabatum tuum* per fortitudinem. *Et ambula* per sanitatis certitudinem. Quod & factum est; unde & subditur:

VERSUS NONUS.

306. *Et statim sanus factus est homo* (*f*); *& sustulit grabatum suum*, *& ambulabat*. *Erat autem sabbatum in die illa* (*g*). *Et statim sanus factus est homo*; ecce valetudo. *Et sustulit grabatum suum*; ecce fortitudo. *Et ambulabat*; ecce sanitatis certitudo. Et hoc totum
factum est solo Christi verbo. Ps. Ipse Ps. 148. 5.
dixit, & facta sunt. Unde dicebat:
Domine Domine Rex omnipotens; in Esth. 13. 9.
ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati. Mardochæus hoc dixit tertiodecimo Esther.

307.

(*a*) Nonnus etiam Panopolitanus, Ægyptius, vir eloquentissimus dicit: *Incurabilium scientiis humanis*.

(*b*) Lectionem hanc a Vulgata abeuntem, maxime quoad *quicumque* pro *qui*, habent plures Codices apud Bianchinium. *Descendebat* autem pro *descendisset* servant Codices Vercellensis ac Veronensis, atque itidem noster Bernardinian. & Dionys. Carthus.

(*c*) Vulg. *triginta & octo*; sed absque *&* etiam Cod. Vercell.

(*d*) Vulg. *tempus*; sed *temporis* idem Cod. Vercell. nec non Veronen. & Forojulien. nec non Evangeliar. nostræ Eccl. Trident.

(*e*) Sic Cassiodor. nec non Psalter. Roman. in Quincuplo Psalter. Jacobi Fabri Stapulen.; sed in Vulg. *quoniam*.

(*f*) Vulg. *ille*; sed sine *ille* in textu etiam apud Hug. Card. ubi tantum in marg. Al. *ille*.

(*g*) Vulg. *illo*; sed *illa* Codd. Veronen. Brixian. nosterque Bernard. Hugo Card. ac Lyran.

Pœnitentia per Piscinam designata.

307. Moraliter notandum est hic, quæ sit ista Piscina quinque habens porticus, qui sunt infirmi, & quomodo curantur. Piscina, quæ ex aquis pluvialibus congregatur, pænitentia est (*a*), in qua est effusio lacrymarum pro amissione supernorum. De hac pluvia Jer. quinto: Non dixerunt in corde suo: metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, id est, compunctionem pro malis commissis, & serotinam in tempore suo, pro bonis omissis: Hæc pluvia tantum descendit ad valles, id est, ad humiles, non est in montibus, id est, superbis (*b*). Secundi Reg. primo: Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos. Hæc Piscina pœnitentiæ habet quinque porticus, in quibus requiescitur (*c*); quia quinque sunt considerationes, quæ debent facere hominem in pœnitentia permanere. Prima consideratio reatus peccati, quo se obligavit ad pœnam (*d*). Ps. Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Secunda consideratio severitas judicii. Ecclesiastici secundo: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini. Ad Hebr. decimo: Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Tertia consideratio opportunitatis loci, quia post non erit locus pœnitentiæ. Ecclesiastæ nono: Quodcumque (*e*) potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Quarta est incertitudo diei extremi. Ecclesiastæ nono: Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit: Quinta est consideratio incertitudinis status sui; quia nescit, utrum aliquid fecerit Deo placitum. Ideo dicebat in Psal. Et dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi. Ecclesiastici decimo: Omnis potentatus brevis vita: Et infra: Sic & rex hodie est, & cras morietur. Infirmi sunt cæci per ignorantiam peccantes. Matth. quintodecimo: Cæci sunt, & duces cœcorum. Cœcus autem si cœco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Sunt claudi, qui peccant per impotentiam. Ad Hebr. duodecimo: Gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Sunt aridi, qui peccant per malitiam. Ecclesiastici tertio: Cor durum male habebit in novissimo. Ecclesiastici trigesimo septimo: O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia, & dolositate illius (*f*)? Hi sanantur in adventu Angeli, id est, visitationis Divinæ- Job trigesimo tertio: Increpat per dolorem in lectulo &c. Si fuerit pro eo Angelus loquens &c. miserebitur ejus &c. deprecabitur Deum, & placabilis ei erit &c. Post commotionem aquæ, id est, lacrymationis internæ. Thren. secundo: Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Per descensum in Piscinam aquæ, id est, humilitatem pœnitentiæ. Isa. quadragesimo septimo: Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis.

Jer. 5. 24. — *2. Reg. 1. 21.* — *Ps. 37. 18.* — *Eccli 2. 22.* — *Ad Heb. 10. 31.* — *Eccle 9. 10.* — *Eccle 9. 12.* — *Ps. 76. 11.* — *Eccli 10. 11, & 12.* — *Matth. 15. 14.* — *Ad Heb. 12. 13* — *Eccli 3. 27.* — *Eccli 37. 3.* — *Job 33. 19. ac seqq.* — *Thren. 2. 19.* — *Isa. 47. 1.*

Quæstio prima de virtute Piscinæ.

308. Quæritur hic de virtute istius Piscinæ, unde hanc virtutem habebat, & qua ratione illi Piscinæ sic collata erat? Item cum tanta esset virtus, unde est, quod Scriptura de ea mentionem non facit (*g*)? Videtur, quod negligentia fuerit Scriptorum. Si dicas, quod apparuit hæc virtus prope Christi passionem; quæritur tunc, quare prope passionem apparuit, & quare adveniente passione cessavit? Respondent quidam, quod in Piscina illa erat lignum Crucis, quod tunc temporis cœpit apparere, & supernatare. Ideo ad nobilitandum suæ passionis trophæum voluit Dominus miraculum illud ostendere, & prope passionem; quia tunc cœpit natare: & non post passionem; quia

Quorumdam responsio.

(*a*) Dom. 4. post Pent. Serm. 2. inter S. Bonaventuræ adscriptos; & ita etiam Card. Jo. Vitalis in Speculo Morali totius sacræ Scripturæ Verbo *Baptismus* fol. m. 36. a tergo, ubi ait, quod *Piscina vocatur Sacramentum pœnitentiæ.* Sic & Dionys. Carthus. &c.

(*b*) Vide supra cap. 4. sub ver. 6. num. 218. in not. *a*. Col. 567.

(*c*) Apud Gorran *pœnitens requiescit*.

(*d*) De prædicto *reatu* Doctor noster 2. Dist. 42. Dub. 1. per totum.

(*e*) Vulg. *quodcumque facere*; sed ut supra quoque Exposit. in Ecclesiasten ad eumdem textum.

(*f*) De divisione peccati trimembri, scilicet ex *infirmitate*, sive impotentia, ex *ignorantia*, & ex *malitia*, par. 1. Centiloq. Sect. 25.

(*g*) Certe ante Christum in veteri Testamento nulla ejus fit mentio, ut observat Cornelius a Lapide.

quia lignum inde extractum fuit (*a*). Sed quia hoc de Scripturis auctoritatem non habet, eadem auctoritate, qua probatur, deſtruitur (*b*). Propter hoc dicunt alii, quod in aqua illa nulla erat virtus; ſed Angelus deſcendens ſecundum certum tempus, hoc faciebat in aqua, per virtutem ſibi a Domino datam. Dicendum igitur, quod hæc virtus data erat Angelo in aqua ad figuram baptiſmi, in quo fit ablutio per aquam, & ſanatio per ſpiritum. Et ideo prope baptiſmum præmiſſa fuit, & adveniente baptizante ceſſavit. Ideoque quia parvo tempore duravit, & tarde incepit, Scriptura de hoc mentionem non fecit. Et ſic patet reſponſio ad omnia objecta.

Quod de ſcripturis auctoritatem non habet, eadem auctoritate, qua probatur, deſtruitur.

Interpretis reſponſio.

Quæſtio ſecunda cur Piſcina non curabat omnes, ac ipſemet Chriſtus inibi unum tantum curavit.

309. Item quæritur, cum æque facile eſſet Domino curare omnes, ſicut unum, & ipſe ſit largiſſimus; quare non dabat aquæ illi effectum curandi omnes? Item de ipſo Domino quæritur ſimiliter, quare tantum unum curavit, cum æque facile omnes, ſicut unum, curare poſſet? Reſp. Dicendum, quod illa ſanatio corporalis magis erat in ſignum, quam in beneficium. Signabat enim animæ curationem (*c*). Quia ergo ordinabatur ad eam ſignificandam, & præfigurandam, debuit eo modo fieri, quo optime ſignificaret. Et quia ſanatio in Eccleſia non eſt niſi in unitate fidei, & caritatis, ideo tantum unus curabatur (*d*).

Reſponſio.

Quæſtio tertia quare ſanabatur qui prior deſcendebat, & non potius qui magis indigebat.

310. Sed tunc ulterior eſt quæſtio: Si enim miſericordiæ eſt miſereri miſeriæ; ergo ubi major miſeria, magis debet inclinari miſericordia (*e*). Non ergo debebat ſanari, qui prior deſcendebat, ſed qui magis indigebat. Reſp. Dicendum, quod ſicut dictum eſt, ſignum erat curationis animæ. Et quia anima curatur a Deo ſecundum ſuam diſpoſitionem ad ſuſcipiendam gratiam, non ſecundum gravitatem in culpa; ideo qui prius, & ſolicitius deſcendebat, prius ſanitatem obtinebat.

Miſericordiæ eſt miſereri miſeriæ.

Reſponſio.

Quæſtio quarta cur Chriſtus non quæſivit ab hoc ægroto quod quærere conſueverat ab aliis ſanandis. Matth. 9. 2. ac 28.

Reſponſio.

311. Item quæritur, cum Dominus Paralytico Matth. nono ſuadeat confidentiam, & ab aliis, quos ſanavit, fidei confeſſionem expoſcat; unde eſt hoc, quod ab iſto nihil omnino quærit? Reſp. Dicendum, quod intelligimus, cum Dominus aliquem curavit, non ſolum in corpore, ſed in anima, totum ſcilicet ſanum reliquerit. Propter hoc notandum, quod quidam erant, qui ex culpa in ægritudinem inciderant; & quia hi ſanari debebant in corpore & anima, non ſanabantur niſi per fidem Chriſti. A talibus Dominus confeſſionem fidei requirebat. Alii vero, qui ad gloriam Dei manifeſtandam infirmi erant, ut cæcus natus Joan. nono: & Lazarus mortuus Joan. undecimo; & a talibus Dominus confeſſionem fidei non requirebat, immo mera liberalitate ſanabat. Et de talium curatione mirabili agit Joannes. Quia igitur iſte talis fuit, ideo fidem non requiſivit. Sed quia hæc ſolutio eſt contra Gloſſam (*f*), ideo dicendum, quod ſolum requirit fidem ab his, qui quærunt ab ipſo ſalutem (*g*).

Gloſſa ordinar.

312. *Erat autem ſabbatum in die illa.* Poſtquam deſcripta eſt miraculoſa Paralytici (*b*) curatio, deſcribitur hic ſecundo cura-

(*a*) De variis id ipſum referentium opinionibus, lignoque in Piſcina ſupernatante, ac ejuſdem Piſcinæ origine, videſis Serm. 1. de inventione ſanctæ Crucis inter Sermones S. Bonaventuræ de Sanctis, ac Petrum Comeſtorem in Hiſt. Evang. cap. 81. Nicolaus Lyranus in hanc rem allegat *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, ac ita *aliquos dicentes* Dionyſ. Carthuſ. quod ipſum etiam innuit Hugo Card. Hinc non poſſum non mirari, quod Editores Romani, alioquin eruditiſſimi, ad id quod in dicto Sermone refertur, hanc notam marginalem appoſuerint: *Unde hæc deſumpta, inveniri non potuit.*

(*b*) Prædicta narratio heic refellitur, non autem in præfato Sermone; quia major eſt licentia Concionatoris, quam Divinæ Scripturæ Interpretis, in referendis Hiſtoriis.

(*c*) In Apographo noſtro: *Illuſtrabat enim ad animæ curationem.*

(*d*) Sic S. Auguſtinus Serm. 125. alias 15. ex Sirmondianis de Verbis Evang. Joan. 5. num. 6. Hincque etiam patet, cur unus curatus ſit in Jeruſalem, & non alibi; *quia*, ut ait Card. Jo. Vital. in ſupra dicto Spec. Verbo *Confeſſio* fol. m. 101., *extra Eccleſiam non eſt locus pœnitentiæ.*

(*e*) Infra cap. 8. num. 572.

(*f*) Gloſſa enim ordinar. ad illa verba: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, ſubdit: *innuit quod propter peccata languebat.*

(*g*) Quærebat quidem ſalutem d. ægrotus, ſed ab homine, qui eum mitteret in Piſcinam, non a Chriſto. Unde Chriſto interroganti: *Vis ſanus fieri?* reſpondit: *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Hoc tamen nihil obſtante, Chriſtus patravit miraculum, inquiens: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula*, abſque eo quod in anteceſſum fidem requireret, ut quam unice poſt factum miraculum requiſivit, ut & S. Thomas animadvertit, de quo infra n. 319. in not. *b.*

(*b*) Sic Chryſoſt. Euthym. Leont. Ambroſ.

Curationis calumniatio. curationis calumniatio; in cujus calumniatione procedit Evangelista hoc ordine. Primo insinuatur curati reprehensio. Secundo calumniæ in curantem devolutio. Tertio curantis manifestatio. Quarto manifestati persecutio. Quinto in persecutione obstinatio.

Curati reprehensio. 313. Insinuatur ergo primo curati reprehensio, ex eo quod tollebat grabatum in die sabbati, in qua sanus factus fuerat. Propter quod innuens occasionem calumniandi dicit Evangelista: *Erat autem sabbatum in die illa;* scilicet in qua curatus fuerat, & grabatum portabat: & occasione hujus, Judæi eum reprehendebant. Ideo subdit:

VERSUS DECIMUS.

314. *Dicebant ergo Judæi illi, qui sanus factus fuerat* (*a*), ipsum calumniando: *Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Tollere grabatum* opus servile videbatur, quod prohibitum erat fieri in sabbato. Levit. vigesimo tertio: Dies septimus erit vobis celebrior, & sanctior, omne opus servile non facietis in eo. Levit. 23. 8.

VERSUS XI.

315. *Respondit eis: qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.* Tangitur hic secundum, scilicet calumniæ in curantem devolutio; quia infirmus ille sanatus se excusat per mandatum curantis. Ideo dicit: *Qui me sanum fecit* per potestatem, *ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula*, per propriam præcipiens auctoritatem. Et certe qui tantam habebat potestatem, bene habuit tanti mandati auctoritatem. Unde dicit Matth. nono. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuum &c. Si peccata poterat dimittere, ergo & in præcepto de sabbato dispensare. Sed Judæi hoc non attendentes, de ipso interrogant, ut eum possint calumniari. Calumniæ in curantem devolutio. Matth. 9. 6.

Propter quod dicitur:

VERSUS XII.

316. *Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo* (homo infirmus, non Deus omnipotens,) *qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?* Qui scilicet contra legem præcepit, non per virtutem sanavit. Mala quærunt, bona tacent. Prov. undecimo: Bene consurgit diluculo qui quærit bona: qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis. Et quia male quærunt, ideo in inquisitione deficiunt. Ideo dicitur: Prov. 11. 27.

VERSUS XIII.

317. *Is autem, qui sanus effectus fuerat, nesciebat quis esset. Jesus autem* (*b*) *declinavit a turba constituta in loco. Nesciebat quis esset*, ideo in inquirendo necessario habuerunt deficere. Psal. Defecerunt scrutantes scrutinio. Ideo dictum est Judæis Joan. septimo: Quæretis me, & non invenietis; quia non quærebant ad habendum, sed ad persequendum. Ps. 63. 7. Jo. 7. 36.

318. *Jesus, autem declinavit &c.* Tangitur hic tertium, scilicet Christi quæsiti, & non inventi manifestatio, quæ facta est non in turba, sed in Templo. Ideo dicitur: *Jesus autem declinavit a turba constituta in loco*, scilicet a multitudine, quæ erat in loco curationis; ideo nesciebat eum ille, quia in turba remanserat. Curantis manifestatio.

VERSUS XIV.

319. *Postea invenit eum Jesus in Templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Postea invenit eum Jesus in Templo*, quia scilicet a turba recesserat. Augustinus: In turba positus non cognovit Jesum, sed post in Templo; in quo docemur, ut quisquis ad visionem Dei vult pervenire, fugiat turbam suorum affectuum, & nequitiam hominum, & adeat internæ orationis Templum. Unde in suscitatione Puellæ præ- Augustinus in Jo. Evang. c. 5. Tract. 17. n. 11. Turba fugienda ei, qui cupit ad Dei visionem pervenire.

(*a*) Vulg. *Qui sanatus fuerat*. At *sanus* pro *sanatus* vel in duobus Codicibus Mm. & Brix. apud Blanchinium legitur; qua semel admissa lectione, recte additur supra: *sanus factus*. Quid quod & *sanus fuerat factus* habet insuper Cod. noster Bernardinianus, alius Tabular. sive Biblioth. Episcopal. Dionys. Carthus. &c.

(*b*) Vulg. *Jesus enim*, sed *Jesus autem* etiam Cod. Brixian. Exemplar Goth. & S. August. nec non iterum Cod. noster Bernardinian. alius Tabular. sive Biblioth. Episc. Hugo Card. Lyran. Dionys. Carthus. &c.

præcepit, ejici turbam tumultuantem *Matth. 9. 24.* Matth. nono (*a*). Et quia Domini misericordia nos prævenit, non dicit, quod ipse invenerit Jesum; sed quod *Jesus invenit eum*. Unde nec cognovit ipsum nisi per ejus eruditionem, quam dedit ei (*b*). Propterea subditur: *Et dixit illi*; instruens ut bonus Medicus: *Ecce sanus factus es*; recolit beneficium. *Jam noli peccare*; dissuadet peccatum. *Ne deterius tibi aliquid contingat*; comminatur periculum. Luc. undecimo: *Luc. 11. 26.* Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

VERSUS XV.

320. *Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum*. Tangitur hic quartum, scilicet *Christi manifestati persecutio.* Christi manifestati persecutio. Cognoverunt enim Judæi, illo homine referente, quod Christus eum sanum fecisset. Unde dicitur: *Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis*, qui scilicet ab eo quæsierant, *quia Jesus esset, qui fecit eum sanum*. Non hoc dixit detrahendo, vel accusando, sed nomen Christi *Glossa interlin.* annuntiando. Unde Glossa. Annuntiat iste salutem Judæis, ut sequerentur. Et illi e contrario persequuntur, Ideo subditur:

VERSUS XVI.

321. *Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato*. Videbatur enim eorum legem destruere, & Domino, qui præceptum de custodiendo sabbato dederat, contraire. Joan. *Jo. 9. 16.* nono: Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Luc. sexto: *Luc. 6. 7.* Observabant Scribæ & Pharisæi, si in sabbato curaret.

VERSUS XVII.

322. *Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Tangitur hic quintum, scilicet in persecutione obstinatio, *In persecutione obstinatio.* quæ consecuta est ad Domini responsionem ostendentis se non solvere sabbatum. Propter quod dicitur: *Jesus autem respondit eis* (scilicet Judæis persequentibus) *Pater meus usque modo operatur* (*c*), etiam in sabbato, & tamen non solvit sabbatum: *Et ego operor*, scilicet Patri cooperando, etiam in sabbato. Si ergo Deus non solvit sabbatum, nec ego solvo. Matth. duodecimo Dominus est filius hominis *Matth. 12. 8.* etiam sabbati (*d*). Et quia Dominus potest in eo sine reprehensione aliqua operari, ex hac responsione Judæi sunt in malitia obfirmati, ex qua debuerunt pacificari. Propterea subditur, scilicet propter istam responsionem:

VERSUS XVIII.

323. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere*; quia non poterant responsioni contradicere, quærebant eum interficere. Joan. septimo: Quid me *Jo. 7. 20.* quæritis interficere? hominem, qui ve- *Jo. 8. 40.* ritatem locutus sum vobis. *Quia non solum solvebat sabbatum*, secundum suam sententiam, *sed etiam* (*e*) *Patrem suum dicebat Deum* (*suum* singulariter,) *æqualem se faciens Deo*, quod ipsi reputabant blasphemiam. Joan. decimo: De bono *Jo. 10. 33.* opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis; facis te ipsum Deum. *Faciens*, quasi non esset, sed se Deum faceret.

324. Sed quæritur hic, cum præ- *Quæstio prima de solutione Sabbati.* ceptum de sabbato sit unum de præceptis primæ tabulæ, in quibus, sicut dicit Bernardus, non potest Deus di- *Bernardus L. de Præcep. & Dispens. c. 3. n. 7.* spensare (*f*); videtur, quod Dominus male

(*a*) Recolantur quæ cap. 4. ver. 30. num. 259. adnotavimus ad illa verba: *Exierunt de Civitate, & veniebant ad eum*.

(*b*) Tunc Jesus ab eo fidei confessionem exegit pro animæ salute obtinenda, non ante; quia nondum cognoverat eum salutis corporum ac animarum auctorem. Unde notat S. Thomas Comment. in Jo. Evang. cap. 5. „Quod „Dominus a ceteris fidem requirit. Matth. 9. „28. *Creditis quod possum hoc facere vobis?* Sed „in hoc nihil tale facit, quia illi quidem au„dierant aliqua de miraculis Christi, iste autem „nondum: & ideo fidem ab eo non requirit, „nisi post factum miraculum.“

(*c*) Quo sensu, legesis in 2. Dist. 15. art. 2. q. 3. in concl.

(*d*) Quo iterum sensu, Exposit. in cap. 6. S. Lucæ, ubi habetur: *Vocat se filium hominis, quantum ad humilitatem humanitatis assumptæ: & dicit se Dominum sabbati & Legis, quantum ad sublimitatem Divinitatis occultæ*.

(*e*) Vulg. & loco *etiam*; at *etiam* pariter Cod. Vercellen. apud Blanchinium.

(*f*) 1. Dist. 47. art. 1. q. 4. in concl. *Dicit Bernardus in Lib. de dispensatione & præcepto, quod Deus potest dispensare in præceptis secundæ tabulæ, & non in primæ*.

male fecerit solvendo sabbatum. Si dicas, quod in præcepto est aliquid morale, & aliquid cæremoniale, & secundum quod morale spectat ad primam tabulam, & sic non solvit: tunc est quæstio, quid est in eo morale, & quid cæremoniale? Item quæstio est, quare præceptum tertium magis habet secum annexam observantiam cæremonialem, quam aliud mandatum Decalogi? Et videtur, quod non deberet ei admisceri, sicut nec umbra veritati. Responsio. Resp. Dicendum, quod sicut dictum est, mandatum de sabbato habet aliquid morale, habet etiam aliquid cæremoniale. Et ideo in lege non tantum ponitur inter moralia, sed etiam inter cæremonialia. Quod ergo quæritur, quid sit in eo morale, & cæremoniale? Dico, quod in mandato illo præcipitur homo vacare Deo, ut fiat templum illius per dilectionem, & hoc est morale. Ulterius est ibi significatio diei, & præter hoc quietatio ab omnibus operibus servilibus; & ista duo sunt cæremonialia (*a*). Quod quæritur, quare magis habet conjunctam cæremoniam? Respondet Augustinus ad Januarium, quod est præceptum dilectionis, quia tertium præceptum respicit tertiam in Trinitate Personam; & præcipitur ibi dilectio. (*Augustinus Epist. 55. alias 119. c. 11. n. 20.*) Ut ergo ostendatur, quod omnia cæremonialia sunt referenda ad dilectionem Dei, & proximi, & ad illum finem exponenda; ideo in dilectionis mandato mandata cetera diriguntur, & implentur. Rursus in vacando Deo, & considerando legem Divinam, diligens efficitur homo in ejus observantia legis. Quia ergo in hoc mandato præcipitur dilectio, & Deo vacatio, omnium mandatorum observantia pendet ex hoc. Et ideo hoc neglecto, & in oblivionem tradito, cetera negligerentur. Ideo ne oblivioni traderetur, significavit diem (*b*). Ne etiam ob alia negligeretur, ab omnibus aliis cessare præcepit; & hoc est cæremoniale.

325. Item quæritur, utrum Dominus mandatum de sabbato solverit, quantum ad observantiam cæremonialem? (*Quæstio secunda de solutione quantum ad observantiam cæremonialem.*) Quod non videtur, quia non prohibetur ibi nisi opus servile; & Dominus nullum opus servile in eo faciebat. Unde Luc. quartodecimo Dominus ostendit quod non solvit (*c*). (*Luc. 14. 5.*) Quod autem solverit videtur, quia Judæi propter hoc persequebantur. Resp. Dicendum, quod observatio ejus, quod erat cæremoniale, in sabbato triplex erat, (*Responsio.*) scilicet spiritualis, literalis, & consuetudinalis. Spiritualem non solvit, nec solvere potuit, sed implevit. Literalem solvere potuit, non tamen solvit, quia nullum opus servile fecit (*d*). Consuetudinalem solvit, & solvi præcepit. Solvit, quando fecit lutum ex sputo. Solvi præcepit, quando grabatum sustolli præcepit. Hoc enim non erat contra observantiam literalem, sed consuetudinalem, & superinductam.

326. Item objicitur de hoc, quod dicit Evangelista, quod Judæi persequebantur Jesum, quia hoc faciebat in sabbatis: (*Objectio de hoc quod dicitur de Judæis Christum persequentibus, quia hoc faciebat in Sabbatis.*) Si Dominus æque bene hoc facere poterat in aliis diebus, ut in sabbato, videtur quod Dominus ipse sibi persecutionem excitaverit Judæorum, nulla caussa opportuna. Resp. Dicendum, quod ratio hujus fuit doctrinæ veritas; (*Solutio.*) quia enim observantiæ cæremoniales debebant in Christi adventu cessare, ipse, qui magister fuit veritatis, debuit hoc docere, & per suam vitam ostendere, ut apud omnes veritas Evangelii remaneret. Secunda ratio fuit Divini judicii severitas, quia sicut dicitur Joan. nono: In judicium ego veni in hunc mundum &c. (*Jo. 9. 39.*) Quia ergo ex hoc mali excæcabantur (*e*) ad procurandam Christi mortem, quæ fuit nostra salus, boni vero illuminabantur ad credendum, eum esse, qui legem dederat, & solvere poterat, ideo &c. Tertia ratio communis necessitas, quia tunc

---

(*a*) His similia, & adhuc explicatiora Legesis apud eumdem S. Doctorem *De Decem præceptis* Serm. 4. Item L. 3. Sent. Dist. 37. Dub. 3. Nec non in *Speculo animæ* c. 2.

(*b*) *Memento ut diem Sabbati sanctifices; & propterea isti mandato præmittitur memento, quia in ejus memoratione cetera memorantur*, ibi d. Dub. 3.

(*c*) Curando scilicet, Judæis tacentibus, hydropicum sabbato, & proponendo eis quæstionem de bove, aut asino ex puteo die sabbati extrahendo, si in illum ceciderit.

(*d*) Opus enim *misericordiæ*, quod egit in sabbato, non est *servitutis*, sed *libertatis*, inquit Interpres noster Exposit. in cap. 14. S. Lucæ. Ubi etiam in cap 6. ad illud, quod *in sabbato vellebant discipuli spicas, & manducabant, confricantes manibus*, ostendit, id fuisse *necessitatis*, non *servitutis*; criminationemque Pharisæorum processisse *ex ignorantia legis*.

(*e*) Apud Gorran *excitabantur*.

tunc pauperes & simplices conveniebant ad Synagogas, quas debebat Dominus attrahere per miracula.

Quæstio tertia de hoc quod Christus respondit: Pater meus usque modo operatur &c. Gen. 2. 2.

327. Item quæritur de hoc quod Dominus respondit: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Contra Gen. secundo: Requievit Dominus ab omni opere, quod patrarat; ergo videtur, quod sit ibi contradictio.

Responsio.

Resp. Dicendum, quod est opus primæ conditionis (*a*), & hoc consistit in creatione rerum, quæ spectant ad complementum universi, & includit in se creationem, distinctionem, & ornatum. Et hoc perfectum fuit in sex diebus. Ab hoc opere Dominus requievit. Aliud est opus conservationis; & quia res non possunt conservari in se ipsis, quia natæ sunt per naturam corrumpi, consistit hoc opus in transmutatione, propagatione, & animarum creatione. Et hoc opere operatur Deus, & cooperatur naturæ cooperanti, & de hoc opere intelligit hic, a quo non cessat in sabbato (*b*).

Tertia pars Capituli, in qua determinatur calumniationis confutatio.

328. *Respondit itaque Jesus, & dixit eis*. Supra descripta est miraculosa curatio, & ejus calumnatio; hic incipit tertia pars Capituli, in qua determinatur calumniationis confutatio. Confutat enim Dominus Judæos ipsum calumniantes de opere curationis; & hoc ostendendo suam in operando omnipotentem potentiam. Et dividitur hæc pars, quia primo ostenditur ejus potentia, & declaratur in generali. Secundo vero in speciali ibi: *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit*. Filii igitur Dei potentia hoc ordine declaratur & manifestatur. Primo notatur potestatis origo: Secundo potentiæ magnitudo: Tertio magnitudinis declaratio: Quarto vero declarandi ratio. Primo igitur notatur potentiæ Filii Dei origo. Dicit enim Filius Dei, quod a se ipso non habet operandi potentiam, sed a Patre. Propterea dicitur: *Respondit itaque Jesus, & dixit eis*, scilicet persequentibus, & calumniantibus Judæis:

Potentiæ Filii Dei origo.

VERSUS XIX.

329. *Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille facit (c), hæc & Filius similiter facit. Amen, amen dico vobis* (id est, vere, & certitudinaliter) *non potest Filius a se facere quidquam*. Sicut enim non habet esse a se, sed a Patre; sic nec operari a se, sed a Patre. Joan. octavo: A me ipso facio nihil. Jo. 8. 28. *Nisi quod viderit Patrem suum facientem*, id est, solum hoc potest, quod a Patre potente accepit, ut posset. Joan. octavo: Ego quæ vidi apud Patrem meum, hæc loquor. Jo. 8. 38. Et ita quidquid potest, a Patre potest; & nihil aliud potest, nisi quod a Patre accepit, ut possit (*d*).

330. *Quæcumque enim &c.* Tangitur hic secundum, scilicet potentiæ magnitudo in hoc, quod quamvis Filius accipiat posse a Patre; tamen ita magnum posse habet, ut Pater. Ideo dicit: *Quæcumque enim* (bene dixi, quod Filius facit quæ videt Patrem facientem) *quæcumque enim ille facit, hæc & Filius similiter facit. Similiter*, uniformiter & conformiter. *Similiter*, quia æque potest (*e*). Unde ad Coloss. primo de Filio dicitur: Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; Coloss. 1. 16. quia sicut dicitur supra primo: Sine ipso factum est nihil. Jo. 1. 3. Et ratio indivisionis in opere est indivisio in essentia & in dilectione. Ideo dicit:

Potentiæ magnitudo.

VER-

(*a*) Hæic, ac alibi sæpius sumitur a Bonaventura *conditio* pro *actu condendi*, vocabulo ducto a *conditore*.

(*b*) De hoc ipso idem Bonaventura in Breviloq. par. 2. c. 2. ac in 2. Dist. 7. par. 2. art. 2. q. 1. ad 1., & latius in eodem 2. Dist. 15. art. 2. q. 3. *An Deus post inductionem rerum ab omni opere quieverit*, per totam.

(*c*) Vulg. *fecerit*; sed *facit* etiam Codd. Evangelior. Veron. ac Trident. Hugo autem Card. habet *facit*, & *fecerit*.

(*d*) Accepit autem ipsissimam Patris omnipotentiam, quæ & Spiritui sancto communis est. Unde etiam Dionys. Carthus. contra Arrium & Eunomium sic ait „ Secundum Hilarium, „ & Thomam in summa contra Gentes, quamvis Filius non potest a se quicquam facere; „ potest tamen per se omnia facere, utpote „ propria virtute, quæ cum sit una in Patre, „ & Filio, ac Spiritu Sancto, est caussa, quod „ quælibet Divina persona est caussa omnium „ rerum, & omnipotens &c. “

(*e*) Idem *æque principaliter, & auctoritative*.

VERSUS XX.

331. *Pater enim diligit Filium* (bene dixi (a) quod Filius omnia potest facere, quæ & Pater) *Pater enim diligit Filium.* Ideo summe diligit, quia summe unum sunt. Joan. decimo: Ego & Pater unum sumus: Et quia summe unum sunt, ideo omnia communicat Filio Pater. Ideo subdit: *Et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Omnia demonstrat*, id est, omnis operationis potentiam communicat, & hujus communicationis ratio est unitas & dilectio, supra tertio: Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus. Jo. 10. 30. Jo. 3. 35.

332. *Et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.* Tangitur hic tertium, scilicet magnitudinis potentiæ declaratio, quæ fit per magnitudinem operum, quæ Dominus Judæis ostensurus erat per Filium. Ideo dicit: *Et majora his* (supple quæ vobis ostensa sunt) *domonstrabit ei opera*, id est, per eum demonstrabit vobis, *ut vos miremini*, præ magnitudine supple. Joan. decimo: Multa bona opera ostendi vobis. Et quæ sint ista opera ostendit, quia suscitatio mortuorum. Unde dicit: Magnitudinis potentiæ declaratio. Jo. 10. 32.

VERSUS XXI.

333. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat*, per potentiam omnipotentem; *Sic & Filius, quos vult, vivificat*, per potentiam ei æqualem. Joan. undecimo habetur in Lazari suscitatione. Et de suscitatione in anima dicitur: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Exemplum suscitationis corporalis habetur similiter Luc. septimo (b). Jo. 11. 44. Jo. 11. 25. Luc. 7. 15.

VERSUS XXII.

334. *Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio.* Tangitur hic quartum, scilicet declarationis potentiæ ratio, quare scilicet Deus potentiam suam declarat in Filio, & per Filium, est ut ostendat eum sibi æqualem, & æque honorandum; & ideo tribuit Filio judicium, propter quod dicit: *Neque enim Pater judicat quemquam.* Bene dixi (c), quod majora his demonstrabit opera, ut vos miremini, quia etiam propter hoc judicium sibi tribuit. Ideo dicit: *Neque enim Pater judicat quemquam* (in judicio scilicet apparendo) *sed omne judicium dedit Filio* (d). Act. decimo: Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum & mortuorum (e). Et ratio hujus redditur Filii honorificatio, unde dicit: Declarationis ratio. Act. 10. 42.

VERSUS XXIII.

335. *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (f). De hoc Prov. tertio, & Ecclesiastici septimo: Fili honora Dominum &c. Honora Deum ex tota anima tua. Filius Dei est honorificandus, & timendus ratione judiciariæ potestatis (g); quia potest & animam & corpus perdere in gehennam. Matth. decimo. Et ratio, quare vult Filium Pater honorari, quia honor Filii est Patris; ideo dicit: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit eum* (h). Joan. octavo: Honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Augustinus: Si minor creditur Filius Patre, Pater inhonoraretur; quia vel invidus nollet genuisse æqualem, vel infirmus non posset. Prov. 3. 9. Eccli 7. 33. Matth. 10. 28. Jo. 8. 49. Augustinus in Jo. Evang. c. 5. Tract. 19. n. 6.

336. Quæritur de hoc quod dicitur: *Filius non potest a se facere quidquam.* Contra: potentior est qui potest a se, quam qui ab alio; sed Pater potest a seipso, Filius ab alio: ergo Pater est potentior Filio. Si tu dicas: Potentiæ majoritas consistit in virtute, non in modo habendi, & habere a se dicit solum modum habendi, non virtutem; & ita non sequitur, quod Pater sit potentior Filio. Objicitur quod nobiliori modo habetur, quod habetur a se, quam Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Filius non potest a se facere quidquam.*

(a) Hic dicendi modus *Bene dixi* superiori num. 330. & heic repetitus, sæpius quoque ab Interprete nostro adhibetur Comment. in Apocal. &c. Supra Cap. 4. num. 265. & infra num. 334.

(b) De hoc late noster Interpres in idem Cap. 7. S. Lucæ.

(c) En rursus repetitum *bene dixi*, sicut repetitur d. Comment. in Apocal. Vide infra num. 343.

(d) In 4. Dist. 48. art. 1. q. 1. ad opp. Item Comm. in Apocal. c. 4. sub ver. 9. num. 308.

(e) In 4. ibi in concl.

(f) Ibidem in fundam.

(g) De ejus *judiciaria potestate* inibi in concl.

(h) Vulg. *illum*.

quam quod ab alio habetur; ergo si Pater habet potentiam a se, nobiliori modo habet eam, quam Filius, qui habet ab alio. Respondetur ad hoc, quod habere ab alio est duobus modis, per participationem scilicet, vel per solam emanationem. Habere ab alio per participationem minus nobilis modus est; modus enim participationis modo habendi per essentiam non æquatur. Alio modo est habere ab alio tantum per emanationem, ita quod ille, qui emanat, habet per essentiam, sicut ille qui dat (a); & hoc nullam omnino parit ignobilitatem, immo omnimodam æqualitatem (b). Habere enim a Patre ita nobilitatis est in Filio, sicut generare in Patre; & sic patet illud (c).

Responsio.

337. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod *Filius nihil potest, nisi quod viderit Patrem facientem*. Et iterum quod *Pater demonstrat Filio quæcumque facit*. Ergo si per naturam prius est aliquid, quam videatur, prius Pater operatur, & post Filius ad ejus operationem, tamquam ad ejus exemplar. Item si Pater nihil omnino potest sine Filio operari, quomodo dicitur, quod Filius operatur, sicut videt Patrem operantem? Resp. Dicendum, quod idem dicitur Pater demonstrat Filio, & Filius videt Patrem operantem, & solum differentia est quoad terminos. Intelligendum autem, quod ista verba translata sunt a creaturis ad Deum. Duplicem autem importat verbum demonstrandi, & similiter videndi, proprietatem. Una scilicet est emanatio cognitionis, quia video te sic operantem, relinquitur in me cognitio operandi. Alia est exemplaritas antecessionis, sicut operatio & demonstratio præcedit meam cognitionem tamquam exemplar. Dico ergo, quod ratione primæ conditionis transfertur ad Divina, scilicet ratione emanationis; ratione antecessionis non. Unde Patrem demonstrare Filio non est, quod Pater prius cognoscat, quam Filius; sed quod Pater dat Filio: Similiter videre Patrem operantem non est, quod Pater prius operetur, sed quod Filius habet a Patre (d).

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Filius nihil potest, nisi quod viderit Patrem facientem &c.*

Responsio.

338. Quæritur de hoc quod dicitur: *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*. Contra: Pater generat Filium, ergo Filius generat Filium. Si dicas, quod generare non dicit operationem, sed relationem; objicitur, quia mittere Filium dicit operationem; ergo si quamcumque operationem facit Pater, hanc faciet & Filius, si Pater mittit Filium, ergo & Filius mittit Filium. Item si Trinitas est omnino indivisa in substantia & operatione, cum manifestatio & apparitio fiat per operationem, quomodo potest apparere vel manifestari Trinitas in aliqua suarum Hypostasum determinatione? Nullo modo videtur. Intelligendum ad hæc, quod quædam verba dicta de Deo dicunt puram relationem, sicut generare; quædam puram actionem, sicut creare; quædam actionem & relationem, sicut mittere; quædam actionem & significationem, sicut apparere (e). Dico igitur, quod quando dicitur *Quæcumque facit Pater*, intelligitur quantum ad operationem, quæ communis est & essentialis. Si igitur inferatur verbum significans mere actionem, illatio bona est; si vero mere relationem, illatio omnino sophistica est per figuram dictionis. Si autem verbum significans actionem & relationem, etsi ratione actionis teneret illatio, fallit ratione relationis inclusæ, sicut sunt mittere & incarnari. Similiter de verbo importante actionem & significationem, fallit ratione significationis (f). Sicut enim dicit Augustinus, etsi omnis actio & species fit a tribus, tamen alia specialiter significat Patrem, alia Filium, alia

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit.*

Responsio.

Augustinus L. contra Serm. Arian. c. 3. 15. ac seq. ac L. 14. de Trin. c. 4. n. 11. Item

---

(a) *Quia totam infinitatem suam dat sibi Pater*, ut inquit Interpres in 1. Dist. 7. art. 1. q. 2. in concl. De *emanatione in unitate naturæ*, sive *essentiæ* idem ibi Dist. 31. par. 2. art. 1. q. in concl.

(b) De *æqualitate in Divinis*, eaque *summa* ibi Dist. 19. par. 1. art. 1. q. 1. ac seq.

(c) Ipsissimo modo hanc proponit solvitque noster Interpres difficultatem in 1. Dist. 20. art. 1. q. 2. Videatur in opponendo 3. & in respondendo ad 3.

(d) *Procedit enim Filius secundum rationem exemplaritatis, non sicut exemplatum per exemplar; sed sicut ipsum exemplar, & ratio exemplandi cetera*, ibi Dist. 6. art. 1. q. 3. in resp. ad arg. Videatur S. Aug. in Jo. Evang. cap. 5. Tract. 23. num. 7.

(e) Sic Exposit. in cap. 5. Evang. S. Jo. sub S. Bonav. nomine.

(f) Breviloq. par. 1. c. 5. Vide supra cap. 1. num. 69. in not. b. ac L. 1. Sent. Dist. 15. ac 16.

idem S. August. seu potius Auctor Lib. de Spir. & Ani. cap. 35.

Anima una habens intellectum, voluntatem, & memoriam, Trinitatis imago.

alia Spiritum Sanctum. Exemplum est de hominis anima (a), quæ una existens principium est trium operationum, scilicet Memoriæ, Intelligentiæ, & Voluntatis; & tamen alteram illarum significat. Sic etiam est in proposito, & sic patent objecta.

Quæstio quarta de ratione illa, quod *Pater omnia demonstrat Filio*, quia *Filium diligit*.

Augustinus in Jo. Ev. c. 5. Tract. 41. n. 4. nec non eodem c. 5. Tract. 23. n. 9. ac c. 8. Tract. 40. n. 5.

339. Item quæritur de ratione illa, quod *Pater omnia demonstrat Filio*, quia *Filium diligit*. Demonstrare Filio hoc est generare Filium, ut dicit Augustinus. Aut ergo diligere sumitur ibi notionaliter, aut essentialiter. Si notionaliter, falsa est, quia communis spiratio non est ratio emanandi per generationem, quia generatio secundum rationem intelligendi est prior (b). Si essentialiter, adhuc falsa est; quia essentia non est ratio emanationis, nec relationis, tunc enim Filius generaret.

Responsio.

Resp. Dicendum, quod cum dicitur *Pater omnia demonstrat Filio*, & dico quod *demonstrat*, & dico quod *omnia*. Dico igitur quod ratio demonstrandi omnia est dilectio, non quia demonstrandi simpliciter, sed quia demonstrandi omnia. Dilectio enim accipitur essentialiter, ut dicit unitatem summam Patris ad Filium; & quia summa est eorum unitas in essentia, ideo omnimoda est indivisio in operatione, & ideo necesse est, quod in omnibus Filius Patri cooperetur, (c) ideo bene dicit: *Omnia demonstrat*, quia summe *Filium diligit* (d).

VERSUS XXIV.

Post declarationem potentiæ Christi in communi, declaratio in speciali.

340. *Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non veniet* (e), *sed transiet* (f) *de morte ad vitam* (g). Declaravit Dominus suam potentiam in communi, hic incipit eam declarare in speciali, descendens ad potentiam vivificandi, & ad potentiam judicandi; ideo habet hæc pars duas partes. In prima declarat suam potentiam in vivificando: in secunda suam potentiam in judicando ibi: *Et potestatem dedit ei judicium facere &c.* Potentia vivificandi respicit benignitatem misericordiæ. Potentia judicandi severitatem justitiæ. Potentiam igitur vivificandi hoc ordine describit. Primo scilicet quos vivificat. Secundo quomodo vivificat. Tertio qua virtute vivificat. Et primum respicit objectum, secundum respicit actum, tertium vero virtutem. In his tribus consistit potentiæ perfecta cognitio, scilicet in virtute, opere, & objecto.

Descriptio ejus potentiæ ad vivificandum.

Quos vivificat.

341. Primo ergo determinat quos vivificat, vita scilicet animæ, quoniam non omnes, sed credentes. Hi sunt qui verbum Dei audiunt, & audito credunt; ideo dicit: *Amen amen dico vobis* (id est, vere) *quia qui verbum meum audit* (se ad fidem disponendo, quia ad Rom. decimo, fides est ex auditu) *& credit ei, qui misit me* (audito consentiendo Joan. duodecimo: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me) ille quidem *habet vitam æternam* supra tertio: Qui credit in Filium Dei habet vitam æternam (vitam æternam, non pœnam) unde & subdit: *Et in judicium non veniet* (in judicium scilicet mortis) *sed transiet de morte ad vitam, de morte*; id est, de præsenti vita, quæ mors est, transibit ad æternam vitam, sine judicio condemnationis supra tertio: Qui credit in eum, non judicatur (h). Vita vero præsens mors dicitur; quia sicut dicitur ad Rom. octavo: Corpus mortuum est propter peccatum. Ab hac morte transibunt ad vitam justi, quibus temporaliter mori transire est. (i)

Ad Rom. 10. 17.

Jo. 12. 44.

Jo. 3. 36.

Jo. 3. 18.

Ad Rom. 8. 10.

(a) De hoc exemplo Itiner. ment. in Deum cap. 3. ac L. 1. Sent. Dist. 3. par. 2. nec non quam disertissime in Amator. ex eodem Aug. ibi in d. Lib. de Spir. & Ani.

(b) Breviloq. par. 1. cap. 3. nec non 1. Dist. 12. Art. 1. Q. 4. in concl.

(c) Sic supra num. 331. jam dixerat „ *Omnia demonstrat*, id est, omnis operationis potentiam communicat, & hujus communicationis ratio est unitas & dilectio.„ Pariter Sa.

(d) In eodem 1. Dist. 11. Art. 1. Q. 2. in concl. & ad argumen. in contrar. Vide sis S. Tho. in Jo. Evang. cap. 5. Lect. 3. not. c. nec non Hugonem Card. ad eumdem textum.

(e) Vulg. *non venit*; sed *non veniet* quatuor Codd. apud Blanchin. relati supra Cap. 3. ver. 18. num. 176. nec non Evangeliarium Eccl. nostræ Trident. ac ipsemet noster Interpres 4. Dist. 47. Art. 1. Q. 3. in Fundam.

(f) Vulg. *transiit*; sed *transiet* quoque modo d. Evangeliar. Item Codd. Gat. Mm. & Goth. apud Blanchin. ac etiam Cod. Biblior. Tabular. sive Biblioth. Episc. Trident. Apud Hugonem Card. *transit al. transiet*. Item *transiet* Lyran. atque antiquæ Biblior. Editiones.

(g) Vulg. *a morte in vitam*; sed *de morte* etiam idem Cod. Biblioth. Episc. & *de morte ad vitam* Cod. Veronen.

(h) In 4. ibi.

(i) Cit. Exposit. in cap. 3. Sap. *mors temporalis*

Joan. tertiodecimo de Christo capite: Sciens Jesus quod venit hora ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. De hoc justi in Psal. gloriantur: Et lætentur omnes qui sperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis: Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo.

Jo. 13. 1.

Ps. 5. 12. ac seq.

VERSUS XXV.

342. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.* Tangitur hic secundum, scilicet quomodo vivificat, scilicet per internam inspirationem, quam qui audit vivificatur, ideo dicitur: *Venit hora, & nunc est*, scilicet gratiæ; quæ *nunc est*, de qua ad Rom. tertiodecimo: Hora est jam nos de somno surgere, de somno scilicet peccati & mortis; *quando mortui* (per culpam) *audient vocem Filii Dei*, per internam inspirationem ad Ephes. quinto: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. *Et qui audierint, vivent*, per gratiam; quia sermo ejus vivificat audientes Joan. decimo: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis; & hanc verbo do & conservo. Deut. octavo: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.

Quomodo vivificat.

Ad Rom. 13. 11.

Ad Eph. 5 14.

Jo. 10. 27. ac seq.

Deut. 8. 3. Matth. 4. 4. Luc. 4. 4.

VERSUS XXVI.

343. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Tangitur hic tertium, qua scilicet virtute vivificat, quoniam virtute propria, secundum Divinitatem sibi a Patre datam per generationem, unde dicit: *Sicut enim &c.* Bene dixi (a), quod Filius vivificat. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso* (id est, per essentiam) *sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*, id est, per essentiam, non per participationem (b). Et quia illud quod est vita per essentiam, omnibus influit vitam, ut dicit Dionysius; ideo Filius potens est seipso dare vitam. Unde Joan. undecimo: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Similiter Joan. quartodecimo: Ego sum via, veritas (c), & vita; non sum vivens aliena vita, sed sum vita aliis dando vivere (d).

Qua virtute vivificat.

Dionysius L. de Divin. Nomin. c. 6.

Jo. 11. 25.

Jo. 14. 6

VERSUS XXVII.

344. *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Declaravit potentiam suam in vivificando, hic declarat potentiam suam in judicando, & hoc quidem facit hoc ordine. Primo enim tangit, qua virtute judicat. Secundo quos judicat. Tertio quomodo judicat: secundum illa tria, secundum quæ descripta est potentia vivificandi. Primo ergo determinat, qua virtute judicat, quoniam potestate sibi secundum humanitatem a Patre collata; propterea dicit: *Et potestatem dedit ei*, scilicet Pater Filio, *judicium facere, quia Filius hominis est*, ideo in humanitate (e), ut possint eum videre reprobi in judicio, qui Deum videre non possunt (f). Apocal. primo: Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt (g); in humanitate, quia in humanitate judicatus est. Job. trigesimo sexto: Caussa tua quasi impii judicata est, judicium caussamque recipies (h).

Descriptio ejus potentiæ ad judicandum.

Qua virtute judicat.

Apoc. 1. 7.

Job 36. 17.

VER-

ralis est quasi umbra mortis; est enim quidam transitus ad vitam, secundum illud Joannis &c. Item Exposit. in Psalter. Ps. 108. in fine „ Christus tradidit semetipsum pro nobis in mortem: nos autem tradimus nosmetipsos ad vitam. Vivere enim incipit, quando quis incipit mori pro Christo. Unde cum solemnizatur de morte alicujus Sancti, dicitur: „ Deus, qui tui Sancti natalitia colimus. "

(a) Vide supra num. 334.

(b) 1. Dist. 20. art. 1. q. 2. ad 3. & ita Sa.

(c) Vide Comment. in Apocal. cap. 1. num. 93.

(d) In Prol. 3. Sent.

(e) Sic in 4. Dist. 48. Art. 1. Q. 1. ad opp. & in concl. ac etiam alibi.

(f) Ibi Q. 2. in concl. pariterque Dionys. Carthus.

(g) Ipsemet Interpres noster Comment. in Apocal. ad hunc textum num. 27., ac 4. Dist. 48. Ar. 1. Q. 2. in concl.

(h) Idem in 4. ibi Q. 1. ad opp. „ *Caussa tua quasi impii*, Glossa: *Judicata est a Pilato, ideo judicium caussamque recipies, ut juste judices:* Ergo si judicatus est secundum humanitatem, potestatem judicandi habebit secundum humanitatem. "

VERSUS XXVIII.

345. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.* Tangitur hic

Quos judicat. secundum, scilicet quos judicat; quia licet omnes debet suscitare, non tamen omnes judicabit, (a) sed malos tantum: unde dicit: *Nolite mirari hoc* (scilicet quod dictum est, quod potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est) *quia venit hora* (scilicet finis sæculi,

Job 14. 12. Job quartodecimo: Homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum) *in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.* Si mortui audient, constat, quod resurgent ad ejus vocem, primæ ad Thess.

1. ad Thess. 4. 15. quarto: Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Et licet omnes resurgant, non tamen omnes judicabuntur judicio damnationis; ideo dicit.

VERSUS XXIX.

346. *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ*; quia ad hoc resuscitabuntur ut vivant: *Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*, id est, damnationis, hos scilicet judicabit Do-

2. Machab. 7. 14. minus, secundi Machab. septimo: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, ab ipso iterum resuscitandos: tibi enim resurrectio non erit ad vitam, dicitur Antiocho; non ad vitam, sed ad judicium. Primæ ad Cor.

1. ad Cor. 5. 13. quinto: Eos, qui foris sunt, judicabit Deus, qui foris sunt per malam vitam.

Dan. 12. 2. Daniel. duodecimo: Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper.

VERSUS XXX.

347. *Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico, & judicium meum justum est: Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Tangitur hic tertium, scilicet quomodo judicat, quia juste, non Quomodo judicat.
secundum suam voluntatem a voluntate Dei declinando, sicut homines qui pervertunt judicium; ideo dicit: *Non possum ego a meipso facere quidquam*, & ita nec judicare; sed *sicut audio, judico*, id est, sicut a Patre accipio, & ex hoc sequitur, quod juste judicat; ideo dicit: *Et judicium meum justum est*, quia non declinat a regula justitiæ per discordiam voluntatis, & hoc est: *Quia non quæro voluntatem meam* (in judicando scilicet) *sed voluntatem ejus, qui misit me*, id est, Dei Patris, qui justus est; unde Joan. octavo: Qui misit me Jo. 8. 26. & 29.
verax est, & post: Ego quæ placita sunt ei facio semper. Et ideo juste, quia Deut. trigesimo secundo: Deus fidelis, Deut. 32. 4.
& absque ulla iniquitate, justus & rectus. Et Psal. Justus Dominus in om- Ps. 144. 17.
nibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

348. Quæritur hic, secundum quam Quæstio prima, secundum quam naturam data est Filio judicandi potestas.
naturam data est Filio judicandi potestas? Quod secundum humanam naturam videtur per literam: *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Item Augustinus: Potestatem Augustinus in Jo. Evang. c. 5. Tract. 21. n. 11.
judicii dedit ei in carnem mittendo. Sed contra, Deut. trigesimo secundo: Mea est ultio, dicit Dominus, & ad Deut. 32. 35.
Rom. duodecimo: Mihi vindicta, ego Ad Rom. 12. 19.
retribuam; ergo solius Dei est vindicta: ergo si judicium est vindicta, est ergo Filii secundum Divinam naturam. Et hoc ostenditur per literam: *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut & Patrem.* Sed Filius non est honorificandus sicut Pater secundum humanam naturam, sed solum secundum Divinam; ergo &c. Resp. Responsio.
Dicendum, quod potestas judicandi est duplex, scilicet auctoritatis & ministerii (b). Prima est totius Trinitatis, Ministerii vero est Filii sedentis, & apparentis in judicio; & hoc secundum humanam naturam, & de hac hic loquitur (c). Quod ergo objicitur, mihi vindicta &c. non excludit Filium incarnatum, sed hominem purum. Quod objicitur de honorificatione, dicendum quod Persona Filii propter humiliationem incarnationis videbatur descendisse,

(a) Scilicet *judicio damnationis*, de quo mox. Vide infra num. 350.

(b) Sive alia *principalis, & naturalis*, ac *primaria*, alia *collata per gratiam*, & *commissa*, in 4. Dist. 48. art. 1. q. 1. in concl.

(c) Ibi.

se, ideo Pater voluit quod in eadem humanitate, in qua apparebat humilis, judicaret, ut nemo ipsum incarnatum contemneret; sed sicut Patrem timeret tanquam eum, cujus sententia inviolabilis perseverat: Unde judicium per humanitatem facit revereri Divinitatem.

Quæstio secunda, utrum solius Filii sit judicare.

349. Item quæritur, utrum solius Filii sit judicare? Quod sic videtur per literam: *Pater omne judicium dedit Filio*. Et Act. decimo: Ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum & mortuorum. (*Act. 10. 42.*) Et primæ ad Cor. quarto: Qui judicat me Dominus est. (*1. ad Cor. 4. 4.*) Ergo si ipse solus est Dominus noster, ipsius solius est judicare. Contra primæ ad Cor. undecimo: Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur; (*1. ad Cor. 11. 31.*) ergo nostrum est judicare nos. Item quod ad alios pertinet judicare, videtur Matth. decimo nono: Sedebitis (*a*) super sedes duodecim, dictum est Apostolis. (*Matth. 19. 28.*) Item primæ ad Cor. sexto: Nescitis quia Angelos judicabimus? (*1. ad Cor. 6. 3.*) Ad hoc dicendum, quod in judicio est examinatio, est approbatio, est etiam sententiæ latio, seu diffinitio. Primus actus, scilicet examinationis ad omnes pertinet, & ratione hujus dicit Apostolus, quod debent se probare, id est, examinare. Secundus, scilicet approbationis vel reprobationis ad perfectos pertinet, quia ipsi approbabunt & reprobabunt, & approbabuntur boni, & mali reprobabuntur; sed hoc non in præsenti, sed in futuro. Unde Apostolus dicit, tale judicium in præsenti esse ante tempus primæ ad Cor. quarto: Nolite ante tempus judicare. (*1. ad Cor. 4. 5.*) Tertius actus, scilicet diffinitionis est solius Filii, quia ipse sententiam promulgabit. Hoc actu non utitur aliquis, nisi usurpative, & temerarie; unde Dominus prohibet Matth. septimo: Nolite judicare; (*Matth. 7. 1.*) & Apostolus ad Rom. quartodecimo: Tu quis es, qui judicas alienum servum? (*Ad Rom. 14. 4.*) Dico igitur, quod quando dicit, quod *Pater omne judicium dedit Filio*, intelligitur de judicio diffinitionis, non examinationis, vel approbationis (*b*). (*Responsio.*)

Quæstio tertia de judicandis.

350. Item quæritur de judicandis, qui scilicet judicabuntur? Quod mali tantum videtur ex litera: *Quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiet de morte ad vitam*. Et supra tertio: Qui credit in eum non judicatur. (*Jo. 3. 18.*) Contra: secundæ ad Cor. quinto: Omnes astabimus ante tribunal Christi (*c*). (*2. ad Cor. 5. 10.*) Resp. (*Responsio.*) Dicendum, quod judicium diffinitionis uno modo accipitur communiter, & sic comprehendit sententiam salutis & pœnæ, & sic omnes tam boni, quam mali judicabuntur; alio modo accipitur proprie pro damnatione, & sic accipitur hic: *Procedent qui mala egerunt, in resurrectionem judicii*, id est, damnationis (*d*). Similiter Joan. tertio.

Quæstio quarta de modo judicandi.

351. Item quæritur de modo judicandi. Dicit enim: *Sicut audio, judico*; ergo judicat, sicut audit. Contra Isai. undecimo: Non secundum auditum aurium arguet. (*Isa. 11. 3.*) Item dicit, quod non secundum suam *voluntatem*, sed *Dei* (*e*); ergo voluntas sua discordat a voluntate Dei. Respondeo (*Responsio.*) ad primum non judicat secundum auditum exteriorem & relationis; sed secundum interiorem & paternæ illuminationis. Ad secundum dicendum, quod hoc habet duas caussas veritatis, non quæro voluntatem meam singularem. Aut quia habet, sed non quærit solam (*f*). Aut quia Patri contrariam nec habet, nec quærit (*g*). Et in hoc utroque sensu Christus loquitur,

---

(*a*) Vide Comment. in Apocal. cap. 3. num. 246.

(*b*) Exposit. in cap. 3. Sap. „ Est judicium „ auctoritatis, quo judicabit tota Trinitas, di- „ sceptationis, quo solus Christus homo; as- „ sessoriæ dignitatis, quo soli Sancti perfectio- „ res; approbationis, quo omnes boni; compa- „ rationis, quo boni, id est, minus mali: *Viri* „ *Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista,* „ *& condemnabunt eam*. " Item 4. Dist. 47. art. 1. q. 1. 2. & 3. in concl. ac ibi Dist. 48. art. 1. q. 1. in concl. ubi de *judicio assistentiæ*, & *judicis principalis*, *comparationis*, & *approbationis*, *auctoritatis*, *discussionis*, sive *diffinitionis*.

(*c*) Sic in eodem 4. Dist. 47. art. 1. q. 3. in opponendo legit noster Interpres; sed in concl. cum Vulg. *Omnes manifestari oportet*. Ad Rom. 14. ver. 10. ubi allegatur 2. ad Cor. 5. *Omnes stabimus ante tribunal Christi*.

(*d*) Ibidem in eadem concl. sicque Sa.

(*e*) *Judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*, supra v. 30.

(*f*) Sa: *Meam*, scilicet solam; *sed* pro sed etiam.

(*g*) Cornel. a Lap. „ *Non quæro voluntatem* „ *meam*, scilicet solam, aut a Patris voluntate „ diversam, talem enim non habeo; *sed vo-* „ *luntatem ejus qui misit me*. Nam voluntas „ mea Divina, eadem numero est cum volun- „ tate Patris; voluntas autem mea humana „ voluntati Divinæ plane conformis est &c. "

tur, & quod objicitur ſic pariter ſolvitur (*a*).

VERSUS XXXI.

352. *Si ergo teſtimonium perbibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum*. Hæc eſt quarta pars Capituli, in qua determinatur prædictæ confutationis corroboratio (*b*), quæ facta eſt multiplici teſtimonio hoc approbante, quod ſupra Dominus dixerat. Et hæc pars habet duas, quia primo adducitur teſtimoniorum certitudo. Secundo vero Judæorum non credentium reprehenſio, ibi: *Et non vultis venire ad me*. Prima pars habet duas, quia primo Dominus etſi poſſit ſuum teſtimonium adducere, renuit. Secundo aliorum teſtimonia adducit ibi: *Vos miſiſtis &c.* Renuit ergo teſtimonium ſuum, quia ipſi non crederent tanquam incertum; unde dicit: *Si ego teſtimonium perbibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum*, id eſt, non eſt efficax ad credendum; maxime ſi ego ſolus: Unde Joan. octavo: Dixerunt ei Phariſæi: Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum. Nec tamen deſunt mihi teſtimonia vera, unde ſubdit:

Quarta pars Capituli, & prædictæ confutationis corroboratio.

Teſtimoniorum certitudo.

Renuit Dominus teſtimonium ſuum.

Jo. 8. 13.

VERSUS XXXII.

353. *Alius eſt, qui teſtimonium perbibet de me*, ſcilicet Pater, vel etiam Joannes, & de utroque recte intelligigitur, quod ſequitur: *Et ſcio quia verum eſt teſtimonium, quod perbibet de me*; quia tanquam certus teſtificatur. Pater enim mihi verum dat teſtimonium, quia ſicut dicitur Joan. octavo: Qui miſit me verax eſt. Joannes ſimiliter certus eſt; unde ſupra primo dixit Joannes: Ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei. Prov. duodecimo: Qui quod novit loquitur, judex (*c*) juſtitiæ eſt, qui autem mentitur teſtis eſt fraudulentus.

Jo. 8. 26.

Jo. 1. 34.

Prov. 12. 17.

VERSUS XXXIII.

354. *Vos miſiſtis ad Joannem: Et ille (d) teſtimonium perbibuit veritati*. Renuit Dominus teſtimonium ſuum; hic ſecundo adducit teſtimonium alienum. Et quia in ore plurium teſtium eſt teſtimonium firmum; ideo habet pars iſta quatuor partes, ſecundum quatuor teſtimonia, quæ adducit (*e*). Primum eſt Joannis, Secundum Operum, Tertium Divinum, & Quartum Scripturarum. Et diſtinguuntur hæc teſtimonia; quia Primum eſt pronuntiatum, Secundum exhibitum, Tertium inſpiratum, & Quartum ſcriptum. Primo igitur adducit teſtimonium Joannis, quod eis fuerat perhibitum ad eorum petitionem; ideo dicit: *Vos miſiſtis ad Joannem*, non ille ſe ingeſſit, ſed ad veſtram petitionem reſpondit ſupra primo: Et hoc eſt teſtimonium Joannis, quando miſerunt Judæi ad eum &c. *Et ille teſtimonium perbibuit veritati*, tanquam teſtis fidelis. Prov. quartodecimo: Teſtis fidelis non mentietur (*f*); & ne videretur Dominus humanum teſtimonium mendicare, ſubdit:

Adducit alienum.

Primum teſtimonium Joannis Baptiſtæ.

Jo. 1. 19.

Prov. 14. 5.

VERSUS XXXIV.

355. *Ego autem ab bomine teſtimonium non accipio* (*g*), ſupple propter meam indigentiam (*h*) Pſal. Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges; ſed recolo propter ſalutem veſtram. Unde & dicit: *Sed bæc dico, ut vos ſalvi ſitis*, ſcilicet per teſtimonium ejus credendo in me; quia ſicut dicitur Marci ultimo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Et vere ad teſtimonium Joannis credere debuiſſent, unde & ſubdit:

Pſ. 15.

Mar. 16. 16.

VER-

(*a*) Varietas reſponſionis apud Gorran habetur. Porro de *voluntatibus in Chriſto non repugnantibus, ſed conformibus*, idem Interpres conſulendus in 3. Diſt. 17. Art. 1. Q. 3. ac in Breviloq. Par. 4. cap. 8. nec non infra cap. 6. ver. 38. num. 434.

(*b*) De qua ſupra 297.

(*c*) Vulg. *index*; ſed *judex* etiam Cod. Tabular. ſive Biblioth. Epiſcop. Trident. & duo noſtri Codd. Bernardin. 21. ac 40. item Goth. apud Blanchin. nec non Complut. Hugo Card. Lyran. ac pleræque Biblior. antiquæ Editiones.

(*d*) *Ille* in Vulg. deeſt.

(*e*) De his quatuor teſtimoniis etiam Edit. ſub S. Bonav. nomine.

(*f*) Vulg. *mentitur*; ſed *mentietur* quoque prædicti Codd. Bernardin. aliuſque Tabular. ſive Biblioth. Epiſcop. Trident. Hugo Card. Lyran. antiquæ Editiones. Sicque etiam Hebr.

(*g*) Vulg. *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio*; ſed ut ſupra etiam Nicol. Lyranus, favetque d. Edit. ſub S. Bonav. nomine, nec non Dionyſ. Carthuſ.

(*h*) *Non enim ob ſuam indigentiam, vel profectum,*

VERSUS XXXV.

356. *Ille erat lucerna ardens* per gratiam, & *lucens* per doctrinam; vel *ardens* per internam caritatem, *lucens* per exteriorem vitæ honestatem. Bernardus: Ardere tantum parum est, lucere vanum, sed lucere & ardere perfectum. Ideo optime Joannes significatus est per Eliam Ecclesiastici quadragesimo octavo: Surrexit Elias Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat (a). Tali igitur sic perfecte lucenti fides adhibenda erat, quod Judæi non fecerant, unde dicit: *Vos autem voluistis exultare ad horam in luce ejus*, ut scilicet ejus doctrinæ & testimonio tantum *ad horam* crederetis (b), & vitam imitaremini, quemadmodum vidistis. Matth. undecimo: Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Matth. vigesimo primo: Venit ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem, & Meretrices crediderunt ei.

Bernardus Serm. in Nativ. S. Joan. Bapt. n. 3.
Eccli 48. 1.
Matth. 11. 18.
Matth. 21. 32.

VERSUS XXXVI.

357. *Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea: Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Tangitur hic secundum, testimonium scilicet, Operum, quod prædicto majus est. Propterea dicit: *Ego autem habeo testimonium majus Joanne*, quia majus est motivum ad credendum in me. *Opera enim, quæ dedit mihi Pater*, quia ab ipso accepi esse & operari, *ut perficiam ea*, id est, perfecte faciam; quia Dei perfecta sunt opera Deut. trigesimo secundo. *Ipsa opera, quæ ego facio* per virtutem propriam, *testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*, sicut Deus Filium suum, quia ei tanta opera communicavit. Joan. quintodecimo: Si non venissem, & opera in eis non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Istis operibus credendum, quod Pater misit eum. Joan. quartodecimo: Pater in me manens ipse facit opera. Et iterum: Si mihi non creditis, operibus credite.

Secundum testimonium Operum.
Deut. 32. 4.
Jo. 15. 22. ac 24.
Jo. 14. 10.
Jo. 10. 38.

VERSUS XXXVII.

358. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis.* Tangitur hic tertium testimonium, scilicet Divinum, quod & Paternum dicit, propter quod ait: *Et qui misit me Pater* per incarnationem, *testimonium perhibuit de me* per internam inspirationem; quia sicut dicitur Joan. sexto: Nemo venit ad me (c), nisi Pater traxerit eum. Unde voce intellectuali revelat, & testificatur, quem Judæi carnales nec audire poterant, nec ipsum loquentem videre. Ideo dicit: *Neque vocem ejus unquam audistis* per mentis revelationem, sicut Petrus audivit. Matth. sexto decimo: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. *Neque speciem ejus vidistis* per apertam visionem. Exod. trigesimo tertio: Non videbit me homo, & vivet (d); & supra primo: Deum nemo vidit unquam.

Tertium testimonium Patris.
Jo. 6. 44.
Matth. 16. 17.
Exo. 33. 20.
Jo. 1. 18.

VERSUS XXXVIII.

359. *Et verbum ejus non habetis in vobis manens*, scilicet per fidem; unde & ratio subditur: *Quia quem misit ille, huic vos non creditis.* Et ille, quem misit, Verbum est, & in cordibus manet per fidem. Ad Ephes. tertio: Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Isai. nono: Verbum misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israel; non mansit in Jacob, quia sui eum non receperunt.

Ad Ep. 3. 17.
Isa. 9. 8.
Jo. 1. 11.

VERSUS XXXIX.

360. *Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere (e), & illæ*

---

ctum, sed propter nostram salutem voluit Christus testes habere, ut sic crederemus in eum, ait d. Carthus.

(a) Ita plane hunc utrumque textum junxit noster Interpres etiam in Exposit. cap. 1. S. Lucæ.

(b) Sic eorum levitatem ostendit; unde ait Chrysostomus in Evang. Jo. cap. 5. Hom. 39. *quia cito ab eo resilierunt.*

(c) In Vulg. *Nemo potest venire ad me.* Sed *nemo venit ad me* legit etiam noster Interpres in 4. Dist. 17. par. 1. art. 1. q. 2. ac Dist. 43. art. 1. q. 2. Item in 2. Dist. 25. art. 1. q. 5. At infra loc. cit. prout in Vulg.

(d) De hoc textu noster Interpres in 2. Dist. 8. par. 1. Dub. 2. ac Dist. 25. par. 2. art. 1. q. 6. ad 5. & in 3. Dist. 14. art. 1. q. 3. in concl.

(e) Ita quoque paulo aliter a Vulgata legit no-

illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Tangitur hic testimonium quartum, scilicet Scripturarum (*a*), ad quod monet Dominus, & excitat ad diligentiam (*b*) & spiritualem intelligentiam, (*c*) propter quod dicit: *Scrutamini Scripturas*, id est, interiorem intellectum perspicite; quia sicut dicit Apostolus secundæ ad Cor. tertio: Litera occidit, spiritus autem vivificat. Et rationem, quare debent perscrutari, subdit: *In quibus vos putatis vitam æternam habere*, id est, per quas putatis (*d*) cognoscere, quod est vita æterna. (*e*) Sap. quintodecimo: Nosse te consummata justitia est, & scire (*f*) justitiam & virtutem tuam radix est immortalitatis. Has Scripturas dicit Christus sibi testificari, unde & subdit: *Illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*, omnes scilicet Scripturæ veteris Testamenti. Luc. ultimo: Oportet (*g*) impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me, dixit Dominus Jesus. (*h*) Act. decimo octavo dicitur de Apollo, quod vehementer Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas, esse Jesum Christum.

Quartum testimonium Scripturarum.

2. ad Cor. 3. 6.

Sap. 15. 3.

Luc. 24. 44.

Act. 18. 28.

A Per-

noster Interpres Tract. de Stud. Divinar. Literar. §. 9. eodemque modo legitur in Exposit. jam edita sub S. Bonav. nomine; & prædictæ lectioni insuper favet Hugo Card. Codex Corbejen. apud Blanchinium nec non Evangeliar. nostræ Eccl. Trident. ac etiam Codex noster Bernardinian. &c.

(*a*) De prædicto testimonio quadruplici, nimirum Joannis, Operum, Patris, Scripturarum, etiam laud. Dionys. Carthus. qui inter cetera probat, quod *in Libris Moysi & Prophetarum non solum prænuntiatur Christi adventus, & Incarnatio* Verbi; *sed etiam determinatur tempus adventus, locus nativitatis, modus conversationis, & qualitas passionis, sicut & resurrectio, & ascensio Christi illic prænuntiatur.* Sed & ostendit idemmet Interpres noster Eposit. in cap. 24. S. Luc. quod *omnes Scripturæ & Prophetiæ principaliter ad Christum habent respectum.*

(*b*) Chrysost. *Judæos ad Scripturarum non simplicem, & nudam lectionem; sed ad investigationem perquam diligentem relegavit. Non enim dixit: LEGITE; sed SCRUTAMINI SCRIPTURAS.*

(*c*) Hæc *spiritualis intelligentia* est latens Christi thesaurus diligenter quærendus, ac profunde effodiendus; unde ex eodem Chrysostomo inquit Euthymius: *Effodere profundius jubet, ut ea quæ alte in modum thesauri recondita sunt, possint invenire.*

(*d*) Præd. Carthus. „ Propter Judæorum duritiam aptissime dixit Christus: *Quia putatis;* „ id est, inaniter æstimatis: defraudati namque „ estis spe vestra.

(*e*) Notat Estius, quod *quæ & qualis esset vita æterna, non intelligebant*; id quod ait *liquere ex argumento Sadducæorum de muliere septemvira, quod argumentum solvere nequibant.*

(*f*) *Scilicet per fidem formatam*, Exposit. in d. cap. 15. Sap.

(*g*) Vulg. *necesse est*; sed *oportet* quoque Cod. Vercellen. apud Blanchin.

(*h*) *In his autem tribus comprehendit Christus totum vetus Testamentum, quod est quasi tripartitum ad firmitatem testimonii; quia in ore duorum aut trium testium, stabit omne verbum*; ait ipsemet Interpres noster Exposit. in d. cap. ac ver.

- A Divinis Personis
  - *Jo. 3. 37.* A Persona Patris eodem Cap. Et testimonium perhibuit de me, qui misit me Pater.
  - *Jo. 8. 18.* A Persona Filii Joan. octavo: Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso.
  - *Jo. 15. 26.* A Persona Spiritus Sancti Joan. quintodecimo: Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.
  - *1. Jo. 5. 7.* A tota Trinitate simul primæ Joan. ultimo: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.
- A Scripturis
  - *Jo. 5. 39.* A Scriptura Mosayca, & de hac loquitur hic: Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. *Ibi 46.* Et post: De me ille, scilicet Moyses, scripsit.
  - *Christus testimonium habuit. Act. 10. 43.* A Scriptura Prophetica Act. decimo: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.
  - *Jo. 19. 35. ac 21. 24.* A Scriptura Evangelica Joan. decimo nono: Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus, & ultimo: Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his &c.
- A Creaturis
  - *Jo. 1. 51.* A Creatura intellectuali, scilicet Angelo, qui perhibet testimonium obsequendo supra primo: Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.
  - *Jo. 12. 17.* A Creatura rationali, scilicet homine Joan. duodecimo: Testimonium perhibebat illi (*a*) Turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento.
  - *Matth. 21. 19.* A Creatura insensibili obediente Matth. vigesimo primo: Maledixit Ficulneæ, & continuo arefacta est.
- Ab Angelis annuntiantibus
  - *Luc. 2. 10.* Incarnationis adventum Luc. secundo: Annuntio (*b*) vobis gaudium magnum, quod erit omni populo quia natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.
  - *Luc. 24. 4.* Resurrectionis Triumphum Luc. ultimo: Ecce duo viri steterunt juxta (*c*) illas in veste fulgenti.
  - *Act. 1. 10.* Ascensionis regressum Act. primo: Ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis.
- Ab hominibus
  - *Jo. 1. 29. Luc. 2. 27.* Præcedentibus sicut a Joanne supra primo, & Simeone, & Anna Luc. secundo: Venit Simeon in spiritu in Templum &c.
  - *Jo. 15. 27.* Concomitantibus Apostolis Joan. quintodecimo: Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.
  - *Act. 22. 20. nec non Act. 7. 58. ac seq.* Subsequentibus, scilicet Martyribus, qui in ejus testimonium mortui sunt, ut Stephanus Act. vigesimo secundo cum effectu.
- Ab inferioribus obedientibus
  - *Matth. 8. 27.* Venienti Matth. octavo: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?
  - *Luc. 23. 45. Matth. 27. 51. ac seq.* Patienti Luc. penultimo: Obscuratus est sol, & velum templi scissum est medium; & Matth. similiter: Petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.
  - *Matth. 28. 2. Gregor. in Ev. L. 1. Hom. 10. n. 2.* Resurgenti Matth. ultimo: Ecce terræmotus factus est magnus. Gregorius: Terra eo resurgente (*d*) contremuit (*e*).

361.

(*a*) *Illi* in Vulg. deest.

(*b*) Vulg. *evangelizo*; sed *annuntio* habet etiam noster Interpres Comment. in Apocal. cap. 7. num. 467. Apud Hugonem Card. *evangelizo al. annuntio*.

(*c*) Vulg. *secus*; sed *juxta* quoque Hugo Card. apud quem in marg. *al. secus*. Utraque lectio habetur etiam in Exposit. nostri Interpretis ad d. Cap. & text.

(*d*) Edit. Maurin. ibi *moriente*.

(*e*) Digerere hujusmodi schemata D. Bonaventuræ haud insolens.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.

361. Quæritur de hoc quod dicitur: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Contra Numer. vigesimo tertio: Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, ergo si Christus est Deus &c. Item Joan. octavo: Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est; & hic dicit quod non verum. Respondetur ad hoc tripliciter. Prima responsio est faciendo vim in subjecto: Si ego secundum humanam naturam testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum; est tamen verum secundum Divinam. Sed istud non solvit, quia sicut nec secundum Divinam mentitur, ita nec secundum humanam. Propterea respondetur, ut fiat vis in attributo, testimonium meum non est verum, id est, non efficax, nec acceptabitur tanquam verum; tamen verum est, quia verum dico: & sic accipitur infra, ut dicatur verum secundum rem, sed non verum secundum Judæorum acceptionem (a). Aliter respondetur, quod verbum istud intelligendum est præcise, *si ego testimonium perhibeo de meipso*, supple *ego solus* (b), testimonium meum non est efficax; sed si ego cum alio, efficax est, unde dicit infra: *Quia non sum solus* (c). Ideo cum supra se suo testimonio commendasset, suam ostendens virtutem; ad hoc roborandum adducit aliena testimonia (d).

Num. 23. 19. *Jo. 8. 14.* *Falsa responsio rejicitur.* *Vera adducitur, eaque duplex.*

Quæstio secunda de testimonio Operum.

362. Item quæritur de testimonio Operum. *Opera*, inquit, *quæ ego facio, testimonium perhibent de me*; sed eadem opera fecerunt Prophetæ, & miracula eadem Apostoli ipsum sequentes, & majora; ergo si per opera poterat sufficienter cognosci, quod esset Christus, eadem ratione videtur dicendum de quolibet. Resp. Dicendum, quod miracula bonorum & malorum discerni possunt, sicut dicit Augustinus (e). Cognoscere igitur poterant, quod miracula Christi & opera essent boni viri & sancti; sed Christus dicebat se esse Deum: Sed nullus bonus homo manens bonus potest se facere Deo æqualem, immo fur est; ergo si Christum cognoscere poterant sanctum per opera & per verba, quod esset Christus, opera fuerunt sufficiens testimonium, quod Christus diceret verum, ac per hoc quod esset Christus. Similiter de aliis bonis, quod ipsi dicerent verum; sed ipsi non dicebant de se, quod Dii essent, sed de Christo ut Apostoli. Aliter dicitur, quod opera non fuerunt testimonium cogens, sed inducens, & similiter testimonium Joannis & Scripturæ; sed testimonium Patris per revelationem est compellens.

Responsio. *Augustinus L. de diversis QQ. octuag. trib. Q. 79. n. 1. ac 4.*

Quæstio tertia de testimonio Patris.

363. Quæritur de testimonio Patris. Dicit enim, quod *neque vocem ejus audistis, neque speciem vidistis*, dicit Judæis. Contra: Nonne multi aderant, quando Matth. tertio vox de cœlo facta est sensibiliter: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui? Item Deuter. quinto: Vocem ejus audivimus de medio ignis. Item Exod. vigesimo: Vos vidistis quod de cœlo locutus sim vobis. Resp. Dicendum, quod dupliciter loquitur Deus, & dupliciter apparet. Uno modo in se, & per se; & sic loquitur per internam mentis revelationem, modo quodam invisibili, sed tamen quodam modo intelligibili: & sic non loquitur malis. Alio modo per subjectam creaturam; & sic locutus est in legis datione. Hoc secundo modo viderunt in subjecta creatura, & audierunt sensibiliter. Sed primo modo non, & de

Matth. 3. 17. *Deut. 5. 26.* *Exo. 20. 22.* *Responsio.*

(a) Sic inter Recentiores Sa, Estius, Mariana &c.

(b) Ita quoque Tirinus.

(c) Nulla est ergo in præfatis duobus textibus Jo. 5. ibi, & Joan. 8. ibi contradictio „ Quia (ut inquit Petrus Annatus in Apparatu ad Theol. Posit. de Script. Divi. Lib. 2. Art. 13. num. 47.) non sub eodem, sed sub diverso sensu a Christo prolati; nam in priori loquitur de suo testimonio de se ipso prolato: in posteriori vero de suo quidem testimonio, sed non solo, sed sui Patris testimonio firmato. Unde in priori dicit, & gratis quasi permittens: *Testimonium meum non est verum*, id est, firmum & sufficiens vestro judicio; quia testimonium unius, juxta vulgarem hominum sententiam, non est firmum, & a fortiori quando est unius de se ipso testantis. In posteriori vero dicit: *Testimonium meum est verum*; quia non unius tantum, sed duorum, mei scilicet, & Patris mei testimonium perhibentis de me, qui sumus duæ Personæ Divinæ, duoque de mea Divinitate testes, omni exceptione majores.

(d) Hoc modo propter infirmos, & incredulos Sol lucernas quærebat, August. serm. 43. de Verb. Dom.

(e) Apud nostrum Interpretem in 2. Dist. 7. par. 2. art. 2. q. 2. ad arg.

Augustinus. & de hoc loquitur hic (a). Unde Augustinus dicit super hoc: Qui misit me Pater, testimonium perhibuit de me, qui me exterius oculis hominum visibilem exhibuit, & interius corda hominum ad me cognoscendum accendit (b).

Quæstio quarta cum responsione circa sufficientiam & ordinem hujusmodi testimoniorum. 364. Quæri etiam potest de sufficientia & ordine istorum testimoniorum. Et notandum, quod primum testimonium, scilicet Joannis, fuit inducens; secundum, scilicet Operum, promovens; tertium, scilicet Patris, compellens; quartum, scilicet Scripturæ, in veritate stabiliens. Et ex his resultat unum testimonium completum & perfectum, & gradatim ordinantur secundum dictas conditiones.

VERSUS XL.

365 *Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. Posita est testimoniorum certitudo, ponitur Judæorum non credentium reprehensio. Judæorum non credentium reprehensio. Reprehendit autem Dominus Judæos quatuor modis; primo scilicet a defectu amoris divini: secundo a cæcitate amoris falsi, tertio ab appetitu honoris vani: quarto a defectu fidei (c). A defectu amoris Divini. Primo igitur reprehendit eos a defectu amoris divini, cujus signum est, quod ipsi ad eum non veniunt, quem Deus misit, unde dicit: *Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. Ita sufficientia testimonia habeo, tamen ad me venire non vultis, immo odientes fugitis. Joan. octavo:
Jo. 8. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. Nec ipsos arguit, quod non veniant propter gloriam suam, unde dicit:

VERSUS XLI.

366. *Claritatem ab hominibus non accipio*, sed a Patre. Joan. duodecimo:
Jo. 12. 28. Pater clarifica nomen tuum. Ideo vos non arguo propter amorem gloriæ propriæ, sed propter defectum dilectionis divinæ, unde dicit:

VERSUS XLII.

367. *Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis*. Immo magis odium. Joan. quintodecimo: Nunc autem viderunt, & oderunt & me, & Jo. 15. 24.
Patrem meum. Et tales sunt digni reprehensione, quia carent veste nuptiali: Matth. vigesimo secundo: Amice, quomodo huc intrasti, non habens Matth. 22. 12.
vestem nuptialem? (d)

VERSUS XLIII.

368. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis (e) me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Tangitur hic secundum, scilicet cæcitas amoris falsi; qnia non receperunt humilem, A cæcitate amoris falsi.
sed recipient superbum, unde dicit: *Ego veni in nomine Patris mei*, ipsius scilicet gloriam quærens, non meam. Joan. octavo: Ego gloriam meam non Jo. 8. 50.
quæro. *Et non accepistis me*; me scilicet humilem supra primo: In propria ve- Jo. 1. 11.
nit, & sui eum non receperunt. *Si alius venerit in nomine suo*, ut Antichristus, qui quæret gloriam propriam, quia dicitur secundæ ad Thessal. secundo: Extollitur super (f) omne quod 2. ad Thess. 2. 4.
dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat; ostendens se tamquam sit Deus. *Illum accipietis*, justo scilicet Dei judicio excæcati, secundæ ad Thess. secundo: Mittet illos 2. ad Thess. 2. 10.
Deus in operationem (g) erroris, ut credant mendacio. Et ratio hujus est, quia noluerunt credere veritati.

VERSUS XLIV.

369. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis?* Hic ter-

(a) Similiter 2. Dist. 10, Art. 3. Q. 2. in concl.
(b) Similia quoad sensum lego apud S. Augustinum de Trin. Lib. 4. cap. 19. num, 26. ac cap. 20. num. 28.
(c) Sic in Exposit. sub, S. Bonav. nomine.
(d) S. Greg. in Evang. Lib. 2. Hom. 38. num. 9.
(e) Vulg. *Non accipitis*; sed *non accepistis* in eadem Exposit. sub S. Bonav. nomine, nec non in Codice nostro Bernardiniano. Item in Codd. Vercellen. & Veronen. ac nostro Bernardin. antiquioribusque Editionibus sacror. Biblior. nec non apud S. Tho. Hugonem Card. Nic. Lyran. Dionys. Carthus. &c. Evangeliar. autem nostræ Eccl. Trident. *non recepistis*.
(f) Vulg. *supra*; sed *super* quoque S. Greg. Moral. Lib. 29. cap. 8. num. 18.
(g) Sic etiam Cod. noster Bernardin. 40.; sed Vulg. *mittit illis Deus operationem erroris*.

Ab appetitu honoris vani. tertio reprehendit eos ab appetitu honoris vani, ratione cujus erant inhabiles ad credendum in veritatem; quia quærebant vanitatem, propter quod dicit: *Quomodo vos poteſtis credere*, ſcilicet veritati, *qui gloriam ab invicem accipitis*, adhærendo vanitati? Gloria enim humana vana eſt. Iſai. quadrageſimo:
Iſa. 40. 6. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni (*a*); & ex appetitu vanitatis redditur ratio inhabilis ad fidem veritatis. Unde in Pſal.
Pſ. 4. 3. Filii hominum uſquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Sic quæritis gloriam falſam, *& gloriam, quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis*, gloriam ſcilicet veram.
Pſ. 83. 12. Hæc a ſolo Deo eſt. Pſal. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Propterea di-
2. ad Cor. 10. 17. ac ſeq. citur ſecundæ ad Cor. decimo: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.

VERSUS XLV.

370. *Nolite putare, quod ego* (*b*) *accuſaturus ſim vos apud Patrem. Eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo* (*c*) *ſperatis*. Tangitur hic quartum, ſcilicet defectus
A defectu fidei. Fidei in Judæis, non tantum ad credendum Chriſto, verum etiam Moyſi; propter quod non tantum accuſabuntur a Chriſto, ſed a Moyſe. Propterea dicitur: *Nolite putare, quod ego accuſaturus ſim vos apud Patrem*; quia non veni accuſare, ſed condonare. Unde & ipſe eſt propitiator, non accuſator.
1. Jo. 2. 2. Primæ Joan. ſecundo: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Nec tamen carent accuſatore, ideo dicit: *Eſt alius qui accuſat vos Moyſes, in quo ſperatis*, tanquam ejus diſcipuli. Joan. nono: Nos Moyſi di- Jo. 9. 28. ac ſeq.
ſcipuli ſumus, nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus. Ille vos accuſat, quia ſcilicet ei non creditis. Unde dicit:

VERSUS XLVI.

371. *Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, forſitan* nota eſt liberta- Forſitan quæ nota.
tis & naturæ & meriti (*d*). *De me enim ille ſcripſit*. Deut. decimo octavo: Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deut. 18. 15. & Act. 7. 37.
Deus veſter de fratribus veſtris, tamquam me, ipſum audietis (*e*). Et ille vos accuſabit, quia in eum non creditis. Unde dicit:

VERSUS XLVII.

372. *Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Quaſi dicat non. Luc. ſextodecimo: Si Moy- Luc. 16. 31.
ſen, & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent (*f*).

373. Quæritur de hoc quod dicitur: Quæſtio prima de hoc quod dicitur: Claritatem ab hominibus non accipio.
Claritatem ab hominibus non accipio. Quia Joan. ultimo dicitur de Petro ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum. Homines igitur clarificant Jo. 21. 19.
Deum. Item ad Philip. primo: Nunc Ad Philip. 1. 20.
magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per mortem, ſive per vitam.
Reſp. dicendum, quod differt dicere, Reſponſio.
clarificari in homine, & per hominem, & ab homine. Clarificari in homine, & per hominem, eſt in illo, & per illum aliis propalari. Clarificari ab homine eſt gloriam aliquam ab homine ſibi dari & augeri. Primis duobus modis eſt verum; ſed tertio falſum.

(*a*) Vulg. *flos agri*; ſed *flos fœni* S. Ambroſ. Hexam. Lib. 3. cap. 7. num. 29. S. Gregor. Moral. Lib. 7. cap. 30. num. 45. ac alibi quoque, Beda in Hom. Æſtiv. de Temp. Dom. 6. poſt Trinit. Marc. 8. Matth. 15. S. Bernardus ſuper Miſſus eſt Hom. 1. num. 4. Inſuper eadem lectio, ſcilicet *flos fœni*, habetur quoque Tom. 8. Concil. omn. Collect. Labbean. col. 1493. ſervaturque etiam in Expoſit. Evang. S. Jo. jam edita ſub S. Bona. nomine Cap. 5. verſus finem. Item *tanquam flos fœni* eſt 1. Petri 1. 24.

(*b*) Vulg. *quia ego*; ſed *quod ego* pariter Cod. Vercellen. apud Blanchin.

(*c*) Vulg. heic interſerit *vos*; ſed *vos* itidem omittit d. Cod. Vercellen. præfataque Edit. ſub S. Bona. nomine, ac etiam Cod. Tabular. ſive Biblioth. Epiſcopal. Trident.

(*d*) Modo d. Edit.: *Hoc ait ob libertatem, vel facultatem liberi arbitrii eorum ſicut: Forte verebuntur filium meum*. Vide ſupra Cap. 4. ver. 10. num. 227. Item *forſitam* ſtat pro *utique* apud Sa, Eſtium, Menochium &c.

(*e*) Sic S. Gregor. in Ezech. Lib. 1. Hom. 1. num. 2 Vulg. vero: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies*; ſicque etiam S. Bona. Expoſit. in Cap. 7. S. Luc.

(*f*) Simili modo in Expoſit. cap. 16. S. Lucæ ad finem, ubi ſic ait „ Ratio hujus conſequen-
„ tiæ

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: Ego non accusabo vos apud Patrem.

374. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Ego non accusabo vos apud Patrem*. Contra: Christus est justus, & non potest non esse justus; ergo sicut ejus est laudare bonos, ita etiam accusare malos. Item Jerem. vigesimo nono: Ego sum judex & testis; ergo si veri testis est accusare malos &c. Resp. dicendum, quod Christus quantum in se est morte sua se obtulit; & quia pro omnibus, ideo quantum est de se, neminem accusat. Unde Glossa dicit: Sanguis Christi neminem accusat, sed clamat veniam (*a*); sanguis Abel vindictam (*b*), doctrina Moysi vindictam. Unde intelligendum, quod ipse ex se non accusat, sed ex caussa nostra. Vel dicendum, quod non primo & principaliter accusat; sed magis principaliter Moyses, cui non credunt prædicenti Christum. (*c*)

Jer. 29. 23. — *Responsio.* — *Glossa interlin. in cap. 12. Epist. ad Hebr.*

Quæstio tertia de argumento Christi: Si non creditis literis Moysi, quomodo verbis meis credetis? Responsio.

375. Item quæritur de argumento Domini: *Si non creditis literis Moysi, quomodo verbis meis credetis?* Videtur esse locus a minori ad majus. Negando respondeo; nam etsi sit minus simpliciter, non tamen Judæis est minus, sed majus (*d*).

C A-

„ tiæ est, quia qui non credit testimonio magis credibili, nec etiam minus credibili .... „ Et hoc est, quia tales recusaverunt testimonium Legis, & Prophetarum: *Si crederitis Moysi, crederetis forsitam & mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?*

(*a*) Sic d. Exposit. sub S. Bonav. nomine, ubi inquit „ Quantum est ex parte sua, & ex intentione sua, in primo adventu ipse venit „ salvare, non judicare; condonare, non condemnare. Unde Glossa: Sanguis Christi neminem accusat, sed clamat veniam. Increduli tamen & impænitentes ex malitia eorum, „ sicut ex causa sua, merito accusabuntur a „ Filio &c.

(*b*) Vide S. Gregor. L. 13. Moral. cap. 23. num. 26. ubi loquitur in hæc verba „ Sanguis „ Abel mortem fratricidæ fratris petiit; sanguis „ autem Domini vitam persequentibus impetravit. "

(*c*) Tam in Levitico, quam in toto Pentateucho. Nam omnes ejus cœremoniæ, & historiæ fere Christum præfigurarunt. Ita S. Chrysost. & Cyrillus. Item ipsemet Interpres noster Exposit. in cap. 24. S. Luc. „ Maxime „ in lege per figuras .... Scriptum in lege, in „ promissione Abrahæ: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Et: *Ipse erit expectatio gentium*. ": Gen. c. 22. 18. & c. 44. 10. „ Vid. quoque Deut. c. 18. 15. & supra num. 371.

(*d*) Est enim argumentum ad hominem contra Judæos sic: Si vos literis de me scriptis a Moyse, summo in honore habito, fidem adhibere renuitis; multo minus mihi, quem vos flocci nihilique facitis, credetis. Sic etiam in Exposit. jam edita sub S. Bonav. nomine. Pariterque Cornelius a Lapide &c.

CAPUT SEXTUM.

1. POST hæc abiit Jeſus trans mare Galilææ, quod
eſt Tiberiadis. 2. Et ſequebatur eum multi-
tudo magna, quia videbant ſigna, quæ facie-
bat ſuper his, qui infirmabantur. 3. Subiit
ergo in montem Jeſus: & ibi ſedebat cum
diſcipulis ſuis. 4. Erat autem proximum Pa-
ſcha dies feſtus Judæorum. 5. Cum ſublevaſſet
ergo oculos Jeſus, & vidiſſet quia multitudo
maxima venit ad eum, dixit ad Philippum:
Unde ememus panes, ut manducent hi? 6. Hoc autem dicebat ten-
tans eum: Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. 7. Reſpondit ei
Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſ-
quiſque modicum quid accipiat. 8. Dicit ei unus ex diſcipulis ejus,
Andreas frater Simonis Petri: 9. Eſt puer unus hic, qui habet quin-
que panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?
10. Dixit ergo Jeſus: Facite homines diſcumbere. Erat autem fæ-
num multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quinque
millia. 11. Accepit ergo Jeſus panes: & cum gratias egiſſet, diſtri-
buit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant. 12. Ut
autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperaverunt
fragmenta, ne pereant. 13. Collegerunt ergo, & impleverunt duode-
cim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſu-
perfuerunt his, qui manducaverant. 14. Illi ergo homines cum vi-
diſſent quod Jeſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt vere pro-
pheta, qui venturus eſt in mundum. 15. Jeſus ergo cum cognoviſſet,
quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit
iterum in montem ipſe ſolus. 16. Ut autem ſero factum eſt, deſcen-
derunt diſcipuli ejus ad mare. 17. Et cum aſcendiſſent navim, ve-
nerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant: &
non venerat ad eos Jeſus. 18. Mare autem, vento magno flante,
exurgebat. 19. Cum remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque aut
triginta, vident Jeſum ambulantem ſupra mare, & proximum navi
fieri, & timuerunt. 20. Ille autem dicit eis: Ego ſum, nolite time-
re. 21. Voluerunt ergo accipere eum in navim: & ſtatim navis fuit
ad terram, in quam ibant. 22. Altera die, turba, quæ ſtabat trans
mare

mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, & quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent: 23. Aliæ vero supervenerunt naves a Tiberiade juxta locum, ubi manducaverant panem, gratias agentes Domino. 24. Cum ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jesum. 25. Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? 26. Respondit eis Jesus, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. 27. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus. 28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? 29. Respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. 30. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum ut videamus, & credamus tibi? quid operaris? 31. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare. 32. Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. 33. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. 34. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc. 35. Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet umquam. 36. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis. 37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras: 38. Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. 39. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. 40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: Ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. 41. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. 42. Et dicebant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo descendi? 43. Respondit ergo Jesus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem: 44. Nemo potest venire ad me: nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in novissimo die. 45. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. 46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem. 47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam. 48. Ego sum panis vitæ. 49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. 50. Hic est panis de cœlo descendens: Ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. 51. Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. 52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. 53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 54. Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manduca-

ducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non ha-
bebitis vitam in vobis. 55. Qui manducat meam carnem, & bibit
meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in
noviſſimo die. 56. Caro enim mea, vere eſt cibus: & ſanguis meus,
vere eſt potus: 57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum
ſanguinem, in me manet, & ego in illo. 58. Sicut miſit me vivens
Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vi-
vet propter me. 59. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſi-
cut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui mandu-
cat hunc panem, vivet in æternum. 60. Hæc dixit in Synagoga do-
cens, in Capharnaum. 61. Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus,
dixerunt: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? 62. Sciens
autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc diſcipuli ejus,
dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? 63. Si ergo videritis Filium homi-
nis aſcendentem ubi erat prius? 64. Spiritus eſt, qui vivificat: caro
non prodeſt quidquam: verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus
& vita ſunt. 65. Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Scie-
bat enim ab initio Jeſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus
eſſet eum. 66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt
venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo. 67. Ex hoc multi
diſcipulorum ejus abierunt retro: & jam non cum illo ambulabant.
68. Dixit ergo Jeſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?
69. Reſpondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? ver-
ba vitæ æternæ habes. 70. Et nos credidimus, & cognovimus, quia
tu es Chriſtus Filius Dei. 71. Reſpondit ei Jeſus: Nonne ego vos
duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus eſt? 72. Dicebat autem
Judam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cum eſſet
unus ex duodecim.

EX-

EXPOSITIO,

VERSUS PRIMUS.

376.

Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. In præcedenti Capitulo ostendit se Dominus curatorem, in hac parte ostendit se conservatorem. Et quia ipse est conservator corporum & spirituum, & per visibilia pervenitur ad invisibilia (a); ideo primo ostendit se conservatorem corporum: Secundo vero spirituum, & incipit secunda pars ibi: *Altera die turba*. Conservatorem igitur corporum se ostendit mirabiliter reficiendo corporaliter, quæ mirabilis refectio describitur quantum ad tria. Primo quantum ad antecedentia, secundo quantum ad concomitantia ibi: *Dicit ergo Jesus: Facite &c.* tertio quantum ad consequentia (b), ibi: *Illi autem homines cum vidissent &c.* Antecedentia autem, quæ fuerunt caussa & origo faciendi miraculum, sunt quatuor. Primum superveniens multitudo, secundum vero loci & temporis aptitudo, tertium defectus pretii ad ciborum emptionem, quartum insufficientia cibi ad multitudinis refectionem.

Descriptio mirabilis refectionis hujus quantum ad tria.

Antecedentia quatuor.

377. Prima ergo occasio faciendi miraculum fuit superveniens multitudo, quæ secuta est Christum extra patriam suam ad videnda ejus miracula; propter hoc dicitur: *Post hæc (c) abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.* Mare *Galilææ* dicitur a regione, *Tiberiadis* a Civitate (d).

Superveniens multitudo.

VERSUS SECUNDUS.

378. *Et sequebatur eum multitudo magna*; & ratio hujus subditur: *Quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur.* Propter hæc signa videnda sequebantur Christum, quia dicitur primæ ad Cor. primo: Judæi signa petunt. Et cum vident signa, magnificant Deum. Luc. quinto: Repleti sunt timore (& ecstasi) dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. Propter hæc signa attrahuntur Judæi, & etiam confirmantur. Exod. quarto decimo: State, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie.

1. ad Cor. 1. 22.

Luc. 5. 26.

Exo. 14. 13.

VERSUS TERTIUS.

379. *Abiit (e) ergo in montem Jesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.* Notatur hic secunda occasio, scilicet loci & temporis aptitudo. Locus aptus erat ad miraculum, quia desertus erat, in quo erat refectionis defectus, ideo dicit: *Abiit ergo in montem Jesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.* Locum, quem Joannes vocat montem propter altitudinem (f), vocat Matthæus desertum propter solitudinem. Matth. quarto decimo: Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum. Et iste locus ad faciendum miracula erat aptus; quia non erat ibi cibus. Unde dicitur Matth. eod. quarto decimo, quod dixerunt discipuli Domino: Desertus est locus, & hora jam præteriit, dimitte turbas, ut euntes in Castella, emant sibi escas. Erat etiam aptitudo temporis, quia Pascha. Unde dicitur:

Loci & temporis aptitudo.

Matth. 14. 13

Matth. 14. 15.

VER-

(a) De Eccl. Hierarch. Par. 1. Cap. 1. ab init.

(b) Similiter differit Auctor noster par. 7. Breviloq. cap. 2. ac seqq. *de antecedentibus, concomitantibus, consequentibus ad judicium.*

(c) *Non statim, sed post unum fere annum*, ut probat Cornel. a Lapide.

(d) Nanque secundum eumdem Cornel. *juxta erat desertum, in quo Christus quinque panibus pavit* 5000. Vide infra num. 414.

(e) Vulg. *Subiit*; sed *Abiit* Aug. & noster Cod. Bernardinian. nec non Cod. Vercellen. Hug. Card. *Subiit, al. abiit.*

(f) Propter hanc Evangeliar. pervetustum Eccl. nostræ Trident. *ascendit itaque in montem &c.* Unde & quadrat verbum *subiit*, prout usurpatur pro *scandere, ascendere.*

VERSUS QUARTUS.

380. *Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum*, in hoc Dominus fecerat miracula, & illa debebat nunc renovare, quia novum Pascha debebat facere. Notandum, ut dicit Chrysostomus, quod a Paschate incarcerationis Joannis usque ad hoc fluxerat annus unus, licet Evangelista pauca narret de hoc, quod alii narraverunt. (*a*)

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 6. Hom. 41.

VERSUS QUINTUS.

381. *Cum sublevasset ergo oculos Jesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?* Notatur hic tertia occasio, scilicet defectus pretii ad emendum cibos, unde reficiatur tanta multitudo; & ad hunc defectum manifestandum quærit Dominus a Philippo de pretio. Propterea dicitur: *Cum sublevasset ergo oculos Jesus* per misericordiæ benignitatem; quia sicut dicitur in Psal. Oculi Domini super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus: *Et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum* propter devotionem; unde dicitur Matth. quarto decimo, quod secutæ sunt eum turbæ pedestres de Civitatibus. *Dixit ad Philippum* per providentiæ circumspectionem, primæ Petri ultimo: Ipsi cura est de vobis. *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Ad corporum refectionem, quasi dicat: Numquid habemus sufficiens pretium ad emendum? Nec ipse argento indigebat. Isai. quinquagesimo quinto: Venite, emite absque argento. Hoc non quærebat, quia dubitaret, sed ut Philippum probaret. Unde dicitur:

Defectus pretii ad ciborum emptionem. — *Ps. 32. 18.* — *Matth. 14. 13.* — *1. Pet. 5. 7.* — *Isa. 55. 1.*

VERSUS SEXTUS.

382. *Hoc autem dicebat tentans eum*, non dubitans; *ipse enim sciebat quid esset facturus*. Ideo dixit, ut probaret, & probando ostenderet; quod pretium deficeret; ideo sequitur responsio Philippi.

VERSUS SEPTIMUS.

383. *Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat;* & ita magnum pretium est necessarium, & ipsi pauperes erant, & non habebant etiam parvum: omnia enim reliquerant secundum quod dixerat Petrus Matth. decimo nono: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te &c. & Act. tertio: Argentum & aurum non est mihi (*b*).

Matth. 19. 27. — *Act. 3. 6.*

VERSUS OCTAVUS.

384. *Dicit ei unus ex Discipulis ejus, Andreas Frater Simonis Petri.* Notatur hic quarta occasio, scilicet insufficientia cibi ad tantæ multitudinis refectionem. Cum enim essent quinque millia, non habebant panes nisi quinque, & hoc notatur in responsione Andreæ. Propterea ait: *Dicit ei unus ex Discipulis ejus, Andreas Frater Simonis Petri*, Domino scilicet a Philippo quærenti de turbarum refectione:

Insufficientia cibi ad tantæ multitudinis refectionem.

VERSUS NONUS.

385. *Est hic puer unus* (*c*), *qui habet quinque panes bordeaceos & duos pisces* (*d*), tot, inquit, panes habemus, sed non sufficiunt, ideo dicit: *Sed hæc quid sunt inter tantos?* In quo notatur mira inopia Domini & Discipulorum, quod paucos panes habebant & viles, unde & frequenter cum Domino passi sunt famem. Matth. duodecimo: Abiit Jesus per sata sabbato: discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare (*e*).

Matth. 12. 1.

386. Moraliter panes quinque, quos habet puer, sunt quinque refectionis affectus, quæ ortum habent ex quinque considerationibus intellectus. Ex con-

Moralis expositio de pane quintuplici, quo anima hominis reficitur.

(*a*) Vid. supra n. 377. not. c. ac Marian.

(*b*) Sic contone ad ea, quæ disserit *de paupertate Christi*.

(*c*) Vul. *Est puer unus hic*; sed *est hic puer unus* etiam Edit. sub S. Bon. nomine. *Est hic puer* absque *unus* in Codd. Veronen. & Trident.

(*d*) De hac priori *quinque panum, & duorum piscium* multiplicatione etiam Matth. 14. 17. de posteriori vero *septem panum, & paucorum pisciculorum*, idem Matth. 17. 34. ubi variatur numerus nedum panum, sed & hominum, ne unum videretur utrobique miraculum, sed duo.

(*e*) Hæc quoque apprime cohærent iis, quæ tradit Interpres *de paupertate Christi*, quæve repetit in *Apologia pauperum &c.*

consideratione proprii peccati conficitur panis compunctionis, de quo in Psal. [*Ps. 79. 6.*] Cibabis nos pane lacrymarum &c. Iste est panis, de quo Judic. septimo: [*Judic. 7. 13.*] Videbatur mihi quasi panis subcinericius ex hordeo. Ex consideratione Passionis Christi panis afflictionis, Deut. sexto decimo: [*Deut. 16. 3.*] Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto, ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto &c. [*Thren. 3. 19.*] Thren. tertio: Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthii, & fellis (*a*). Ex consideratione defectus Fratrum panis compassionis. [*Eccle 11. 1.*] Ecclesiastes undecimo: Mitte panem super transeuntes aquas, aquas scilicet tribulationis (*b*). Sine hoc nullus debet refici [*Isa. 4. 1.*] Isa. quarto: Panem nostrum comedemus. Ex consideratione supplicii æterni [*Tob. 2. 5.*] panis tremoris. Tob. secundo: Manducavit panem cum luctu & tremore, memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos prophetam: [*Amos 8. 10.*] Dies festi vestri convertentur in lamentationem & luctum. Ex consideratione dilationis præmii panis devotionis, [*Ps. 41. 4.*] qui est in perfectis. Psal. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus &c.?

[Quæstio prima de contrarietate literæ.] 387. Incidit hic quæstio de contrarietate literæ. Quia dicitur Matth. quarto [*Matth. 14. 15.*] decimo, quod Discipuli accesserunt ad Dominum, & dixerunt ei, quod turbas dimitteret: & dicitur similiter Matth. eodem, quod Dominus respondit Di- [*Ibi 16.*] scipulis, non habent necesse ire; hic dicitur, quod petiit a Philippo consilium eos reficiendi. Item objicitur, quia dicitur quod Philippus dicit: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt &c.* Marc. sexto dicitur, quod Discipuli di- [*Mar. 6. 37.*] xerunt: Euntes emamus ducentis denariis (*c*) panes, & dabimus illis manducare. [Responsio. *Augustinus l. 2. de consens. Evangelist. c. 46. n. 96.*] Respondeo secundum Augustinum, quod contrarietas solvitur ex hoc, quod frequenter unus dicit, quod alter omittit (*d*). Et intelligendum est, quod Discipuli primo iverunt ad Dominum, & post Dominus inspexit turbas, & allocutus est Philippum: & tunc Philippus respondit, & alius Evangelista responsionem Philippi attribuit aliis, ut Marcus, per Synecdochen. Et deinde Dominus quæsivit quot panes haberent? [*Mar. 6. 38.*] Et hoc Joannes omittit; & respondit Andreas, quod quinque, & hoc Joannes dicit de Andrea specialiter. Alii attribuunt pluribus, quia in persona plurium loquebatur (*e*).

[Quæstio secunda de ratione literæ.] 388. Est etiam quæstio de ratione literæ. Cum Philippus non esset dispensator, sed Judas, videtur quod Dominus debuisset a Juda quærere, non a Philippo. [Responsio. *Augustinus in Jo. Evang. c. 6. Hom. 14.*] Respondet Chrysostomus, quod illa quæstio fuit ad probandum & instruendum; & quia Philippus magis indigebat doctrina, sicut patet Joan. quarto decimo, quando quæsivit: [*Jo. 14. 8.*] Ostende nobis Patrem, ideo ab ipso magis quæsivit. [Alia responsio.] Aliter potest dici, quod Philippus erat circa illam patriam oriundus, unde & turbis notus erat, & ideo de ipsis magis sollicitus; & ideo credendum, quod ipse primo Dominum de turbis sollicitavit, & post Dominus ab ipso quæsivit.

[Quæstio tertia de veritate literæ.] 389. Est etiam quæstio de veritate literæ, quia dicitur hic: *Hoc autem dixit tentans eum*. Contra: Jac. primo: [*Jac. 1. 13.*] Deus neminem tentat. Item ibidem: Deus intentator malorum est. Item tentatio est via in peccatum; sed Dominus neminem ad peccatum inclinat. Si dicas quod tentat, non ad malum inclinando, sed probando, juxta illud Psal. [*Ps. 25. 2.*] Proba me Domine, & tenta me. Sed contra, ejus est probare vel experimentum sumere, qui hominem non cognoscit; ergo

---

(*a*) Exposit. in Lam. Jer. Proph. ad hunc textum, ubi pariter de Christo intelligitur, ejusque passione.

(*b*) Exposit. in Ecclesiasten ad hunc textum, ubi per hujusmodi *aquas* similiter intelliguntur *pauperes & afflicti, qui per tribulationes transeunt ad requiem*; idque ad excitandam erga eos compassionem. Unde subdit idem Interpres, quod *talibus est eleemosyna facienda*.

(*c*) Quare ergo dictum supra num. 383. quod *non habebant etiam parvum?* Sed id intelligendum de propriis, heic autem de *ducentis denariis* aliorum, de quibus Marci eodem 36. *Dimitte illos, ut euntes in proximas villas, & vicos, emant tibi cibos, quos manducent.*

(*d*) Sic etiam ex eodem Augustino ibi in Exposit. jam edita sub S. Bonaventuræ nomine.

(*e*) Idem Interpres Exposit. in cap. 9. S. Lucæ „ Andreas (respondit) in persona omnium, „ sicut dicit Joannes; vel ipse prius, & post „ alii, & sic non est contrarietas " Et post „ pauca „ Quidam de discipulis dixerunt uno „ modo, quidam alio, & Joannes exprimit „ unum, Marcus alium; Lucas vero in prædicto sermone includit utrumque, quod patet „ ex ipsa sermonis varia prolatione. "

ergo si Dominus eum cognoscit, non tentat, nec probat. Resp. Dicendum, quod est tentatio ad malum inclinans; & hæc est a carne, mundo, Diabolo, non a Deo. Et est tentatio probans (a); & hæc potest esse tripliciter: aut ut innotescat probanti, aut ut innotescat aliis, aut ut probatus innotescat sibi ipsi. Primo modo non tentat Deus, sed homo. Ecclesiastici tertiodecimo: Ex multis loquelis (b) tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis. Secundo modo tentat Deus virum perfectum ad exemplum. Gen. vigesimo secundo: Tentavit Deus Abraham. Tertio tentat imperfectum ad humilitatis meritum; quia homo humiliatur, dum sibi ejus infirmitas innotescit. Psal. vigesimo quinto: Proba me Domine, & tenta me (c).

Responsio.

Tentatio probans esse potest tripliciter.

Eccli 13. 14.

Gen. 22. 1.

Ps. 25. 2.

VERSUS DECIMUS.

390. *Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.* Postquam determinata sunt antecedentia ad mirabilem refectionem, hic notantur concomitantia, quæ sunt tria. Primum sessio discumbentium, secundum multiplicatio panum, tertium collectio fragmentorum. Primo igitur notatur sessio discumbentium ad Christi imperium, unde ait: *Dixit ergo Jesus*, scilicet Discipulis: *Facite homines discumbere*, hoc est, ut comedant, residere; discumbere enim vel recumbere est proprie comedentium, unde Luc. quarto decimo: Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe &c. Et locus ad recumbendum erat aptus, ideo dicitur: *Erat autem fœnum multum in loco.* Et in illo loco convenienti fecerunt Discipuli eos recumbere, ideo dicitur: *Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia*, *quasi* dictum est, quia forte aliquis deerat vel supererat; sed quia Scriptura non facit vim in talibus minutiis (d); alii dicunt quod erant quinque millia. Matth. quarto decimo: Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum; exceptis parvulis & mulieribus (e).

Concomitantia tria.

Sessio discumbentium.

Luc. 14. 10.

Matth. 14. 21.

VERSUS XI.

391. *Accepit ergo Jesus panes: Et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: Similiter & ex piscibus quantum volebant.* Tangitur hic secundum, scilicet multiplicatio panum, quæ impetrata est in gratiarum actione, & consummata in panum distributione, ideo dicitur: *Accepit ergo Jesus panes* ad multiplicandum; manus enim Domini potestativa est: unde Numer. undecimo dixit Dominus Moysi: Numquid invalida est manus Domini? Jam nunc videbis, utrum sermo meus opere compleatur. *Et cum gratias egisset*, ad sanctificandum, primæ ad Tim. quarto: Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. *Distribuit discumbentibus*, scilicet ad comedendum, per Apostolos, ut scilicet diversis darent secundum suam voluntatem. Esth. primo: Rex statuerat præponens mensis singulos de Principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet. *Similiter ex piscibus quantum volebant*, id est, usque ad saturitatem. Exod. sextodecimo: Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus.

Multiplicatio panum.

Num. 11. 23.

1. ad Tim. 4. 4. ac seq.

Esth. 1. 8.

Exo. 16. 12.

VERSUS XII.

392. *Ut autem impleti sunt, dixit Discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.* Tangitur hic tertium, scilicet collectio fragmentorum, ne scilicet perirent; propter quod dicitur: *Ut autem impleti sunt*, id est, saturati, *dixit Discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant;* quia enim panis in usum hominum factus est, tunc fragmenta pereunt, quando in usum hominum non assumuntur. Psal. Panis cor hominis confirmet. Et Discipuli Domini imperium exequuntur, unde dicitur:

Collectio fragmentorum.

Ps. 103. 15.

(a) De *tentatione probationis* noster Interpres Exposit. in cap. 6. S. Matth. Orat. Dom. ac prima part. Centiloq. sect. 2. Item in 2. Dist. 21. art. 2. q. 1. in concl.

(b) In Vulg. *ex multa loquela*, sed in 2. ibi *ex multis loquelis*.

(c) Præfato secundo ac tertio modo *tentat Deus, ut erudiat*, in Centiloq. ibi.

(d) Sic. Comm. in c. 11. Apoc. n. 737.

(e) In prædicta Exposit. in cap. 9. S. Lucæ.

VERSUS XIII.

393. *Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos*, ecce mensura & plena mensura. Chrysostomus: Ego multiplicationem panum non solum admiror, sed certitudinem ejus, quod superfluit, & quod pares erant cophini numero Apostolorum, in quo doctrina Apostolorum per totum orbem erat distribuenda ex reliquiis doctrinæ Christi. *Collegerunt*, inquam, *& impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus bordeaceis & duobus piscibus* (*a*), *quæ superfuerunt his, qui manducaverant*. Has reliquias fecit colligi, ut abundantia appareret (*b*). Unde in Psal. In reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Chrysostomus cit. Hom. 41. — *Ps. 20. 13.*

394. Allegorice Puer unus habebat quinque panes hordeaceos, & duos pisces, qui in duodecim cophinos reliquiarum sunt multiplicati. Puer iste est Moyses Lator Legis, qui puer dicitur, quia famulus, ad Hebr. tertio: Moyses in omni domo ejus fidelissimus (*c*), tanquam famulus. Panis est eruditio verbi, Deut. octavo: Non in solo pane vivit homo, sed ex omni verbo, quod procedit ab ore Dei (*d*). Quinque igitur panes hordeacei sunt quinque verba, de quibus Apostolus primæ ad Cor. quarto decimo: Volo loqui quinque verba sensu meo &c. Hieronymus: Quinque verba sunt quinque libri Moysi, de quibus Apostolus loquitur (*e*). Isti panes multiplicantur, dum multiplex eorum intelligentia aperitur a Domino. Luc. ultimo: Incipiens a Moyse, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Ex horum multiplicatione remanent duodecim cophini fragmentorum, id est, doctrina duodecim Apostolorum (*f*), qui sunt dispersi per orbem, juxta illud Psal. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et Marci ultimo: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.

Allegorica de quinque panibus hordeaceis interpretatio. — *Ad Heb. 3. 2.* — *Deut. 8. 3. ac Matth. 4. 4. & Luc. 4. 4.* — *1. ad Cor. 14. 19.* — *Hieronymus Epist. 53. alias 103. ad Paulin. n. 8.* — *Luc. 24. 27.* — *Ps. 18. 5.* — *Mar. 16. 15.*

395. Quæritur de multiplicatione panum. Si enim Dominus suam omnipotentiam manifestare volebat, & majoris potentiæ est panes creare, quam multiplicare; quia illud ex nihilo est, hoc ex aliquo, & æque facile erat Domino utrumque: ergo &c. Resp. Dicendum, quod utrumque est potentiæ infinitæ, tam multiplicatio ex tam parva materia in tantam quantitatem, quia hoc erat potentiæ infinitæ; quam creatio. Magis tamen multiplicavit, quam creavit, ut ora Hæreticorum concluderet, qui dicunt: Hæc visibilia ad Dominum tenebrarum, non ad Dominum lucis pertinere (*g*). Ut ergo ostenderet, quod ipse esset qui omnia visibilia creaverat, jam creata voluit multiplicare. Utrum autem Dominus multiplicaverit panes, novam aliunde apponendo materiam, vel creando, vel illam extendendo, dubium esse videtur, nec hoc determino (*h*). Sine præjudicio tamen dicendum (*i*), quod fuit ibi multiplicatio sine creatione, & extrinseci appositione. Nec fuit extensio materiæ tantum, sicut fit per virtutem agentis naturalis; sed simul fuit crementum in materia, & forma (*k*) per virtutem infinitam: Et hoc non habet simile in natura, sicut nec creatio.

Quæstio prima, de panum multiplicatione. — *Responsio.*

396.

(*a*) Ly *& duobus piscibus* in Vulg. deest; sed habent S. Tho. Hugo Card. Nic. Lyran. antiquiores sacrer. Biblior. Editiones, Codd. Biblior. Tabular. sive Bibliotech. Episc. Trident. ac nostræ Bernardinian. &c.

(*b*) *In quo ostenditur magnitudo superabundantiæ ex continentia vasorum, & numero; quia duodenarius est primus numerus abundans, secundum quod tradit Arithmetica*, Exposit. in cap. 9. S. Lucæ, nec non 4. Dist. 47. Art. 1. Q. 1. post concl. ad q. lat.

(*c*) In Vulg. ibi *fidelis*; sed *fidelissimus* Num. 12. 7.

(*d*) Exposit. in cap. 14. S. Lucæ.

(*e*) Eadem Exposit. in cap. 9. Nec non Exposit. in cap. 2. Lament. Jer. Proph. ubi ait: *Lex hordeum, quia asperum ad manducandum &c.* Item comm. in Apocal. cap. 6. sub ver. 6. num. 417. *Hordeum signat asperitatem legis Mosaycæ*. Moxque subdens rationem ait: *Hordeum, quod est lex Mosayca, habet palearum obscuritatem in velamine, thecam ruditatis in cortice, medullam suavitatis in spirituali expositione*.

(*f*) Dicta Exposit. in cap. 9. S. Lucæ.

(*g*) L. 2. Dist. 1. par. 1. dub. 2. & par. 2. q. 1. & Dist. 34. art. 1. q. 1. & alibi passim contra Manichæos.

(*h*) Sic noster Interpres, quia ut ait 2. Dist. 14. par. 1. art. 1. in concl. *Hoc præcipue attendendum est, ne in incerta materia aliquid certitudinaliter asseratur; melius est enim pie dubitare, quam aliquid temerarie diffinire*.

(*i*) Circa hunc dicendi modum vide Comment. in Apocal. cap. 21. sub ver. 1. num. 1531.

(*k*) Sic Hugo Vict. de Sacrament. L. 1. Par. 6. cap. 37. & Auctor Exposit. in Evang. S. Jo. sub nomine S. Bonav. Vid. Cornel. a Lap. in c. 14. Matth. v. 19.

Quæstio secunda, quare Christus, qui optimum fecit vinum, panes hordeaceos & viles turbis distribuit.
Responsio.

396. Quæritur hic, cum Dominus supra secundo optimum vinum fecerit, unde est hoc, quod panes hordeaceos & viles turbis distribuit? Resp. Dicendum, quod ratio literalis est, quod quia supra transmutavit vinum, ideo ei optimam formam dedit. Hic vero multiplicavit, & auxit; & ideo forma manente perfectam quantitatem dedit, & ultra necessitatem duodecim cophinos. Spiritualis ratio est, quia per quinque panes quinque libri Moysi intelliguntur. Doctrina autem Moysi aspera est & dura, & ideo panes hordeaceos multiplicavit (a).

Quæstio tertia cur gratias egerit.
Chrysostom. cit. Hom.

397. Item quærit Chrysostomus, propter quid in hoc miraculo faciendo gratias egit, cum in aliis non fecerit? Videtur in se ostendisse impotentiam.

Responsio.

Responsio est quod illud non fecit propter miraculum imperrandum, sed propter consuetudinem, quam habebat, in principio comestionis gratias agendi, & escas benedicendi: in quo nos instruxit, quod cum gratiarum actione & oratione debemus sumere cibum.

Cibus sumendus cum oratione, & gratiarum actione.

Quæstio quarta quare panes ultra necessitatem multiplicavit.
Sap. 11. 21.

398. Item quæstio est, cum omne superfluum sit evitandum, & Dominus omnia fecerit in certo pondere & mensura; ergo videtur, quod non debuerit ultra sufficientiam panes multiplicare.

Responsio.

Resp. Dicendum, quod etsi fuerunt ultra necessitatem, non tamen ultra utilitatem; immo utilitas fuit refectionis, & nostræ eruditionis. Refectionis, quia postmodum discipuli manducaverunt. Eruditionis, ut cognoscamus, quod Dominus ultra nostram indigenriam potest, & paratus est dare. Cognoscamus etiam miraculum fuisse verum, & ex certo numero superantium fragmentorum, Apostolorum intelligamus doctrinam, & ejus fructum multum.

VERSUS XIV.

399. *Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Descripta sunt supra antecedentia ad mirabilem refectionem, & concomitantia; hic describuntur consequentia, quæ sunt quatuor: scilicet turbarum devotio ad Christum honorandum, absconsio Domini ad honorem fugiendum, descensus Discipulorum ad transfretandum, adventus Christi ad succurrendum. Primum ergo consequens ad prædictum miraculum, fuit turbarum devotio ad Christum honorandum, & hoc cognoscentes eum per signum, quod fecerat, unde dicitur: *Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum*, id est, considerassent signi magnitudinem, *dicebant: quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum*, id est, Christus, qui expectabatur tanquam Dominus totius mundi (b). Hoc propter signa dicebant. Joan. septimo: Numquid Christus cum venerit, plura signa faciet, quam quæ hic facit?

Consequentia quatuor.

Turbarum devotio ad Christum honorandum.

Jo. 7. 31.

VERSUS XV.

Absconsio Domini ad honorem fugiendum.

400. *Jesus ergo &c.* Tangitur hic secundum, scilicet absconsio Domini ad honorem fugiendum, quem prævidit turbas sibi velle offerre. Propterea dicitur: *Jesus ergo cum cognovisset* (tanquam Deus scilicet) *quia venturi erant* (c) *ut raperent eum* (quasi violenter) *& facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*; quasi præ celeritate discipulos non expectans. Volebant enim, eum rapiendo, Regem facere ante tempus, sicut ipse dixit Joan. decimo octavo: Regnum meum non est de hoc mundo (d). Augustinus: Fugit Christus, cum eum voluerunt facere Regem; omnia enim bona terrena contempsit homo Christus, ut contemnenda monstraret (e), omnia mala sustinuit, quæ sustinenda præcepit, ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur adversitas (f).

Jo. 18. 36.
Augustinus L. de catech. rud. c. 22.

VER-

(a) Ad innuendum (additur apud Gorran) quod substantia Librorum Moysi non erat mutanda, sed quod ea, quæ ibi velut involuta, ac clausa continebantur, essent per Christum intelligentia spirituali extendenda, ac multiplicanda.

(b) Pariter Estius sic „ Apparet eos Prophetam intelligere Christum regem; quia continuo additur quod volebant eum facere regem. Quem regem nisi a Prophetis prædictum, id est, Christum? „

(c) Vulg. *essent*; sed *erant* in versio. cit. Hom. S. Joan. Chrysost.

(d) 2. Dist. 1. par. 1. art. 2. q. 1. ad arg.

(e) Pariter cit. Hom. ejusdem S. Jo. Chrys.

(f) Vel *neque in istis infelicitas timeretur*. Videsis hanc Augustini sententiam apud nostrum Doctorem Lib. 1. Phar. cap. 2.

VERSUS XVI.

Discipulorum descensus ad recedendum, & transfretandum.

401. *Ut autem sero factum est &c.* Tangitur hic tertium, scilicet Discipulorum descensus ad recedendum; volebat enim Dominus turbas latenter dimittere, ut ipsum non invenirent: ideo præmisit Discipulos suos, ut descendentes de monte transfretarent. Propterea dicitur: *Ut autem sero factum est*, hæc est hora redeundi ad hospitium, *descenderunt Discipuli ejus ad mare*, ut scilicet transfretarent.

VERSUS XVII.

402. *Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum. Venerunt*, id est, venire cœperunt, per anticipationem dictum. Ideo *venerunt*, quia ibi Dominus habitabat. Matth. quarto: Descendit Capharnaum, & habitavit ibi. *Et tenebræ jam factæ erant, & nondum (a) venerat ad eos Jesus*. Tangitur hic quartum, scilicet adventus Christi ad succurrendum, quia ipsi erant in periculo constituti propter obscuritatem noctis, & tempestatem maris; ideo dicitur: *Et tenebræ jam factæ erant*, ecce periculum noctis, & maxime quia deerat ductor, ideo dicitur: *Et nondum venerat ad eos Jesus;* ideo erant in periculo. Joan. duodecimo: Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Erat etiam periculum tempestatis, propterea dicitur:

Matth. 4. 13.

Adventus Christi ad succurrendum.

Jo. 12. 35.

VERSUS XVIII.

403. *Mare autem, vento magno flante, exurgebat*. Mare enim exurgit ad ventum, unde Jonæ primo: Misit Dominus ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna. Et quia Dominus prope est: Juxta est Dominus his (b) qui tribulato sunt corde, ideo insertur adventus Domini ad succurrendum, propterea dicitur:

Jon. 1. 4.

Ps. 33. 19.

VERSUS XIX.

404. *Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta. Quasi* dicit propter incertitudinem spatii in mari (c); *vident Jesum ambulantem super mare, & proximum navi fieri* ad succurrendum: sed non cognoscebant eum, ideo subditur: *Et timuerunt*. Et ratio hujus redditur Marci sexto: Putaverunt phantasma esse; & quia confortat Dominus corda timida, ideo subdit:

Mar. 6. 49.

VERSUS XX.

405. *Ille autem dixit (d) eis: Ego sum*, scilicet qui protego, *nolite timere*. Cum Dominus adest, non est timendum juxta illud Psal. Dominus protector meus, a quo trepidabo? & ex hoc confisi sunt.

Ps. 26. 1.

VERSUS XXI.

406. *Voluerunt ergo accipere eum in navim*, agnoscentes & secure gaudentes, *& statim fuit navis ad terram, in quam ibant*, id est, ad quam; quia Dominus omnipotens ibi erat, qui a nave non portabatur, sed portabat eam. Ad Heb. primo: Portans omnia verbo virtutis suæ. Et hoc statim, quia Sap. duodecimo: Subest enim tibi, cum volueris, posse. Unde triplex fuit miraculum, scilicet super mare ambulatio, tempestatis quietatio, & ad portum velocissima applicatio.

Ad Heb. 1. 3.

Sap. 12. 18.

Spiritualis interpretatio de Capharnaum Villa.

407. Spiritualiter notandum, quæ Villa, ad quam vadunt: quomodo transeunt: & quo ductore perveniunt. Villa, ad quam vadunt, Capharnaum, quæ interpretatur Villa pulcherrima (e). Hæc est cœlestis patria, in qua summa pulchritudo, ut dicitur de Sanctis Sap. quinto: Accipient

Capharnaum ejusque interpretatio.

Sap. 5. 17.

(a) Vulg. *non*; sed *nondum* Codd. Vercellen. Veronen. & Brixian. Evangeliar. autem Eccl. nostræ Triden. *necdum*.

(b) Vulg. *iis*; sed *his* etiam Psalter. Græco-Lat. apud Blanchin. S. August. Hugo Card. &c.

(c) Quippe *sinit Spiritus Sanctus scriptores sacros loqui humano more, præsertim iis in rebus, quas exacte cognoscere nihil refert*, inquit Menochius.

(d) Vulg. *dicit*; sed *dixit* Cod. noster Bernardinian. nec non Codd. Evangelior, Veronen. Brixian. ac Tridentin. nec non Exemplar Goth. apud Blanchinium.

(e) *Villa pulchritudinis* Colat. 24. in cap. 4. S. Jo. inter edita sub nomine S. Bonaventuræ. *Capharnaum, ager, vel villa consolationis* S. Hieronymus de nominibus Hebraicis Novi Testam. nec non Codd. unus Tabular. sive Biblioth. Episcop. Trident.] & alter nostræ Biblioth. Bernardinian. *Ager pinguedinis, & villa consolationis*.

pient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini (a). Ad hanc villam transitur per mare, id est, per tribulationum amaritudines (b). Act. quartodecimo: Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Per hoc mare transvehit navicula pœnitentiæ, in qua homo salvatur juxta illud Act. vigesimo septimo: Nisi in navi manseritis, vos salvi fieri non potestis. Similiter: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, Ecclesiastici secundo. Hæc navicula concutitur, cum tentationum flatibus vexatur. Matth. septimo: Venerunt flumina, & flaverunt venti. Navigantes vident Dominum ambulantem, sicut hic. Pugnantes vident stantem sive adjuvantem (c) Act. septimo. Contemplantes (d) sedentem, Isa. sexto: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum. Sed adest Dominus, & ad portum perducit, secundum illud Isaiæ quadragesimo tertio: Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; & secundum illud Psal. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

Act. 14. 21. *Act. 27. 31.* *Eccli 2. 22.* *Matth. 7. 27.* *Act. 7. 55.* *Isa. 6. 1.* *Isa. 43. 2.* *Ps. 90. 15. ac seq.*

Quæstio prima de hoc quod turbæ de Christo dicunt: *Hic est vere Propheta*.

408. Quæritur hic primo de hoc quod Turbæ dicunt de Christo: *Hic est vere Propheta*, utrum dicant verum vel falsum? Quod verum videtur; quia dicitur Deut. decimo octavo: Prophetam suscitabit vobis Dominus (e) &c. Et Glossa dicit, quod ad literam intelligitur de Christo (f). Sed contra: Prophetia non est comprehensorum, qui vident in claritate, sed Prophetæ vident in speculo. Si ergo Christus fuit comprehensor, non ergo Propheta. Resp. Dicendum, quod Propheta dicitur dupliciter, vel ratione interioris inspirationis & revelationis, & sic importat secum conjunctam ignorantiam; vel ratione infallibilis & veracis denuntiationis. Ratione primi non dicitur Christus Propheta, sed ratione secundi; quia verum dixit in omnibus, & infallibiliter.

Deut. 18. 15. *Glossa interlin.* Responsio.

Quæstio secunda de hoc quod Dominus *fugit in montem*.

409. Quæritur de hoc quod Dominus *fugit in montem*. Si enim ipse erat Rex, ergo recipiendus erat ut Rex, & ipse debebat velle, quod sui eum reciperent, ut debebant; ergo non debebat fugere, immo se offerre. Item quando salus populi pendet ex aliquo electo, talis non debet se absentare (g); ergo si salus populi ex Christo &c. Item quare *solus fugit*, cum prius non solus ascenderit, sed ipse, & discipuli ejus? Resp. Dicendum, quod Christus recipitur ut Rex, quando recipitur ut regnet in corde per fidem; sed quia illi de fide & salute non curabant, sed de temporali refectione, ideo juste se absentat. Et per hoc patet solutio ad sequens; quia non pendebat salus populi ex regno Christi carnali, sed ex regno spirituali. Quod quæritur, quare *solus fugit*? Respondeo, propter accelerationem alios non expectavit; propter absconsionem societatem habere noluit; propter instructionem ut ostendat, quod in susceptione honorum ab amicis familiaribus non est petendum consilium, quia in hoc verificatur illud Michææ septimo: Inimici hominis domestici ejus.

Responsio. In susceptione honorum ab amicis familiaribus non est petendum consilium. *Mich. 7. 6.*

Quæstio tertia de descensu Discipulorum, eorumque itinere versus Capharnaum.

410. Quæritur de descensu Discipulorum, quia dicitur quod *descenderunt, cum sero factum est*: quomodo Magistrum solitarium reliquerunt? Videtur quod reprehensibiles fuerint. Item dubitatur de eo quod dicitur: *Discipuli venerunt Capharnaum*; quia Marci sexto dicitur, quod præcepit eis, ut venirent Bethsaidam. Resp. Dicendum, quod, sicut dicit Matthæus, Dominus compulit Discipulos suos ascendere in navim; ideo non fuerunt reprehensibiles, quia Domino obediverunt. Quod objicitur de con-

Mar. 6. 45. Responsio. *Matth. 14 22.*

(a) Exposit. in cap. 5. Sapient. ad hunc textum.

(b) Comment. in Apocal. cap. 5. ver. 13. num 375. ubi de *mari exteriori temporalis miseria propter sui amaritudinem*.

(c) *Stare Dei pro adjuvare* (inquit Interpres Exposit. in Psalter. Ps. 81.) *unde hoc: Stephanus vidit cælos apertos, & Jesum stantem, id est, adjuvantem*.

(d) Nimirum, ut ait idem Interpres par. 1. Eccl. Hier. c. 2. habentes *erectam affectionis & intentionis elevationem ad cælestia, & fixam ac immobilem æternorum contemplationem*.

(e) Vide supra cap. 5. num. 371.

(f) Intelligit de Christo noster Interpres etiam Exposit. in cap. 7. S. Lucæ, ubi refert eumdem textum cum iisdem variantibus.

(g) Hoc verbum legere quoque est apud ipsum S. Bonavent. in Legen. ma. S. Franc. ut notavimus in Prodromo col. 591. quin imo apud Sidonium Apollinarem 9. Epist. 13. nec non apud Cyprian. & alios, quos ad Sidonium notavit Joan. Savaro Comm. Sid. Item apud Petronium in suo Satyrico &c.

contrarietate, dicendum, quod Marcus nominat villam proximam, sed Joannes ad quam ire intendebant. (*a*)

Quæstio quarta de ambulatione Domini super mare.

411. Quæritur etiam de ambulatione Domini super mare, ex qua parte fuerit miraculum, vel aquæ supportantis, vel corporis superincedentis? & quare etiam hoc miraculum non ostendit Turbis? Respondeo, quidam dicunt, quod fuit ex parte corporis, quod pro tempore illo dotem assumpsit agilitatis; hoc dicit Magister Hugo. Alii dicunt, quod ex parte aquæ, quæ sub pedibus Creatoris se calcabilem præbuit, & hoc accipitur a Gregorio. Sed melius est, quod utroque in sua natura & proprietate salvo, Divina virtute corpus superefferebatur aquis. (*b*). Magis autem manifestavit Discipulis, quam Turbis; quia sicut Discipuli præcellebant in intelligentia ciborum ut Magistri, sic etiam in aspectu miraculorum. Unde multa in secreto ostendit eis.

Responsio. — Hugo de S. Vict. — Gregorius in Evang. L. 1. Hom. 10. n. 2.

VERSUS XXII.

412. *Altera die turba, quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, & quia non introisset Jesus cum Discipulis suis in navim, sed solum* (*c*) *Discipuli ejus abiissent.* Ostendit supra Dominus, se esse conservatorem corporum refectione corporali; in hac parte ostendit, se esse conservatorem animarum refectione spirituali, Et quoniam nemo reficitur spiritualiter nisi consentiens, & liberum arbitrium non consentit, nisi alliciatur, & excitetur (*d*); ideo hæc pars duas habet, quia primo fit turbarum excitatio, secundo vero proponitur eis spiritualis refectio ibi: *Dixerunt ei: Domine semper da nobis panem &c.* Excitatio igitur turbarum hoc ordine describitur. Primo notatur turbarum ad quærendum Christum sollicitudo. Secundo inordinate quærentium correctio. Tertio dubitantium instructio. Quarto superbientium humiliatio. Insinuatur ergo primo turbarum sollicitudo ad Christum quærendum proveniens ex viso miraculo, & quia eum nesciebant, ideo quærebant; quia nesciebant quando & quomodo recesserat, propterea dicitur:

Liberum arbitrium non consentit, nisi alliciatur, & excitetur. — Excitationis turbarum ad Christum quærendum descriptio. — Illarum sollicitudo.

413. *Altera die turba, quæ stabat*, per expectationem, unde dicere poterant illud Petri Matth. decimo septimo: Domine, bonum est nos hic esse, ideo non statim recesserunt. *Trans mare*, ubi scilicet refecti fuerant (*e*) *Vidit*, per considerationem secundum illud: Dedi tibi cor sapiens & intelligens. *Quia navicula alia non erat ibi nisi una*, in qua scilicet Jesus potuisset transire, nec in illa transivit. *Et*, vidit supple, *quia non introisset Jesus cum Discipulis suis in navim, sed solum Discipuli ejus abiissent.* Et quia eum non inveniebant, mirabiliter eum transisse credebant; & quærere volebant, & poterant, quia naves advenerant, propterea subditur:

Matth. 17. 4. — 3. Reg. 3. 12.

VERSUS XXIII.

414. *Aliæ vero supervenerunt naves a Tiberiade*, a Civitate, a qua denominabatur locus ille. *Juxta locum, ubi manducaverant panem, gratias agentes Deo* (*f*); quia sic manducandum est (*g*).

Sic manducandum, ut gratia Deo agantur.

VERSUS XXIV.

415. *Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus*, & ipsi propter Jesum venerant, *ascenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum, quærentes Jesum*; ideo eum quærebant, quia eos refecerat in penuria, secundum illud Ecclesiastici: Qui edunt me, adhuc esurient. In ligno quærebant eum, qui salutem operatus est in ligno, juxta illud Sap. quartodecimo: Exiguo ligno credunt, id est, committunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt (*h*).

Eccli 24. 29. — Sap. 14. 5.

VER-

(*a*) Haud secus Sa „ *Capharnaum*; sed prius in „ Bethsaida, ut alii Evangelistæ dicunt.

(*b*) Lyran. in hunc eumdem textum: *Non quod habuit corpus phantasticum, sicut dicit Manichæus; sed virtute Divina sic ambulavit, quia & Petrum eadem virtute ambulare fecit super aquas &c.*

(*c*) Codex Vercell. *tantum*; at Vulg. *soli*.

(*d*) Confer super cap. 1. sub num. 52. ac infra sub num. 454.

(*e*) Supra num. 377. in not. *c*. ac num. mox seq.

(*f*) Vulg. *Domino*; sed *Deo*, Codd. Tabular. sive Biblioth. Episc. Trident. ac noster Bernard. & S. Tho. Hugo Card. Nic. Lyran. antiquioresque Editiones.

(*g*) Supra num. 397.

(*h*) Exposit. in Lib. Sap. cap. 14. ad hunc textum, ubi per *lignum exiguum* itidem allegorice intelligitur *Crux Christi*.

VERSUS XXV.

416. *Et cum invenissent &c.* Tangitur hic secundum, scilicet inordinate quærentium correctio. Quærunt enim Judæi Jesum, & ei invento quæstionem faciunt, propterea dicitur: *Et cum invenissent eum trans mare*, qui transire eum non viderant, *dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?* Ex admiratione quærunt, nescientes quomodo, & tempus curiose quærunt, sicut Discipuli Matth. vigesimo quarto: Dic nobis, quando hæc erunt? Et Dominus non respondet inquisitioni, sed inordinate quærentium intentioni. Propterea subditur:

Inordinate quærentium correctio.

Matth. 24. 3.

VERSUS XXVI.

417. *Respondit eis Jesus, & dixit: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa*, quæ feci (ut per signa veniatis ad fidem, & ita nihil spirituale quæritis, sed carnale) *sed quia ex panibus meis* (a), id est, a me multiplicatis, *manducastis, & satiati* (b) *estis*. Et hoc Judæi carnales requirebant, scilicet corporis saturitatem, sicut & Patres eorum Exod. sextodecimo: Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Egypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate. Et quia inordinate quærebant, ideo eos Dominus dirigit, & ordinat.

Exo. 16. 3.

VERSUS XXVII.

418. *Operamini*, id est, operose requirite, *non cibum, qui perit*, id est, carnalem; quia primæ ad Cor. sexto: Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc, & has destruet. Matth. quintodecimo: Omne quod in os intrat, in ventrem vadit &c. *Sed cibum* (c), *qui permanet in vitam æternam*, id est, cibum spiritualem. Iste cibus est verbum Dei, qui in æternum permanet. Unde Isaiæ quadragesimo dicitur: Verbum Domini nostri manet in æternum, & ideo dat vitam æternam. Joan. eodem: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Hunc cibum dat Christus, propterea dicit: *Quem Filius hominis dabit vobis*, tanquam bonus Pastor. Joan. decimo: Per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Et quod ipsius sit hunc cibum dare, ostendit: *Hunc enim Pater signavit Deus. Signavit* signo sui testimonii, ipsum esse suum Filium ostendit, qui possit vitam & cibum dare Matth. tertio in baptismo: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Vel *signavit*, id est, proprio signo discrevit ab aliis, ut sit singularis, & in omnibus primatum tenens. Discrevit enim Pater Christum triplici discretione, scilicet Verbi unione (d) supra primo: Verbum caro factum est; donorum plenitudine supra tertio: Non ad mensuram dat Deus spiritum; peccati immunitate supra primo: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata (e) mundi. Ista signatio præsignata est Agæi ultimo: Assumam te Zorobabel fili Salathiel serve meus, dicit Dominus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum. Per Zorobabel intelligitur Christus (f). Ideo de agno Exod. tertiodecimo: Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos.

1. ad Cor. 6. 13.

Matth. 15. 17.

Cibus animæ est verbum Dei.

Isa. 40. 8.

Jo. 6. 69.

Jo. 10. 9.

Matth. 3. 17.

Pater discrevit Christum triplici discretione.

Jo. 1. 14.

Jo. 3. 34.

Jo. 1. 29.

Agæi 2. 24.

Christus per Zorobabel designatur.

Exo. 13. 9.

VERSUS XXVIII.

419. *Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus &c.* Tangitur hic tertium, scilicet dubitantium instructio; non enim intelligentes Christi correctionem, incipiunt dubitare, & quærere, propter hoc ait: *Dixerunt ergo ad eum*, scilicet Judæi: *Quid faciemus ut operemur opera bona Dei* (g)? Ideo quærebant de operatio-

Dubitantium instructio.

(a) Vulg. absque *meis*; sed cum *meis* quoque Cod. Gat. apud Blanchin.

(b) Vulg. *saturati*; sed *satiati* etiam Codd. Evangelior. Veron. apud eumdem, nosterque Trident.

(c) Vulg. *sed qui*; sed *cibum qui* Cod. Brixian. *&* *escam quæ* Codd. Evangelior. Vercell. Veron. ac Trident.

(d) Ita August. Cyrill. Tolet. Tirin.

(e) Sic in plurali etiam S. Ambrosius Exposit. Evang. sec. Luc. Lib. 5. num. 93. col. 882. Nec non S. Augustinus Oper. imperfec. contra Julian. Lib. 2. num. 84. tametsi ambo habeant alibi in singulari *peccatum*, ut habet Vulg. Vide supra Cap. 1. ver. 19. num. 61. in not. d.

(f) *Signatur per Zorobabel, qui templum reparavit*, Serm. sive Collat. 14. in Hexaem.

(g) Vulg. *opera Dei*; sed *opera bona Dei* Cod. noster Bernardinian. 40.

ratione, quia per illam volebant venire in refectionem. Is enim est ordo
2. ad Thess. 3. 10. secundæ ad Thess. ultimo: Si quis non vult operari, non (a) manducet. Prov.
Prov. 12. 11. duodecimo: Qui operatur terram suam, satiabitur panibus. Et Dominus eos quærentes instruit, unde subditur;

VERSUS XXIX.

420. *Respondit Jesus, & dixit eis*, scilicet quærentibus, & dubitantibus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*, hoc est opus bonum, & principium omnium bonorum operum, quo-
Ad Heb. 11. 6. niam dicitur ad Heb. undecimo: Sine
Fides omnium bonorum operum principium. fide impossibile est placere Deo. Qui vult bene operari, a fide debet incipere (b).
Gen. 15. 6. Gen. quintodecimo: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei (c) ad justitiam.

VERSUS XXX.

421: *Dixerunt ergo ei: Quod ergo &c.*
Contemnentium & superbientium humiliatio. Tangitur hic quartum, scilicet contemnentium & superbientium humiliatio; nolebant enim Christo credere per signa, quæ viderant, quasi majora signa vidissent Patres eorum, propterea dicunt: *Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi?* Non enim credunt Hebræi nisi signa videant. Pri-
1. ad Cor. 1. 22. mæ ad Cor. primo: Judæi signa petunt. *Quid operaris?* Quasi dicant: quid magnum fecisti? Modicum est quod fecisti respectu ejus, quod factum est in deserto.

VERSUS XXXI.

422. *Patres nostri manducaverunt manna in deserto*, non panem hordeaceum, sed cœlestem, unde & subdunt: *Sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare*. Scriptum est in Psal. Panem An- Ps. 77. 25.
gelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia. Sic efferebantur de miraculo ostenso Patribus, contemnentes miraculum Christi; & Dominus eos humiliat ostendens, quod Scriptura illa non est impleta per Moysen, sed impletur per ipsum, propterea subditur:

VERSUS XXXII.

423. *Dicit (d) ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo*, sicut illa Scriptura loquitur, non, inquam, vere, sed typice; quia sicut dicitur primæ ad Cor. deci-
mo: Omnia in figura contingebant illis; 1. adCor. 10. 11.
sed Pater meus dat vobis panem verum de
cælo (e), & ideo ab ipso petimus: Pa- Matth. 6. 11.
nem nostrum supersubstantialem da nobis hodie Matth. sexto. Et rationem hujus reddit:

VERSUS XXXIII.

424. *Panis enim verus (f) est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo*; & hic panis non fuit manna, sed Christus (g).
Joan. decimo: Ego veni, ut vitam Jo. 10. 10.
habeant, & abundantius habeant. Descendere de cœlo hoc est in carne ve-
nire (h), unde Augustinus: Verbum, Augustinus in Jo. Ev. c. 1. Tr. 2. n. 12. ac seq. ac in Ep. Jo. c. 2. Tr. 3. n. 1. nec non Enarrat. 2. in Ps. 30. n. 9.
quod erat panis Angelorum, dum descendit in carnem, vertitur in lac parvulorum (i).
425. Quæritur de hoc quod dicitur:
Quæritis me, non quia vidistis signa. Con- Quæstio prima de hoc quod dicitur: Quæritis me, non quia vidistis signa.
tra: supra eodem dicitur, quod sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa &c. Resp. Dicendum, Responsio.
quod contrarietas hæc solvitur dupliciter,

(a) Vulg. *nec*; sed *non* etiam Doctor noster in Opusculo *de Paupertate Christi*. Edit. Gorràn: *Qui non laborat, non manducet*.

(b) Hinc sua velut sponte fluit, quod ait Estius „ Non rejicit cetera opera Christus, „ quæ aliis locis diligentissime commendat; sed „ illud opus exigit, quod ante omnia alia est „ necessarium. Id autem est fides in Christum „ filium Dei, per quam cetera bona opera ad „ vitam perducunt, & sine qua cetera ad vitam perducere non possunt &c. "

(c) Vulg. *illi*; sed *ei* quoque duo nostri Codd. Bernardin. 1. ac 21. & al. Bibl. Ep. Trid. 58.

(d) Vulg. *dixit*; sed *dicit* pariter noster Cod. Bernardinian. 40.

(e) Vulg. *panem de cælo verum*; sed ut supra similiter d. Cod. Bernardinian. 40.

(f) Ita etiam apud S. Tho. Hugonem Card. Nic. Lyran. antiquioresque Editiones Biblioth. nostræ ac Gentilott. & etiam Venet. 1481. Biblioth. Griezen. sed Vulg. *Panis enim Dei*.

(g) Exposit. in Psalter. Ps. 40. *Panis est Christus, scilicet panis vivus, unde hoc: Hic est panis vivus, qui de cælo descendit. Hic panis in utero Virginis formatus, in ara Crucis coctus, ad mensam altaris sumendus*. Videsis quoque Exposit. Orat. Dom. in cap. 6. S. Matth. ubi de *pane supersubstantiali*.

(h) Sic etiam Comment. in Apocal. cap. 10. sub v. 1. num. 672. ubi ait, quod *descendit de cælo visibiliter in assumpta natura*.

(i) Similiter ex Augustino Hugo Card.

ter, uno modo per relationem ad diversa tempora, quia illi iidem, qui primo secuti sunt propter signa, postmodum refecti secuti sunt propter escas. Alio modo solvitur per relationem ad diversas personas, quia utrumque verum est; quidam enim sequebantur propter signa, quidam propter escas. Unde notandum, quod quinque fuerunt caussæ, quare aliqui sequebantur Dominum, quæ his versibus continentur:

Christum sequentium quintuplex caussa.

Morbus, signa, cibus, blasphemia, dogma, fuere
Caussæ, cur Dominum turba secuta fuit (a).

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Operamini non cibum, qui perit.*

426. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Operamini non cibum, qui perit.* Quærit Chrysostomus: utrum debeat homo operari pro cibo corporali? Quod non videtur per literam istam. Item Matth. sexto: Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus &c. Item Luc. decimo reprehendit Dominus Martham, quæ circa cibum corporalem solicita erat; ergo non videtur, quod debeat homo operari pro cibo corporali. Contra primæ ad Thess. quarto: Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Item secundæ ad Thess. ultimo: Si quis non vult operari, non (b) manducet, ubi etiam Apostolus dicit se præbuisse exemplum, in eo quod ipse manibus suis laborabat. Respon. Dicendum, quod bonum est operari pro habendo cibo corporali, sicut dicitur in Psal. Labores manuum tuarum manducabis. Sed circa hanc manuum operationem triplex contingit esse inordinatio: Videlicet in intentione, ut cum finaliter hunc cibum requirit; & Dominus hoc prohibet hic. In solicitudine, ut quando absorbetur mens circa terrena; & sic prohibet Dominus in Matth. In tempore, ut quando debet vacare auditioni verbi Dei, vacet operi vel cibo corporali; & sic Christus reprehendit Martham, quæ debuisset Dominum prædicantem audire (c).

Chrysostomus in Jo. Ev. c. 6. Hom. 43. — *Matth. 6. 31.* — *Luc. 10. 41.* — *1. ad Thess. 4. 11.* — *2. ad Thess. 3. 10. Ibi 9.* — Responsio. — *Ps. 127. 2.* — Inordinatio triplex circa manuum operationem. — *Matth. 6. 25. & seqq.* — *Luc. 10. 41.*

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Opus Dei est, ut credatis &c.*

427. Quæritur de hoc quod dicitur: *Opus Dei est, ut credatis in eum, quem ille misit.* Contra: dicit Apostolus ad Rom. tertio: Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis; ergo credere non est opus. Respondeo, opus accipitur communiter ad opus operans, & opus operatum, spirituale, & corporale, interius, & exterius, vel alio modo proprie ad alteram horum differentiam. Primo modo credere est opus (d), secundo modo minime (e).

Ad Rom. 3. 28. — Responsio.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Moyses non dedit vobis panem de cælo.*

428. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Moyses non dedit vobis panem de cælo;* quia dicitur Sap. sextodecimo: Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore. Et primæ ad Corinth. decimo: Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt. Respondent quidam, quod est cœlum empyreum, & est aereum, a primo non habuerunt panem, sed a secundo. Hæc solutio non plene solvit, quia manna non fuit panis de solo cœlo aereo; & propterea etiam dicitur in Psal. Panem Angelorum manducavit homo; sed panis Angelorum non est de solo aere. Resp. Dicendum, quod manna fuit quidem cibus materialis, & de cœlo materiali, scilicet aereo, per Angelos tamen præparatus, & etiam gerens figuram cibi veri cælestis & spiritualis (f). Auctoritates ergo, quæ dicunt illum cibum cœlestem, intelligendæ sunt secun-

Sap. 16. 20. — *1. Cor. 10. 3.* — *Ps. 77. 25.* — Responsio. — Christus per manna significatur, velut verus cibus cœlestis, & spiritualis.

(a) Tres ex præfatis caussis tangit noster Interpres in Exposit. cap. 6. S. Lucæ. Vide sis præfatos versiculos una cum aliis in Exposit. cap. 6. S. Jo. jam edita inter Opera Bonaventuriana.

(b) Vide supra num. 419.

(c) In d. jam ed. Exposit. cap. 6. S. Jo.

(d) Supple *opus operans*, scilicet per dilectionem. Inquit enim Apostolus ad Gal. 5. ver. 6. *Fides quæ per caritatem operatur.* Hæc autem fides, ut *opus Dei* operans, ita tendit *in eum*, veluti in finem, ut sit bonorum operum omnium principium. Consulatur S. Thomas in Jo. Evang. hoc ipso Cap. 6. Lect. 3. not. g. Recolantur quoque superius dicta num. 420.

(e) Distinguitur enim ab operibus exterioribus legis, sive ut ita dicam, per legem exterius operatis. Unde modo laud. Doctor Angelicus ibi monet: *Apostolus non distinguit fidem ab operibus simpliciter, sed ab exterioribus.*

(f) Exposit. in cit. Cap. 16. Sapient. sic idemmet Interpres „ *Angelorum esca*, id est, man„ na, quod per Angelos erat præparatum: *nu„ trivisti populum tuum &c.* Unde in Psalmo: „ Panem Angelorum manducavit homo. Vel „ quia præfigurabat escam Angelorum, sc. „ Panem vivum qui de cœlo descendit. “ Vid. ibi septem rationes, quibus ostenditur, quod Christus per manna significabatur. Item 4. Dist. 8. Par. 1. Art. 1. Q. 2. in concl.

cundum figuram & typum (a); opposita vero secundum veritatem apertam.

VERSUS XXXIV.

429. *Dixerunt ergo ad eum : Domine, semper da nobis hunc panem.* Excitavit Dominus Judæos ad quærendam spiritualem refectionem, hic jam excitatis & petentibus tribuit instructionem. Et quoniam Christus est panis reficiens secundum Divinam naturam, & secundum humanam, ideo habet hæc pars duas. In prima agitur de refectione hujus cœlestis panis secundum Divinam naturam, in secunda quantum ad humanam ibi: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est &c.* Prima pars habet duas partes, in prima ponitur instructio ad Judæorum petionem. In secunda vero instructionis confirmatio propter Judæorum murmurationem ibi: *Murmurabant ergo Judæi &c.* Instruit igitur Judæos de hujus panis cœlestis refectione, hoc ordine. Primo ostendit, quis sit iste panis reficiens. Secundo vero qui hoc pane reficiuntur. Tertio quare illos & non alios reficit.

Divisio hujus partis in duas.

Primæ partis subdivisio iterum in duas.

Judæorum instructio.

430. Primo igitur ad Judæorum petitionem docet, quis sit iste panis reficiens; propter quod introducit Judæos petentes: *Dixerunt ergo ad eum*, Judæi scilicet, *Domine, semper da nobis hunc panem;* quia eis promiserat panem vivum, ideo petunt, ut non esuriant, sicut Mulier aquam supra quarto: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. Sic igitur petentibus Dominus spiritualem panem ostendit.

Quis sit panis iste reficiens.

Jo. 4. 15.

VERSUS XXXV.

431. *Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ*, id est, panis dans vitam (b); quia ipse est sapientia, de qua Ecclesiastici quarto: Sapientia filiis suis vitam inspirat. Nec tantum est vitam dans, immo etiam satians & affectum, & intellectum, unde dicit: *Qui venit ad me*, per caritatem scilicet, *non esuriet.* Matth. undecimo: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onorati estis, & ego reficiam vos. *Et qui credit in me, non sitiet in æternum (c)*, quia sicut dicitur supra quarto: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et notandum, quod caritas pascit (d), quia est in affectu, qui magis unitur; fides potat, quia respicit actum intellectus, qui minus unitur. Et propterea quemadmodum potus ducit cibum per membra; sic fides & operatio intellectus viam dirigit virtutibus existentibus in affectu, in quo est cibatio (e).

Christus panis vitæ, id est, dans vitam.

Eccli 4. 12.

Matt. 11. 28.

Jo. 4. 13. et seq.

VERSUS XXXVI.

432. *Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis.* Hic notatur secundum, qui scilicet hoc pane reficiuntur, quia non increduli, sed fideles a Deo electi & vocati; propterea dicit: Ita dixi quod qui venit ad me non esuriet; sed vos, quia non creditis, refici non potestis, unde ait: *Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis.* Supra tertio dixit: Nos quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Item supra quinto: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? Iterum supra eodem: Quæritis me, non quia vidistis signa; sed quia ex panibus meis (f) manducastis. Et quia *non creditis*, refici non potestis. Unde Beda: Panem de cœlo desideratis? ante vos habetis, & non comeditis, quia non creditis; sed illi comedunt, qui electi a Deo sunt, & vocati credunt. Unde dicit:

Quinam illi, qui pane hoc reficiuntur.

Jo. 3. 11.

Jo. 5. 44.

Jo. 6. 26.

Beda in Jo. Evang. cap. 6. ad hunc text.

VER-

(a) Unde & supra num. 423. ad illa verba, *Non Moyses dedit vobis panem de cælo*, jam dixerat: *non, inquam, vere, sed typice.* Porro inquit Hugo Card. *Ille typicus fuit panis non verus, qui de aere pluit; non quod falsum fuerit miraculum de manna; sed quia figurativum istius panis.*

(b) Sic & Dionys. Carthus. Sa &c.

(c) Vulg. *umquam*; sed *in æternum* etiam Cod. noster Bernardinian. nec non S. Tho. Hugo Card. Nic. Lyran. &c. Suffragaturque antiquiores Editiones. At infra ver. 56. *umquam*.

(d) Exposit. in Psalter. Psal. 40.

(e) De his latius Serm. 17. ac 18. in Hexaem.

(f) Vide supra num. 417.

VERSUS XXXVII.

433. *Omne, quod dat mihi Pater*, per æternam electionem, & temporalem vocationem (*a*); *ad me veniet*, per fidem & dilectionem. De hac datione in Psal. Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*b*). Hoc postulavit Dominus, Joan. decimo septimo: Pater sancte serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi &c. De isto adventu ad Christum dicitur Isa. secundo: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit vos vias suas. Ad hunc adventum hortatur Isa. quinquagesimo quinto: Omnes sitientes venite ad aquas. Sic venientes reficit, unde & subdit: *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras*; *non ejiciam*, sed reficiam; *non ejiciam foras*, sed introducam juxta illud Cant. secundo: Introduxit me Rex in cellaria sua, introduxit me in cellam vinariam &c. Vel *non ejiciam* eum, sed intrabo ad eum. Apoc. tertio: Ecce ego sto ad ostium, & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo (*c*) ad illum, & cœnabo cum illo. Et in hoc ostenditur Dei justitia, quia non reficit nisi venientes; & benignitas, quia omnes suscipit, & nullum abjicit.

Ps. 2. 8. *Jo. 17. 11.* *Isa. 2. 3.* *Isa. 55. 1.* *Cant. 1. 3. ac 2. 4.* *Apoc. 3. 20.*

VERSUS XXXVIII.

Quare Christus reficit tantum prædestinatos, & a Deo vocatos.

434. *Quia descendi de cœlo &c.* Tangitur hic tertium, quare scilicet reficit tantum prædestinatos & a Deo vocatos (*d*). Ratio est conformitas voluntatis suæ ad Divinam, propterea dicit: *Quia descendi de cœlo*, carnem assumendo, *non ut faciam voluntatem meam*, a Patre discordando; *sed voluntatem ejus qui misit me*, per omnia ipsi obediendo (*e*). Unde ad Philip. secundo: Factus est obediens, scilicet Patri, usque ad mortem, mortem autem crucis. Supra quinto: Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Sed voluntas Patris est, ut electi & vocati hoc pane reficiantur, propter quod subditur:

Ad Philip. 2. 8. *Jo. 5. 30.*

VERSUS XXXIX.

435. *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi*, per electionem ad Rom. octavo: Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, *non perdam ex eo*, per reprobationem, juxta illud primæ ad Cor. primo: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. *Sed resuscitem illud in novissimo die*, ad æternæ beatitudinis participationem. Ad Rom. octavo: Si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis. Hanc voluntatem implevit pro parte Joan. decimo octavo: Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Et quia sic eligit nos Deus, ut per merita fidei beatitudinem consequamur; ut ostendat arbitrii nostri cooperationem, iterum repetit:

Ad Rom. 8. 29. *1. ad Cor. 1. 19.* *Ad Rom. 8. 11.* *Jo. 18. 9.*

VERSUS XL.

436. *Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium*, secundum humanitatem; *& credit in eum*, per sui arbitrii libertatem (quia sicut dicit Augustinus: Non potest homo credere nisi volens (*f*)) *habeat vitam æternam*, in præmium; *& ego resuscitabo eum in novissimo die*, & ita habeat vitam consequenter per Filium. Ad Ephes. secundo: Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, & conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. Et hoc *in novissimo die*, quia sicut dicitur primæ ad Cor. quinto decimo: Novissima autem destruetur inimica mors.

Augustinus Ep. 217. alias 107. ad Vital. c. 5. n. 16. ac Serm. 143. alias 60. de verb. Dom. c. 4. n. 5. *Ad Eph. 2. 5. ac seq.* *1. ad Cor. 15. 26.*

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Eum qui venit ad me, non ejiciam.

437. Quæritur de hoc quod dicitur: *Eum qui venit ad me, non ejiciam*. Contra: Habe-

---

(*a*) Itidem Sa „ *Dat*, scilicet prædestinando, „ & vocando." Et Estius „ Loquitur enim „ de electis, id est, quos Pater dat Filio, non „ ad tempus, aut secundum quid, sed simpli„ citer." Pariterque Menoch. Gordon. &c.

(*b*) Exposit. in Psalter. eodem Ps. 2.

(*c*) Vide supra cap. 2. num. 116.

(*d*) In Hexaem. ser. sive Collat. 17. ubi diserte memoratur *refectio de prædestinationibus omnium Sanctorum*.

(*e*) His confirmantur quæ supra adnotavimus de voluntatibus in Christo conformibus cap. 5. sub ver. 30 num 351.

(*f*) Sic ex Augustino etiam Hugo Card.

Habetur Joan. eodem, quod multi ex discipulis ejus abierunt retro: & constat, quod prius ad ipsum venerant; ergo falsum dicit. Respondeo: Intelligendum de illis, qui venerant corde perfecto, non ficto; & isti sunt qui veniunt cum caritate perseverante: alioquin habentur, ac si non venerint; eo quod tunc omnes justitiæ in oblivionem dantur..

Responsio.

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Vidistis me, & non creditis.*

438. Quæritur de hoc quod dicitur: *Vidistis me, & non creditis*. Videtur, quod nihil dicat, quia fides est earum rerum, quæ non videntur, ut dicit Apostolus ad Heb. undecimo. Ergo nihil potest eos reprehendere de hoc, quod non credunt, cum videant. Si dicas, quod videre est secundum humanitatem, sed credere secundum Divinitatem (*a*); hoc nihil est, quia visio humanitatis potius impedit fidem Divinitatis, quam adjuvet: ergo non debet eos arguere ex hoc. Resp. Dicendum, quod intelligitur de visione non humanitatis puræ, vel infirmæ, sed de visione virtutis & potentiæ in effectu. Et quoniam videbant Divinam virtutem in effectu, ideo credere debebant. Quod objicitur, quod visio repugnat fidei; dicendum, quod verum est de visione essentiæ Divinæ; sed non est verum de visione, quæ est in effectu tanquam in speculo; quia fidei est videre per speculum, & in ænigmate (*b*).

Ad Heb. 11. 1.

Responsio.

1. ad Cor. 13. 12.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo.*

Jo. 17. 12.

439. Item quæritur de hoc, quod dicitur: *Omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo*. Contra: Joan. decimo septimo: Nemo ex eis, quos dedisti mihi, periit, nisi filius perditionis; ergo aliquis periit ex sibi datis. Resp. Dicendum, quod vis potest fieri in hoc quod dicitur *dedit*, quia dare est dupliciter, vel secundum præsentem justitiam, & sic datus fuit sibi Judas, & periit; vel dare est secundum electionem æternam, & sic dati sunt prædestinati, ex quibus nullus perit (*c*). Aliter respondetur, quod fiat vis in hoc quod dicitur *perdam*, quia ipse Christus diligentissime custodit eos, unde nullus perit propter defectum Pastoris; sed quia neminem invitum salvat, aliqui pereunt propter malitiam suam. Unde Christus non eos perdit, sed ipsi se.

Responsio.

Dare aliud est secundum præsentem justitiam, aliud secundum electionem æternam.

Prædestinatus non perditur.

Alii perduntur propter malitiam suam.

VERSUS XLI.

440. *Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. Posuit supra (*d*) instructionem ad Judæorum petitionem, hic secundo ponit confirmationem ad compescendam eorum murmurationem; & procedit in hac parte hoc ordine: primo ponitur Judæorum murmuratio: secundo vero murmurationis cohibitio: tertio erroris amotio: quarto veracis doctrinæ confirmatio. Insinuatur ergo primo Judæorum murmuratio de hoc quod Dominus se de cœlo dixerat descendisse, propter quod dicitur: *Murmurabant ergo Judæi de illo*. Murmuratio est occulta detractio (*e*), unde Chrysostomus: Non aperte, sed occulte contradicebant, quia signum de panum multiplicatione adhuc recens erat, morem Patrum suorum servabant, de quibus Numer. quarto decimo: Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? Et subditur de quo murmurabant: *Quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*. Ipsi enim quærebant panem temporalem ad manducandum; unde quia spe sua frustrati erant in hac responsione, ideo murmurabant.

Instructionis confirmatio ad compescendos Judæos murmurantes.

Judæorum murmuratio.

Chrysostomus in Evang. Jo. c. 6. Hom. 45.

Num. 14. 27.

VERSUS XLII.

441. *Et dicebant: Nonne hic est (f) Filius Joseph* (Luc. tertio: Erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, Filius Joseph) *cujus nos novimus Patrem & Matrem*? de terris scilicet, non de cœlis. Matth. tertio decimo: Nonne hic est Fabri Filius, & Mater ejus dicitur

Luc. 3. 23.

Matth. 13. 55. ac seq.

(*a*) 3. Dist. 24. art. 2. q. 1. in concl.

(*b*) Eadem ibi Dist. 24 Dub. 4. nec non 1. Dist. 3. part. 1. art. 1. q. 2. & 3. Similiter Dionys. Carthus. ad illa verba prædicto ver. 40. respondet „ Loquitur de visione ænigmatica, non de visione clara per speciem. Visio „ enim Dei per speciem fidem excludit. De „ visione vero ista obscura dicit Apostolus: „ Videmus nunc per speculum in ænigmate „ &c.

(*c*) In 1. Dist. 40. art. 3. q. 2. nec non 3. Dist. 31. Dub. 2.

(*d*) Supra num. 429.

(*e*) De qua explicatius idem Interpres in cap. 15. S. Lucæ.

(*f*) Vulg. *Jesus*; sed absque *Jesus* etiam Codd. Veronen. & Gat. apud Bianchinium ac unus Tabular. sive Biblioth. Episcop. Trident.; nec non S. Tho. Edit. sub S. Bonav. nomine. Item sacror. Biblior. Editiones antiquiores.

citur Maria; & Fratres ejus & Sorores apud nos sunt? *Quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo descendi?* Cum sciamus eum natum esse in terris. Et sic verificatum est illud, quod dictum est supra quarto: Propheta in patria sua honorem non habet; (*Jo. 4. 44.*) quia enim cognoscebant temporalem generationem, negabant æternam: & quia contempserunt Christum humilem, non potuerunt videre sublimem. (*Qui contempserint Christum humilem, non poterunt videre sublimem.*)

VERSUS XLIII.

442. *Respondit ergo Jesus, & dixit eis: Nolite &c.* Tangitur hic secundum, scilicet murmurationis cohibitio. (*Murmurationis cohibitio.*) Cohibet enim eos a murmuratione, unde dicit: *Nolite murmurare invicem;* (a) & vere, quia nihil prodest. (*Quam obsit murmuratio.*) Sap. primo: Custodite vos a murmuratione, quæ nihil prodest, immo obest (b). Primæ ad Cor. decimo: Neque murmuraveritis, (*1. ad Cor. 10. 10.*) sicut quidam eorum murmuraverunt; & ratio quare non debent murmurare est, quia Christum non intelligunt. Et quia eum non intelligunt, stulte eum reprehendunt: Et vere non intelligunt, quia non credunt; & non credunt, quia non eis est a Patre datum; (*Fides est donum Dei.*) propterea dicit:

VERSUS XLIV.

443. *Nemo potest venire ad me*, per fidem, & dilectionem, & cognitionem; *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, per revelationem, sicut Petrus, cui dicitur Matth. sexto decimo: Beatus es Simon Bar-Jona, (*Mat. 16. 17.*) quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Itaque Pater trahit ad me per revelationem. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*, per redemptionem & liberationem a morte, primæ ad Cor. quinto decimo: Quoniam quidem per hominem mors, (*1. ad Cor. 15. 21. ac seq.*) & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Et ut magis eis silentium imponat, confirmat per Scripturam.

VERSUS XLV.

444. *Scriptum est in Prophetis: Erunt (c) omnes docibiles Dei*, id est, omnes docebuntur a Deo. *In Prophetis* dicitur, quia in pluribus invenitur. Jerem. trigesimo primo: Dabo legem meam in (*Jer. 31. 33. ac seq.*) visceribus eorum, & in cordibus (d) eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum. Item Isa. quinquagesimo quarto: Ponam uni- (*Isa. 54. 13. ac seq.*) versos filios tuos doctos a Domino. Et Joel. secundo: Effundam de spiritu meo (e) (*Joel. 2. 28.*) super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ: senes vestri somnia somniabunt &c. *Omnis, qui audivit a Patre &c.* Tangitur hic tertium, scilicet erroris amotio; (*Erroris amotio.*) quia enim dixerat, quod omnes docentur a Deo, ne quis crederet, quod vident Deum, a quo docentur, dicit, quod non vident; sed audiunt. Unde dicit: *Omnis, qui audivit a Patre meo.* (f), *& didicit*, per inspirationem juxta illud Psal. Audiam (*Ps. 84. 9.*) quid loquatur in me Dominus Deus; ille, inquam, *venit ad me*, per fidem & dilectionem, juxta illud Apoc. ultimo: Et qui audit, dicat: Veni. (*Apoc. 22. 17.*)

VERSUS XLVI.

445. *Non quia Patrem vidit quisquam*, scilicet mortalis & passibilis; quia Exod. trigesimo dicitur: Non videbit me homo, & vivet; (*Exo. 33. 20.*) *nisi is, qui est a Deo, hic videt (g) Patrem.* Hic est unigenitus Filius, de quo supra primo: Deum (*Jo. 1. 18.*) nemo vidit unquam, sed (h) Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris &c.

VER-

(a) Vulg. *in invicem;* sed *invicem* Evangeliar. nostræ Eccles. Trident. Codex noster Bernardinianus, nec non Corbejensis, Dionys. Carthus. &c.

(b) *Immo multum obest*, addit etiam Exposit. in Lib. Sap. cap. 1. ad hunc textum.

(c) Vulg. *& erunt;* sed absque *&* similiter Editiones sacrorum Biblior. antiquiores, etiam Venet. 1481. Biblioth. Griezen.

(d) Vulg. *in corde;* sed *in cordibus* quoque S. Augustinus Lib. de spir. & lit. cap. 24. num 36.

(e) Vulg. *Spiritum meum;* sed *de spiritu meo* pariter Cod. noster Bernard. 21. & Act. Apost. 2. 17.

(f) Vulg. *a Patre* sine *meo;* sed *meo* etiam Cod. Gat. apud Blanchin.

(g) Vulg. *vidit;* sed *videt* quoque Codd. Veronen. & Cant. apud eumdem.

(h) Supra cap. 1. num. 40.

VERSUS XLVII.

Veracis doctrinæ confirmatio.

446. *Amen, amen dico vobis &c.* Hic ponitur veracis doctrinæ (*a*) confirmatio, unde iterat quod dixerat, & adverbium affirmandi geminat, propter quod dicit: *Amen, amen dico vobis*, id est, vere dico: *Qui credit in me, habet vitam æternam;* & hoc probat, quoniam ipse est panis, qui vivificat credentes, unde dicit:

VERSUS XLVIII.

447. *Ego sum panis vitæ*; & hoc credentibus, quia sicut dicitur Prov. tertio: Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, scilicet per fidem: Et qui tenuerit eam, per comprehensionem, beatus. Et quod sit panis vitæ ostendit per effectum (*b*), quia scilicet dat vitam gratiæ, & vitam gloriæ; vitam gratiæ, quam non dabat panis ille typicus, unde dicit:

Prov. 3. 18.

Panis vitæ Christus per effectum.

VERSUS XLIX.

448. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto*, per quadraginta annos scilicet, sicut dicitur Deut. octavo: Dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & Patres tui; *& mortui sunt*, morte scilicet culpæ & infidelitatis. Ad Heb. quarto: Non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei.

Deuth. 8. 3.

Ad Heb. 4. 2.

VERSUS L.

449. *Hic est panis de cælo descendens* per incarnationem, *ut si quis ex eo* (*c*) *manducaverit* per fidem & dilectionem, *non moriatur* per prævaricationem. Quia sicut dicitur Habacuc secundo: Justus autem meus ex fide vivit (*d*). Et sicut fides a morte liberat, sic etiam dilectio primæ Joan. tertio: Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres: Qui non diligit, manet in morte. Nec tantum dat vitam gratiæ, immo etiam vitam gloriæ, (*e*) propter quod subdit:

Habac. 2. 4.

1. Jo. 3. 14.

Fides & dilectio a morte liberant animam.

VERSUS LI.

450. *Ego sum panis vivus* per essentiam (*f*), quia vitam habens in semetipso supra quinto: Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. *Qui de cælo descendi* per misericordiæ abundantiam Exod. tertio: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum &c.

Panis vitæ per essentiam Jo. 5.

Jo. 5. 26.

Exo. 3. 7. & seq.

VERSUS LII.

451. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, per gloriam. De hac comestione Cant. quinto: Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi; hoc erit in gloria (*g*). Ab hujusmodi comestione prohibitus est peccator in figura Adæ Gen. tertio: Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.

Cant. 5. 1.

Gen. 3. 22.

452. Quæritur hic primo de hoc quod dicitur, quod *Judæi murmurabant*. Dominus sciebat, quod Judæi de doctrina veritatis cadere debebant in murmurationem; ergo cum sciret doctrinam non proficere, cum esset medicus salutis, non debuit dare. Ad hoc facit quod scribitur Matth. septimo: Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Ad hoc ipsum Prov. nono: Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit; ergo videtur quod talibus non deberet dari instructio, qui cadunt in detractionem. Respondeo secundum Augustinum in libro de bono (*h*) perseverantiæ: Salus unius

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Judæi murmurabant.*

Matth. 7. 6.

Prov. 9. 7.

Responsio. *Augustinus de dono persever. c. 16. n. 40.*

(*a*) Al. *præcedentis instructionis.*

(*b*) Adeoque *caussaliter, & productive*, uti eumdem textum interpretatur idem Auctor Comment. in Apocal. cap. 1. sub ver. 18. num. 94.

(*c*) Vulg. *ex ipso*; sed *ex eo* etiam Codd. Evangelior. Veronen. Brixian. ac Trident.

(*d*) Sic infra cap. 14. num. 990. ac cap. 20. num. 1331. aliter a Vulg.

(*e*) Sic Dionys. Carthus. Menoch. Gordon.

(*f*) In d. Comment. Apocal. loc. cit. *Christus est vita essentialiter & substantive.* Dictus quoque Dionys. Carthus. *Panis vitæ substantialiter atque caussaliter.*

(*g*) Sic S. Bernardus Tract. de diligendo Deo cap. 11. num. 31. ac 33.

(*h*) Nunc *de dono.*

Salus unius boni multis malis præferenda.

unius boni præferenda est multis malis; hoc elicitur ex verbis ejus, unde dicit ibidem, quod cum scimus doctrinam nostram prodesse bonis, etsi sciamus malos inde scandalizari, non debemus tacere. Quoniam igitur opportuna erat doctrina de pane vitæ, & perutilis valde bonis, & eis qui tunc aderant, & nobis, qui legimus, & tempus se offerebat, quia mirabilis & magna refectio facta fuerat; ideo bene fecit docendo, non propter malos, sed propter bonos. Unde solvendum, quod etsi Dominus malis loqueretur, tamen erudiebat bonos.

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Omnis, qui audivit a Patre &c.*

453. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Omnis, qui audivit a Patre, non quia Patrem quis viderit &c.* Contra: Constat quod hic loquitur de videre & audire ipsius intellectus; sed in intellectu non differt visus & auditus, nam qui audit intelligit, & qui videt intelligit; ergo si auditur Pater interius, etiam videtur. Præterea si dicas, quod certum est, quod intelligere est videre: Qui igitur audit, aut intelligit, aut non; si intelligit, videt: Si audit, & non intelligit, & venit ad auditum; ergo venit non intelligens tanquam brutum. Respondeo, quod visio respicit loquentem, sed auditus locutionem; proprie autem locutio Dei inspiratio Dei est, secundum quod hic accipitur. Hæc vero inspiratio effectus Dei est in anima, & hunc effectum potest anima ipsa in se cognoscere, quamvis non plene cognoscat a quo sit. Unde dicendum, quod illam inspirationem & videt & audit, sed tamen ex hoc non sequitur, quod videat Deum. Unde optime dicit: *Omnis, qui audit à Patre*, id est, inspirationem provenientem a Patre, & illam, inquam, videt, sicut & audit; sed non ex hoc sequitur, quod videat inspirantem; quia auditus non eum respicit, sicut visus, sed effectum (a).

Responsio.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum.*

454. Quæritur de hoc quod dicitur: *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum.* Contra: Tractio est motus violentus, sed omne meritum est voluntarium; ergo nullus meretur, cum facit aliquid tractus. Item si non potest nisi tractus, ergo non est in sua potestate ad Deum venire. Et si hoc; ergo cum nullus sit reprehensibilis, si non facit impossibile, nullus est reprehensibilis, si ad Deum non venit. Item cum trahere sit totius Trinitatis, quia tamen est per revelationem, quæ per appropriationem est Filii, vel sancti Spiritus; quomodo attribuitur Patri non per proprietatem, sed per appropriationem? Resp. Dicendum, quod est manere in se, & hoc naturæ est institutæ, descendere vel inclinari infra se, hoc naturæ corruptæ; sed supra se elevari vel ascendere, hoc est naturæ per gratiam sublimatæ (b). Unde stare est naturæ, descendere culpæ, ascendere gratiæ. Quoniam igitur natura corrupta est, & ad malum prona, si supra se elevetur, non tantum erit elevatio, sed propter inclinationem ad contrarium tractio. Quia igitur omnis, qui ad Deum venit, supra se elevatur, nemo venit, nisi trahatur. Propterea bene dicit: *Nemo venit &c.* Quod objicitur de motu violento, respondetur; quod est tractio coactionis exterioris, & est tractio inductionis. Prima violentiam ponit: secunda minime. Vel aliter, est tractio affectionis secundum quod dicit Augustinus, & etiam sicut Poeta (c) dicit: Trahit sua quemque voluptas; & hæc est meritoria. Et est tractio contra voluntatem, & hac non trahit Deus hominem, & de hac non loquitur (d). Ad secundum dicendum, quod non est in plena potestate hominis ad gratiam Dei venire, sed in potestate est se ad Divinum auxilium præparare (e). Quod appropriat Patri dico, quod

Responsio.

Stare sive manere est naturæ institutæ, descendere naturæ corruptæ, ascendere sive supra se elevari naturæ per gratiam sublimatæ.

Quia omnis, qui ad Deum venit, supra se elevatur, nemo venit, nisi trahatur.

Tractio coactionis, & inductionis.

Augustinus in Jo. Evangel. c. 6. Tract. 26. n. 4. Virgilius Ecloga 2.

(a) De hoc Doctor noster in 2. Dist. 10. art. 3. per totum.

(b) Sic *dicitur magistraliter* etiam in Edit. sub S. Bonav. nomine; ac ipsemet S. Bonaventura inquit Cap. 1. Itiner. ment. in Deum: *Supra nos levari non possumus, nisi per virtutem superiorem nos elevantem*, quam vocat *Divinum auxilium.*

(c) Scilicet *fune gratiæ, & caritatis, per quam Deus amicus verus paratus est omnes trahere ad alta, qui per manum boni operis funem gratiæ fortiter tenent*, Ser. 1. Fer. 4. Pentec. inter Sermones S. Bona. nomine prænotatos. Vid. ibi pulchrum ad id declarandum exemplum.

(d) De his quoque idem Doctor itidem in 2. Dist. 25. part. 2. art. 1. q. 5. in concl. & ad arg. Item in 4. Dist. 17. par. 1. art. 1, q. 2. ad arg.

(e) Supple, *per gratiam gratis datum*, ut supra adnotavimus cap. 1. sub num. 52. Vid. quoque supra num. 412. Itaque *Divinum auxilium*, sive *adjutorium*, de quo heic Interpres loquitur, secundum doctrinam ejus Breviloquii par. 5. cap. 2. est

appropriatio fit in Trinitate ratione intelligentiæ dandæ, ratione erroris amovendi, ratione humilitatis ostendendæ. Sic dico, quod hoc tertio modo Filius ea, quæ sunt totius Trinitatis, Patri appropriat, ut nos humiliari doceat, & sic patet.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Erunt omnes docibiles Dei*,

455. Quæritur de hoc quod dicitur: *Erunt omnes docibiles Dei*. Quia hoc certissime falsum est in omni statu. Item quomodo verum est illud, quod dicitur Joel. secundo: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & similiter illud Isaiæ: Ponam universos filios tuos doctos a Domino? Respondetur, quod *omnes* distribuit pro generibus singulorum; sed tunc auctoritas parum valeret ad propositum (*a*); propter hoc aliter exponitur, quod omnes Ecclesiæ filii, qui docti erunt, docebuntur a Deo (*b*), & nullus nisi per ipsum (*c*), ideo *omnes* erunt Dei docibiles. Et secundum Augustinum, qui omnes? Omnis qui audivit a Patre meo, & didicit, venit ad me (*d*); & sic auctoritas valet ad propositum (*e*).

Joel 2. 28. *Isa.* 54. 13. *et seq.* Responsio. *Augustinus in Jo. Evang. c.* 6. *Tract.* 26. *n.* 7.

456. *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Supra ostendit Dominus se esse panem reficientem secundum Divinam naturam; hic ostendit idem secundum humanam. Et quoniam hoc videbatur falsum, & asperum, seu durum, ideo habet hæc pars tres partes. Primo ponitur instructio Fidelium: Secundo ipsius confirmatio propter Judæorum litigium ibi: *Litigabant ergo Judæi &c.* Tertio ipsius explanatio propter Discipulorum scandalum ibi: *Hæc dixit in Synagoga docens &c.* Instructio brevis Fidelium primo ponitur, in qua carnem suam dicit esse panem, propter quod dicit: *Et panis &c.* Ita ego sum panis secundum Deitatem, ut sim etiam panis secundum carnem; unde dicit: *Et panis, quem ego dabo*, scilicet ad reficiendum, secundum quod petimus in oratione Dominica: Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie Matth. sexto (*f*). *Caro mea est*, quæ scilicet reficit primæ ad Cor. decimo: Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? *Pro mundi vita*, data scilicet est caro Christi, & supplicio est exposita juxta illud Thren. tertio: Dabit percutienti se maxillam (*g*). Immo totum corpus, unde Isa. quinquagesimo;

Instructio Fidelium. Panis supersubstantialis Christi. *Matth.* 6. 11. 1. *ad Cor.* 10. 16. *Thren.* 3. 30.

---

2. est *gratia*, sive *adjutorium datum divinitus ad merendum, quod quidem dicitur donum gratiæ gratum facientis, sine quo nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad æternam pervenire salutem.* Et hæc inibi dicitur *proprie gratia, & radix merendi.* Unde infert, quod *nullus ipsam mereri potest merito condigni; sed ipsa meretur augeri a Deo in via, ut aucta mereatur & perfici in patria, & gloria sempiterna, ab ipso Deo, cujus est gratiam infundere, secundum cooperationem voluntatis nostræ, & secundum propositum sive beneplacitum prædestinationis æternæ.* Ut sit autem in potestate hominis se ad eam disponere, opus est alia gratia, quæ præcedat, nempe illa, quæ inibi aliud *dicitur adjutorium divinitus datum, ut quis præparet se ad suscipiendum Spiritus sancti donum, quo perveniat ad meriti statum, & talis dicitur gratia gratis data, & sine hac nullus sufficienter facit, quod in se est, ut se præparet ad salutem.* Et hæc *gratia gratis data* inibi *specialiter dicitur gratia*, atque distinguitur ab eo quod *generaliter dicitur adjutorium Divinum*, illud nempe sine quo nec *possumus aliquid efficere, nec durare in esse.* Hinc de spiritu hominis post primævum peccatum recurvo ibidem elicit idem Doctor, ceu ab omni Pelagiani ac Semipelagiani erroris specie alienus, *quod ad hoc, ut se præparet ad donum supernæ gratiæ, cum sit recurvus, indiget dono alterius gratiæ gratis datæ, maxime post naturam lapsam &c.* De hujus *gratiæ gratis datæ* effectibus ibi cap. 3. Consulendus laudatus Doctor in 2. Dist. 28. art. 2. q. 1. in concl. ubi resolvit: *Tenendum est igitur, quod liberum arbitrium, si excitetur per aliquod donum gratiæ gratis datæ, potest ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere: si autem omni tali munere contingat ipsum destitui, numquam posset ad illam disponi.* Alios plures textus similes, in hanc rem facientes, brevitatis gratia prætermitto. Vide infra in cap. 15. ver. 5. num. 1017.

(*a*) Quo sensu d. *auctoritas valeat ad propositum*, mox dicetur.

(*b*) Sic S. Tho. Natal. Alexander &c. Et *docibiles Dei*, idem est secundum Græc. ac *docti a Deo*, ut etiam exponunt Sa, Tirin., Gordon. &c.

(*c*) Similiter Interpres noster in 1. Dist. 46. Art. 1. Q. 1. in concl. ex S. August.

(*d*) Vid. quoque eumdem S. August. de Prædestinat. Sanctor. cap. 8.

(*e*) De hoc *proposito* ita Cornel. a Lap. „ „ Quia insolens videbatur Judæis, quod dixerat „ Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; hinc Christus id ipsum „ confirmat ex Isaia & Prophetis, qui asserunt „ omnes filios, sive discipulos Christi, & Ec„ clesiæ, fore *theodidactos*, id est, doctos a Deo. „ Doceri autem a Deo est trahi a Deo &c." Et sane per *omnes docibiles Dei* significari, quod *affluentia doctrinæ & spiritus erit tempore Evangelii*, notat etiam Mariana; & quod tunc *Doctor illis & Præceptor futurus est Deus*, Calmet.

(*f*) De hoc *pane supersubstantiali* idem interpres in Orat. Dom.

(*g*) Ipsemet Exposit. in Lament. Jer. Proph. ibi.

Isa. 50. 6. mo: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Et non tantum ad percutiendum, immo etiam ad immolandum, unde ad Ephes. quinto: Ad Eph. 5. 2. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.

VERSUS LIII.

457. *Litigabant ergo Judaei, ad invicem dicentes: Quomodo &c.* Posita est instructio, ponitur hic secundo propter Judaeorum litigium confirmatio. Et primo ponitur Judaeorum litigatio, secundo doctrinae confirmatio ibi: *Dixit ergo eis Jesus.* Litigatio igitur erat de hoc quod carnem suam panem dixerat, quod ipsi carnaliter intelligebant. Propterea dicitur: *Litigabant ergo Judaei.* Primo murmurabant, sed modo litigant, quando alto & aperto sermone contradicunt. Litigiosi erant Judaei, quod non debent esse servi Dei, unde secundae ad Tim. secundo: Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem. *Ad invicem dicentes: Quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum?* Quasi dicant, hoc est impossibile, nisi se interficiat. Similiter petebat supra Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, & renasci? Unde stulte hoc petebant. Chrysostomus: Quomodo potest carnem dare, petis? Propter quid in panibus non dixisti, quomodo quinque panes in tot extendit?

Judaeorum litigatio.

Servi Dei non debent esse litigiosi.

2. ad Tim. 2. 24.

Jo. 3. 4.

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 6. Hom. 45.

VERSUS LIV.

458. *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis &c.* Posita est Judaeorum litigatio, ponitur hic doctrinae confirmatio. Confirmat igitur quod dixerat, carnem suam esse panem, hoc ordine: primo ponitur manducationis carnis Christi necessitas: secundo manducationis utilitas: tertio veritas: quarto vero dignitas. Primo igitur ostenditur manducationis necessitas, quia sine illa non est salus; propter quod dicit: *Amen, amen dico vobis*, id est, in veritate: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, tanquam verum panem, *& biberitis ejus sanguinem*, tanquam verum potum, *non habebitis vitam in vobis*, vitam scilicet gratiae, de qua dicitur in Psal. Vivifica me secundum verbum tuum. Augustinus: De spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Si igitur vis vivere de spiritu Christi, esto in corpore Christi (a). Qui autem manducat corpus Christi, est in corpore Christi: qui igitur non manducat, non vivit; quia dicitur Joan. eodem: Qui manducat meam carnem, in me manet.

Doctrinae confirmatio.

Manducationis necessitas.

Ps. 118. 107.

Augustinus in Jo. Evang. c. 6. Tract. 26. n. 13.

Supra v. 57.

VERSUS LV.

459. *Qui manducat &c.* Tangitur hic secundum, scilicet manducationis utilitas: quia qui Christi digne manducat carnem, & bibit sanguinem, vivificatur in anima & corpore: In anima, unde dicitur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*; *habet*, inquam, in merito. Vel *habet*, quia jam quodam modo habere incepit Isa. quinquagesimo quinto: Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra, inclinate aurem vestram, & venite ad me, & vivet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Dat etiam vitam corporalem, unde & subdit: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*, in illa hora scilicet, de qua supra quinto: Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: Qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.

Manducationis utilitas.

Isa. 55. 2. ac seq.

Jo. 5. 28. ac seq.

VERSUS LVI.

460. *Caro enim mea &c.* Tangitur hic tertium, scilicet refectionis veritas; vere enim reficit caro Christi, quia verus est cibus, & ideo vitam dat, propterea dicitur: *Caro enim mea vere est cibus*, Ita vere dixi (b) quod habet vitam qui manducat: *Caro enim mea vere est cibus*, non phantastice sicut cibi corporales, qui ad momentum reficiunt, & deficiunt; *& sanguis meus vere est potus*, quia sitim aufert omnino supra eodem: Qui venit

Refectionis veritas.

Supra v. 35.

(a) Edit. Maur. sic sonat: *Vis ergo tu vivere de spiritu Christi? In corpore esto Christi .... non potest vivere corpus Christi, nisi de spiritu Christi.*

(b) Vel hic dicendi modus: *Ita dixi*, frequens est in ejusdem Interpretis Comment. in Apocal.

venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam (a). Et quod caro ejus sit verus cibus reficiens & vivificans, ostendit tali ratione: Qui manet in me vivit propter me, sed qui manducat meam carnem manet in me; ergo qui manducat meam carnem vivit propter me. Hujus rationis primo ponit minorem in principio sic:

Caro Christi est verus cibus reficiens, & vivificans.

VERSUS LVII.

461. *Qui manducat meam carnem*, spirituali manducatione, *& bibit meum sanguinem*, *in me manet*, per dilectionem, primæ Joan. quarto: Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo; *& ego in eo* (b), scilicet per inhabitationem. Joan. quarto decimo: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Sic ponit minorem. Subdit probationem majoris, illius scilicet, quod qui manet in Filio vivit propter illum. Hanc manifestat in similitudine;

1. Jo. 4. 16.

Jo. 14. 23.

VERSUS LVIII.

462. *Sicut misit me vivens Pater*, *vivens* per essentiam, *& ego vivo propter Patrem*, scilicet quia ab ipso vitam habeo supra quinto: Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso, & hoc a Patre in ipso manente, Joan. quarto decimo: Ego in Patre, & Pater in me est. Et ex hoc habetur major illa: Qui manet in me &c. Et ex hoc infertur conclusio: *Et qui manducat me, & ipse vivet propter me*, quia scilicet manet in vita manducando vere propter me, quia sicut Joan. undecimo dicitur: Ego sum resurrectio & vita.

Jo. 5. 26.

Jo. 14. 10.

Jo. 11. 25.

VERSUS LIX.

463. *Hic est panis, qui &c.* Tangitur hic quartum, scilicet refectionis hujus dignitas, quæ excellit illam Patrum refectionem, quam supra laudabant Judæi & quia nobilior, & quia permanentior. Nobilior, quia iste panis de cœlo, unde dicitur: *Hic est panis, qui de cœlo descendit*. Supra eodem: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo, & ita nobilior est. Est etiam permanentior, quia ille conservabat temporaliter, iste vero æternaliter, unde dicitur: *Non sicut Patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt*, & ita temporaliter conservati, quia in quadraginta annis mortui in deserto secundum illud Psal. Quadraginta annis offensus fui generationi illi (c). Sequitur: Juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam (d). Numer. quarto decimo: Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera Patrum in deserto. Sed iste æternaliter, unde dicitur: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Ille scilicet qui digne manducat, quia si secundum quod dicitur primæ ad Cor. undecimo: Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit; qui e contra manducat digne, vivet in æternum. Sæpe promittit æternam vitam, & ut appetant cibum illum, & ut ab amore terrenæ vitæ eos abstrahat ad æternam. Sicut enim dicitur Matth. decimo: Qui amat patrem aut matrem, adhuc autem & animam suam (e) plus quam me, non est me dignus. Deuter. trigesimo: Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum (f).

Refectionis hujus dignitas.

Supra v. 32.

Ps. 94. 10.

Ad Heb. 4. 3.

Num. 14. 33.

1. ad Cor. 11. 29.

Matth. 10. 37.

Deut. 30. 19.

464. Quæritur de litigatione Judæorum, de qua quærit Chrysostomus, unde est hoc, quod supra in occulto *murmurabant*, sed modo *litigant* in aperto? Respondet ad hoc, quod est ex duplici caussa, tum quia mali homines, & stulti in pejus proficiunt, quanto magis eis veritas explicatur; tum etiam quia illud, quod supra dictum est de Divinitate, etsi videretur eis falsum, tamen non erat extraneum, & inhumanum. Sed quod modo dixerat de carne sua manducanda, non tantum sa-

Quæstio prima de litigatione Judæorum.

Chrysostomus cit. Hom. 45.

Responsio.

Mali homines, & stulti in pejus proficiunt, quanto magis eis veritas explicatur.

(a) Supra ver. 35. *in æternum*.

(b) Vulg. *in illo*: *in eum* Codd. Vercellen, & Brixian. ac *in eo* S. Greg. Moral. Lib. 7. cap. 7. num. 7.

(c) Videlicet *illis* (inquit cum Apost. ad Hebr. 3. 17. Jacob. Faber Stapulen. in quincuplo Psalterio) *qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto*.

(d) Apposite inquit Bossuet: *Sensus hujus loci ex Paulo sic concinnandus; nempe requiem a Deo israelitis esse promissam in terra Chananæa; omnes tamen interim in deserto cecidisse, hac requie frustratos &c.*

(e) Ly *adhuc autem & animam suam* desumptum est, additumque ex Luc. 14. 26.

(f) In Apographo nostro: *elige tibi vitam*.

falsum, sed extraneum, inhumanum, & immundum eis videbatur, quod Judæi refugiunt, ideoque *litigabant*.

Quæstio secunda de manducatione Corporis Christi, & carnis suæ.

465. Quæritur hic de manducatione corporis Christi, & carnis suæ. Et quod non manducetur videtur, quia quod manducatur atteritur & masticatur; sed caro Christi impassibilis dentibus non potest atteri, ergo nec manducari. Item quod manducatur in manducantem convertitur; sed corpus Christi non convertitur in nos, sed nos in ipsum; ergo ipsum non manducamus, sed ipse nos. Respondeo in manducatione tria sunt, quæ reperimus, scilicet masticatio, incorporatio, & conservatio. Masticatio est duplex secundum duplicem masticationem, quia est manducatio sacramentalis, & in hac est masticatio sacramentalis, quia species masticatur; & est manducatio spiritualis, & in hac est masticatio spiritualis, quæ est spiritualis discussio per fidem. Est igitur rursus incorporatio, qua corpori Christi incorporamur. Est etiam conservatio, qua per Christi spiritum conservamur, sicut membra corporis per animam. De his tribus dicit Augustinus: O sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum caritatis! qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Per hoc patet primum, quia est ibi masticatio non carnalis, sed spiritualis, vel sacramentalis. Quod objicitur, quod nobis incorporatur, dicendum, quod ultimus effectus cibi est conservare; & quia etsi nos incorporemur Christo manducando, quia tamen manducando conservamur, per ipsum recte ipse dicitur noster cibus (*a*).

Responsio.

Corpus Christi quomodo manducari queat ab homine.

Augustinus in Jo. Evang. Tract. 26. c. 6. n. 13.

Christus cur dicitur noster cibus.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Nisi manducaveritis carnem &c.*

466. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Nisi manducaveritis carnem &c.* Ex hoc videtur, quod Sacramentum Eucharistiæ sit necessitatis, & quod nullus sine eo possit salvari. Contra: Aut intelligit de vita gratiæ, aut gloriæ: gratiæ non; quia qui vult digne accedere, prius debet habere vitam gratiæ, ergo eam non habet per manducationem: nec vitam gloriæ, quia si potest habere vitam gratiæ sine manducatione, potest & gloriæ. Respondetur ad hæc secundum Augustinum, quod credere est manducare, unde subdit: ut quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducasti (*b*). Secundum hoc igitur attendendum, quod est manducatio spiritualis, & est manducatio sacramentalis. Spiritualis est per fidem & caritatem, sacramentalis sub sacramento. Sine sacramentali potest esse salus, nec est necessitatis, quantum est de institutione sacramenti. Spiritualis est de necessitate (*c*).

Responsio.

Augustinus ibi Tract. 25. n. 12.

Manducatio alia spiritualis, alia sacramentalis.

467.

(*a*) De prædictis ipsemet D. Bona. in 4. Dist. 9. art. 1. q. 1. ac seq. & Par. 6. Breviloq. cap. 9. ac Par. 4. Centiloq. sect. 50. nec non de præparat. ad Missam cap. 7. per totum &c.

(*b*) Sic ex eodem S. Augustino idemmet Interpres noster in 4. Dist. 12. Par. 2. Ar. 2. Q. 1. in Fundam. 1. & Q. 2. ad opp. 2. Notat autem doctissimus Suarez in 3. Par. D. Tho. Q. 73. Disput. 40. Sect. 2. §. ad fundamenta contrariæ sententiæ, quod D. Augustinus sæpissime prædictum textum, non de sacramentali manducatione, sed de spirituali, quæ est per fidem, exponat; sed & observat, non esse hunc solum literalem sensum illius loci; sed potissimum esse de sacramentali manducatione Christi in hoc Sacramento, quem sensum ipsemet D. Augustinus minime excludit. Insuper addit, animadvertere Petrum Soto Lect. 8. de Euchar. quod Patres nunquam dicunt, homines non posse salvari sine hoc Sacramento; sed sine participatione corporis & sanguinis Domini.

(*c*) Hanc Interpretis nostri sententiam olim in Scholis invaluisse, nedum ex ipsomet patet in eodem 4. ibi in concl. & ad 1.; verum etiam ex ejus Magistro Alexandro Alensi in 4. Q. 11. membr. 2. Art. 4. §. 1. vers. *Consequenter quæritur de necessitate actu manducandi*, & ex D. Tho. 4. Dist. 4. Art. 1. Q. 1. ad 2. q. & Dist. 12. Q. 3. Art. 2. ad 1. q. Qui omnes censent, hoc Sacramentum haud esse ex sui institutione necessarium, sed tantum ex præcepto Ecclesiastico, ut legere est apud Vasquez in 3. par. S. Tho. Q. 73. Art. 3. Disput. 169. Cap. 3. ab init. nec non Q. 80. Art. 11. Disput. 213. init. cap. 1. Quibus adde eumdem D. Tho. etiam in Evang. Joan. cap. 6. Lect. 8. sub not. *b*. Hug. Card. in Joan. ibi ad præfatum textum, Auctorem Exposit. in Joan. ibi sub S. Bona. nomine. Item pro eadem sententia negante præceptum Divinum in Communione laica, apud Suarez in 3. part. D. Tho. Q. 80. Art. 11. Disput. 69. Sect. 1. ab init. stare Carthusianum, Palacium, Gabrielem, Sylvestrum, Ferrariensem, & Cajetanum. Ibi tamen laudatus Suarez subdit, præceptum communicandi jure Divino esse a Christo Domino latum, atque hanc sententiam elegisse D. Thomam in Summa part. 3. Q. 80. Art. 11. *non solum ut tutiorem (quod Cajetanus ait) sed etiam ut probabiliorem, & magis piam*, quam tenuisse adseverat Durandum, Paludanum, Richardum, Ledesmam, Dominicum Sotum, Adrianum, Petrum Soto, Navarrum, Victoriam, Hosium contra Brentium, Claudium de Sainctes, & in

Objectio.

Euchariſtia parvulis neceſſaria non eſt, ſed adultis.

467. Sed objicitur de parvulis baptizatis, qui ſalvantur, nec unquam manducaverunt ſacramentaliter, nec ſpiritualiter. Item addit manducationi carnis potum ſanguinis, ergo ſine potu ſanguinis nulli ſalvantur: ſed ſoli Sacerdotes ſumunt ſanguinem, non vero fideles (*a*); ergo ipſi ſoli ſalvantur.

Solutio.

Reſp. Dicendum, quod ſicut dictum eſt, duplex eſt effectus manducationis, ſcilicet incorporatio, & conſervatio. Nullus ſalvatur niſi ſit membrum Chriſti, & niſi conſervetur a Chriſto. Unde ſine effectu manducationis nullus ſalvatur, ideo dicitur manducatio neceſſaria. Quia vero in parvulis Divina largitate poteſt eſſe effectus manducationis ſine manducatione; ideo ſalvantur etiam ſine manducatione quacumque. In adultis vero non poteſt eſſe incorporatio ſeu conſervatio ſine manducatione ſpirituali, quæ eſt per fidem & caritatem; ſed poteſt eſſe ſine ſacramentali manducatio ſpiritualis, ideo hæc eſt neceſſaria adultis (*b*). Sacramentalis vero etſi non ſit de neceſſitate, tamen multam præſtat utilitatem; quia virtute ſacramentali augetur in nobis omne bonum (*c*). Quod ergo objicitur de carne & ſanguine, exponit Auguſtinus de potu & cibo ſpirituali. Unde vult intelligi hunc per cibum & potum, ſocietatem corporis & membrorum, quæ eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis & vocatis ſanctis & fidelibus ejus, extra quam nullus ſalvatur (*d*).

Auguſtinus ibi Tract. 26. n. 15.

Quæſtio quarta de utilitate hujus manducationis.

468. Item de utilitate quæritur: *Qui manducat meam carnem &c.* Multi enim manducant, qui tamen moriuntur & damnantur, ſicut Judas. Item ſicut Filius vivit propter Patrem viventem, ſic dicitur in litera, quod nos vivimus propter Filium; ſed Filius non manducando vivit, ergo pari ratione & nos. Aut ſi nos manducamus Filium, quare non manducat ipſe Patrem?

Reſponſio.

Hæreſes duæ circa Euchariſtiam exortæ refutantur.

Reſp. Dicendum ad primum, quod duplex fuit ex iſto verbo hæreſis exorta, una quæ dixit, quod ex quo quis manducat carnem Chriſti, non poterat damnari, dum tamen credens manducaret. Sed hæc eſt irrationabilis manifeſte propter Judam (*e*). Alii dixerunt, quod qui digne ſemel manducaret, poſt numquam damnaretur; & hæc manifeſte falſa, quia ſicut per Scripturam probari poteſt, multi fuerunt boni in Eccleſia, qui poſtmodum ſunt damnati.

Catholica expoſitio illius verbi. Qui manducat &c.

Ideo catholice intelligendum eſt verbum *qui manducat*, ſcilicet digne (*f*), & ab illa dignitate non recedit, vivet in æternum. Ad aliud dicendum, quod non eſt omnino ſimile, licet adducatur per ſimilitudinem; Filius enim dicitur vivere prop-

---

in eamdem inclinare ait Innocentium Lib. 4. de hoc myſterio cap. 42. In marg. apud eumdem Suarez citatur etiam *Gabriel* pro hac ſecunda ſententia, utpote quam ſecutus eſt in 4. Diſt. 9. Q. 2. Art. 2. Concl. 2. & 3. ſecundum doctrinam, quam ipſe præmiſerat notat. 2. At pro priori Lect. 87. in Canonem. Quod ſpectat *Richardum* ab ipſo pro ſecunda allegatum, apud Richardum de Media Villa in 4. Diſt. 12. Art. 6. Q. 2. quæ apud ipſum eſt tantum, ad propoſitum nihil invenio, ſed potius pro priori ſententia ibi Diſt. 9. Q. 3. ad finem. Certius pro ſecunda ſtat Jo. Viguer. de Inſtit. Theolog. cap. 16. §. 3. ver. 19. Sed quid de Carthuſiano, nomine Dionyſio? Ipſimet placuiſſe priorem ſententiam, utpote ſuo ævo adhuc in Scholis probatam non diffiteor: ajo tamen inter utramque quaſi ancipitem videri Enarrat. in Joan. Evang. cap. 6. ad d. textum: *Niſi manducaveritis &c.*, dum ſubjungit: *In Sacramento ſacramentaliter & ſpiritualiter, vel ſpiritualiter ad minus, per fidem, & votum accedendo, gratiamque Chriſti participando.* Unde in tanto ſummorum Theologorum conflictu, ac diſſenſu opinionum, quas numquam Tridentin. Concil., Pallavicino teſte Lib. 12. cap. 12., dirimere ſibi propoſuit, præpropera apparet cenſura P. Daniel. Concina, viri alioqui eruditi doctique, ac de morum diſciplina optime meriti, qui Theol. Chriſtian. To. 8. Lib. 3. de Euchar. Diſſert. 1. cap. 9. num. 10. ſecundæ ſententiæ de præcepto Divino ſic adhæret, ut dicat: *Nec Catholicorum aliquis abſque manifeſto errore in Concilio Tridentino Seſſ. 14. jam proſcripto, oppoſitum ſuſtinere valet.* Si enim præfata veterum Theologorum ſententia eſſet *manifeſtus error jam in Concilio Tridentino proſcriptus*, Eccleſia expreſſe definiiſſet oppoſitum; at inquit eruditiſſimus Vaſquez cit. Q. 80. ibi cap. 2. *Reliquum igitur eſt, ut ex ipſa Scriptura, in qua voluntas Chriſti nobis oſtenditur, hoc præceptum eſſe Divinum colligamus; neque enim Eccleſia id hactenus expreſſe definivit, licet Concilium Tridentinum non obſcure id tradiderit &c.* Itaque & ego in hanc ſententiam nunc manibus pedibuſque eundum cenſeo: at a cenſura contrariæ temperandum.

(*a*) D. ipſe Bona. in eodem 4. Diſt. 11. Par. 2. Art. 1. Q. 2. ad 1. & 2.

(*b*) Ibi Diſt. 12. Par. 2. Art. 2. Q. 1. ad 1.

(*c*) Ibi Art. 1. Q. 3. in concl.

(*d*) Ita etiam ex Aug. Tract. 26. in Jo. poſt med. in Expoſit. jam edita ſub nomine S. Bonavent. heic. Vide ſis P. Leonardum Vanroy Tract. de Auguſt. Euch. Sacram. cap. 6. Q. 1. ac 2.

(*e*) Ita cenſentes ceu *hæreticos* refellit Doctor noſter in Opuſculo *de Præparat. ad Miſſam* c. 4.

(*f*) Supra num. 459.

propter Patrem, quia a Patre habet vitam, & quia manet in Patre, sed non quia participatione Patris fiat melior: nos vero vivimus per Filium, quia ab ipso habemus vitam, & a Filio manente in nobis, & participatione ejus meliores simus. Ideo quia non manet in nobis nisi per manducationem, ideo manducamus ut vivamus, & meliores efficiamur.

Quæstio quinta de dignitate hujus manducationis.

469. Item quæritur de dignitate hujus manducationis. Dicitur enim quod manducantes hunc panem non moriuntur, sicut manducantes manna. Contra: Hoc aut intelligitur de vita spirituali, aut corporali; si de spirituali, nihil dicitur, quia Patres sancti, qui comederunt manna, non sunt spiritualiter mortui. Si de corporali, similiter, quia qui manducat hunc panem, non vivit corporaliter, sed moritur. Si dicas, quod indigne manducantes manna sunt mortui spirituali morte, & hos vocat Patres eorum; similiter indigne manducantes Corpus Christi moriuntur morte spirituali, primæ ad Cor. undecimo: Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit. Propterea quæritur quid est manducare indigne, & quare peccat manducans indigne? Resp. Dicendum, quod cibus iste præponitur illi ratione vivificationis dupliciter; tum quia ille non poterat vivificare nisi peritum, quem signabat; tum quia hic vivificat magis: ideo dicitur de Justis, quod omnes eamdem spiritalem escam manducaverunt, primæ ad Cor. decimo. Sed qui solum ad illum habebant oculum, mortui sunt spiritualiter, quia tantum carnaliter gustaverunt. Ita respondet Augustinus. Aliter potest dici, quod manna ordinabatur ad conservationem vitæ corporalis, sed hic ad conservationem vitæ spiritualis. Et vult Dominus dicere, quod ille panis solummodo vitam corporalem continuabat ad tempus; sed iste vitam spiritualem continuat in æternum digne sumentibus: & ideo illo est dignior. Indigne vero accipientes peccant, & convertitur eis panis in venenum, & isti sunt qui remorsum habent mortalis peccati. Ratio quare peccant est contemptus, quia tantum hospitem inducunt in tam vile hospitium (a). Quomodo autem digne accipiatur, docet Augustinus: Innocentiam, inquit, ad altare apportate; peccata si sint quotidiana, saltem non sint mortifera: antequam ad altare accedatis, adtendite, quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra &c. Tunc securi accedite, panis est, non venenum.

1. ad Cor. 11. 29.

Quid est manducare indigne, & quare peccat manducans indigne? Responsio.

1. ad Cor. 10. 3.

Augustinus ibi n. 11.

Indigne accipientium Eucharistiam quantum flagitium.

Augustinus ibi.

VERSUS LX.

470. *Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum*. Supra posita est instructionis confirmatio propter Judæorum litigium; hic ponitur explanatio propter Discipulorum scandalum, & proceditur hoc ordine. Primo enim innuitur Discipulorum murmuratio: secundo ob murmurationem doctrinæ explanatio: tertio redditur murmurandi ratio: quarto non credentium retrocessio: quinto credentium confirmatio: sexto confirmatorum discretio (b). Discipulorum murmuratio erat ex hoc, quod dixerat carnem suam dari ad manducandum, & quod sine hoc non erat salus, propter quod dicitur: *Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum*, id est, in communi, & ideo contra eum multi sævierunt. Joan. decimo octavo: Ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.

Instructionis confirmationi accedit explanatio.

Ordo dicendorum.

Discipulorum murmuratio.

Jo. 18. 20.

VERSUS LXI.

471. *Multi ergo ex discipulis ejus audientes*, quod nunc scilicet dictum est de manducatione carnis, *dixerunt: Durus est hic sermo*, id est, crudelis & inhumanus, humanam carnem manducare, *quis (c) potest eum audire?* Non dicunt credere, sed audire propter horribi-

---

(a) In 4. Dist. 9. Art. 2. Q. 2. in concl. *Dicendum quod peccator sumit sibi corpus Christi ad damnationem, non quia corpus ipsum aliquam maculam dat animæ; sed quia peccator ipsum contemnit, dum se præparare, cum immundus sit, negligit, & Dominum in tam fœdum hospitium introducit.* Et ibi Dist. 12. par. 2. art. 1. q. 1. in concl. *Quia cum honore & devotione non suscipitur tam nobilis hospes in immundo hospitio, necesse est, quod homo hospitium Deo præparet per sui dijudicationem &c.*

(b) Consueta similiter desinentia.

(c) Vulg. *& quis;* sed absque *&* pariter Beda, ac Cod. noster Bernardinian. nec non Codd. Veronen. & Brixian. Unde recte adnotavit Franciscus Lucas Brugensis, quod insignia exemplaria auferunt conjunctionem *&*, suffragantibus Græcis, & Syris. Omittit quoque conjunctionem *&* Dionys. Carthus,

ribilitatem; ideo non poterant audire, quia aures eorum aggravatæ erant, juxta illud Isaiæ sexto: Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava &c. *Isa. 6. 10.*

VERSUS LXII.

472. *Sciens autem Jesus &c.* Tangitur hic secundum, scilicet propter murmurationem doctrinæ explanatio: & licet esset murmuratio in occulto, tamen Dominum non latebat; unde dicitur: *Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus*, non relatione hoc cognovit, sed apud se Joan. sexto decimo: Dixerunt discipuli: Nunc scimus, quia scis omnia, & non est opus tibi, ut quis te interroget. Sciens ergo murmurationem, & volens eam abscindere, explanat quod dixerat, hoc non esse intelligendum carnaliter, sed spiritualiter. Ostendit ergo, quod non est carnaliter intelligendum, tum quia falsum, tum quia inutile; propterea *dixit eis: Hoc vos scandalizat (a)*. Quod scilicet dixi de manducatione meæ carnis, quia carnaliter ipsam dividendam creditis, sicut Pharisæi Matth. quinto decimo: Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt? & hoc falsum est, unde subdit: *Doctrinæ explanatio.* *Jo. 16. 30.* *Matth. 15. 12.*

VERSUS LXIII.

473. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius (b).* Defectiva est constructio, unde supplenda est (c): Tunc scietis quod caro non est per frusta dividenda, quia totus Christus integer erit in cœlo. Augustinus: Totus integer est in cœlo in unitate personæ. Sic manet integer sub Sacramento, manet integer in corde tuo. Non solum intellectus eorum erat falsus, sed inutilis, unde subdit: *Augustinus ibi Tract. 27. n. 4.*

VERSUS LXIV.

474. *Spiritus est, qui vivificat, caro autem*, id est, carnalis intelligentia, *non prodest quidquam*, secundæ ad Cor. tertio: Litera occidit, spiritus autem vivificat; & ideo non sunt verba carnaliter intelligenda, quia non prosunt, sed spiritualiter, ut sic prosint (d). Unde *verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, quia spiritualiter intellecta vivificant, unde ad Heb. quarto: Vivus est sermo Domini, & efficax; vivus est, quia vivificat, unde Deuter. octavo: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit (e) ex ore Dei. Sed non vivificant nisi spiritualiter intelligentem, unde Augustinus: Intellexisti spiritualiter? Spiritus & vita sunt: Intellexisti carnaliter? Spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt. *2. ad Cor. 3. 6.* *Ad Heb. 4. 12.* *Deut. 8. 3.* *Augustinus ibi n. 6.*

VERSUS LXV.

475. *Sed sunt quidam &c.* Hic tangitur tertium, scilicet murmurationis ratio, quare scilicet Discipuli murmurabant, quia fidem non habebant, sed sic non omnes; sed quidam, qui a Deo electi non erant, propterea dicit: *Sed sunt quidam ex vobis*, ita sunt verba spiritualiter intelligenda; sed quidam ex vobis non intelligunt: unde *quidam non credunt*. Et hoc non dicit ex conjectura, sed ex certa scientia; propterea dicit Evangelista: *Sciebat enim Jesus ab initio, qui essent credentes (f)*. Supra secundo: Ipse enim sciebat quid esset in homine. Ecclesiastici vigesimo tertio: Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. *Et quis traditurus esset eum*, unde non *Murmurationis ratio.* *Jo. 2. 25.* *Eccli 23. 28.*

(a) Vulg. cum interrogatione; sed absque interrogatione etiam Cod. Brixian. Hugo Card., Lyranus d. Dionys. Carthus. ac antiquæ nonnullæ Biblior. Editiones. Item *legi posse remissive, quasi dicat: Scio quod de hoc scandalizamini*, monet etiam S. Tho.

(b) Vel heic Vulg. cum interrogatione; sed absque ea iidem qui supra una cum cit. Editionibus, ac Codex Tabular. sive Biblioth. Episc. Trid.

(c) Sic & D. Tho.

(d) In 4. Dist. 10. par. 1. art. 1. q. 1. ad 5. „ Quod dicit Dominus: *Caro non prodest quidquam*, „ intelligitur de carnaliter intelligente. Ille autem „ intelligit carnaliter, non qui intelligit carnem „ esse præsentem; sed qui intelligit Christum man- „ ducari, secundum quod comeditur caro cujuslibet animalis per frusta. Sed tamen multum „ prodest eam veraciter assumenti sub Sacra- „ mento. "

(e) Vulg. *egreditur*; sed Matth. 4. 4. *procedit*.

(f) Vulg. *non credentes*; sed *credentes* sine *non* Codd. Forojulien. Goth. Mm. apud Blanchin. Item noster Bernardin. atque alius Biblioth. Episc. Trident. nec non S. Thomas, Hugo Card. Lyran. Dionys. Carthus. & antiquæ Biblior. Editiones &c.

de non fuit traditus ut ignorans, quemadmodum alii homines. Ideo hoc dicit Evangelista, ne videatur Christus deceptus admittendo Discipulos instabiles, & Discipulos insidiantes, ut proditorem. Ratio autem quare non credebant, erat, quia etsi essent vocati exterius, & secundum præsentem justitiam, non tamen secundum electionem æternam, & hanc supra dixit, & repetit (*a*).

Æterna prædestinatio caussa perseverantiæ.

VERSUS LXVI.

476. *Et dicebat: Propterea dixi vobis* (*b*), *nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo*; supra eodem: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Venire enim ad Filium datum est optimum, & donum perfectum, & ideo est desursum Jacob. primo.

Supra v. 44. Jacob. 1. 17.

VERSUS LXVII.

477. *Et* (*c*) *ex hoc multi Discipulorum &c.* Hic tangitur quartum, scilicet non credentium retrocessio, unde dicitur: *Ex hoc*, id est, post hoc, vel *ex hoc*, id est, occasione hujus increpationis, & instructionis, *multi Discipulorum ejus abierunt retro*, non per imitationem post Christum, sed post Satanam (*d*), sicut dictum est Petro Matth. sexto decimo: Vade retro me (*e*) Satana; scilicet *abierunt retro* per indignationem. Unde non tantum corde recesserunt, sed etiam corpore; unde *& jam cum illo non ambulabant*, ideo multi recesserunt, & pauci remanserunt, quia secundum illud Matth. vigesimo: Multi sunt vocati, pauci vero electi; & quia pauci electi

Non credentium retrocessio. Matth. 16. 23. Matth. 20. 16. Pauci electi ad regnum Dei.

ad regnum Dei, ideo pauci sunt, qui non retrocedebant secundum illud Luc. nono: Nemo mittens manum (*f*) ad aratrum, & aspiciens (*g*) retro, aptus est regno Dei.

Luc. 9. 61.

VERSUS LXVIII.

478. *Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid &c.* Tangitur hic quintum, scilicet credentium & electorum confirmatio, & hæc quidem facta est in fideli confessione Petri; ideo ponitur inquisitio Domini, & responsio Petri. Inquirit Dominus a duodecim, quos specialiter elegerat: *Numquid & vos vultis abire?* Me scilicet derelinquendo, secundum quod præcedentes faciunt. Jerem. secundo: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ. Sed quærit, non quia dubitet, sed ut fidem Petri in exemplum firmitatis adducat.

Credentium & electorum confirmatio. Jer. 2. 13.

VERSUS LXIX.

479. *Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus?* Quasi dicat, nolumus abire, quia tibi similem non possumus invenire. Psal. Non est similis tui in Diis, Domine; nec propter hæc verba debemus abire, unde dicit: *Verba vitæ æternæ habes*, aliis non credentibus erant dura & mortifera; sed Petro & aliis credentibus erant vita (*h*). Et ratio subditur:

Ps. 85. 8.

VERSUS LXX.

480. *Et nos credimus* (*i*), *& cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Similem confessionem fecit Matth. sextodecimo: Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc

Matth. 16. 16.

(*a*) Supra num. 439.
(*b*) Vulg. *quia*; sed absque *quia* etiam Codd. Vercellen. & Corbejen. apud d. Blanchin.
(*c*) Vulg. sine *&*; pro *&* habent *ergo* Codd. Veronen. & Cant. apud eumdem Blanchin.
(*d*) *Abierunt retro Satanam, non post Jesum*, habet etiam heic Dionys. Carthus.
(*e*) Vulg. *post me*; sed *retro me* etiam cit. Biblior. Cod. Biblioth. Episc. Trident. Item *retro* habet quoque heic Hugo Card. ex Matth. 16. In Codd. autem Vercellen. & Veron. *retro post me*. Mar. 8. 33. *retro me*.
(*f*) Vulg. *suam*; sed absque *suam* S. Bona. etiam in Exposit. Reg. Fratr. Minor. cap. 2. nec non Cod. Vercellen. apud laud. Blanchin. Item S. Greg. in Ezech. Lib. 1. Hom. 3. num. 16. & in Evang. Lib. 2. Hom. 24. num. 1.
(*g*) Vulg. *respiciens*, sed *aspiciens* in cit. Reg. & apud S. Greg. ibi. Item Codd. Forojulien. ac Goth. noster Bernardin. aliusque Episc. Biblioth. Trident. Hugo Card. Lyran. antiquæ Bibliorum Editiones &c.
(*h*) Par. 4. Eccl. Hierarch. c. 4. ubi idem textus similiter declaratur. Pariter quoque exponitur *ad quem ibimus?* in Vite Myst. cap. 6. num. 28.
(*i*) Vulg. *credidimus*; sed *credimus* S. Tho. Hugo Card. Lyran. Codd. unus Forojulien. Trident. duo, ac noster Bernardinian. nec non Auctor Exposit. in Jo. Evang. sub S. Bonav. nomine, Dionys. Carthus. & antiquæ Biblior. Editiones.

Jo. 11. 27. hunc mundum venisti. *Credimus* dicit, & post *cognovimus*, quia fides est via in
Isa. 7. 9. cognitionem; Nisi enim credideritis, non intelligetis (*a*) Isai. septimo, secundum
Translatio sec. LXX: aliam literam.

VERSUS LXXI.

481. *Respondit eis Jesus*, notatur hic
Remanentium discretio. sextum, scilicet remanentium discretio. Ostendit enim Dominus, quod etsi nullus de duodecim recesserit (*b*), non tamen omnes fideles permanerent, propter quod dicitur: *Respondit eis Jesus* confessioni Petri, quam pro omnibus dixerat: *Nonne ego duodecim vos elegi, & unus ex vobis diabolus est?* Judas dicitur diabolus, quia ipsius suggestionibus consensit. Psal. de Juda dicitur: Constitue
Ps. 108, 6. super eum peccatorem, & diabolus stet a dextris ejus &c. (*c*). Unum notat de malitia, ut ceteri timeant, & exponit Evangelista de quo intelligebat, scilicet de Juda, unde dicit:

VERSUS LXXII.

482. *Dicebat autem de Juda Simonis Scariotis* (*d*), *hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim*. Hoc dictum est, ut timerent, & ut non mirarentur de aliis, qui recesserant, quia non ita specialiter electi erant. De hac electione duodecim dicitur Matth. decimo: Et convocatis duodecim dedit illis
Matth. 10. 1. potestatem &c. Luc. sexto: Elegit duodecim ex ipsis &c. Electio ista præfigurata est Josue quarto: Elige duodecim viros singulos &c.
Luc. 6. 13.
Jos. 4. 2.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius.* 483. Sed quæritur hic de hoc quod dicitur: *Si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius*. Hoc non potest dici secundum humanam naturam, quia secundum illam non erat prius in cœlo; similiter nec secundum Divinam, quia secundum illam adhuc tunc erat in cœlo, cum loquebatur. Unde supra tertio: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. Respondeo, quod istud dictum est comparando Filium Dei secundum Divinam naturam post carnis assumptionem, in qua videbatur esse humiliata comparate ad seipsam ante assumptionem; quia tunc non poterat cogitari tanquam infirmus. Idem est ergo ac si diceret: Si videritis Filium hominis ascendere, id est, tantum clarificari, ut credatur Patri esse æqualis.
Supra v. 13.
Responsio.

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Caro non prodest quidquam.* 484. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Caro non prodest quidquam*. Si enim nihil prodest, ergo non debet dari ad manducandum; nec est vere cibus. Propter hoc dicunt Hæretici, quod verba ista intelligenda sunt spiritualiter, ita quod non carnaliter. Nec intelligendum, quod ad literam sumamus carnem Christi sub Sacramento. Et dicunt, Discipulos fuisse reprehensos, qui hoc cogitabant. Unde dicunt, quod non est in Sacramento Altaris nisi sicut in signo. Sed pessime intelligunt (*e*) quia dum renuunt carnem, fugiunt veritatem. Etsi enim verba Christi sint spiritualiter intelligenda, nihilominus debent esse vera. Propter hoc dicendum, quod caro, quam traxit de Virgine, est verus cibus. Quod autem dicitur, quod *non prodest quidquam*, intelligitur dupliciter; vel quia nihil prodest sine spiritu, sicut enim carbo non comburit nisi ignitus, tamen ignitus urit: Sic caro Christi si separetur a Verbo, non accendit, sed Verbo conjuncta est tanquam carbo ignitus (*f*). Aliter respondetur, quod *caro nihil prodest* secundum carnalem intelligentiam, sic intelligendo, quod Christus daret carnem suam dividendo, sicut carnes in macello, & materialiter masticando sub forma carnis: Talis, inquam, intel-
Hæreticorum responsio rejecta.
Orthodoxi interpretis responsio.

(*a*) In Vulg. *non permanebitis*, sed sicut supra legit quoque noster Interpres itidem *secundum Septuaginta* in 3. Dist. 24. Dub. 3. Proœm. in Evang. S. Lucæ, in Serm. de Seminante &c. Eamdem lectionem quoque adhibet Auctor Opusculi de septem itiner. æter. par. 6. Dist. 5. inter edita sub S. Bona. nomine, & heic Dionys. Carthus. Et sic infra cap. 10. ver. 38. num. 753.

(*b*) Al. *recederet*.

(*c*) Sic idem met Interpres noster Exposit. in Psalter. ibi, nec non Exposit. in cap. 22. S. Lucæ.

(*d*) Vulg. *Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem*; sed ut supra Hugo Card. Lyran. Dionys. Carthus. Item Evangelior. Codd. Brixian. Forojulien. ac Gat. apud Blanchin. Item apud nos unus Bernardinian. alter Biblioth. Episc. Trident. ac antiquæ Editiones Biblior. Insuper *de Juda* habet Evangeliar. Ecclesiæ Trident. Et *de Juda Simonis Iscariote* S. Tho.

(*e*) *Pessimum errorem* vocat etiam, atque confutat S. Bonaventura in 4. Dist. 10. par. 1. art. 1. q. 1. in concl.

(*f*) Ibi ad 4.

telligentia *non prodest*: Sed quod vera caro sine sui sectione in Sacramento comeditur (*a*).

Quæstio tertia de responsione Petri, quare Petrus solus respondit &c. *Matth.* 16. 17.

485. Item quæritur de responsione Petri, quare Petrus solus respondit, & magis quam alii? Item quare non est laudata ejus confessio, sicut Matth. sexto decimo? Item videtur, quod mentitus fuerit, saltem pro Juda; quia ipse pro omnibus loquebatur. Resp. Dicendum, quod Petrus omnibus erat ferventior, sicut patet in verbis suis, & audacter Domino loquebatur. Alii vero non ita audebant, & ideo erat os Apostolorum & in quærendo, & in respondendo. Et ideo pro omnibus respondit. Ad aliud dicit Chrysostomus, quod respondit hic pro omnibus; & quia fides Judæ non erat laudabilis, ideo laudatus non est (*b*). Nec tamen est mentitus, licet falsum dixerit; quia pro errore decipiebatur bene judicando de suis Coapostolis.

Responsio. *Chrysostomus Hom.* 46.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Unus ex vobis Diabolus est*. *Chrysostomus ibi*.

486. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Unus ex vobis diabolus est*. Quærit Chrysostomus, quare non sunt contristati, sicut Joan. tertio decimo, cum dixit: Unus ex vobis me tradet. Respondeo, quod infra non tantum sunt contristati pro culpa, quam pro Domini injuria, quæ erat sibi a suo Discipulo inferenda; hic autem solum expressit malitiam.

Jo. 13. 21. Responsio.

Quæstio quinta, quare non abjecit eum. Responsio. *Augustinus in Jo. Ev. c.* 6. *Tr.* 27. *n.* 10.

487. Item quare non abjecit eum; ex quo diabolus erat, & sciebat, quod semper futurus esset malus? Respondet Augustinus, quod malis operibus hominum iniquorum bene utitur Deus, sicut mali homines male utuntur bonis operibus Dei. Ideo hominem reprobum elegit Judam, ut per eum dispensatio Divinæ misericordiæ in salutem mundi impleretur; & ostenderetur mirabilis patientia Dei, quæ tam iniquum in tanto officio sustinebat, & ut nemo glorietur de præsenti vocatione (*c*).

488. Quo autem ad ea, quæ dicta sunt supra (*d*) de doctrina Christi: *Verba vitæ æternæ habes &c.*, ac continuo infra (*e*) de verbo doctrinæ, nota:

VerbumDei fructus habet in comparatione ad culpam:

- Purificans a macula ad Ephes. quinto: Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Unde Joan. quinto decimo: Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. (*Ad Ep.* 5. 26. *ac seq.*; *Jo.* 15. 3.)
- Salvificans ab ira Jac. primo: In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras, salvare, inquam, ab ira ad Rom. quinto: Justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. (*Jac.* 1. 21.; *Ad Rom.* 5. 9.)
- Sanctificans ab immunditia, quæ est culpæ sequela primæ ad Tim. quarto: Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Non tantum cibi, sed homines. Joan. decimo septimo: Sanctifica eos in veritate &c. (1. *ad Tim.* 4. 4. *ac seq.*; *Jo.* 17. 17.)

(*a*) Ibi ad 5. ac prætera quod *prodest*, *in quantum est unita Verbo, & deificata* 3. Dist. 9. Dub. 6.

(*b*) Auctor Exposit. in Jo. Evang. sub S. Bonav. nomine in cap. 6. haud procul a fine sic ait „ Ad hoc respondet Chrysostomus, quod „ ibi de Discipulis nihil dixit Petrus, id est, „ non respondit in persona Discipulorum, sed „ in singulari ait: *Tu es Christus &c.* Hic autem cum ait: *Credimus*, pro collegio respon„ det. Ideo non fuit laudatus taliter, ut esset „ promissio ei facta ".

(*c*) Exposit. in cap. 6. S. Lucæ: *Ut non præsumamus, si ad dignitates eligamur*. Quoad cetera vero Augustinus nedum supra cit. Tract. 27. sed & de Civit. Dei Lib. 18. cap. 49.

(*d*) Supra num, 479.

(*e*) Mox. seq. cap. 7. num. 489.

Ad animam totam:

- *Jo. 5. 24.* Vivificans in gratiæ collatione Joan. quinto: Qui verbum
meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam
Jo. 6. 64. & 69. æternam &c. Item Joan. sexto: Verba, quæ ego lo-
cutus sum vobis, spiritus & vita sunt; & rursus: Do-
mine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.
- *Deut. 8. 3.* Conservans in gratiæ vegetatione Deut. octavo: Non in so-
lo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod proce-
Jo. 8. 52. dit (a) ex ore Dei. Joan. octavo: Si quis sermonem
meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.
- Beatificans in gratiæ consummatione, quia beatitudo est gra-
Luc. 11. 28. ac seq. tia consummata (b) Luc. undecimo: Beatus venter, qui
te portavit, & ubera, quæ suxisti; quinimo beati qui
audiunt verbum Dei, & custodiunt illud &c.

Ad potentiam cognitivam:

- *Ps. 118. 105.* Illuminans ad credendum Psal. Lucerna pedibus meis verbum
tuum, & lumen semitis meis. Et non tantum illumi-
Ad Phil. 2. 15. ac seq. nat, sed etiam facit lumen ad Phil. secundo: Inter quos
lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.
- *Ps. 32. 6.* Fortificans ad confitendum Psal. Verbo Domini cœli firmati
sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Qui
prius negaverant per infirmitatem, verbo firmati sunt
Ps. 67. 12. ad confitendum auctoritate Psal. Dominus dabit verbum
evangelizantibus virtute multa.
- *Isa. 55. 10. ac seq.* Inebrians ad alios erudiendum Isa. quinquagesimo quinto:
Quomodo descendit imber, aut nix de cœlo, & illuc
ultra non revertitur, & inebriat terram, & infundit
eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti &c.
Et post: Sic erit verbum, quod egredietur de ore
Luc. 8. 11. meo &c. Unde comparatur semini Luc. octavo: Se-
Matth. 13. 23. men est Verbum Dei. Et Matth. tertio decimo: Qui
in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit ver-
1. Pet. 1. 23. bum, & intelligit, & fructum affert. Et primæ Petr.
primo: Renati non ex semine corruptibili, sed incor-
ruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum.

Ad affectivam:

- *Jer. 23. 29.* Inflammans ad amorem Jerem. vigesimo tertio: Numquid
non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus con-
Ps. 118. 140. terens petram? Psal. Ignitum eloquium tuum vehe-
menter, & servus tuus dilexit illud.
- *Ps. 118. 103.* Delectans ad devotionem Psal. Quam dulcia faucibus meis
eloquia tua, super mel ori meo! Et hoc verbum dul-
ce delectat, & ideo amicos generat Ecclesiastici sexto:
Eccli 6. 5. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.
- *Zach. 1. 13.* Consolans ad bonorum expectationem Zachar. primo: Re-
spondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba
bona, verba consolatoria. Iste Angelus Christus, cu-
jus verba consolantur per promissionem Joan. quinto
Jo. 15. 7. decimo: Si manseritis in me, & verba mea in vobis
manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.

C A-

(a) Vide supra num. 474.
(b) In 2. Dist. 27. art. 1. q. 3. in concl.

CAPUT SEPTIMUM.

1. POST hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam,
non enim volebat in Judæam ambulare, quia
quærebant eum Judæi interficere. 2. Erat
autem in proximo dies festus Judæorum, Sce-
nopegia. 3. Dixerunt autem ad eum fratres
ejus: Transi hinc, & vade in Judæam, ut &
discipuli tui videant opera tua, quæ facis.
4. Nemo quippe in occulto quid facit, &
quærit ipse in palam esse: Si hæc facis, mani-
festa teipsum mundo. 5. Neque enim fratres ejus credebant in eum.
6. Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit: tempus
autem vestrum semper est paratum. 7. Non potest mundus odisse vos:
me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera
ejus mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem
non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum im-
pletum est. 9. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. 10. Ut
autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum
non manifeste, sed quasi in occulto. 11. Judæi ergo quærebant eum
in die festo, & dicebant: Ubi est ille? 12. Et murmur multum erat
in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem
dicebant: Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loque-
batur de illo, propter metum Judæorum. 14. Jam autem die festo
mediante ascendit Jesus in templum, & docebat. 15. Et mirabantur
Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? 16. Re-
spondit eis Jesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui
misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere: cognoscet de
doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar. 18. Qui a
semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit glo-
riam ejus qui misit eum, hic verax est, & injustitia in illo non est.
19. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?
20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmo-
nium habes: quis te quærit interficere? 21. Respondit Jesus, & dixit
eis: Unum opus feci, & omnes miramini. 22. Propterea Moyses de-
dit vobis circumcisionem: (non quia ex Moyse est, sed ex patribus)
& in sabbato circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit
homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini quia
totum hominem sanum feci in sabbato? 24. Nolite judicare secundum
faciem, sed justum judicium judicate. 25. Dicebant ergo quidam ex

Jero-

Jerosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere? 26. Et ecce palam loquitur; & nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus? 27. Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. 28. Clamabat ergo Jesus in templo docens, & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis: & a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. 29. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit. 30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. 31. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit? 32. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt Principes, & Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum. 33. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit. 34. Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire. 35. Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? 36. Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non invenietis: & ubi sum ego, vos non potestis venire? 37. In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. 39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. 40. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones ejus, dicebant: Hic est vere propheta. 41. Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid a Galilæa venit Christus? 42. Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David, & de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? 43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum. 44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus. 45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? 46. Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. 47. Responderunt ergo eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis? 48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? 49. Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. 50. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis: 51. Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat? 52. Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia a Galilæa propheta non surgit. 53. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

EX-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

489.

Post hæc (a) ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. Ostendit Dominus supra se curatorem & conservatorem, hic incipit tertia pars, in qua se manifestat & ostendit directorem & illustratorem. Et hæc pars extenditur usque ad undecimum caput. Ostendit Dominus se lucem & directorem tripliciter; primo verbo doctrinæ; secundo miraculo potentiæ in principio noni, ibi: *Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum*; tertio exemplo bonæ vitæ infra in principio decimi: *Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium.* Prima igitur pars, in qua manifestat se directorem verbo doctrinæ, continet duo capitula, scilicet septimum & octavum, & dividitur in duas, quia primo tangitur Doctoris propalatio, secundo doctrinæ communicatio ibi: *Nonne Moyses dedit vobis legem &c.*? Doctoris autem propalatio vel manifestatio necessaria erat ad hoc quod doceret. Et quia præcesserat ejus occultatio, ideo primo agitur de Doctoris occultatione. Secundo de occulti manifestatione ibi: *Jam autem die festo mediante &c.* Doctoris igitur summi occultatio hoc ordine describitur; quia enim facta est per Judæorum persecutionem, ideo primo insinuatur Judæorum perfidia ad persequendum: secundo vero notatur consanguineorum vanitas ad honorem persuadendum: tertio Christi humilitas ad latendum: quarto Judæorum curiositas ad Christum quærendum. Insinuatur ergo primo Judæorum perfidia ad Christum occidendum, propter quam Dominus in Galilæa stabat, & Judæam reliquerat, vitans furorem persequentium; propterea dicitur: *Post hæc*, scilicet quæ dicta sunt de miraculo panum & doctrina Christi, *ambulabat Jesus in Galilæam*; quia ibi ita non erant zelatores legis, ac per hoc non persecutores. *Non enim volebat in Judæam ambulare*, & ratio redditur; *quia quærebant eum Judæi* interficere, a diabolo excitati, cujus figura Exodi secundo: Quærebat Pharao occidere Moysen, qui fugiens de conspectu ejus &c. Hos vitando, nos furorem vitare persequentium docuit, secundum illud Matth. decimo: Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (*b*).

Tertia pars in qua Christus directorem illustratoremque se se præbet, primo autem verbo doctrinæ.

Doctoris summi occultati descriptio.

Judæorum perfidia ad Christum occidendum.

Exo. 2. 15.

Matth. 10. 23

VERSUS SECUNDUS.

490. *Erat autem in proximo &c.* Notatur hic secundum, scilicet consanguineorum vanitas ad persuadendum honorem terrenum & vanum, & rationem persuadendi accipiunt ab opportunitate temporis, ædificatione proximi, & exaltatione nominis. Opportunum tempus aderat, unde dicitur: *Erat autem in proximo dies festus Judæorum Scenophegia (c).* Istud erat festum Tabernaculorum, quod debebat fieri in Septembri (*d*) secundum illud Levit. vigesimo tertio: Mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in tabernaculis &c. Ex hac opportunitate fit ei persuasio; unde dicitur:

Consanguineorum vanitas ad persuadendum honorem terrenum.

Scenophegia sive Scenopegia festum Tabernaculorum.

Levit. 23. 41. ac seq.

VER-

(*a*) Vulg. *autem*; sed sine *autem* quoque Edit. sub S. Bona. nomine, nec non Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. Forojulien. Cant. ac Trident. item alter Biblior. itidem Trident. ac insuper S. August. Beda &c.

(*b*) In Apologia pauperum secun. respons. prima partic. Artic. sive Cap. 1.

(*c*) Vulg. *Scenopegia*; sed *scenophegiam* S. Thomas, Hugo Card. Lyran. Dionys. Carthus. Biblior. Cod. noster Bernardin. & alter Biblioth. Trident. Edit. sub S. Bona. nomine, pleræque Biblior. Editiones antiquæ &c.

(*d*) D. ipse Bona. Exposit. in Psalter. Ps. 7. *Scenophegia, quod est in septembri.* Sic Gordon &c.

VERSUS TERTIUS.

491. *Dixerunt autem fratres ejus ad eum: Transi hinc, & vade in Judæam.* Fratres isti dicuntur cognati, vel consanguinei in secundo gradu, & secundum Chrysostomum fuerunt Jacobus & Judas, qui erant fratres Domini; sed melius est quod essent alii cognati (*a*) propter literam sequentem (*b*). Credendum est enim, quod Apostoli isti duo credebant in eum. Nota, quod est frater natura, sic omnes fratres Christi sumus Psal. Narrabo nomen tuum fratribus meis. Affectione, sic boni Matth. duodecimo: Qui sunt fratres mei? Omnis qui fecerit voluntatem &c. Cognatione, sic consanguinei, ut Jacobus ad Galat. primo: Jacobum fratrem Domini. Et rationem persuasionis aliam addunt, videlicet proximi ædificationem, propter quod dicunt: *Ut & Discipuli tui videant opera tua, quæ tu* (*c*) *facis*. Discipuli illi, inquam, qui scandalizati recesserant, ut videntes magna, quæ faciebat in Galilæa, iterum redeant. De his dictum est supra sexto: Multi Discipulorum ejus abierunt retro. Et rationem tertiam subdunt, nominis scilicet manifestationem.

Chrysostomus in c. 7. Evang. Jo. Hom. 47. — *Ps. 21. 23.* — *Matth. 12. 48. et 49.* — *Ad Gal. 1. 19.* — *Jo. 6. 67.*

VERSUS QUARTUS.

492. *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse*, per opus illud, per quod videtur, quod tales adhuc non recesserant a consuetudine & moribus hypocritarum, de quibus dicitur Matth. vigesimo tertio: Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, ideo dicebant: *Si hæc facis, manifesta teipsum mundo*, id est, si vera sunt, quæ facis, miracula, ut Deus, manifesta teipsum. Dubitando hoc dicunt, & rationem reddit Evangelista:

Matth. 23. 5.

VERSUS QUINTUS.

493. *Neque enim fratres ejus credebant in eum*. Supra quarto: Propheta in sua patria honorem non habet. Supra primo: In propria venit, & sui eum non receperunt. Et hoc accidebat propter familiaritatem; hac caussa quia familiaris erat fratribus suis, non credebant in eum.

Jo. 4. 44. — *Jo. 1. 11.*

VERSUS SEXTUS.

494. *Dixit* (*d*) *ergo eis Jesus: Tempus meum &c.* Tangitur hic tertium, scilicet Christi humilitas in latitando, propter quod se apud eos excusat, primo a defectu temporis opportuni; non enim erat tempus opportunum sibi ad manifestationem, propter quod dicit: *Tempus meum nondum advenit*, scilicet manifestationis meæ, & ego congruitatem temporis considero, unde in Psal. Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Ecclesiaste tertio: Cuncta fecit Deus bona in tempore suo. *Tempus autem vestrum semper est paratum*, id est, gloriæ mundi (*e*), quam affectatis, de quo tempore Jerem. decimo septimo: Diem hominis non desideravi (*f*). Ecclesiastici undecimo: In die honoris tui ne extollaris. Sic igitur non mihi, sed vobis est opportunitas temporis; non mihi etiam, sed vobis est exaltatio gloriæ temporalis, unde dicit:

Christi humilitas in latitando. — *Ps. 74. 3.* — *Eccle 3. 11.* — *Jer. 17. 16.* — *Eccli 11. 4.*

VERSUS SEPTIMUS.

495. *Non potest vos odisse mundus*, vituperando, quia ipsum & gloriam ejus diligitis, *me autem odit*, inhonorando ad Galat. ultimo: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Quia ego testimonium perbibeo de illo, quia opera ejus mala sunt*, veritatem annuntiando. Sap. secundo: Circumveniamus ergo justum (*g*), quo-

Ad Galat. 6. 14. — *Sap. 2. 12.*

(*a*) Sic Sa, Mariana, Menochius &c. *Est enim consuetudinis scripturarum appellare fratres quoslibet consanguineos, & cognationis propinquos*, ut ait S. August. in Jo. Evang. cap. 7. Tract. 28. num. 3.

(*b*) Scilicet infra ver. 5.

(*c*) *Tu* abest a Vulg. sed habet S. Aug. ibi num. 3. & Dionys. Carthus. Item Cod. Gat. apud Blanchin. & alter Biblior. d. Biblioth. Episc. Trident.

(*d*) Vulg. *Dicit*, sed *Dixit* Cod. Vercellen. Dionys. Carthus. & Edit. sub. S. Bonav. nomine.

(*e*) Sic Ven. Beda in Jo. Evang. cap. 7. ad hunc textum.

(*f*) Apud Maldonatum eodem sensu quidam ibi sic legunt „ *Non quæsivi hominum laudem, aut* „ *judicia*; ut apud Paul. 1. Cor. 4. 3. *Mihi* „ *autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die.* “

(*g*) *Justum, id est, Christum, qui per antonomasiam Justus appellatur &c.* Vel: *Circumveniamus potest esse vox quorumlibet malorum contra quemlibet Justum &c.* Exposit. in cap. 2. Sap. ad hunc textum.

quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Amos quinto: Odio habuerunt corripientem in porta. Ideo dixit quidam (*a*): Veritas odium parit. Quia ergo vos mundus non odit,

Amos 5. 10.

Veritas odium parit.

VERSUS OCTAVUS.

496. *Vos ascendite ad diem festum hunc*; quia vero odit me, & persequitur, *ego autem non ascendam* (*b*) *ad diem festum hunc* (*c*), *quia tempus meum nondum est impletum*, in quo pati debeam, de quo supra secundo: Mulier, nondum venit hora mea. Sicut enim in Incarnatione observavit temporis plenitudinem, sic & in Passione. Ad Galat. quarto: At ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum &c. Et sic cum eis se excusavit, ut posset latenter ascendere; unde & post eos solus ascendit, non stipatus multitudine consanguineorum.

Jo. 2. 4.

Ad Galat. 4. 4.

VERSUS NONUS.

497. *Hæc cum dixisset*, id est, se apud fratres excusasset, (*d*) *mansit in Galilæa*, donec scilicet ascenderent fratres ejus.

VERSUS DECIMUS.

498. *Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto*, ideo *in occulto*, ut humanitatis ostenderet infirmitatem (*e*), & sic invitaret ad fidem; vel *in occulto*, ut doceat vanam vitare laudem Matth. sexto: Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Gregorius: Ita sit opus in manifesto, quatenus intentio maneat in occulto.

Matth. 6. 18.

Gregorius in Evang. L. 1. Hom. 11. n. 1.

VERSUS XI.

499. *Judæi ergo quærebant eum &c.* Tangitur quartum, scilicet Judæorum curiositas ad quærendum Christum, cum latenter ascendisset; quia prius manifeste ascendebat, ideo dicitur: *Judæi ergo quærebant eum in die festo*; quia tunc consueverat ascendere, & ex odio quærebant, unde subditur: *Et dicebant, ubi est ille?* Non eum nomine proprio nominabant ex odio, vel contemptu; contra quod dicitur Sap. primo: Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Et ex hac inquisitione tacita fiebat collocutio de absente, unde dicitur:

Judæorum curiositas ad quærendum Christum.

Sap. 1. 1.

VERSUS XII.

500. *Et murmur multum erat in turba de eo*; & oriebatur ex hoc inter eos controversia, unde subditur: *Quidam enim dicebant, quia bonus est*, ut parvuli. *Alii autem* (*f*) *non, sed seducit turbas*, & isti erant Pharisæi majores, qui vocaverunt eum seductorem. Matth. vigesimo septimo: Recordati sumus, quod seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Joan. eodem: Numquid & vos seducti estis? Et licet esset controversia, erat tamen sub murmure, & non manifesta, unde dicitur:

Matth. 27. 63.

Infra v. 47.

VERSUS XIII.

501. *Nemo tamen palam de illo loquebatur propter metum Judæorum*. Sicut enim dicitur Joan. nono: Conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur (*g*) Christum, extra Synagogam fieret. Ideo timebant, contra quod dicitur Matth. decimo: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

Jo. 9. 22.

Matth. 10. 28.

502. Sed quæritur hic, cum Dominus venisset non tantum docere, verum etiam pati, videtur quod propter passionem, vel persecutionem Judæorum non debuit a doctrina cessare; ergo nec Judæam relinquere, ubi maxime locus erat doctrinæ. Resp. Dicendum, quod Dominus etsi pati vellet, & pati non timeret, tempus tamen passionis congruum

Quæstio prima de eo quod Judæam reliquerit caussa Judæorum persecutionis declinandæ.

Responsio.

(*a*) Terentius in Andr. Act. 1. sce. 1. *Veritas parit odium, obsequium amicos.*

(*b*) Vulg. *non ascendo*; sed *non ascendam* etiam Cod. noster Bernardinian. & alter Biblioth. Episc. Trident. nec non Codd. Vercellen. & Veronen. ac Goth. S. Tho. Hugo Card. Nic. Lyranus, Dionys. Carthus. Editiones Biblior. antiquiores. Item Edit. sub S. Bona. nomine.

(*c*) Vulg. *istum*; sed *hunc* etiam Codd. Vercell. ac Brixian. nec non S. August. Beda &c.

(*d*) Vulg. *ipse*; sed absque *ipse* etiam Edit. sub S. Bonæ nomine, ac Evangelior. Codd. Brixian. & Trident.

(*e*) In Apol. paup. loc. supra cit.

(*f*) Vulg. *dicebant*; sed absque *dicebant* S. August. S. Gregorius, & Beda. Item Edit. sub S. Bona. nomine, nec non ipsemet Interpres Comment. in Apocal. cap. 16 num. 1171.

(*g*) Vide infra num. 677.

gruum præfixerat, & ante illud manibus persequentium se tradere non volebat; & ideo in Judæam non ambulabat.

Quæstio secunda de eodem a Judæa recessu.

503. Sed quæritur tunc secundo, cum Judæi tempus determinatum a Domino non possent prævenire, videtur, quod ante illud non possent in eum manus mittere; ergo nec propter hoc debuit se absentare.

Responsio.

Resp. Dicendum, quod Dominus sic se manifestavit bonis, ut tantum se celaret malis; & e contra sic se occultavit malis, ut tantum non lateret bonos. Et ideo aliquando Judæorum furorem vicit per potentiam, aliquando per prudentiam; sicut dicitur Job vigesimo sexto, quod prudentia ejus percussit superbum. (*Job. 26. 12.*) Et ideo quamvis potenter posset cohibere, maluit tamen sapienter declinare. Alia ratio est, ut in se ostenderet veram humanitatem, ideo aliquando potentem, aliquando infirmum se ostendebat. Unde alia litera habet: Non enim poterat in Judæam ambulare (*a*). (*Varia lectio apud Chrysostomum.*) Tertia ratio est nostra instructio, ut non miremur, si Viri Sancti timent, & declinant pericula, nec etiam de nobis ipsis desperemus (*b*).

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: Ego non ascendam, & tunc & ipse ascendit.

504. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Ego non ascendam* (*c*), & post dicitur, quod cum illi ascendissent, *tunc & ipse ascendit*, videtur quod faciat contrarium ejus, quod prædixerat.

Responsiones.

Respondetur ad hoc multipliciter, primo sic: *Ego non ascendam*, scilicet vobiscum, *vos* autem *ascendite*. Sed hæc expositio habet quæstionem, quare scilicet noluit ascendere cum eis? Propter hoc respondent alii, & faciunt vim in hoc, quod dicitur, *ad diem festum hunc*, id est, ad primum diem, qui erat solemnior, sed ad dies intermedios. Sed hoc similiter habet quæstionem, quare scilicet non ascendit ad primum diem? Ideo tertio modo exponitur, quod sermones accipiendi sunt secundum subjectam materiam, & secundum intentionem proferentis; (*Sermones accipiendi secundum subjectam materiam, & intentionem proferentis.*) & Dominus respondebat suasioni fratrum, quod se manifestaret, propterea dicit: *Non ascendam*, ad me ipsum manifestandum; ideo dicitur in litera: *Non ascendit in manifesto*. Et ideo non ascendit cum fratribus, nec in primo die, ne ascensus ejus esset manifestus (*d*).

Quæstio quarta de responsione Christi, qua dicit: Tempus meum nondum advenit.

505. Item quæritur de responsione Domini, qua dicit: *Tempus meum nondum advenit*. Quamvis hoc non debeat intelligi de fato (*e*); videtur tamen, quod operatio Domini a tempore dependeat, quod videtur inconveniens, cum sit omnipotens.

Responsiones.

Respondetur uno modo, quod duplex est Domini operatio, una secundum Divinitatem, & hæc a tempore non dependet; alia vero secundum humanitatem, & hæc certum tempus requirit. Et hæc erat operatio Redemptionis, & quantum ad hanc dicebat: *Tempus meum nondum advenit*. Aliter respondetur, quod determinato tempore operari hoc est dupliciter, vel ex indigentia, vel ex congruentia. Primo modo arbores in æstate determinato tempore fructificant. Secundo modo Deus miseretur, & judicat, & salvat. Unde quia tempus Paschatis Redemptioni nostræ optime congruebat, ut Lex in Evangelio secundum optimam convenientiam finiretur; ideo tempus Paschale expectabat.

VERSUS XIV.

506. *Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus &c.* Postquam actum est de occultatione, agitur de Doctoris nostri propalatione, qui supra latitaverat. Et proceditur hoc ordine, primo ponitur Doctoris propalatio in docendo, (*Doctoris propalatio in docendo.*) secundo Judæorum admiratio in audiendo, tertio doctrinæ commendatio in respondendo. Ponitur ergo primo Doctoris propalatio, propter quod dicitur: *Jam autem die festo mediante*, & hæc fuit quarta dies festi, sicut dicit Glossa, (*Glossa interlinear.*) quæ est media septem dierum (*f*); *ascendit*

(*a*) Pro hac lectione laudatur Chrysostomus Hom. 47. in Jo. ante medium in Exposit. jam edita sub nomine S. Bonav. his verbis „ Litera Chrysostomi est: *Non habebat potestatem.* " Hanc ipsam Chrysostomi literam referunt S. Tho. in Jo. Evang. cap. 7. & Hugo Card.

(*b*) In Apol. Pauperum loc. jam alleg.

(*c*) Vide supra num. 496. not. *b*.

(*d*) Sic etiam Estius, aliique recentiores Interpretes; sicque nihil est unde ex præfato textu jure possint sibi suffragium accersere restrictionum pure mentalium fautores, ut illis respondet Franciscus Henno Tract. in Decal. Disp. 2. Q. 2. Art. 9. §. 1.

(*e*) *Quidam* enim, ut inquit Dionys. Carthus. *Hæreticorum dicere ausi sunt, quod Jesus natus est sub certo fato, vel constellatione &c.* Contra quos est S. August. in Joan. Evang. cap. 8. Tract. 37. num. 8.

(*f*) Ita etiam Sa, Estius, Cornel. a Lap. Menochius, Tirinus, inter Recentiores; & inter Patres August. Chrys. Eutym.

dit Jesus in templum, *& docebat* in loco publico, non occulto, ne suspecta esset
Jo. 18. 20. doctrina. Joan. decimo octavo: Ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.

VERSUS XV.

507. *Et mirabantur Judæi &c.* Hic tangitur secundum, scilicet Judæorum admiratio. Ratio admirationis erat, sicut dicit Augustinus, quod nunquam viderant eum literas discentem, audiebant autem de lege disputantem; propter quod dicitur: *Et mirabantur Judæi dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Unde poterat Dominus dicere illud Prov. trigesimo: Sapientiam non didici, & novi (*a*) scientiam Sanctorum. Luc. secundo: Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus (*b*).

Judæorum admiratio in audiendo. *Augustinus in Jo. Evang. c. 7. Tract. 29. n. 2.*

Prov. 30. 3.

Luc. 2. 47.

VERSUS XVI.

Doctrinæ commendatio in respondendo.

508. *Respondit eis Jesus, & dixit: Mea doctrina &c.* Hic ponitur tertium, scilicet Christi responsio, qua admirationi eorum satisfacit, ostendens se non habere scientiam per acquisitionem, sicut habent alii homines; sed a sua origine, propter quod dicit: *Mea doctrina*, scilicet quam doceo, *non est mea*, id est, a me, vel ad meam gloriam, vel a me acquisita, *sed ejus, qui misit me*, id est, a Patre, qui misit me; omnia enim, quæ habet Filius, a Patre accipit, supra quinto: Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, ita nec docere quemquam. Et quia hæc responsio manifesta non erat nisi his, qui recte audiunt, & hi sunt qui audiunt, ut faciant, propterea dicit:

Commendabilis a sua origine.

Jo. 5. 19.

VERSUS XVII.

509. *Si quis voluerit voluntatem ejus*, scilicet Dei Patris, *facere*, *cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar;* quia aliter nec me, nec doctrinam meam potest cognoscere vere. Ideo dicitur primæ Joan. secundo: Qui dicit se Deum nosse, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Et sic doctrina Christi est commendabilis ab origine. Est etiam commendabilis a fine in hoc quod in docendo non quærit gloriam propriam, & hoc manifestat sic:

1. Jo. 2. 4.

Commendabilis a fine.

VERSUS XVIII.

510. *Qui loquitur a semetipso, propriam gloriam quærit;* sed qui quærit propriam gloriam, mendax est, quia alienum sibi usurpat. Isaiæ quadragesimo octavo: Gloriam meam alteri non dabo. Sed ego in docendo propriam gloriam non quæro, sed quæro gloriam ejus, qui misit me; ideo doctrina mea verax est, propterea dicit: *Qui autem quærit gloriam ejus, qui misit illum* (*c*), *hic verax est*, *& injustitia in eo* (*d*) *non est*. Christus gloriam Divinitatis quæsivit, non suæ humanitatis, quia ei omnis gloria debetur. Primæ ad Timoth. primo: Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & gloria &c. Ergo est justus & verax; quia e contrario usurpare sibi alienum honorem est falsitas & injustitia. Sic usurpabit Antichristus (*e*), de quo dicitur secundæ ad Thessal. secundo: Extollitur, id est, exaltabitur & extolletur super (*f*) omne, quod dicitur Deus (*g*). De hujusmodi autem doctrina nota, quod est

Isa. 48. 11.

Doctrina quærens solam Dei gloriam.

1. ad Thim. 1. 17.

2. ad Thess. 2. 4.

(*a*) Vulg. *non novi;* sed absque *non* Hebr. Arab. LXX. duo Codd. nostri Bernardin. 21. ac 40. & alter Biblioth. Episc. Trid. 58. nec non Vatab. Beda, Auctor Exposit. in Evang. S. Joan. sub S. Bona. nomine, Hugo Card. Lyran. Edition. Biblior. Ven. 1476. aliæ Venet. 1481. & 1484. Basileen. 1509. Colonien. 1527. &c.

(*b*) Exposit. in cap. 2. S. Lucæ hunc textum Lucæ connectit cum præcedente Joannis: *Quomodo hic literas scit &c.*, explicationis gratia.

(*c*) Vulg. *eum;* sed *illum* etiam Cod. noster Bernardin. nec non Forojulien. ac Goth. apud Blanchin. Item Hugo Card Lyr. Dion. Carth. &c.

(*d*) Vulg. *in illo;* sed *in eo* etiam Cod. Evangelior. Veron. apud eumdem Blanchin. & apud nos alter Trident.

(*e*) Quippe Augustino interprete supra cit. Tract. 29. n. 8. „ In Antichristo injustitia est, „ & verax non est; quia gloriam suam quæ„ siturus est, non ejus a quo missus est: non „ enim est missus, sed venire permissus. Omnes „ ergo pertinentes ad corpus Christi, ne indu„ camur in laqueos Antichristi, non quæramus „ gloriam nostram. Sed si ille quæsivit glo„ riam ejus qui eum misit, quanto magis nos „ ejus qui nos fecit? “ Sic ad verbum ex Augustino, absque tamen ejus allegatione, etiam Beda in Evang. Jo. cap. 7. ad eumdem textum.

(*f*) Vide supra cap. 5. num. 368.

(*g*) Sic quoque inibi d. Beda.

Doctrina Christi commendabilis comparate

- Ad Discipulum.
  - [Jo. 18. 20.] Communis audientibus Joan. decimo octavo: Ego palam locutus sum mundo: Ego semper in Synagogis docui &c. [Matth. 28. 19.] & Matth. ultimo: Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos &c.
  - Fidelis credentibus, est enim verax Matth. vigesimo secundo: [Matth. 22. 16.] Scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Hæc veritas non omnibus patet, sed credentibus supra tertio: [Jo. 3. 33.] Qui accepit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est.
  - Utilis obtemperantibus Isa. quadragesimo octavo: [Isa. 48. 17.] Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, quam ambulas. Et Sap. octavo: [Sap. 8. 7.] Sobrietatem enim docet, & sapientiam (a), & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. Secundæ ad Tim. tertio: [2. ad Tim. 3. 16.] Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum &c.
  - Sublimis perfectos esse volentibus, in cujus rei signum Dominus cum doctrinam perfectis tradidit, in montem ascendit Matth. quinto: [Matth. 5. 1. ac seqq.] Ascendit Jesus in montem, & cum sedisset, docebat Discipulos suos dicens: Beati pauperes spiritu &c. (b).
- Ad Magistrum.
  - Admirabilis singularitate, quia solus sine Doctore Joan. septimo: [Jo. 7. 14. ac seq.] Ascendit Jesus in templum, & docebat, & mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Solus sine majore Matth. septimo: [Matth. 7. 28. ac seq.] Admirabantur turbæ super doctrina ejus, erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi.
  - Investigabilis profunditate, in eo enim sunt omnes thesauri sapientiæ, ad Rom. undecimo: [Ad Rom. 11. 33.] O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Ecclesiastici vigesimo quarto: [Eccli 24. 46.] Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam &c. Marci quarto: [Mar. 4. 2.] Docebat turbas in parabolis multa; & Matth. tertio decimo: [Matth. 13. 3.] Locutus est eis multa in parabolis.
  - Invariabilis uniformitate Matth. vigesimo quarto: [Matth. 24. 35.] Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. E contra doctrina hæreticorum variatur. Unde ad Ephes. quarto: [Ad Eph. 4. 14.] Jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ &c. Ad Hebr. ultimo: [Ad Heb. 13. 9.] Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.
  - Irreprehensibilis sanctitate, quia idipsum quod docuit fecit; unde Act. primo: [Act. 1. 1.] Cœpit Jesus facere, & docere. Nec tantum fecit, immo sustinuit, & sic doctrinam suam commendabilem facit. Prov. decimo nono: [Prov. 19. 11.] Doctrina viri per patientiam noscitur.

511.

(a) Vulg. *prudentiam*; sed *sapientiam* ipsemet S. Bona. Exposit. in Cap. 8. Sap. Goth. apud Blanchin. alter Biblioth. Episcop. Tridentin. ac nonnullæ antiquæ Biblior. Editiones.

(b) De hoc fusius in Exposit. cap. 9. S. Lucæ, ubi dicitur, quod *mons est locus magisterii*.

Quæstio prima quare Christus, qui occulte Jerosolymam ascendit, postea in templo palam docuit.

511. Sed quæritur hic, cum Dominus occulte Jerusalem ascenderit propter vitandum furorem judaicum, unde est, quod palam docet in templo? Respondet Augustinus, quod latebat, erat caussa exempli; quod palam loquitur, & non tenetur, est indicium potestatis. Aliter potest dici, quod ipsa sua doctrina furorem declinabat judaicum, dum eos elevat in admirationem.

Responsio. Augustinus in Jo. Ev. c. 7. Tr. 29. n. 2.

Alia interpretis responsio.

Quæstio secunda de hoc quod literas non didicit, & literas sciebat &c.

512. Quæritur de hoc quod dicitur, quod literas non didicit, & literas sciebat, quomodo ipsi sciebant, quod Dominus literas sciret? Item cum Dominus exemplum deberet nobis dare non solum humilitatis in opere, verum etiam in cognitione; videtur, quod sicut propter nostrum exemplum fuit baptizatus & circumcisus, sic debuerit esse discipulus prius quam Doctor. Si dicas, quod nihil potuit addiscere, cum omnia sciret; objieitur quod dicitur ad Heb. quinto: Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam. Si didicit obedientiam, quare non scientiam? Respondet Glossa, quod quæ dicebat, auctoritate Scripturæ dicebat, ac probabat; ideo sciebant ipsum scire literas. Sciebant etiam ipsum non didicisse, quia ejus educationem, ut dicit Augustinus, & locum, & Parentes cognoverant. Quod objicitur, quod debuit discere, dico primo, quod non eguit, nec egere debuit; quia omnes passiones nostras assumere debuit præter ignorantiam & peccatum (a); quia nobis omnino & saluti nostræ essent inutiles, nec in hoc exemplum dare debuit: quia in hoc quod disceret, se ostenderet ignorantem; vel (b) tunc opus esset simulatum. Quod ergo dicitur de circumcisione, dicendum, quod erat ad distinguendum. Ne igitur alterius ritus & gentis videretur, ideo observavit circumcisionem, & baptismum Joannis, ut aquas sanctificaret, & innotesceret. Quod objicitur, quod *didicit &c.*, breviter dicendum, quod *discere* uno modo est in ignoti notitiam per doctrinam devenire, alio modo *discere* est cognitum experiri. Primo modo non didicit, quia ponit ignorantiam: Secundo modo didicit, quia ponit passiones, quas Christus assumpsit, & expertus est (c).

Ad Heb. 5. 8.

Responsio. Glossa interlin.

Augustinus cit. n. 2. ibi.

Discendi modus duplex.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: Mea doctrina non est mea.

513. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Mea doctrina non est mea*. Quia ita removetur a se, & ideo falsum videtur. Item quomodo per hoc satisfit Judæis? Quia similiter possem ego dicere istud, quod mea doctrina non est a me, sed a Deo, quia omnis sapientia a Domino Deo est. Respondet Chrysostomus, quod doctrinam suam dicit non esse a se inventam, sed a Patre esse, unde sensus est: Mea doctrina, scilicet quam doceo, non est mea, sed a Patre est, & in hoc satisfacit quæstioni eorum, mittendo eos ad Patrem, & sedat eorum furorem per humilitatem, unde sua erat doctrina, quia est ipsa sapientia per essentiam; sed non suam esse dicebat, quia ab alio accepit. Sed quare non simpliciter dixit: Ego sum ipsa sapientia, sed humiliavit se? Quinque caussas assignat Chrysostomus. Prima ut ostendat se esse ab alio, & Filium, non ingenitum. Secunda ut ostendat se non esse Deo contrarium, sicut erit Antichristus, qui extolletur super (d) omne, quod dicitur Deus. Tertia ut ostendat se esse hominem verum. Quarta propter audientium imbecillitatem. Quinta ad docendam humilitatem (e) juxta illud ad Rom. undecimo: Noli altum sapere. Aliter respondetur, quod contradictio ista solvitur secundum regulam Augustini aspiciendo ad duplicem naturam in Christo, ut sit sensus: Mea doctrina secundum Divinitatam, non est mea secundum humanitatem. Illud dicitur nostrum, quod a nobis acquisitum, & sic satisfacit quæstioni. Tertio modo fit vis in hoc, quod est *meum*; meum enim dicit libertatem possidendi, & principium efficiendi (f), ut ager meus, liber meus, quem feci. Sed hoc potest

Eccli 1. 1.

Responsio.

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 7. Hom. 48.

Quinque præfati dicti caussæ.

Chrysostomus ibi.

2. ad Thess. 2. 4.

Ad Rom. 11. 20.

Responsio altera.

Augustinus ibi. n. 3. ac seq.

(a) Sic noster Interpres in 3. Dist. 15. Art. 1. Q. 2. in concl.

(b) Supple: *Si disceret sciens.*

(c) De hoc disertissime in eod. 3. Dist. 14. art. 3. q. 2. in concl. ubi itidem eumdem textum ad Heb. 5. exponit *de cognitione experientiæ*; nec non cit. Dist. 15. Art. 2. Q. 1. ad 2.

(d) Vide supra cap. 5. num. 368. not. *f.*

(e) Dist. 11. art. 1. q. 1. ad 5. inquit Bonaventura „ Dominus volens nos erudire ad „ humilitatem omne, quod suum est; Patri attribuit; sicut in Joanne: *Mea doctrina non est mea &c.*

(f) 1. Dist. 18. art. 1. q. 6. in concl. ubi Bonaventura observat, quod *meum* dicit *habitudinem possessionis, & habitudinem caussalitatis.*

Meum simpliciter, vel discretive acceptum. test dupliciter dici, vel simpliciter, vel discretive (a), sicut & mei, & mihi. Simpliciter ergo loquendo doctrina illa erat Christi, quia eam libere possidebat, & ab ipso ad audientes emanabat. Sed non erat discretive Christi solius; quia & hæc eadem erat Patris, & etiam hæc eadem erat a Patre. Vel aliter respondeo: Est triplex meum, meum secundum naturam, vel originem; meum secundum Divinam naturam, vel humanam; meum simpliciter vel discretive.

VERSUS XIX.

514. *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Hæc est secunda pars, in qua agitur de doctrinæ commendatione (b). Et quia duplex est opus sapientis, videlicet manifestare mentientes, & non mentiri de quibus novit; ideo primo confutat Judæorum perversitatem, secundo doctrinæ suæ manifestat nobilitatem Joan. octavo: Iterum locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi. Prima pars habet quatuor partes. Primo enim confutat malignantes in corde. Secundo vero obloquentes in ore, ibi: *Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis*. Tertio insurgentes per potentiam, ibi: *Audierunt ergo Pharisæi*. Quarto insidiantes per malitiam, ibi: *Jesus autem perrexit* in principio octavi. Malignantes igitur confutat hoc ordine. Primo ponitur ipsa redargutio. Secundo Judæorum recalcitratio. Tertio redargutionis explicatio. Quarto a malo revocatio. Redargutio Judæorum. Redarguit ergo eos Dominus de occulta cordis malitia, quod ipsum occidere volebant contra legis mandatum, propterea dicit: *Nonne Moyses dedit vobis legem*, quam scilicet observare tenemini per vestram promissionem, secundum illud Exodi vigesimo quarto: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. *Et nemo ex vobis facit legem?* Psal. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; quia jam corde eam prævaricati estis, quod ostendit revelans cordis malitiam.

Jo. 8. 12.

Exo. 24. 7.

Ps. 13. 3.

VERSUS XX.

515. *Quid me quæritis interficere?* Cum Lex præcipiat in Decalogo: Non occides, Exod. vigesimo, & Deut. quinto. Et hunc quidem innocentem; propterea quærit: *Quid me quæritis interficere? Quid*, id est, propter quam caussam? Quasi dicat sine caussa. Exod. vigesimo tertio: Innocentem & justum non interficies (c). *Respondit turba*, tangitur hic secundum, scilicet Judæorum recalcitratio, quia Christum non agnoscunt, sed arguenti conviciantur, propterea dicitur: *Respondit turba*, non unus, sed tota multitudo, *& dixit: Dæmonium habes*. Hoc ei objecerunt Matth. duodecimo, & Joan. octavo. Ecce convicium. Chrysostomus: Iræ verbum est, & furoris, & animæ inverecundantis (d). *Quis te quærit interficere?* Quasi dicant, nullus. Sed mentiuntur, quia ipsi habent dæmonium, & filii sunt diaboli, qui mendax est, & pater ejus, id est, mendacii.

Exod. 20. 13. & Deut. 5. 17.

Exod. 23. 7.

Ipsorum recalcitratio.

Matth. 12. 24. & Jo. 8. 52.

Chrysostomus cit. Hom. 48. in Jo.

Jo. 8. 44.

VERSUS XXI.

516. *Respondit Jesus, & dixit eis: Unum opus &c.* Tangitur hic tertium, scilicet redargutionis explicatio, quia propter hoc, quod sanabat in sabbato, volebant eum occidere, unde dicit: *Unum opus feci, & omnes miramini*, opus hoc fuit curationis Paralytici, de hoc mirabantur, quod fecerat, & indignabantur, quod in sabbato supra quinto: Persequebantur Judæi Jesum, quia hoc faciebat in sabbato, quasi solveret legem; ideo ostendit Dominus, quod non solvit legem, per locum a majori, & facit tale argumentum: Si circumcisio, quæ non est ex Lege, sed ex Patribus, sabbatum non solvit, quia opus nobile est; ergo cum salus totius hominis sit opus

Redargutionis explicatio.

Supra 5. 16.

(a) Pariter de *ego discretive* infra cap. 8. ver. 54. num. 639.

(b) Vid. supra sub num. 510.

(c) Vulg. *Insontem & justum non occides*; sed sicut supra, legitur quoque in Exposit. jam edita sub S. Bona. nomine; quodve magis est Dan. 13. 53. ubi ad marg. ejusdem Vulg. fit allegatio sicut supra, scilicet Exo. 23. 7. Pro *non occides* habet etiam *non interficies* ipsemet S. Bona. Exposit. in cap. 23. S. Luc. Vide infra num 561. Item cap. 8. num 618. & cap. 18. num. 1196.

(d) Sic ex eodem Chrysostomo etiam in Exposit. jam edita sub nomine S. Bonav.

opus nobilius, multo minus solvet sabbatum (a); propter quod dicit:

VERSUS XXII.

517. *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus*, id est, non quia fuit sibi præceptum primo, sed Abrahæ Gen. decimo septimo: Circumcidetur ex vobis omne masculinum, *Et in sabbato circumciditis hominem*, propter illud quod ibidem scriptum est: Infans octo dierum circumcidetur in vobis; & tamen non creditis legem solvere, sed observare. Ex hoc arguit per locum a majori, quia magis videtur quod circumcisio solvat, quam perfecta salus.

Gen. 17. 10. *Ibi 12.*

VERSUS XXIII.

518. *Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur Lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?* Quasi dicat, cum sit licitum, & sabbatum non solvat, non est justa indignatio vestra, secundum illud ad Rom. decimo: Æmulationem Dei quidem (b) habent, sed non secundum scientiam.

Ad Rom. 10. 2.

VERSUS XXIV.

519. *Nolite judicare &c.* Hic tangitur quartum, scilicet a malo revocatio, propter quod dicit: *Nolite judicare secundum faciem*, accipiendo humanam faciem. De bono judice Isa. undecimo: Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet. *Sed justum judicium judicate*, secundum merita, non secundum faciem personarum. Augustinus: Quis est qui non judicat personaliter? Qui diligit æqualiter. Et quia inæqualiter diligebant, & quia magis curabant de exterioribus, quam interioribus; ideo injuste judicabant. Unde dicitur Matth. vigesimo tertio: Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina, & immunditia. A foris quidem paretis hominibus justi &c. Luc. sexto decimo: Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra.

Revocatio a malo. *Isa. 11, 3.* *Augustinus in Jo. Evang. c. 7. Tract. 30. n. 8.* *Matth. 23. 25. ac seq.* *Luc. 16. 15.*

520. Sed quæritur hic, utrum circumcidendum esset in sabbato? Et quod sic videtur hic Dominus dicere. Et ratio est, quia octavo die debebat fieri. Sed contra: Præceptum de sabbato maximum erat inter omnia præcepta legis, & pluries repetitum; ergo minus præceptum debet cedere majori. Debebant ergo cessare, ne circumciderent in sabbato. Resp. Dicendum, quod præceptum de sabbato magnum est, & circumcisioni non obviabat; quia non prohibebat opus salutis, sed servitutis (c): Unde in sabbato exponebatur Lex, quia doctrina opus est salutare; & ideo circumcisio non cedebat, sed simul utrumque præceptum currebat.

Quæstio prima, utrum circumcidendum esset in sabbato? *Responsio.*

521. Item quæritur de argumento Domini, quod circumcisio non solvebat sabbatum, multo minus Paralytici curatio. Videtur argumentum istud nihil valere, quia circumcisio erat in præcepto, nec poterat differri; sed curatio in alio die poterat fieri. Præterea circumcisio opus erat spirituale quantum ad hoc quod mundabat ab originali; sed curatio illa fuit opus corporale, quia ægritudo erat corporalis. Resp. Dicendum, quod Lex Moysi circumcisionem non præcepit, sed supposuit, quasi a digniori; unde dicitur Exo. duodecimo: Si quis peregrinorum voluerit in vestram transire coloniam, circumcidetur prius omne masculinum ejus. Sed sabbatum in lege præceptum est, & non auferebat circumcisionem, quæ a Patribus erat; ergo multo minus curationem a Deo, quamvis non esset præcepta. Ad aliud dicendum, quod curatio illa Paralytici non tantum erat, vel fuit corporalis, sed simul spiritualis; unde dictum est ei: Jam amplius noli peccare. Et ideo dicitur in litera: *Totum hominem sanum feci*, scilicet interius, & exterius. Esto etiam quod tantum exterius sanaretur in corpore, tamen adhuc opus erat pietatis; & utique pietatis opera tanquam spiritualia lex reputabat (d). Unde in sabbato licebat eleemosynam dare. Si enim

Quæstio secunda de argumento Domini, quod circumcisio non solvebat sabbatum, multoque minus Paralytici sanatio. *Responsio.* *Exo. 12. 48.* *Jo. 5. 14.*

(a) Ita quoque ibi.

(b) Vulg. absque *quidem*; sed *quidem* habent etiam Codd. nostri Bernardin. 39. ac 40. Hugo Card. Lyran. Editiones Biblior. antiquiores &c.

(c) Scilicet *peccati*, ut etiam inquit Interpres Serm. 4. de tertio præcepto Decalogi, nec non 3. Dist. 37. Dub. 3.

(d) Ibi.

enim licebat asinum adaquare, magis eleemosynam dare, maxime vero infirmum liberare.

Quæstio tertia quare circumcisio fuit data ante legem. Responsio.

522. Sed quæritur, quare circumcisio fuit data ante legem, propter hoc quod dicitur: *Non ex Moyse?* Dicendum, quod caussa dationis circumcisionis una præcipua fuit distinctio populi, de quo nasciturus erat Christus, a nationibus aliis; & quia primo vocatus est Abraham, cui facta est repromissio, ideo ab illo inchoavit. Sunt & aliæ caussæ circumcisionis dandæ, quare data fuerit populo Dei magis quam aliud signum, quæ his versibus continentur:

Est signum, meritum, distinguit, sive medetur,
Circumcisa caro significatque, docet.

Est signum fidei Abrahæ, meritum obedientiæ, distinguit populum, medetur contra originale, significat octavam Resurrectionis, docet castitatem (a).

VERSUS XXV.

523. *Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: Nonne &c.* Confutavit malignantes, hic confutat obloquentes; & proceditur hoc ordine. Primo ponitur ipsa obloquutio: secundo obloquentium confutatio: tertio confutatorum obstinatio: Quarto parvulorum seu minorum ædificatio. Primo ergo ponitur obloquutio illorum, qui magis cognoscere debebant, & isti erant qui in civitate regia manebant, propter quod dicitur: *Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis*, qui conscii erant machinationis Pharisæorum: *Nonne hic est, quem quærunt Judæi (b) interficere?* Tanquam malum; erant enim de illis, de quibus Prov. primo dicitur: Pedes illorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem.

Obloquutio illorum, qui in civitate regia Jerosolymorum manebant.

Prov. 1. 16.

VERSUS XXVI.

524. *Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt*, & ex hoc admirantur, & ex admiratione, cum deberent excitari ad fidem, procedunt in mendacem obloquutionem: *Numquid vere cognoverunt Principes quia hic est Christus?* Quasi dicant, suspicari possunt, sed vere scire non possunt, unde subditur:

VERSUS XXVII.

525. *Sed hunc scimus unde sit*, quia a Nazareth supra primo: Invenimus Jesum Filium Joseph a Nazareth. *Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit*, & ita derogabant ejus origini; hoc dicebant propter illud, quod scribitur Isa. quinquagesimo tertio: Generationem ejus quis enarrabit? Quasi generatio Christi sit indicibilis, & ita imperscrutabilis; vel quia occulte venit. Sap. decimo octavo: Dum medium silentium tenerent omnia &c. (c).

Jo. 1. 45.

Isa. 53. 8.

Sap. 18. 14.

VERSUS XXVIII.

526. *Clamabat ergo &c.* Hic ponitur secundum, scilicet obloquentium confutatio. Hos quidem obloquentes de Christi generatione confutat, duplicem suam ostendens generationem, videlicet temporalem, quam ipsi sciebant, & æternam, quam ipse sciebat. Propter temporalem dicit: *Clamabat ergo Jesus docens in templo* (ut attonitos faceret mussitantes, unde Prov. primo: Sapientia foris clamitat (d), in plateis dat vocem suam; quia aperte & libere docet Isa. quinquagesimo octavo: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam) *& dicens: Et me scitis, & unde sim scitis*, secundum generationem temporalem. Unde Matth. tertio decimo: Mater ejus dicitur Maria; & hoc sciebant, quod erat homo, & quod ex Maria natus, hoc dictum est secundum generationem temporalem. Sed quantum ad æternam, dicit quod ipse est ab alio, quam ipsi nesciunt, propterea dicit: *Et a meipso non veni*, in quo notatur a Patre processio; *sed est verus, qui misit me*, quia Deus est, est autem Deus verax, omnis

Obloquentium confutatio.

Prov. 1. 20.

Isa. 58. 1.

Matth. 13. 55.

(a) Ipsissima legere est secundum Glossam Exposit. jam edita sub nomine S. Bonav. in cap. 7. S. Joan.

(b) Ly *Judæi* abest a Vulg. sed est in Cod. nostro Bernardiniano, & in altero Biblioth. Episc. Trident., ac in Cod. Goth. apud Blanchinium, nec non in Edit. sub. S. Bona. nomine. Item apud S. Tho. &c.

(c) Ita etiam noster Interpres legit Comment. in Apocal. cap. 1. sub ver. 13. Item Exposit. in Psalter. Ps. 38. sed alibi secundum Vulg. *cum quietum silentium contineret omnia*.

(d) In Vulg. & infra *prædicat*; sed *clamitat* habet etiam Exposit. jam edita sub S. Bonav. nomine heic. Chaldæus *clamat*.

omnis autem homo mendax secundum illud Psal. Omnis homo mendax. Numer. vigesimo tertio: Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur. *Quem vos nescitis,* supra quinto: Testimonium perhibuit de me, qui misit me, Pater, neque vocem ejus umquam audistis, neque speciem ejus vidistis.

Ps. 115. 11. *Num. 23. 19.* *Jo. 5. 37.*

VERSUS XXIX.

527. *Ego autem (a) scio eum, & si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax (b),* qui mentimini dicentes vos ignorare temporalem nativitatem Christi venturi; ego vero non mentior, ut dicam me nescire æternam. *Sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit,* tanquam Filius cognoscit Patrem, Matth. undecimo: Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. *Scio,* inquam, per apertam cognitionem supra primo: Deum nemo vidit &c. *Ab ipso sum* per generationem, Joan. sexto decimo: Exivi a Patre, & veni in mundum. *Et ipse me misit* per incarnationem, Isa. sexagesimo primo: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, evangelizare, sive prædicare, pauperibus misit me &c. (c)

Matth. 11. 27. *Jo. 1. 18.* *Jo. 16. 28.* *Isa. 61. 1.*

VERSUS XXX.

528. *Quærebant ergo eum apprehendere &c.* Notatur hic tertium, scilicet confutatorum obstinatio; quia enim ostenderat eos mendaces & ignorantes, ideo in malo confirmati, & non valentes verbo resistere, *quærebant eum apprehendere,* quidam scilicet Majores, sive Sacerdotes, sicut dicit Chrysostomus. Sed tamen effectum non habuit eorum malitia, Divina faciente potentia. Non enim apprehenderunt Christum veritatem, sed mendacium Jerem. octavo: Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti, unde dicitur: *Sed (d) nemo misit in illum manus,* ad capiendum scilicet, *quia nondum venerat hora ejus.* in qua pati dignaretur. Unde Augustinus: Non dixit horam, qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi, de qua dicitur Joan. duodecimo: Pater, salvifica me ex hac hora.

Confutatorum obstinatio. *Chrysostomus ibi Hom. 49.* *Jer. 8. 5.* *Augustinus ibi Tract. 31. n. 5.* *Jo. 12. 27.*

VERSUS XXXI.

529. *De turba autem multi &c.* Tangitur hic quartum, scilicet in parvulis fidei ædificatio, unde dicitur: *De turba autem multi crediderunt in eum,* non de Principibus, & Majoribus, sive Sacerdotibus. Matth. undecimo: Abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis, primæ ad Cor. primo: Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes &c. Et subditur vera confessio: *Et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?* Unde quia signa maxima & multa eis visa sunt, credebant, & confitebantur (e), quod alius non esset expectandus, Joan. quintodecimo: Si non fecissem in eis opera, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.

Fidei ædificatio. *Matth. 11. 25.* *1. ad Cor. 1. 26.* *Jo. 15. 24.*

530. Sed quæritur primo de hoc, quod dicunt, quod *Christus cum venerit, nemo scit, unde sit.* Falsum videntur dicere, quia ex Scripturis habebant, quod ex semine David, & de Bethlehem Castello, sicut dicitur Joan. eodem Capitulo. Respondendum ad hoc, quod Doctores Legis secundum diversas Scripturas conjiciebant, Christum non sic nasciturum, quemadmodum alii: unde scire poterant quod ex Virgine (f), & tamen ignorare modum (g). Unde Scriptura modum generationis Christi innuit

Quæstio prima de hoc quod dicitur, quod Christus cum venerit, nemo scit, unde sit. *Infra v. 42.* *Responsio.*

(a) Vulg. non habet *autem*; sed *autem* addit etiam textus Græcus, habentque itidem Codd. Veronen. & Brixian.

(b) Hæc desumpta sunt ex cap. 8. ver. 55. Unde absunt a Vulg. sed habent antiquiores Biblior. Editiones, nosterque etiam Cod. Bernardinian. & alter Biblioth. Episc. Trident. ac quoque Codd. Mm. ac Goth. apud Blanchin. nec non S. Tho. Hugo Card. Nicol. Lyran. Dionys. Carthus. Item Auctor Edit. in Joan. Evang. sub S. Bonav. nomine.

(c) Vulg. *ad annuntiandum mansuetis misit me*; sed ut supra LXX. quorum versionem secutus est Lucas Græce loquens cap. 4. 18. pro qua lectione laudantur a Cornelio a Lap. Irenæus, Tertullian. Hilar. Ambros. Theoph. & Beda, quibus addi quoque potest ipsemet noster S. Bona. Exposit. in cap. 4. S. Luc.

(d) Vulg. *&*; *sed* vero Edit. sub S. Bonav. nomine.

(e) Sive *cogebantur confiteri*.

(f) Isa. 7. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

(g) Ipsam Virginem Mariam quæsiisse: *Quomodo fiet istud?* Videre est apud eumdem Interpretem Exposit. in cap. 1. S. Lucæ.

innuit esse occultum, sed ipsam propaginem manifestavit, & locum, & ipsi sciebant de Christo Domino unde esset, quia de Maria Virgine; sed ignorabant quomodo, quia credebant quod per Joseph. Aliter autem exponitur secundum duplicem generationem, scilicet temporalem, & æternam. Temporalem aliquo modo sciebant, aliquo modo ignorabant; sed æternam simpliciter ignorabant.

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Hunc scimus unde sit*. *Jo. 9. 29.*

531. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Hunc scimus unde sit*, quia infra dicitur: *Nemo scit*, sive hunc nescimus, *unde sit*; ergo contradicunt sibi. Respondet Chrysostomus, quod non est mirum, si plebs tumultuans contradicat sibi, quia non est stabilitas in verbis ejus. Aliter dicitur, quod hoc dicitur de simplici notitia (*a*); sed infra de notitia approbationis (*b*), quia nesciebant ipsum tanquam approbatum a Deo, sicut Moyses, cui locutus est Deus, sicut ibidem dicitur (*c*).

Responsio. *Chrysostomus cit. Hom. 49.*

Responsio Interpretis.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Clamabat Jesus &c.* *Isa. 42. 2.*

532. Item quæritur de hoc, quod ibi dicitur: *Clamabat Jesus &c.* Quia dicitur Isa. quadragesimo secundo: Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Respondeo, est clamor impatientiæ, & contentionis, & de hoc intelligit Isaias; & est clamor affectuosæ prædicationis, & sic accipitur hic (*d*).

Responsio.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Me scitis*. *Jo. 8. 19.*

533. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Me scitis*. Contra: Joan octavo: Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis; ergo nesciebant eum. Respondeo, duplex erat cognitio de Christo, quædam per sensum exteriorem, sicut quod esset homo, & natus in tali villa, & ex tali Parente; hoc sciebant. Alia per revelationem interiorem, quæ erat de invisibili Divinitate; & hac cognitione nesciebant eum, & de hac dicitur Joan. octavo.

Responsio.

Jo. 8. 55.

VERSUS XXXII.

534. *Audierunt ergo* (*e*) *Pharisæi turbam &c.* Confutavit Dominus malignantes in corde, mentientes in sermone; hic confutat persequentes in opere per potentiam. Et dividitur hæc pars, quia primo ponitur persequentium confutatio; secundo Judaicæ machinationis destructio ibi: *Ex illa ergo turba &c.* Confutationem persequentium hoc ordine describit Evangelista. Nam primo ponitur insidiarum præparatio; secundo ipsorum per doctrinam confutatio; tertio confutatorum dubitatio; quarto non intelligentium, sed dubitantium ad fidem vocatio. Primo igitur ponitur insidiarum præparatio, quæ facta est a Pharisæis, & a Sacerdotibus propter invidiam; quia turba videbatur velle in eum credere, propterea dicitur: *Audierunt ergo Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc*, quia palam loqui non audebat. *Et miserunt Principes & Pharisæi ministros, ut apprehenderent Jesum* (*f*). Pharisæi audierunt, quia ipsi erant observatores; sed ipsi & Principes miserunt, quia erant potentiores. Simile dicitur Matth. vigesimo secundo: Abeuntes Pharisæi consilium fecerunt, ut caperent Jesum in sermone, & mittunt ei Discipulos suos cum Herodianis. Luc. undecimo: Cœperunt Pharisæi, & Legisperiti graviter insistere, & os ejus opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

Confutationis persequentium descriptio.

Insidiarum præparatio.

Matth. 22. 15. ac seq.

Luc. 11. 53. ac seq.

VERSUS XXXIII.

535. *Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum &c.* Tangitur hic secundum, scilicet Ministrorum persequentium confutatio, qui armata manu venerant capere eum; & confutat eos, ostendendo eorum impotentiam dupliciter. Primo quia eum modo non possent capere; secundo quia eum post modicum tempus non possent invenire, propterea dicit: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum*, scilicet vivens vita mortali. Vel *vobiscum sum* per mortalis vitæ conversationem, Luc. ultimo: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc

Ministrorum persequentium confutatio.

Luc. 24. 44.

(*a*) Ita ut sensus sit, *Hunc scimus unde sit*, id est, e qua patria, e quibus parentibus sit ortus.

(*b*) 1. Dist. 36. Dub. 3.

(*c*) Multo ergo diversus sensus in alio textu: *Nemo scit unde sit*, id est, a quo, aut cujus auctoritate sit missus.

(*d*) Sic & in Exposit. jam edita heic, pariterque Dionys. Carthus.

(*e*) Vulg. non habet *ergo*; sed habent quoque Codd. Evangelior. Vercelien. & Brixian. Trident. vero pro *ergo* habet *autem*.

(*f*) Vulg. *eum*; sed *Jesum* etiam Edit. sub S. Bona. nomine, & Cod. noster Bernardin. & alter Biblioth. Episc. Trident. nec non antiquiores sacror. Biblior. Editiones, etiam Venet. 1481. Biblioth. Griezen.

huc essem vobiscum. *Et vado ad Patrem* (a), *qui me misit*, scilicet *vado* per passionem; ideo me modo capere non potestis, quia non est adhuc tempus. Joan. decimo: Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam, nemo tollit eam a me; & sic modo non potestis me comprehendere, nec postmodum invenire, ideo subdit:

Jo. 10. 17. ac seq.

VERSUS XXXIV.

536. *Quæretis me, & non invenietis*, quæretis meum subsidium in vastatione Romanorum facta sub Tito & Vespasiano (b). Vel *quæretis me* per compunctionem & dolorem, *& non invenietis*, quia multi inciderunt in desperationem; tamen aliqui pœnitentes eum quæsierunt, & non invenerunt corporaliter, sed spiritualiter. Act. secundo: His auditis compuncti sunt corde. Vel *quæretis me, & non invenietis* sic in judicio. Prov. primo: Mane consurgent, & non invenient me, eo quod exosam habuerint sapientiam (c), & timorem Domini non susceperint. Vel aliter, *quæretis me* voluntate nocendi, *& non invenietis* potestate offendendi; quia dicetur ei post resurrectionem: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ideo subdit, quod nocere non poterunt. *Et ubi sum ego, vos non potestis venire*, ideo non poterunt invenire, quia in cœlo erat futurus (d). Joan. quarto decimo: Vado parare vobis locum, & iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

Act. 2. 37. — *Prov. 1. 28. ac seq.* — *Ps. 109. 1. ac seq.* — *Jo. 14. 2. ac seq.*

VERSUS XXXV.

537. *Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos: Quo hic &c.* Hic tangitur tertium, scilicet consequens Judæorum dubitatio ex hoc quod ipsum non intelligebant, unde dicunt: *Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum?* & colloquendo quærunt de loco: *Numquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?* Hic dubitando, ut dicit Augustinus, prophetaverunt. Iturus enim erat ad gentes, non per præsentiam sui corporis; sed per Apostolos. Psal. Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi. Et quia multum dubitabant, ideo iterant dubitationem.

Judæorum dubitatio.

Augustinus in Jo. Evangel. c. 7. Tract. 31. n. 10. — *Ps. 17. 45.*

VERSUS XXXVI.

538. *Quis est hic sermo, quem dixit. Quæretis me, & non invenietis, & ubi sum ego, vos non potestis venire?* Ideo non merentur intelligere, quia noluerant se ad credendum humiliare.

VERSUS XXXVII.

539. *In novissimo autem die &c.* Tangitur quartum, scilicet ad fidem invitatio, cujus merito datur sapientia & intelligentia (e), propterea dicitur: *In novissimo autem die magno festivitatis* (hic erat octavus & ultimus, qui erat solemnis) *stabat Jesus, & clamabat. Stabat*, per immobilitatem, Malachiæ tertio: Ego Dominus, & non mutor. *Clamabat*, per caritatem, Psal. Laboravi clamans, ut excitaret ad veniendum. *Dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, secundum meam largitatem, Isa. quinquagesimo quinto: Omnes sitientes venite ad aquas, venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac. Et modus adveniendi describitur, quia est per fidem (f), unde dicit:

Ad fidem invitatio — Octava magni Festi Tabernaculorum solemnis, sicut prima dies. — *Malach. 3. 6.* — *Ps. 68. 4.* — *Isa. 55. 1.*

VERSUS XXXVIII.

540. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

541. Quærit Chrysostomus, ubi hoc dicat Scriptura? Et dicit, quod nusquam; & ideo sic debet subdistingui secundum ipsum: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura*, supra: Scrutamini Scripturas, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, & postea subsequatur: *Flumina de ventre ejus &c.* (g). Vel secun-

Quæstio de allegatione Scripturæ. — *Chrysostomus Hom. 50.* — *Jo. 5. 39.*

(a) Vulg. *ad eum*; sed *ad Patrem* quoque d. Edit. sub. S. Bona. nomine.
(b) Similiter Dionys. Carthus.
(c) Vulg. *disciplinam*; sed quoque LXX. *sapientiam*. Hebr. *scientiam*.
(d) Quippe *ubi ego sum*, idipsum est ac *ero*; ut etiam exponunt Mariana, & Menochius.
(e) In Prœm. Breviloq. paulo post initium.
(f) Ita etiam noster Interpres in Exposit. Psalter. Psal. 33. ubi ait: *Primo vocat ad fidem, dicendo: Accedite ad eum, & illuminamini.*
(g) Supple: *Quæ verba Christi sunt, non Scripturæ*, secundum eumdem Chrysostomum.

Varia ob diversam punctationem translatio.

secundum aliam translationem (*a*), hoc Scriptura nusquam dicit ad literam, sed ad intelligentiam. Isa. quinquagesimo octavo: Eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. Prov. quinto: Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Et dicit *flumina*, quia flumen dicit abundantiam, & impetum spiritualium gratiarum, & pluraliter dicit (*b*). Unde Chrysostomus: Videbis ibi manifeste impletum quod dicitur, si ad Stephani sapientiam, si ad Petri linguam, si ad Pauli cursum (*c*) inspexeris; nihil enim eis resistebat, non plebis furor, non tyrannorum insurrectiones (*d*), non dœmonum insidiæ, non mortes quotidianæ; sed sicut flumina multo strepitu delati omnia secum trahentes abibant. Et quia hoc spiritualiter, non carnaliter, dictum erat, ideo exponit Evangelista;

Isa. 58. 11. — *Prov. 5. 16.* — *Chrysostomus ibi.*

VERSUS XXXIX.

542. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*, de quo Act. secundo: Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis. Hunc accepturi erant, sed nondum acceperant, propterea dicit: *Nondum enim Spiritus erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Joan. sextodecimo: Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, cum autem abiero, mittam vobis eum.

Act. 2. 2. — *Jo. 16. 7.*

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Flumina de ventre &c.*

543. Sed quæritur de hoc quod dicitur hic, quod *flumina de ventre credentium fluent aquæ vivæ*. Dicitur enim, quod hoc intelligitur de Spiritu sancto. Sed Spiritus sanctus solum a Deo Patre Filioque procedit; non ergo de ventre credentium fluit. Item vir sanctus habens Spiritum sanctum non potest dare Spiritum sanctum, sed a Deo datur tantum. Non ergo fluit de ventre &c. Item quid nomine ventris intelligitur, propter quod dicit, quod fluent de ventre? Respondet Chrysostomus, quod flumina Spiritus sancti dicuntur ejus dona & gratiæ (*e*). Gratia autem recte dicitur flumen, non quia ab uno fluat in alterum; sed quia cum mentem intraverit, omni fonte magis manat, nec deficit, nec stat, sed fluit & refluit. Fluit a Deo, & facit hominem refluere in Deum; juxta proprietatem aquæ, quæ tantum ascendit in refluxu, quantum in fluxu descendit (*f*).

Responsio. *Chrysostomus ibi.*

Gratia Dei cur flumini sit comparata.

Nota fluxum & refluxum:
- In emanando scilicet Spiritum a Patre.
- In redeundo per actionem gratiarum.
- Et in communicando per consilium, & doctrinam.

Jo. 4. 14. — *Eccle. 1. 7.*

Propterea scribitur supra quarto: Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Ideo Ecclesiastes primo: Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant (g). Quod quæritur, quid per ventrem intelligatur? Respondet Chrysostomus, quod venter cor dicitur (*h*). Quod est juxta illud Psal. Legem tuam in medio ventris, vel cordis mei (*i*). Magis tamen dixit ven-

Chrysostomus ibi. — *Ps. 39. 9.*

(*a*) Alia translatio consistit in hoc, quod Hieronymus in Prologo Gen. refert *sicut dicit Scriptura* ad id, quod sequitur: *Flumina &c.*; quod ipse dicit de Proverbiis sumptum loc. cit. ubi e contrario Chrysostomus refert *sicut dicit Scriptura* ad id, quod præcessit, videlicet ad *qui credit in me*. Diversitas ergo translationis in diversa tantum punctatione consistit.

(*b*) Sic & S. Ambrosius, & Theopyl.

(*c*) Apud Hug. Card. *fluxum*, & apud Cornel. a Lap. *impetum*.

(*d*) Alia versio *persecutiones*.

(*e*) Sic etiam noster Interpres in Exposit. Psalter. Psal. 92. ac etiam alibi.

(*f*) Vide supra cap. 4. sub ver. 18. num. 442. in fine.

(*g*) Haud secus idem Interpres Exposit. in Ecclesiasten ibi.

(*h*) Sic & Leont. Theophyl. Eutym. & etiam S. August.

(*i*) Ita secundum versionem S. Hieronymi *in medio ventris mei*, ac secundum Versionem Vulgatam *in medio cordis mei*, de qua utraque lectione Psalter. Greco-Lat. apud Blanchin. ac Quincuplum Psalterium Gallicum, Romanum, Hebraicum, Vetus, Conciliatum Jacobi Fabri Stapulens. Nanque in eo habent quidem *cordis mei* Gall. Vet. & Conciliat. sed *ventris mei* Rom. & Hebr. Apud Hugonem Card. *in medio ventris mei, id est, cordis*. Apud autem Emanuelem Sa „ *Cordis*, LXX. *ventris*; sed translatum „ *cordis* ob euphoniam secundum Hieron. " Item apud Lorin. etiam Psalter. Ambrosian. habet *ventris mei*; ubi etiam subditur, quod & *Ambrosius meminit hujus versionis*, quodve *Beda refert utramque lectionem*.

Glossa ordinar. ventrem, ut signaret abundantiam gratiarum. Glossa vero exponit illud de refluxu doctrinæ, & consilii, de ventre bonæ conscientiæ & piæ. Quod est secundum illud. Isa. sexto decimo: Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit (a). Isa. 16. 11.

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Spiritus sanctus nondum erat datus.* 544. Sed quæritur de hoc quod dicitur, quod *Spiritus sanctus* (b) *nondum erat datus*. Contra: Prophetæ prophetaverunt vera, sed non nisi per Spiritum sanctum; ergo habuerunt Spiritum sanctum. Unde David Psal. Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Item Apostoli faciebant miracula. Sed Hieronymus dicit, quod non potuerunt miracula facere sine Spiritus sancti gratia. Resp. Dicendum, quod datio Spiritus sancti triplex est, manifesta, manifestior, & manifestissima. Manifesta fuit in prophetantibus, & miracula facientibus ante passionem. Manifestior fuit in insuflatione post resurrectionem, quia in signo visibili, ut flatu, datus est. Sed manifestissima post ascensionem, quia in signo visibili & audibili, & secundum hoc quanto manifestius datus est, tanto & abundantius (c).

Ps. 50. 13. Hieronymus. Responsio. Datio triplex Spiritus sancti.

VERSUS XL.

545. *Ex illa autem* (d) *turba cum audissent &c.* Determinavit persequentium per doctrinam Christi confutationem, hic determinat persequentium dispersionem. Et hoc quidem facit hoc ordine. Primo insinuatur dissensio turbarum audientium; secundo vero reprehensio ministrorum redeuntium; tertio reprehensio Pharisæorum in malitia persistentium, quæ facta est a Nicodemo. Insinuatur igitur primo multitudinis dissensio propter doctrinam Christi, propter quod dicitur: *Ex illa autem turba cum audissent hos sermones ejus*, propter auditum doctrinæ Christi quidam illuminati, *dicebant: Hic est vere Propheta*, quia tam sapienter loquebatur.

Dissensio turbarum audientium.

VERSUS XLI.

546. *Alii dicebant: Hic est Christus*, & hi erant magis illuminati, unde divini erant. Matth. sexto decimo: Quem dicunt homines esse Filium hominis? at illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. *Quidam autem dicebant* in contrarium, scilicet excæcati ex lumine Scripturæ: *Numquid a Galilæa venit Christus?* Quasi dicant, non. Unde & Nathanael dixit supra primo: A Nazareth potest aliquid boni esse? Et moti sunt per Scripturam: Matth. 16. 13. ac seqq.

VERSUS XLII.

547. *Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David?* Secundi Reg. septimo: Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Et Psal. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Michææ quinto: Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. (e) Et sic ad invicem contendebant.

2. Reg. 7. 12. ac seq. Ps. 131. 11. Mich. 5. 2.

VERSUS XLIII.

548. *Dissensio itaque facta est in turba propter eum.* Ipse Christus non erat caussa, sed eorum malitia. Chrysostomus: Discissi sunt, non compuncti; malitia enim talis nulli vult credere: ad unum aspicit solum, ut eum, cui insidiatur, interficiat (f). Propter istam dissensionem quidam volebant eum capere

Chrysostomus Hom. 50.

(a) Pariter Dionys. Carthus.

(b) *Sanctus* additur etiam in Evangeliar. Eccl. nostræ Trident. & in Brixian., nec non in aliis MSS. adstipulantibus quoque plerisque Græcorum Codicibus, ac suffragantibus Theophylacto atque Eutymio apud Brugen. & Marian.

(c) Ita fere d. Dionys. Carth. Sa, Tirin. Gordon. sed & idemmet Interpres noster in 2. Dist. 29. art. 3. q. 2. in concl. ac 4. Dist. Dist. 7. art. 1. q. 1. ad arg. Cur autem ante ascensionem Christi Spiritus sanctus non fuit datus visibiliter & copiose, uti post eam in Pentecoste; vide sis quatuor caussas apud Cornel. a Lap.

(d) *Ex illa ergo* Vulg. sed *Ex illa autem* sæpe memoratus Auctor. Exposit. sub S. Bonav. nomine. Item *autem* pro *ergo* Codd. Evangelior. Brixian. & Trident.

(e) Exposit. in cap. 2. S. Lucæ.

(f) Sic etiam ex cit. Chrysost. S. Tho. in Catena.

pere tanquam malum, quidam vero dimittere tanquam bonum, & ex ista contentione frustra est machinatio Pharisæorum; quia ministri manus non extenderunt ad capiendum eum, licet aliqui vellent, propterea dicitur:

VERSUS XLIV.

549. *Quidam autem ex ipsis*, scilicet ex ministris, *volebant apprehendere eum*, secundum imperium scilicet sibi datum supra eodem: Miserunt Pharisæi & Pontifices ministros, ut apprehenderent Jesum. *Sed nemo misit in (a) eum manus*, videlicet ad nocendum, quia Deus porrigebat illi manum ad defendendum, cui resistere nulla potest humana potentia, juxta illud Psal. Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum (*b*). Et sic frustrati sunt a sua intentione. Et ratio hujus est, quia Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt; sed consilium Domini manet in æternum: quod quidem nondum decreverat apprehendendum Jesum Christum. Psal. Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.

Supra 32. *Deo nulla potest humana potentia resistere.* *Ps. 143. 7.* *Ps. 93. 11.* *Ps. 32. 11.* *Ps. 32. 10.*

VERSUS XLV.

550. *Venerunt ergo ministri &c.* Tangitur hic secundum, scilicet reprehensio ministrorum redeuntium, quia nihil eorum fecerant, propter quæ missi erant; ideo ab eis Pharisæi caussam requirunt, ut eos redarguant, propterea dicitur: *Venerunt ergo ministri ad Pontifices & Pharisæos*, non adduxerunt tamen eum. *Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis eum (c)*, quia ad hoc missi fuistis, & sic frustrati estis?

Reprehensio ministrorum redeuntium.

VERSUS XLVI.

551. *Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur (d)*; quasi dicant, hæc ratio est, quare non adduximus eum, quia magnitudine doctrinæ suæ perterriti sumus, quoniam *numquam sic locutus est homo*. *Numquam* sic dulciter; unde mulier eum audiens dixit: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti, Luc. undecimo. Et Cant. quarto: Mel & lac sub lingua ejus (*e*). *Numquam* sic doctrinaliter (*f*), & sapienter; unde Luc. secundo: Stupebant omnes super prudentia, & responsis ejus: & Marci primo: Stupebant super doctrina ejus. *Numquam* sic potenter, Matth. septimo: Erat docens eos tanquam potestatem habens; & ideo admirabantur super doctrina ejus. *Numquam* sic utiliter, Joan. sexto: Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt; & eodem: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.

Magnitudo doctrinæ Christi. *Luc. 11. 27.* *Cant. 4. 11.* *Luc. 2. 47.* *Marc. 1. 22.* *Matth. 7. 29.* *Jo. 6. 64. & 69.*

VERSUS XLVII.

552. *Responderunt ergo eis Pharisæi*. Audita ministrorum responsione, Pharisæi reprehendunt eos, quod doctrinæ ejus fidem adhibuerunt, unde dicunt: *Numquid & vos seducti estis?* Et quod seduci non debuerant, nituntur ostendere exemplo Majorum.

VERSUS XLVIII.

553. *Numquid aliquis ex principibus credidit in eum?* Quasi dicant: nullus. *Aut ex Pharisæis*, qui scilicet legem sciunt? Sed nihil scientes, sed ignorantes.

VERSUS XLIX.

554. *Sed turba hæc, quæ ignorat (g) legem*, credit scilicet; & quia ignorant quod debent, & credunt quod non debent,

bent,

(*a*) Vulg *super*; sed *in* etiam Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. & Forojulien. apud Blanchin. ac pleræque ex antiquis Biblior. Editionibus.

(*b*) Vid. inter Sermones sub S. Bona. nomine Serm. 3. Dom. 1. Advent.

(*c*) Vulg. *illum*; sed *eum* quoque Codd. Brixian. Forojulien. ac Goth. apud Blanchin. nec non Biblior. Editiones Nurnbergen. 1478. ac Basileen. 1509. & Dionys. Carthus.

(*d*) Deest *loquitur* in Vulg. sed habet etiam Cod. noster Bernardinian. alter Biblioth. Episc. Trident. S. Jo. Chrysost. S. Tho. Hugo Card. Nic. Lyran. Dionys. Carthus. Editiones Sacr. Biblior. antiquiores. Item Cod. Ms. apud Blanchin.

(*e*) Videri potest noster Interpres in Cant. Canticor. ad hunc textum.

(*f*) Ita & Dionys. Carthus.

(*g*) Vulg. *quæ non novit*; sed Cod. etiam Vercellen. apud Blanchinium *ignorat*.

bent, *maledicti sunt*. Deut. vigesimo
Deut. 27. 26. septimo: Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus. Chrysostomus: Nihil veritate manifestius, nihil simplicius; attamen malignantibus nihil difficilius. Ecce enim Sapientes, Scribæ, & Pharisæi, qui signa viderant, & Scripturas legerant, veritate læsi sunt, & excæcati. Ministri vero, qui nihil viderant, ab una sola locutione capti sunt, & qui ligare venerant, abiere ligati (*a*); sed ipsos postmodum Pharisæi nitebantur a fide avertere, & propterea dicitur eis Matth.
Chrysostomus Hom. 51.
Matth. 23. 13. vigesimo tertio: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, vos vero non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Et Luc. undecimo: Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.
Luc. 11. 52.

VERSUS L.

555. *Dicit* (*b*) *Nicodemus &c.* Tangitur hic tertium, scilicet redargutio Pharisæorum facta auctoritate legis, per quam ostenditur, quod non debuerunt eum capere, quia nondum erat adjudicatus morti per legem; ideo *dicit Nicodemus*, scilicet discipulus, *ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis*, scilicet Pharisæis. Supra tertio: Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Judæorum &c.

Redargutio Pharisæorum in malitia persistentium.
Jo. 3. 1. ac seq.

VERSUS LI.

556. *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, & cognoverit quid faciat?* Quasi dicat, non. Deuter. decimo septimo: Cum audiens inquisieris diligenter, & verum esse repereris &c. Hanc legem observabat Job vigesimo nono: Caussam, quam nesciebam, diligenter (*c*) investigabam. Hanc legem observabant Romani Act. vigesimo quinto: Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem prius, quam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

Deut. 17. 4.
Job. 29. 16.
Act. 25. 16.

VERSUS LII.

557. *Responderunt, & dixerunt ei*, quia incorrigibiles erant, & quamvis non possent calumniari verbum, tamen calumniantur Nicodemum, quasi deceptum, quod ipse in Christum crederet; propterea dicunt: *Numquid & tu Galilæus es?* id est, in Galilæum credis; (Sicut dicuntur Christiani, quia credunt in Christum: Unde Julianus Apostata vocabat Christianos Galilæos pannosos) et stulte in eum credis. Unde dicunt: *Scrutare Scripturas, & vide, quia a Galilæa Propheta non surgit*, ille quem expectamus. Contra, Augustinus inquit: Non tantum a Galilæa surgit Propheta, sed etiam Dominus Prophetarum; ipse Nazaræus dictus est, quia in Nazareth nutritus (*d*).

Christiani a Juliano Apostata Galilæi pannosi vocati. Greg. Naz. Orat. 1. in Julian.
Augustinus Tract. 32. n. 2.

VERSUS LIII.

558. *Et reversi sunt*, quia reprehensionem evitare, & jam conceptum malum consummare non poterant; propterea dicitur: *Et reversi sunt unusquisque in domum suam*, ita quod unus non remansit cum alio; unde Ecclesiastici vigesimo primo: Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. Psal. Dissipa gentes, quæ bella volunt.

Eccli 21. 10.
Ps. 67. 31.

559. Sed hic quæritur de ministris, si crediderunt, quare Christum non sunt secuti? Et dicendum secundum Chrysostomum, quod crediderunt, & præcones ejus fuerunt; nec tamen secuti sunt, quia ad statum perfectionis non ascenderant.

Quæstio prima de ministris, quare Christum non sunt secuti. Responsio. Chrysostomus eadem Hom. 51.

560. Sed quæritur hic, quæ magna & sublimia fuerat Dominus locutus, propter quæ dicebant: *Numquam sic locutus est homo?* Respondet Chrysostomus: Cum mens, inquit, incorrupta fuerit, non est opus longis sermonibus (*e*); tale enim

Quæstio secunda quæ magna & sublimia fuerat Christus locutus. Responsio. Chrysostomus ibi.

(*a*) Apud S. Tho. in Catena prædicta Chrysostomi verba nonnihil variant.

(*b*) Vulg. *Dixit*; sed *Dicit* etiam Cod. noster Bernardinianus, & alter Biblioth. Episc. Trident. nec non Codd. Vercell. Forojulien. & Goth. apud Blanchin. atque Edit. Biblior. Basileen. 1509. ac Dionys. Carthus.

(*c*) Infra *diligentissime*, ut habet Vulg. sed *diligenter* habet etiam S. Thomas Lect. 5. in Cap. 7. Evang. S. Jo. not. g.

(*d*) Sive, ut loquitur S. August. cit. *quoniam de Nazareth civitate erant parentes ejus*.

(*e*) Sic ex eodem Chrysostomo in Exposit. jam edita sub S. Bonav. nomine.

enim quid eſt veritas, quod quando invenit animam bene diſpoſitam, mirabiliter adhæret, & allicit. Et Auguſtinus: Ille ſic locutus eſt, quia Deus erat & homo (*a*).

Auguſtinus ibi num. 1.

Quæſtio tertia quare Phariſæi, alias de ſua fama multo ſolliciti, contra omnem juris ordinem adeo manifeſte peccaverint. Reſponſio de tribus ad judicium juſtum requiſitis.

561. Item quæritur hic, cum Phariſæi omnia opera ſua facerent in conſpectu hominum, & nollent mali judicari, quomodo tam juſtum juris ordinem relinquebant, cum talis culpa ſit manifeſta? Reſp. Dicendum, quod ad juſtum judicium tria concurrunt, ſcilicet juſtus animus, unde ſecundi Paralip. decimo nono; Cum diligentia cuncta facite, non enim eſt apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. Secundum eſt juſta cauſſa Exodi vigeſimo tertio: Innocentem, & juſtum non interficies (*b*), & vigeſimo ſecundo: Maleficos non patieris vivere. Tertium eſt juſtus ordo, qui eſt per rectam inquiſitionem Deuter. ſexto decimo: Juſte quod juſtum eſt perſequeris. Quoniam igitur Phariſæis hypocritis inerat animus injuſtus, quo mortem Chriſti ſitiebant, & aberat juſta cauſſa, quia per jus ipſum condemnare non poterant; ideo neceſſario cogebantur ordinem judicii præterire. Quatuor autem ſunt, quæ maxime animum pervertunt, quæ fuerunt in Phariſæis, quæ his verſibus continentur;

2. Paral. 19. 7.

Exod. 23. 7. & 22. 18.

Deut. 16. 20.

Quatuor quæ humanum judicium pervertunt.

Quattuor (*c*) iſta, timor, odium, dilectio, cenſus,
Sæpe ſolent hominum rectos pervertere ſenſus (*d*).

Et hæc omnia fuerunt in Phariſæis, ut patet inducendo. Contra hoc dicitur Exod. decimo octavo: Provide de omni plebe viros ſapientes (*e*), & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam.

Exo. 18. 21.

562. Item quæritur, cum Dominus, quantum eſt ex ſe, voluerit omnium fidem, quid eſt quod ortum ſuum occultavit, ut crederetur eſſe natus in Nazareth, & propter hoc non crederetur Chriſtus? Reſp. Dicendum, quod iſtud factum eſt Divino judicio, Divina diſpenſatione, & Scripturæ adimpletione. Primo, Divino judicio; quia tempore Herodis natum cognoverunt, & deſpexerunt, immo in mortem conſenſerunt, ideoque nativitatis locum per converſationem in Nazareth ſibi celari meruerunt. Secundo, ex Divina diſpenſatione; quia voluit latere malos, ut patiendo a malis redimeret bonos. Tertio, Scripturæ adimpletione; quia Scriptura non tantum dicit, quod in Bethlehem natus eſt, ſed quod Nazaræus vocabitur, ſicut ſcribitur Matth. ſecundo. Et quia Judæi non fuerunt Scripturas ſcrutati, ideo erraverunt.

Quæſtio quarta, cur Chriſtus locum ortus ſui ita voluerit occultatum, ut natus in Nazareth crederetur.

Reſponſio.

Matth. 2. 23.

Sapien-

(*a*) Vid. ſupra num. 551.
(*b*) Vide ſupra cap. 7. num. 515.
(*c*) Ita non ſolum Poetæ ſcribunt primæ ſyllabæ producendæ cauſſa, ſed & proſæ Scriptores; ut ſatis conſtat ex veteribus MSS. & Lapidibus, quos affert Manut. in Ortograph. adeo ut & *quatuor*, & *quattuor* extra quoque carmen rectiſſime ſcribi poſſit.
(*d*) Hi quoque verſus adducuntur in d. Expoſit. ſub S. Bonav. nomine.
(*e*) Vulg. *potentes*; ſed *ſapientes* antiquæ Biblior. Editiones, ac Hugo Card. nec non Gloſſa interlin. apud Lyran. Item Cod. Bibl. Epiſc. Trident. 58. *Sapientes al. potentes*.

Eſt Judicium laudandum

Cum in Judice eſt

3. Reg. 3. 9. Sapientia quantum ad intellectum. Hanc petebat Salomon, ut recte poſſet judicare. Tertii Reg. tertio: Dabis ſervo tuo cor docile, ut judicare poſſit populum tuum. Et ibidem: *Ibid.* 28. Timuerunt Regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum judicium.

2. *Par.* 19. 6. *ac ſeq.* Puritas quantum ad affectum. Secundi Paralip. decimo nono: Non hominis exercetis judicium, ſed Domini; & poſt: Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. Eccleſiaſtici vigeſimo: *Eccli* 20. 31. Exenia (*a*) & dona excæcant oculos Judicum.

Honeſtas quantum ad actum. Ad Rom. ſecundo: Inexcuſabilis es omnis homo, qui judicas: In quo enim alterum judicas, teipſum condemnas; eadem enim agis quæ judicas. *Ad Rom.* 2. 1. *Matth.* 7. 5. Matth. ſeptimo: Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui.

Ad Rom. 14. 4. Auctoritas quantum ad officium. Ad Rom. quarto decimo: Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? *Luc.* 12. 14. Luc. duodecimo: Dixit Dominus homini petenti, ut judicaret: Homo, quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos? Sine auctoritate eſt judicium uſurpatorium; ſine honeſtate præſumptuoſum; ſine puritate iniquum; ſine ſapientia temerarium. Ideo iſta quatuor notantur Exod. decimo octavo *Exo.* 18. 21. in illa auctoritate: Provide de omni plebe Viros, ecce auctoritas, quantum ad officium; Sapientes, (*b*) ecce ſapientia, quantum ad intellectum; timentes Deum, ecce puritas, quantum ad affectum, quia timor Dei expellit voluntatem peccandi; in quibus ſit veritas &c. ecce honeſtas, quantum ad actum.

Cum in ipſo Judicio

Job, 29. 16. Inquiſitio cum diligentia. Job vigeſimo nono: Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. Secundi Paral. 2. *Par.* 19. 7. decimo nono: Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite.

Lev. 19. 15. Diffinitio cum juſtitia. Levit. decimo nono: Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis, juſte proximo tuo judica. Et Exod. vigeſimo tertio: Paupe- *Exo.* 23. 3. ris quoque non miſereberis in judicio.

Sap. 12. 18. Executio cum patientia, quia non debet commoveri. Sap. duodecimo: Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas nos, & cum magna reverentia diſponis nos.

Eccle 7. 17. Punitio cum moderantia. Eccleſiaſtes ſeptimo: Noli eſſe multum juſtus, neque plus ſapias quam neceſſe eſt. Deuter. *Deut.* 25. 2. *ac ſeq.* vigeſimo quinto. Pro menſura peccati erit & plagarum modus, ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne foede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.

C A-

(*a*) *xenia*, habet Vulg.; ſed *exenia* Cod. noſter Bernard. alius Biblioth. Ep. Trid. Hugo Card. Lyran. antiquæ Biblior. Editiones. Porro *xenia* & *exenia*, id ipſum ſignificant, nempe *munera*, a quibus Judices abſtineant neceſſum eſt, ut etiam tradit noſter Interpres L. 1. Pharet. c. 4. *de Judicibus*. S. Bona. memorat *xenium* in prædicto ſenſu etiam in Legenda ma. S. Franc. To. 5. pag. 536. col. 1. noviſſ. Edit. Venet.

(*b*) Supra col. 743. not. *e*.

CAPUT OCTAVUM.

1. JESUS autem perrexit in montem Oliveti.
2. Et diluculo iterum venit in templum, &
omnis populus venit ad eum, & sedens do-
cebat eos. 3. Adducunt autem Scribæ, &
Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam,
& statuerunt eam in medio. 4. Et dixerunt
ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa
est in adulterio. 5. In lege autem Moyses
mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo
quid dicis? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare
eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.
7. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis:
Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 8. Et
iterum se inclinans scribebat in terra. 9. Audientes autem unus post
unum exibant, incipientes a senioribus: & remansit solus Jesus, &
mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Jesus, dixit ei: Mulier,
ubi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit? 11. Quæ dixit:
Nemo, Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo:
Vade, & jam amplius noli peccare. 12. Iterum ergo locutus est eis
Jesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat
in tenebris, sed habebit lumen vitæ. 13. Dixerunt ergo ei Pharisæi:
Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est ve-
rum. 14. Respondit Jesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhi-
beo de me ipso: verum est testimonium meum: quia scio unde veni,
& quo vado: vos autem nescitis unde venio, aut quo vado. 15. Vos
secundum carnem judicatis; ego non judico quemquam: 16. Et si
judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego,
& qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestra scriptum est, quia duo-
rum hominum testimonium verum est. 18. Ego sum, qui testimo-
nium perhibeo de me ipso: & testimonium perhibet de me, qui misit
me, Pater. 19. Dicebant ergo ei: ubi est Pater tuus? Respondit Je-
sus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan &
Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophy-
lacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum

vene-

venerat hora ejus. 21. Dixit ergo iterum eis Jesus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire? 23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. 24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 25. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui & loquor vobis. 26. Multa habeo de vobis loqui, & judicare, sed qui me misit, verax est: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 27. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum. 28. Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: 29. Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. 32. Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. 33. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus umquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis? 34. Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. 35. Servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum. 36. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis. 37. Scio quia filii Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. 38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. 39. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. 40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo: hoc Abraham non fecit. 41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Jesus: Si Deus pater vester esset: diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim a me ipso veni, sed ille me misit. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. 48. Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? 49. Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet. 51. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in

æternum. 52. Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia dæmonium
habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis ſer-
monem meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum. 53. Num-
quid tu major es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? & Pro-
phetæ mortui ſunt. 54. Quem te ipſum facis? Reſpondit Jeſus: Si
ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui
glorificat me, quem vos dicitis quia Deus veſter eſt. 55. Et non
cognoviſtis eum: ego autem novi eum: Et ſi dixero quia non ſcio
eum, ero ſimilis vobis, mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem ejus
ſervo. 56. Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum:
vidit, & gaviſus eſt. 57. Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquagin-
ta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? 58. Dixit eis Jeſus:
Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. 59. Tu-
lerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jeſus autem abſcondit ſe, &
exivit de templo.

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

563.

Jesus autem perrexit in montem Oliveti. Posita confutatione insurgentium per potentiam, ponitur hic confutatio insidiantium per malitiam. Nam quia non poterant Christum occidere violentia, quærebant invenire occasionem, ut eum caperent in sermone. Et ideo proposuerunt quæstionem, ut Dominum caperent; sed ipsi e contrario capti sunt & confusi. Et describitur eorum confutatio hoc ordine. Primo enim ponitur Christi instructio. Secundo vero Pharisæorum malitiosa quæstio. Tertio prudens Christi responsio. Quarto Pharisæorum confusio. Quinto mulieris liberatio.

Descriptio ordinata confutationis Pharisæorum.

Christi instructio.

564. Introducitur ergo primo Christi instructio, quæ erat diligens, publica, & authentica. Diligens, unde dicitur: *Jesus autem perrexit in montem Oliveti*; quia in Bethania hospitabatur in domo Mariæ & Marthæ. Luc. vigesimo primo: Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.

Luc. 21. 37.

VERSUS SECUNDUS.

Diligens.

Sap. 6. 14.

565. *Et diluculo iterum venit in templum*, diligentia notatur in hoc, quod *diluculo* veniebat. Sap. sexto: Præoccupat, id est, prævenit eos (a) qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat; & Prov. octavo: Qui mane vigilant ad me, invenient me. Erat etiam publica, unde dicitur: *Et omnis populus venit ad eum*. Luc. vigesimo primo: Omnis populus manicabat, id est, mane ibat, ad eum in templo audire eum. Erat etiam authentica, propterea dicitur: *Et sedens docebat eos*. *Sedens*, quia Magistri est sedere. Matth. vigesimo tertio: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Sederunt, scilicet ad docendum, sic & ipse.

Prov. 8. 17.

Publica.

Luc. 21. 38.

Authentica.

Matth. 23. 2.

VERSUS TERTIUS.

566. *Adducunt autem &c.* Tangitur hic secundum, scilicet malitiosa quæstio. Quæstio erat de muliere deprehensa in adulterio, utrum esset secundum imperium legis lapidanda, propter quod dicitur: *Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam.* Ideo *Scribæ, & Pharisæi*, quia sagaciores erant, & magis invidebant Domino. Scribæ invidebant sapientiæ; sed Pharisæi bonitati. Luc. undecimo: Cœperunt Pharisæi, & Legisperiti graviter insistere &c. *Et statuerunt eam in medio*, quia de ea volebant inquirere.

Malitiosa quæstio Pharisæorum.

Luc. 11. 53.

VERSUS QUARTUS.

567. *Et dixerunt ei: Magister*, adulando dicunt, ut facilius decipiant, & se occultent. Chrysostomus: Magistrum vocant, cujus nolunt esse Discipuli (b). Simile dixerunt Matth. vigesimo secundo: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. *Hæc mulier modo in adulterio deprehensa est* per facti evidentiam, vel per testes.

Chrysostomus, vel quis alius Auctor Oper. imperf. in Matth. Homil. 42. ante med.

Matth. 22. 16.

VERSUS QUINTUS.

568. *In lege autem mandavit nobis Moyses hujusmodi lapidare*. Deut. vigesimo secundo: Si dormierit vir cum uxore proximi sui, uterque morietur, id est, adulter, & adultera. *Tu ergo quid dicis?* Hoc quærebant, non studio quærendi, sed dolo decipiendi (c), & hoc exprimit Evangelista:

Deut. 22. 22.

VER-

(a) Ita Exposit. in Sap. ad d. cap. & tex.

(b) Sic etiam Auctor jam editæ Exposit. sub S. Bonav. nomine.

(c) De hac eorum *fraude* ipsemet Interpres noster in Planctu de Passione Domini, sive in Vite myst. cap. 3. num. 5. Vol. 3.

VERSUS SEXTUS.

569. *Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent eum accusare.* Unde consimili modo quærentibus respondit Dominus Matth. vigesimo secundo: Quid me tentatis, hypocritæ? *Possent accusare*, sicut in passione, Matth. vigesimo septimo: Et cum accusaretur a Senioribus & Principibus Sacerdotum, nihil respondit. *Jesus autem inclinans se (a) digito scribebat in terra*, scilicet expectans, si quo modo resipiscerent a quæstione dolosa. *Digito scribebat*, ut innueret, quod legem digito scripserat Deut. nono, & Exod. trigesimo primo. Modestus etiam fuit in sententiando; quia nec declinavit ad rigorem legis, ut eam diceret occidendam, nec contradixit legi, ne tribueret occasionem se accusandi *(b)*, unde dicitur:

Matth. 22. 18.
Matth. 27. 12.
Deut. 9. 10. & Exo. 31. 18.

VERSUS SEPTIMUS.

570. *Cum autem (c) perseverarent interrogantes eum*, & a stultitia nollent desistere, *erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Inclinatus per misericordiam; *erexit se* per justitiam; *& dixit eis* proferendo sententiam: *Qui sine &c.* infligendo pœnam. In qua responsione prudente, & modesta confutavit eos tanquam hypocritas secundum illud Matth. septimo: Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Modestus etiam fuit post sententiæ prolationem, unde dicitur:

Prudens Christi responsio.
Matth. 7. 3. ac 5.

VERSUS OCTAVUS.

571. *Et iterum se inclinans scribebat in terra*, ut sic confusis daret locum sine verecundia exeundi. Unde Beda *(d)*: Coram tentatoribus inclinari, & in terra scribere voluit, ut ad aliud vultum intendens, liberum eis daret exitum, quos sua responsione perculsos citius exituros, quam plura interrogaturos, præviderat *(e)*. Jerem. decimo septimo: Omnes qui te derelinquunt, confundentur, recedentes a te, in terra scribentur. Jer. vigesimo secundo: Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem.

Beda in Jo. Evang. c. 8.
Jer. 17. 13.
Jer. 22. 29. ac seq.

VERSUS NONUS.

572. *Audientes autem hæc (f) &c.* Notatur hic quartum, scilicet Pharisæorum confusio, quæ manifestata est in eorum dispersione, propterea dicitur: *Audientes autem hæc*, scilicet tam prudentem & justam responsionem, *unus post unum exibant, incipientes a senioribus*, dispersi recedebant, qui conglobati venerant, & seniores prius exibant, quia ipsi primi fuerant in culpa; ideo & in fuga. Daniel. tertiodecimo: Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus Judicibus, qui videbantur regere populum; & omnes recesserunt, quia omnes confusi erant. *Et remansit solus Jesus, & mulier in medio stans. Solus remansit*, qui locum solitudinis requirit. Osææ secundo: Ducam eam in solitudinem, & ibi *(g)* loquar ad cor ejus. Vel quia solus peccato mulieris erat offensus Psal. 50. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Augustinus: Duo remanserunt, misera & misericordia, & quia misericordia intuetur miseriam, ideo subditur:

Pharisæorum confusio.
Dan. 13. 5.
Os. 2. 14.
Ps. 50. 6.
Augustinus in Jo. Evang. c. 8. Tract. 33. n. 5.

VERSUS DECIMUS.

573. *Erigens autem se Jesus*, in quo notatur quintum, scilicet mulieris accusa-

Mulieris liberatio.

(a) Vulg. *deorsum*; sed absque *deorsum* quoque Codd. Evangelior. Corbejen. & Mss. ac Trident.

(b) In Vite myst. ibi num. 6. in eumdem textum: *Legi meæ non contradico, pietatem meam non desero.*

(c) Vulg. *cum ergo*; sed *cum autem* etiam Cod. noster Bernardin. atque alter Biblior. Biblioth. Episc. Trident. Item Evangelior. Codd. Forojulien. Corbejen. ac Goth. apud Blanchin. & Lyran. Dionys. Carthus. &c. Apud vero Hugo Card. *Cum ergo al. autem.*

(d) Apud Gorran *Augustinus;* sed verba, quæ sequuntur, esse *Bedæ* legere quoque est apud Cornel. a Lap., a quo allegantur in hoc cap. & tex.

(e) Item S. Hieronym. Lib. 2. contra Pelag. *Dedit verecundiæ eorum clementissimus judex spatium recedendi.*

(f) Absque *hæc* Vulg. sed habent *hæc* antiquiores sacror. Biblior. Editiones, & Cod. noster Bernardinian. Item S. Tho. Hugo Card. Lyran. Arabicus autem pro *hæc* habet *hoc*.

(g) *Ibi* Vulg. non habet; sed vid. infra col. 758. not. *a*.

Misericordia cum justitia currit.

cusatæ misericors liberatio. Et quia misericordia currit cum justitia, & non est contra justitiam; quærit Dominus ab ea de condemnatione, & accusatione, propterea *dixit ei: Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnavit?* Duo quærit; & quia alterum erat evidens de recessu accusatorum, respondit mulier quæstioni de condemnatione:

VERSUS XI.

574. *Quæ dixit: Nemo, Domine*, supple: me condemnavit (Matth. septimo: Nolite condemnare &c.) & ideo tibi relicta sum. Et sequitur misericors liberator mulieris, unde dicitur: *Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo*, ecce misericordia. (*a*) Ad Rom. octavo: Deus qui justificat, quis est qui condemnet? *Vade, & jam amplius noli peccare*, ecce justitia (*b*), quæ sic absolvit a culpa, ut tamen non det libertatem redeundi ad culpam. Ecclesiastici quinto: Misericordia & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Unde Augustinus: Intendant, qui amant in Domino mansuetudinem, & timeant veritatem; etenim dulcis & rectus Dominus. Amas quod dulcis est? time quod rectus est. Tanquam mansuetus dicit, tacui: Sed tanquam rectus, numquid semper tacebo (*c*)? sicut parturiens loquar, Isa. quadragesimo secundo. Ideo subdit: *Jam amplius noli peccare.*

Matth. 7. 1. — *Ad Rom. 8, 33. ac seq.* — *Eccli 5. 7.* — *Augustinus ibi n. 7.* — *Psal. 24. 8.* — *Isa. 42. 14.*

Dubitatio, unde sit quod Christo a Pharisæorum vafritia proposita fuerit quæstio de muliere adultera?

575. Sed incidit hic dubitatio, cum quæstio ista faciliter esset determinata ex lege, & qui tentat, debeat dubia quærere, unde est hoc, quod talem quæstionem Pharisæi dolosi Domino proposuerunt? Respondent quidam, quod videtur totum industria humana factum; unde dixerunt, quod hoc fuit immixtum Evangelio Joannis, sicut historia Susannæ Danieli. In cujus rei testimonium adduxerunt, quod Chrysostomus de hoc nullam mentionem facit, unde saltat ad illud: *Iterum locutus est Jesus &c.* (*d*) Sed Augustinus, & Expositores nostri exponunt de serie Evangelii (*e*). Quod vero Chrysostomus nihil dicat, caussam nescio. Quidam dicunt, quod in antiquis libris Græcis non inveniebatur (*f*), quia Joannes addidit Evangelio completo. Propterea dicendum est, quod Pharisæi invidebant Domino de hoc, quod laudabatur de mansuetudine, & justitia simul, secundum illud Psal. Propter veritatem & mansuetudinem & justitiam. Ideo quæstionem proponunt, in qua necesse haberet declinare in rigorem justitiæ contra mansuetudinem, ut haberetur immitis, vel contradicere justitiæ legis (*g*). Et quasi insolubile confecerant argumentum, ut utralibet parte data suum obtinerent propositum; sed Dominus sapienter respondit ad hominem, non ad objectionem.

Quorumdam responsio de auctario heic facto in Jo. Ev. — *Chrysostomus Hom. 51. in Jo. Ev. c. 8.* — *Augustinus cit. Tract. 33. n. 4. ac seqq.* — Solutio Interpretis. — *Ps. 44. 5.*

Quæstio de hoc quod Christus in prolatione sententiæ in terra scribebat.

576. Item quæritur de hoc quod Dominus in prolatione sententiæ scribebat in terra. Videbatur enim factum puerile, quia non erat scriptura manens, nec aliquis legere poterat. Item quare digito scribebat? Item quid scribebat? Respondeo: Moralis ratio, quare scribebat ante sententiam, & primum in terra, ut doceat nos, sicut dicit Beda (*h*), ut priusquam peccantem proximum corripiamus, & postquam castigationis ministerium reddiderimus, nos ipsos digna humilitatis investigatione perpendamus, ne forte aut eisdem, quæ reprehendimus, aut aliis simus peccatis irretiti. Alia ratio est, ut ostendat, quod sententia cum maturitate est proferenda, & primo scribenda, & verba limitanda secundum ordinem

Responsio. — *Beda in Joan. Evang. c. 8.* — Sententia cum maturitate proferenda, & limitanda secundum ordinem juris.

(*a*) In liberatione illius mulieris peccatricis *finis fuit sua misericordiæ abundantia*, inquit idem S. Bonav. 4. Dist. 19. Dub. 4.

(*b*) De hujusmodi justitia, sed cum misericordia quasi magis Deo propria, ipsemet S. Bonav. Exposit. in Lib. Sap. cap. 12.

(*c*) Hæc ex Isa. sec. LXX.

(*d*) Huic quorundam Veterum opinioni adhæserunt ætatis nostræ plures Heterodoxi, aliis refragantibus nedum Catholicis, sed etiam Heterodoxis, ut Calvinus, Seldenus, Millius &c.

(*e*) Augustinus, inquam, nedum cit. loc. sed etiam Lib. 2. de adulter. coniug. cap. 6. ac 7. & sub ejus nomine Lib. de falsa & vera pœnit. cap. 13. & Epist. olim 54. nunc 153. ad Macedon. c. 4. n. 9 ac etiam alibi; & Tatianus, atque Ammonius, in eorum Evangelica concordia; nec non SS. PP. Ambrosius, Hieronymus &c.

(*f*) Quod inveniatur in multis Codd. Græcis, & etiam Latinis, item in Syriacis, Arabicis, Copticis, testantur Prolegomena Evangeliar. Quadrupl. apud Cl. Blanchinum fol. 75.

(*g*) Similiter in Vite myst. cap. 3. num. 5.

(*h*) Apud Gorran *Alcuinus*: ut cum quælibet mala proximorum conspicimus, non statim ea temere damnemus, sed prius ad conscientiam cordis humiliter reversi, digito discretionis ea sollicite disquiramus.

nem juris. Tertia ratio, ut ostendat, quod invitus condemnat, & sententiam damnationis invitus, & cum dolore debet homo proferre. Quarta ratio, ut locum desistendi daret a caussa malitiosa, & hoc quidem spectat ad Judices. Quod quæritur, quid scribebat? Respondet Augustinus, quod illud scripsit, quod protulit. Ambrosius (*a*) vero dicit, quod scripsit: Terra, terra, scribe hoc viros abdicatos; & tractum est Jerem. vigesimo secundo. Interlinearis dicit, quod scribebat peccata eorum (*b*). Alii dicunt, quod scribebat literas, in quibus quilibet posset legere peccata sua (*c*). Quod quæritur, quare digito scripsit? Ratio est literalis, quia credo quod non habebat alium calamum. Ratio est etiam moralis & allegorica. Moralis, quia per digitum intelligitur discretio (*d*); voluit enim quemquam se discrete examinare. Allegorica, ut signaret, quod ille erat, qui digito scripserat legem, Exodi trigesimo primo (*e*).

Augustinus ibi.
Ambrosius ad Studium Epist. 25. n. 4.
Jer. 22. 29.
Interlinearis.
Exo. 31. 18.

577. Item quæritur de responsione Domini: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*. Ex hac responsione videtur, quod nullus possit aliquem accusare, quia nullus mundus a sorde, & nullus sine peccato; & si hoc, remanebunt scelera impunita. Si dicas, quod Dominus intellexit de peccato mortali, tunc objicitur; quia præceptum est corripere fratrem, & accusare: ergo si nullus peccat faciendo ad quod tenetur, si peccator tenetur, quia non absolvitur propter culpam; ergo non peccat accusando. Si dicas, quod peccat, non in hoc, quod facit, sed in hoc, quod non digne facit, objicitur; quia hoc non est opus privilegiatum. Resp. Dicendum, quod peccator existens in mortali, qui alterum accusat, aut est peccator notorius eodem genere peccati, & tunc scandalizat quantum in se est (*f*), & peccat peccato duplici, scilicet scandali & contemptus. Peccator autem occultus sive in eodem genere peccati, sive in alio, si scit se habere peccatum, & considerat peccatum fraternum, & judicat, & seipsum negligit, peccat peccato contemptus; non in hoc, quod accusat, sed in hoc, quod cum se deberet purgare & discutere, negligit & contemnit (*g*). Unde ita est intelligendum verbum Domini, & sic patet responsio ad illud.

Altera quæstio de responsione Domini: *Qui sine peccato &c.*
Vide infra c. 9. n. 664.
Responsio de peccatore notorio, & occulto alterum accusante.

578. Item quæritur de absolutione mulieris, videtur quod Dominus directe fecerit contra legem; quia quam lex damnabat, ipse absolvit, & adhuc tempus legis & observantia durabat. Item videtur quod injuste fecerit; quia nullam pœnam imponens, videtur quod licentiam peccandi dederit. Respondeo: Dominus non fecit contra legem, quia ipse erat supra legem, & poterat dispensare in præcepto legis. Nec tamen fecit contra; quia accusatores non perstiterunt in accusando, & sola erat mulier, & sine accusatore, & talem lex non damnabat. Unde prius repulit adversarios lingua justitiæ, & postmodum quando sibi relicta est, levat oculos misericordiæ. Nec tamen eam condemnasset, si adversarii perstitissent, ut dicit Augustinus: Absit, ut ille diceret, lapidetur; venit enim non perdere quod invenerat, sed quærere quod perierat: non ut damnaret, qui venit salvare. Ad aliud dicendum, quod Dominus erat, & ideo totum poterat condonare; nec tamen condonando favit peccatis, quia prohibuit, ut amplius non peccaret. Et hoc quia sicut dicit Augustinus: Damnavit Dominus, non hominem, sed peccatum (*h*).

Quæstio ultima de absolutione mulieris.
Responsio.
Augustinus ibi n. 5.
Christus venit, non perdere quod invenerat, sed quærere quod perierat.
Augustinus ibi n. 6.

VER-

(*a*) Apud Gorran *Hieronymus*; sed etiam apud Cornel. a Lapide *Ambrosius*.

(*b*) Sic S. Hieronymus Lib. 2. contra Pelag.

(*c*) Exposit. in Psalter. Ps. 102. sic „ Quæritur quid Dominus scripsit in terra, quando se inclinavit. Quidam dicunt peccata accusantium adulteram. Alii dicunt hoc, scilicet: Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat. Hieronymus (*forte legen. Ambrosius*) videtur velle hoc, scilicet: Terra terram accusat, scilicet peccator peccatricem. “ Sed Glossa ordinar. apud Lyran. monet: *Quid scriberet in terra, sive verba illorum, sive quid aliud, non est diffinitum*.

(*d*) Ita eadem Glossa ordinar. ac etiam allegatur Anselmus in Exposit. jam edita sub S. Bonav. nomine.

(*e*) Ita quoque S. Augustinus ibi, ac laudatus Anselmus. Et supra n. 569.

(*f*) *Si exterior sit malitia, peccare scandalizando*, ait etiam idem S. Bonav. 4. Dist. 19. Dub. 4.

(*g*) Nanque vel si tantum *interior sit malitia*, adhuc eodem Bonaventura auctore ibi: *tenetur primo de oculo suo trabem ejicere*.

(*h*) Hinc idem Augustinus Lib. 2. de adulterinis conjugiis ad Pollentium cap. 7. refellit eos, qui *metuentes peccandi impunitatem dari mulie-*

VERSUS XII.

579. *Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi &c.* Confutata Judaeorum perversitate, in hac secunda parte manifestat Dominus suae doctrinae dignitatem & nobilitatem. Nobilitas autem doctrinae suae consistit in hoc, quod liberat a caecitate erroris (*a*), a servitute peccati, a damnatione mortis. Primo ergo ostenditur, quomodo liberat a caecitate erroris & infidelitatis. Secundo quomodo liberat a servitute peccati ibi: *Dixit ergo eis iterum Jesus &c.* Tertio quomodo liberat a damnatione mortis ibi: *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit (b) in aeternum.* Primo igitur commendat suam doctrinam in hoc, quod liberat a tenebrositate erroris, & hoc quidem facit per hunc modum. Primo insinuatur doctrinae commendatio. Secundo propter Judaeorum reprehensionem commendationis approbatio. Tertio manifestatio Judaicae ignorantiae. Quarto vero evasio perfidiae. Insinuatur igitur primo doctrinae commendatio in hoc, quod Dominus se comitantes, & doctrinae suae adhaerentes dicit a tenebris liberari, propter quod dicitur: *Iterum ergo locutus est eis Jesus*, quia eorum confutaverat perversitatem, rursus resumpsit sermonem, (*c*) ut doctrinae ostendat nobilitatem. Nota autem pro declaratione hujus textus, quod

Doctrina Christi liberat a caecitate erroris, a servitute peccati, a damnatione mortis.

Doctrinae Christi commendatio ob liberationem a caecitate erroris.

mulieribus fuit, eo adducti sunt, ut *illud quod de adultera indulgentiae Dominus fecit, auferrent de Codicibus suis, quasi*, ut ipsemet Augustinus subdit, *permissionem peccandi tribuerit, qui dixit: Jam deinceps noli peccare.* Sed praestat integrum textum audire S. Augustini supra cit. in haec *verba* loquentis „ *Nec ego te damnabo.* Quid est
„ Domine? Faves ergo peccatis? Non plane
„ ita. Adtende quod sequitur: *Vade, deinceps*
„ *jam noli peccare.* Ergo & Dominus damna-
„ vit; sed peccatum, non hominem. Nam si
„ peccatorum fautor esset, diceret. Nec ego te
„ damnabo; vade, vive ut vis: de mea libe-
„ ratione esto secura; ego quantumcumque pec-
„ caveris, te ab omni poena etiam gehennae,
„ & inferni tortoribus te liberabo. Non hoc
„ dixit. “ Item Beda „ Quoniam misericors &
„ pius est, praeterita relaxat: quoniam justus
„ est, & justitiam diligit, ne amplius jam pec-
„ cet, interdicit. “

(*a*) *A caecitate*, inquam, *erroris*, etiam illius, de quo idem S. Augustinus Tract. 34. num. 2.
„ Forte non desit qui dicat apud semetipsum:
„ Numquid forte Dominus Jesus Christus est
„ sol iste, qui ortu & occasu peragit diem?
„ Non enim defuerunt Haeretici qui ista sen-
„ serunt. „ Manichaei solem istum oculis car-
„ nis visibilem, expositum & publicum non
„ tantum hominibus, sed etiam pecoribus ad
„ videndum, Christum Dominum esse putave-
„ runt. Sed catholicae Ecclesiae recta fides im-
„ probat tale commentum, & Diabolicam do-
„ ctrinam esse cognoscit: nec solum agnoscit
„ credendo, sed in quibus potest convinci,
„ etiam disputando. Improbemus itaque hu-
„ jusmodi errorem, quem sancta ab initio
„ anathematizavit Ecclesia &c. “ Vid. infra col 759. not. *b*.

(*b*) Circa hanc abeuntem a Vulg. lectionem infra suo loco.

(*c*) Heic Cornel. a Lap. sic „ Quia Christus
„ quaestionem adulterae, quae doctrinam inter-
„ ruperat, jam terminavit; idcirco iterum ad
„ docendum rediit, & doctrinam intermissam
„ resumpsit. Ita Chrysostomus, Theophyl.
„ Leont. Ammon. & alii. Unde Arabicus
„ vertit: *Deinde locutus est eis Jesus iterum &c.*

Loquitur nobis Dominus.

- *Num. 12. 6.* Per imaginationem nocturnam, Numer. duodecimo: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.
- *Psal. 84. 9.* Per inspirationem occultam, de qua in Psalmo David: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, & *Osea 2. 14.* Oseæ secundo: Ducam eam in solitudinem, & ibi (a) loquar ad cor ejus.
- *Exo. 20. 18, ac 22.* Per miracula, Exodi vigesimo: Cunctus Populus videbat voces, & lampades, id est, fulgura lucentia instar lampadarum, & post: Vos vidistis, quod de cœlo locutus sim vobis.
- *Exo. 20. 1, ac seq.* Per documenta sive præcepta, Exod. vigesimo: Locutus est Dominus cunctos sermones hos. Ego sum Dominus Deus tuus &c.
- *Jer. 36. 2.* Per Scripturas, Jerem. trigesimo sexto: Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi adversum Israel & Judam &c.
- *Prov. 1. 20.* Per creaturas, Prov. primo; Sapientia foris prædicat (b); quia in omnibus creaturis docet, etiam in formica, *Prov. 6. 6.* Prov. sexto: Vade ad formicam, o piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam.
- Per creaturam insensibilem, sicut in columna, *Exo. 33. 9.* Exod. trigesimo tertio: Ingresso Moyse tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, loquebaturque cum Moyse &c.
- *Zach. 1. 13.* Per creaturam spiritualem, sicut per Angelum, Zach. primo: Respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria (c):
- *Matth. 10. 20.* Per Spiritum sanctum, Matth. decimo: Vos non estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.
- *Ad Heb. 1. 1, ac seq.* Per Filium suum unigenitum, ad Hebr. primo: Multifarie (d) multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.

Com-

(a) Vide Comment. in Apocal. cap. 1. num. 45.
(b) Supra cap. 7. *clamitat*, sed heic cum Vulg. concordat.
(c) De hac Dei locutione per Angelum noster Interpres in 2. Dist. 10. art. 3. q. 2. in fundam. & in Concl.
(d) Vulg. *multifariam*; sed *multifarie* Hugo Card. Lyran. antiquæ Biblior. Editiones &c.

Commendat igitur doctrinam suam, *dicens: Ego sum lux mundi*, id est, hominum existentium in mundo, supra primo: (Jo. 1. 9.) Illuminat omnem hominem &c. *Ego sum lux mundi*, per instructionem, (Eccli 24. 44.) Ecclesiastici vigesimo quarto: Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus. *Qui sequitur me*, per intellectus captivitatem, secundæ ad Cor. decimo: (2. ad Cor. 10. 5.) In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Talis sequitur me, (Jo. 12. 26.) Joan. duodecimo: Si quis mihi ministrat, me sequatur. *Non ambulat in tenebris*, per erroris excæcationem, (Ad Eph. 4. 17.) ad Ephes. quarto: Jam non ambuletis, sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui. Joan. duodecimo: (Jo. 12. 35.) Ambulate, dum lucem habetis, ut tenebræ vos non comprehendant. *Sed habebit*, quia in futuro erit lux vitæ, quæ non poterit extingui; sed modo potest, unde in Psal. (Ps. 35. 10.) Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Vel ideo dicit, *habebit*, quia nunc ambulamus per fidem, sed tunc habebimus per speciei comprehensionem (a); in præsenti vero non comprehenditur, nisi carne obumbretur. Unde secundum Bernardum, (Bernardus in Cant. Serm. 31. n. 9. ac Serm. 20. n. 7.) splendorem illius æternæ lucis nullus ferre posset aspectus, nisi obumbraretur levi nubecula carnis; ideo ait esse dictum (Luc. 1. 35.) Luc. primo: Virtus Altissimi obumbrabit tibi (b).

VERSUS XIII.

580. *Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu &c.* Tangitur hic secundum, scilicet commendationis approbatio propter Judæorum reprehensionem. (Commendationis doctrinæ Christi approbatio propter Judæorum reprehensionem.) Reprehendebant enim eum, quia seipsum commendabat, propterea dicunt: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*, id est, non tanquam verum

S. Bonav. Tom. I. Supplem.

est acceptandum. Supra quinto: Si ego (Jo. 5. 31.) testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum; quia dicitur Prov. vigesimo septimo: Laudet (Prov. 27. 2.) te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. Ad hanc reprehensionem subdit Dominus suam responsionem, ideo ait:

VERSUS XIV.

581. *Respondit Jesus, & dixit eis*, & defendit testimonium suum tanquam verum, quia certum, & quia legitimum, propterea dicit: *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum*, quia sum Deus. Numer. vigesimo tertio: Non est Deus (Num. 23. 19.) quasi homo, ut mentiatur. Ideo verum & acceptabile est, quia certum, unde dicit: *Quia scio unde veni, & quo vado.* Prov. duodecimo: Qui quod novit (Prov. 12. 17.) loquitur, Judex (c) justitiæ est; qui autem mentitur, testis est fraudulentus. Joan. tertio decimo. Sciens quia omnia (Jo. 13. 3.) dedit ei Pater in manus, & quia a Deo exivit, & ad Deum vadit. Sed vos male arguitis, unde subdit: *Vos autem nescitis unde venio, aut quo vado.* Psal. Nescierunt, neque intellexerunt, (Ps. 81. 5.) in tenebris ambulant. Et quod nesciant istud, monstrat, unde dicit:

VERSUS XV.

582. *Vos secundum carnem judicatis*, primæ ad Corinth. tertio: Cum sit in- (1. ad Cor. 3. 3.) ter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis, sive judicatis? Quia ipsum purum hominem esse credebant, & quod gloriam suam ut homo quæreret, & ideo ejus testimonium arguebant. *Ego autem (d) non judico quemquam*, in præsenti scilicet. Supra tertio: Non mi- (Jo. 3. 17.)

 sit

(a) Sic Cornel. a Lap. „ *Habebit lumen vitæ*, „ modo per fidem, postea per speciem, ait „ Augustinus &c. "

(b) Ita S. Bernard. loc. supra cit. ac etiam inter ejus supposititia in Instruc. Sacerdotis de trib. præcip. myster. cap. 7. num. 17. quoad sensum. Noller autem Interpres in 3. Dist. 3. par. 1. Dub. 1. ad hunc textum: *Et virtus Altissimi &c.* pariter inquit „ Virtus Altissimi „ Virginem potius dicitur obumbrare, quam „ illuminare .... ut quæ non poterat Deum „ sentire in se propter suæ lucis immensitatem, „ sentiret & cogitaret intra se per assumptam „ carnis humanitatem. " Prædictis secundum Bernardum allatis similia lego quoque apud Bedam in Joan. Evang. cap. 8. ad d. textum, nec non apud S. Augustin. Tract. 34. in Jo. num. 4. ubi jam dictum supra col. 756. not. a, confutat Manichæorum commentum, & ubi sic loquitur: *Factum est propter nos sub sole lumen quod fecit solem. Noli contemnere nubem carnis: nube tegitur, non ut obscuretur, sed ut temperetur.*

(c) Supra cap. 5. num. 353.

(d) Vulg. *absque autem*; sed *autem* habet etiam Cod. Brixian. apud Blanch.

fit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum. *Non judico* condemnando (*a*), sicut vos me modo condemnatis. Et hoc non quia non possim vel nesciam, immo scio & possum, propterea dicit:

VERSUS XVI.

583. *Et si judico ego, judicium meum verum est*, non carnale, non incertum, neque secundum faciem. Isai. undecimo: Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; & ideo in judicio errare non possum: *Quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater*. Unde quia ab ipso in judicando non discedo, ideo non erro. Supra quinto: Non possum ego facere a meipso quidquam, sicut audio, judico, & judicium meum justum est. Non tantum testimonium meum est certum, sed etiam legitimum; quia secundum legem erat sufficiens, unde dicit:

Isa. 11. 3.

Jo. 5. 30.

VERSUS XVII.

584. *Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est*, id est, acceptabile. Deuter. decimo nono: In ore duorum vel trium testium stat (*b*) omne verbum.

Deut. 19. 15.

VERSUS XVIII.

585. *Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater*, ideo testimonium meum non est repudiandum. Primæ Joan. quinto: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.

1. Jo. 5. 7.

VERSUS XIX.

586. *Dicebant ergo ei: Ubi est &c.* Tangitur hic tertium, scilicet manifestatio judaicæ ignorantiæ. Primo in sua interrogatione; quia enim non intelligebant quod dicebat, quod Pater testificaretur de Christo ipso, ideo quærunt: *Ubi est Pater tuus?* Non quærunt, quis sit, sed ubi sit, & inordinate requirunt; quia ubique est. Jerem. vigesimo tertio: Cœlum & terram ego impleo. Ideo magis merentur reprehensionem, quam satisfactionem (*c*), & ideo subditur: *Respondit eis (d) Jesus*, hic manifestatur eorum ignorantia in Christi responsione, qua eos reprehendit, & ostendit, quod stulte requirunt de Patre, quia ipsum ignorando Filium, Patrem nosse non possunt, propterea dicit: *Neque me scitis, neque Patrem meum scitis (e)*. Et ratio hujus est, quia ego sum via cognoscendi Patrem, unde dicit: *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*; quia Matth. undecimo: Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare. Unde primæ Joan. secundo: Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet; qui autem (*f*) confitetur Filium, & Patrem habet.

Judaicæ ignorantiæ manifestatio.

Jer. 23. 24.

Matth. 11. 27.

1. Jo. 2. 23.

VERSUS XX.

587. *Hæc verba locutus est Jesus &c.* Tangitur hic mirabilis evasio judaicæ perfidiæ, quia sic eos reprehendit, & erat inter manus eorum, & eum non ceperunt, ideo dicitur: *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo*; quia Gazophylacium erat in dextera parte templi, *& nemo apprehendit eum*, & hoc Divino miraculo, non humano consilio: *Quia nondum (g) venerat hora ejus*; istud verbum sæpe repetit Evangelista, ut ostendat Christum propria

A Judaica perfidia evasio.

(*a*) Nunc scilicet judicio damnationis; sed in futuro, ut etiam cum Chrysostomo declaratur in Exposit. jam edita sub S. Bona. nomine.

(*b*) Sic Glossa ordinar. apud Lyran., ac Hugo Card. in Jo. Evang. ad d. text. Vulg. *in ore duorum aut trium testium stabit &c.*

(*c*) Apud Gorran *solutionem*.

(*d*) Deest *eis* in Vulg. at Cod. Vercellen. habet æquivalens, nempe *quibus respondit*, & Veron. ac Cant. *Respondit Jesus, & dixit eis*. Trident. autem: *Respondit illis Jesus, & dixit*.

(*e*) Hæc etiam repetitio *scitis* abest a Vulg.; sed est quoque in Cod. Biblioth. Episc. Trident. ac nostro Bernardiniano. In Ed. Hugonis Card. post *neque Patrem meum* est quidem iterum *scitis*; sed indicatur velut Interpretis additamentum.

(*f*) Vulg. sine *autem*; sed *autem* habent. d. Cod. noster Bernard. ac alter d. Biblioth. Episc. & Hugo Card. Item Goth. apud Blanchin.

(*g*) Vulg. *necdum*; sed *nondum* etiam Cod. noster Bernardinian. nec non Codd. Evangelior. Vercellen. Corbejen. Veronen. ac Trident. Item S. Augustinus &c.

Jo. 10. 17. ac seq. pria voluntate captum & passum, *(a)* ut dicitur Joan. decimo: Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono a meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Notandum est, quod gazophylacium dicebatur locus, ubi fiebant oblationes, & triplex erat locus ad hoc deputatus, unus dicebatur Gazophylacium, ubi inferebantur oblationes ad sarta tecta templi, & dicitur gazophylacium a gaza *(b)*, quod est divitiæ, & a philaxe, quod est servare, de hoc Luc. vigesimo primo: Respiciens Jesus vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium. Alius locus, sive repositorium aliud dicebatur corba, vel corbona, quod erat deputatum ad oblationes, quæ contingebant Sacerdotes, de quo Matth. vigesimo septimo: Non licet eos mittere in corbonam; quia pretium sanguinis est. Tertium repositorium dicebatur musach, ubi reponebantur tributa Regum. Quarti Reg. sexto decimo: Musach sabbati. Vel aliter, musach ad oblationes Solemnitatum, corba ad oblationes votivas, gazophylacium ad oblationes spontaneas *(c)*.

Gazophylacium unde dictum. — Luc. 21. 1. — Corbona quid sit. — Matth. 27. 6. — Quid musach. — 4. Reg. 16. 18.

Quæstio prima de hoc quod Christus dicit: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso &c.* — Prov. 27. 2. — Jo. 5. 31.

588. Sed quæritur hic primo de hoc quod Dominus dicit: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est*. Contra: dicitur Prov. vigesimo septimo: Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua. Item nullius testimonium recipitur pro seipso, & Dominus dixit supra quinto: Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum non est; ergo contradicit sibi. Item de hoc quod Dominus nititur testimonium suum approbare per legem, quia duorum testimonium verum est. Sed hoc argumentum nihil videtur valere, quia in lege quando aliquis testatur de se, & alius de eo, non reputantur nisi pro uno testimonio; ergo Filius secundum hoc non habebat nisi unicum testimonium. Item Pater ejus erat Persona conjunctissima, & talis Persona secundum jura ad testimonium non admittitur. Item Joan. decimo: Ego & Pater unum sumus, ergo unum erant; non ergo duo testes: Aut si duo testes, non unum sunt Pater & Filius. Resp. Dicendum, quod ipse Dei Filius est lux; sed omnis creatura est tenebra *(d)*, & potest quantum est de se obscurari. Quia ergo lucis est manifestare se, & alia, ideo lux ipsa de se potest testimonium perhibere; sed creatura, quia tenebra est, alio manifestante indiget. Item quia lux est, non potest obscurari, nec obliquari, ideo simul judicare & testari potest, simul etiam laudare & laudari. Quia vero creatura potest obliquari, non potest, nec debet ista duo simul obtinere. Illud igitur Proverb. dicitur ad homines fragiles, & pronos ad vanam laudem; istud, quod dictum est supra quinto, intelligitur de Christo secundum humanam naturam in sensu ibi exposito *(e)*. Ad illud vero, quod objicitur de testimonio secundum jura, similiter respondendum; quia nullus potest testari pro se. Sed si ita esset, quod aliquis pro se posset testari, tunc sufficeret unum absque alio testimonium. Sed Christus poterat de se testimonium perhibere; & hoc supposito, argumentum suum bonum est. Similiter de Persona conjuncta, quia declinare potest ad falsitatem, non recipitur testimonium; sed Pater cœlestis, quia verax est, declinare non potest. Quod autem objicitur, quod Pater & Filius unum sunt, dicendum, quod sunt unum in essentia, & distinguuntur in Personis. Quia ergo in veris testibus est distinctio Personarum, & concordia testimonii, & hoc ibi reperitur, ideo authenticum valde est testimonium.

Jo. 10. 30. — Responsio.

Quæstio secunda de hoc quod dicit: *Neque me scitis &c.* — Jo. 7. 28. — Responsio.

589. Quæritur de hoc quod dicit: *Neque me scitis &c.* Quia supra septimo dixit eisdem: Et me scitis, & unde sim scitis, & responsum est *(f)*, quod illud me scitis &c. dictum est secundum humanitatem, hoc autem *Neque me scitis &c.* dictum est secundum Divinitatem; quia qui

(a) Vel ut ostendat, Christum *tempus expectasse sibi a Deo prædestinatum, & figuris legalibus præsignatum*, 2. Dist. 14. par. 2. art. 2. q. 3. ad 3.

(b) Vox Persica.

(c) De *gazophylacio, musach. & corbona* idem noster Interpres in Exposit. cap. 21. S. Lucæ ab initio.

(d) *Tenebra* in singulari sæpius apud Bonaventuram legitur; puta cum dicitur par. 1. de Eccl. Hier. *ubi Christus est, tenebra esse non potest*; nec non magis ad rem nostram 1. Dist. 3. Par. 1. Art. 1. Q. 2. ad opp. 2. *creatura est tenebra, Deus autem est lux*.

(e) Supra num. 5. ver. 31. num. 352. ac q. 1. num. 361.

(f) Supra num. 526. ac 530.

qui videt Filium, videt & Patrem.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur; *Si me sciretis, forsitam & Patrem meum sciretis.*

590. Sed de hoc quæritur: *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Quia in Deum nulla cadit opinio, ergo nec dubitatio. Quid est ergo hoc quod dicit *forsitan*? Resp. Dicendum, quod hoc adverbio *forsitan* arguitur hic infidelitas (*a*), non opinatur Divinitas; insinuatur etiam nobis humani arbitrii libertas (*b*).

Responsio.

Forsitam nota infidelitatis, ac indicium libertatis in humano arbitrio.

VERSUS XXI.

591. *Dixit ergo eis iterum Jesus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini: Quo ego vado, vos non potestis venire.* Ostensum est supra, quod doctrina Christi liberat a cæcitate erroris, hic ostenditur, & commendatur, quod liberat a servitute peccati. Et dividitur hæc pars, quia primo ostenditur, quod sine cognitione Christi peccati servitus perpetuatur. Secundo quod per doctrinam & sermonem Christi homo a servitute liberatur, ibi: *Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt.* Primum ergo ostenditur hoc ordine. Primo enim ponitur perpetuandæ servitutis comminatio. Secundo propter Judæorum dubitationem comminationis expositio. Tertio explicatio credibilium. Quarto multiplicatio credentium. Primo ergo ponitur perpetuandæ servitutis comminatio, & hæc est, quando homo moritur in peccato, & comminatur eis finalem impœnitentiam, propterea dicitur:

Doctrina Christi liberans a cæcitate erroris, liberat quoque a servitute peccati. Divisio hujus partis.

Perpetuandæ servitutis comminatio.

592. *Dixit ergo eis iterum Jesus: Ego vado*, scilicet ad Patrem per passionem; *& quæretis me*, ad persequendum scilicet; *& in peccato vestro moriemini*, & ego eripiar de manibus vestris. Et ratio subditur: *Quo ego vado, vos non potestis venire*, quia non poterant in gloriam introire. Unde comminatus est eis mortem culpæ, & amissionem gloriæ. Hoc dixit Dominus Judæis, & simile dixit
Jo. 13. 33. Discipulis: Quo ego vado, vos non potestis venire, Joan. tertio decimo. Sed Judæis dixit comminando, Discipulis prædixit differendo, unde post dixit Petro: Quo ego vado, non potes me Jo. 13 36.
modo sequi, sequeris autem postea.

VERSUS XXII.

593. *Dicebant ergo Judæi: Numquid &c.* Hic tangitur secundum, scilicet propter dubitationem Judæorum comminationis expositio; dubitabant enim de illo, quod dixerat: *Quo ego vado, vos non potestis venire*, propterea dicunt: *Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire?* Augustinus: Stulta verba, & omnino insipientiæ plena. Quid enim, non poterant illi venire, quo ille perrexisset, si interficeret semetipsum? Numquid ipsi non erant morituri (*c*)? Ob hanc dubitationem ponit Dominus suæ comminationis explanationem, & quia duo dixerat, ideo duo explanat; primo illud, quod dixerat: *Quo ego vado, vos non potestis venire*; quia enim hoc dixerat de eundo ad Patrem per gloriam, ad quam non possent conscendere peccatores, ideo dicit;

Comminationis expositio.

Augustinus in Jo. Ev. c. 8. Tract. 38. n. 3.

VERSUS XXIII.

594. *Et dicebat eis: Vos estis de deorsum* supra tertio: Qui de terra est, de Jo. 3. 31.
terra loquitur (*d*); *ego autem (e) de supernis sum*, & ideo ego sursum vado, & propterea dixit: *Quo ego vado, vos non potestis venire*; quia sicut dicitur supra tertio: Nemo ascendit in cœlum, Jo. 3. 13.
nisi qui descendit de cœlo, ideo vos descenditis, ego autem ascendo. Rursus: *Vos estis de hoc mundo*, quia huic mundo adhæretis per amorem (*f*); *ego autem (g) non sum de hoc mundo*, ideo ego relinquo vos in mundo, & quo vado, vos non potestis venire. Joan. sextodecimo: Exivi a Patre, & veni in Jo. 16. 28.
mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Sic explanat quod dixerat: *Quo ego vado*, hoc intelligendum esse per virtutem, non per infirmitatem. Exponit etiam quod dixit: In

(*a*) Sic S. August. Tract. 37. in Jo. Evang. cap. 8. num. 5. S. Thom. Auctor. Exposit. sub S. Bonav. nomine &c.

(*b*) Supra cap. 4. num. 227. ac cap. 5. num. 371. atque heic etiam Dionys. Carthus.

(*c*) In Apographo nostro cum Edit. Gorran conlato sic: *Si enim seipsum interficeret, nonne ipsi similiter possent? Si de morte locutus, nonne omnes morituri erant?*

(*d*) Vide supra cap. 3. num. 199.

(*e*) Deest in Vulg. *autem*; sed non deest in Cod. Brixiano.

(*f*) *De mundo* dicuntur esse *affectione* etiam in Exposit. jam edita ad hunc textum.

(*g*) *Ly autem* Vulg. non habet, sed habet d. Cod. Brixian.

In peccato vestro moriemini, unde istud replicat, ut explicet:

VERSUS XXIV.

595. *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris*, & explano, quomodo intelligo: *si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*. Si ergo credideritis, non moriemini, ab oppositis est intelligendum; unde Augustinus: Reddita est spes desperantibus, excitatio facta est dormientibus, supra tertio: Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Hoc promiserat.

Augustinus ibi num. 7.

Jo. 3. 36.

VERSUS XXV.

596. *Dicebant ergo ei: Tu &c.* Tangitur hic tertium, scilicet explicatio credibilium. Quia enim comminationem suam exposuerat, quod sine fide ejus nullus poterat liberari a morte, dicens, quod in peccato essent morituri, nisi crederent *quia ego sum*; ideo hoc quod eis implicite dixerat, quærunt Judæi explicari, & in fide doceri. Propterea *dicebant ei: Tu quis es*, ex quo salvari non possumus, nisi in te credamus? Similiter quærebant a Joanne supra primo: Tu quis es? Et sequitur responsio Christi, quia instruit Judæos credere in se: primo quæ respiciunt creaturam per ipsum factam: secundo quæ respiciunt Patris Personam ibi: *Et non cognoverunt*. Primo namque est creatio, propter quod ait: *Dixit eis Jesus: Ego (a) principium, qui & loquor vobis*. *Ego principium*, id est, ego sum principium (*b*) creans, quia per ipsum omnia acceperunt esse (*c*), sicut dictum est supra primo capitulo: In principio erat Verbum, & rursus: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Est etiam Doctor, *qui & loquor vobis*. Ad Heb. primo: Novissime locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula. Similiter Dominus respondit Samaritanæ quærenti: Ego sum qui loquor tecum. Et cæco Joan. nono: Qui loquitur tecum, ipse est. Et etiam Judex, quamvis nunc non loquatur verba condemnationis, sed instructionis & vocationis, propterea dicit:

Credibilium explicatio.

Jo. 1. 19.

Christus principium, Doctor, & judex.

Jo. 1. 1.

Ibi 3.

Ad Heb. 1. 2.

Jo. 4. 26.

Jo. 9. 37.

VERSUS XXVI.

597. *Multa habeo de vobis loqui*, id est, contra vos si non credideritis, *& judicare*, quæ non remanebunt indiscussa, ad malitiam vestram puniendam, & ad meam justitiam ostendendam. Vel *multa habeo loqui vobis (d), & judicare*, id est, docere ad vestram utilitatem, si credideritis. Ecclesiastes nono: Omnia in futurum servantur incerta. Et Job trigesimo quarto: Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet judicium. *Sed qui misit me, verax est, & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo*, & ideo judico veraciter. Supra quinto: Sicut audio, sic judico, & judicium meum justum est; quia non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. Et quia se manifestavit in comparatione ad creaturam, manifestat se in comparatione ad Patris Personam, quam Judæi intelligere non poterant, ideo dicitur:

Eccle. 9. 2.

Job. 34. 12.

Jo. 5. 30.

VERSUS XXVII.

598. *Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum*; & quia non valebant intelligere altitudinem generationis, mittit eos ad infirmitatem passionis, cum dicit:

VER-

(*a*) Vulg. absque *ego*; sed vide infra num. 603

(*b*) Sic Menochius, moxque laudandus Gordonus.

(*c*) In 1. Dist. 2. Dub. 8. ac in Breviloq. par. 2. cap. 5. Unde Gordonus in hunc locum in Græco obscurum ita scribit, „ Est apud multos Theologos locus Theologicus, ut probent „ Christum esse Deum, & principium omnium „ rerum. Non est quod hæream in recensendis opinionibus de verborum mutatione, & „ textura. Illud verius videtur (quando non „ potest recte componi textus Græcus cum Latino) textum Latinum esse incorruptum & „ retinendum. Sensus ejus est: Ego sum principium, & unde rerum origo (Divinitatem „ notat) qui nunc vobiscum loquor. Textum „ autem Græcum discordantem oportet esse & „ fuisse tempore Chrysostomi corruptum. Varias multorum interpretationes referunt Toletus, Maldonatus, & quidam alii. “ De hoc textu iterum Vol. 3. in Opusc. de laude mellifl. Nom. D. N. J. C. num 60.

(*d*) *Loqui vobis* habet Glossa ordinaria apud Lyranum; ac differentiam inter *loqui de nobis*, & *loqui nobis*, notat etiam S. Tho. in Jo. Evang. cap. 8. Lect. 3.

VERSUS XXVIII.

599. *Dixit ergo eis Jeſus: Cum exaltaveritis Filium hominis*, ſcilicet in cruce, Joan. duodecimo: Et ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum; *tunc cognoſcetis quia ego ſum*, ſcilicet diſtincta in Trinitate Perſona, ecce perſonalis diſtinctio, Exodi tertio: Ego ſum qui ſum (*a*); *& a meipſo facio nihil*, ſcilicet hoc cognoſcetis. *Sed ſicut docuit me Pater, hæc loquor*, id eſt, ſicut accepi a Patre; quia Pater omnia dat Filio. Et in hoc oſtenditur generationis Divinæ emanatio a Patre, ſupra quinto: Non poteſt Filius a ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Non ſolum cognoſcetis perſonalem diſtinctionem, ſed etiam eſſentiæ indiviſionem, ideo dicit:

Jo. 12. 32. — Exo. 3. 14. — Jo. 5. 19.

VERSUS XXIX.

600. *Et qui miſit me, mecum eſt*, propter eſſentiæ unitatem, in qua non eſt diviſio. Joan. quarto decimo: Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? *Et non reliquit me ſolum*, per voluntatem diſcordantem; *quia* (*b*) *quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Unde Filius non poteſt relinqui a Patre, quia non poteſt ei nec diſcordare, nec diſplicere. Matth. tertio: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene (*c*) complacui. E contrario peccatores a Domino relinquuntur, quia ei diſplicent per peccata, ſecundi Paralip. duodecimo: Vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos.

Jo. 14. 11. — Matth. 3. 17. — 2. Paral. 12. 5.

VERSUS XXX.

601. *Hæc illo loquente, multi &c.* Tangitur hic quartum, ſcilicet multiplicatio credentium in Chriſtum, quæ facta eſt ad hanc inſtructionem, ideo dicitur: *Hæc illo loquente*, quæ ſcilicet prædicta ſunt, *multi crediderunt in eum*; quia ſermo ejus habebat efficaciam, ſupra quarto: Multo plures crediderunt propter ſermonem ejus.

Credentium in Chriſtum multiplicatio. — Jo. 4. 41.

602. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicit: *In peccatis veſtris moriemini*. Videtur quod revelaverit eis damnationem ſuam; ergo cogebat eos deſperare: & ſecundum hoc videtur quod aliquis poſſit eſſe præſcius ſuæ damnationis. Sed hoc non videtur; quia ſcientia & revelatio eſt donum pietatis: ergo non cogit deſperare. Ad hoc reſpondetur tripliciter, quod hoc Dominus non dixit revelando, ſed comminando, unde addidit conditionem, *niſi credideritis*. Aliter dicendum, quod hoc Dominus non dixit hominibus, qui ei fidem adhiberent; ideo non cogebat deſperare: unde hoc non dixit credentibus, ſed incredulis. Tertio modo dicitur, quod Dominus loquebatur multitudini; ideo generaliter accipiebatur verbum, & nemo ſpecialiter pro ſe.

Quæſtio prima de hoc quod Chriſtus dixit: *In peccatis veſtris moriemini*. — Reſponſio triplex.

603. Item cum *principium* dicat rationem emanationis, quæ primo & principaliter convenit Patri, unde eſt hoc, quod Filius ſibi appropriat? Reſp. Dicendum, quod hoc nomen *principium* aliquando accipitur eſſentialiter ſecundum quod dicit reſpectum ad creaturam, & ſic tota Trinitas dicitur principium (*d*); aliquando notionaliter, & ſic Pater & Filius ſunt unum principium Spiritus ſancti (*e*); aliquando perſonaliter, & ſic principium dicit ipſam fontalem emanationem, quæ reperitur in Patre (*f*): & ſic dicit Auguſtinus, quod Pater eſt principium Divinitatis. Dicendum eſt igitur, quod hoc nomen *principium*, ſecundum quod eſſentiale, trahitur ad Perſonam Filii dupliciter: uno modo per proprietatem generationis, & ſic dicitur Filius principium de principio (*g*), id eſt, genitum: alio modo per proprietatem Verbi, quia Filius eſt Verbum, & ſic trahitur hic: *Ego principium, qui & loquor vobis* (*h*).

Quæſtio ſecunda unde eſt quod Chriſtus ſibi nomen *principii* adtribuit. — Reſponſio. — Principium multipliciter acceptum. — Pater & Filius ſunt unum principium Spiritus ſancti. — Pater principium non de principio. *Auguſtinus in Jo. Evangel. c. 8. Tract. 39. n. 1.* — Filius principium de principio.

604.

(*a*) In 1. ibi Dub. 4.

(*b*) Vulg. *ego*; ſed abſque *ego* etiam Cod. noſter Berardinian. nec non ipſemet S. Bona. in 1. Diſt. 32. Dub. 6.

(*c*) Vulg. abſque *bene*; ſed *bene* habent Codd. Vercellen. Brixian. San-germanen. apud Blanchin. Item S. Gregor. Moral. Lib. 2. 8. cap. 1. num. 8.

(*d*) Expoſit. in Pſalter. Pſ. 109. prope finem.

(*e*) 1. Diſt. 29. art. 2. q. 1. ac 2. nec non cit. Expoſit. in Pſalter. &c.

(*f*) Sic Breviloq. par. 1. cap. 3. agnoſcit *in Patre fontalem plenitudinem, principium non de principio*.

(*g*) Ita *Filium vocat principium de principio* 1. Diſt. 29. Dub. 6.

(*h*) Ibi Dub. 5. „ Quod objicis quod appro„ priatur Patri, dicendum quod principium ra„ tione

Quæstio tertia cur Christus Patri adscribit veritatem.

604. Item quæritur, cum veritas Filio approprietur, unde est hoc, quod Filius de Patre loquens, ei attribuit? Dicendum, quod *verax* dicitur, qui vera verba dicit. Quia ergo Pater dicit Filium, qui est Verbum verum, cui veritas appropriatur (a), *verax* ratione originis connotatæ recte potest appropriari Patri.

Responsio. Filio veritas appropriatur.

Quæstio quarta quare Christus de Patre dixit: *Non reliquit me &c.*

605. Item quæritur de hoc, quod dicitur, quod *non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper.* Contra: Matth. vigesimo septimo dixit Filius in passione: Deus Deus meus, ut quid me dereliquisti? Resp. Dicendum, quod est derelictio dispensationis, probationis, permissionis, & æternæ damnationis. Prima dispensationis fuit Filium passioni exponere ob generis humani salutem (b). Secunda probationis est in justis, sicut reliquit Dominus Job in manu Satan. Tertia permissionis est in peccantibus in præsenti. Quarta damnationis est in damnatis æternaliter, quæ est derelictio sine visitatione ulla. Verbum igitur Domini hic intelligitur de derelictione tertia, & quarta, quæ est iracundiæ (c); non de prima, & secunda, quæ est dispensationis Divinæ Sapientiæ, & probationis. Et nota, quod

Matth. 27. 46. Responsio. Derelictio quadruplex.

Est derelictio:

- Dispensationis, Psal. Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? — *Ps. 21. 2.*
- Probationis, Isaiæ quinquagesimo quarto: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. — *Isa. 54. 7.*
- Permissionis, secundi Paralip. duodecimo: Dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo. — *2. Par. 12. 1.*
- Sempiternæ damnationis, Jerem. sextodecimo: Quia dereliquerunt me Patres vestri ait Dominus, & abierunt post Deos alienos &c. Et primi Paralip. vigesimo octavo: Si dereliqueris eum, projiciet te in æternum (d). — *Jer. 16. 11.* *1. Par. 28. 9.*

VERSUS XXXI.

606. *Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei ex Judæis (e): Si vos permanseritis (f) in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Ostensum est, quod sine doctrina & fide Christi est in peccato perpetuatio; ostenditur hic secundo, quod per doctrinam Christi est a servitute peccati liberatio. Et dividitur hæc pars in tres; quia primo a servitute peccati per doctrinam Christi promittitur liberatio: secundo Judæorum evacuatur gloriatio ibi: *Scio quia filii Abrahæ estis*: tertio ostenditur Judæorum consequens indignatio ibi: *Responderunt Judæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos &c.* Primo ergo per doctrinam Christi promittitur, & ostenditur liberatio fieri hoc ordine: primo liberatio promittitur: secundo promissa, a Judæis parvi penditur: tertio eis necessaria esse ostenditur.

Per Christi doctrinam a servitute peccati liberatio. Divisio hujus partis in tres.

607. Promittitur ergo liberatio his, qui in doctrina Christi permanent, propterea dicitur: *Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei ex Judæis*; & quia comminatione territi crediderunt, promissio-

Promissio liberationis permanentibus in doctrina Christi.

„ tione sui nominis non appropriatur Filio, „ nisi per additionem, & sic in proposito, quia „ appropriatur per actum Verbi. Non enim „ dixit simpliciter: *Ego principium*; sed *ego principium, qui & loquor vobis.* " Confer par. 2. Breviloq. cap. 5. Item 2. Dist. 1. par. 1. Dub. 2.

(a) In 1. Dist. 3. par. 1. Dub. 7.

(b) Sic exponit prædictum Matth. textum 3. Dist. 21. Art. 1. Q. 1. ad 4. inquiens: *Non intelligitur, quod dereliquit solvendo vinculum unionis, sed exponendo ad supplicium passionis.* Idque per *dispensationem* factum inibi agnoscit ajens: *Hoc non intelligitur, quod mens ejus desineret frui Divinitate; sed quod dispensative subtracta fuit redundantia in partem sensibilem, & exposita fuit passioni acerbissimæ.*

(c) Apud Gorran *per alienationem affectus Patris ad Filium.*

(d) Sic Hugo Card. in d. Psal. 21.

(e) Vulg. *Judæos*; sed *ex Judæis* etiam Cod. noster Bernardin. ac Codd. Evangelior. Veronen. Brixian. & Trident. Item *Judæis* Biblior. Cod. Biblioth. Episc. Trident.

(f) Vulg. *manseritis*; sed *permanseritis* etiam Evangeliorum Codd. Veronen. & Trident. ac Biblior. Goth.

missione alliciuntur, ut perseverent, unde dicit: *Si vos permanseritis in sermone meo*, Joan. quinto decimo: Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Non sicut illi, de quibus dicitur Lucæ octavo: Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, hi non reportant fructum: *Sed si vos permanseritis, vere discipuli mei eritis.*

Jo. 15. 4. Luc. 8. 14.

VERSUS XXXII.

608. *Et vos (a) cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Tria dicit quæ faciunt hominem rectum. Primum est rectitudo affectus, & hoc notatur in discipulatu Christi. Secundum rectitudo intellectus, & hoc in cognitione veritatis. Tertium rectitudo effectus per liberationem a culpa, & hoc notatur in liberatione veritatis (*b*). Itaque vere discipuli eritis, quia in via per imitationem veritatem cognoscetis; in animæ beatificatione & veritate liberabimini ab omni corruptione animæ & corporis. Ad Rom. octavo: Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Rectitudo triplex. Ad Rom. 8. 21

VERSUS XXXIII.

609. *Responderunt ei: Semen Abrahæ &c.* Tangitur hic secundum, scilicet quomodo liberatio promissa, a Judæis parvi penditur, quia ipsi se liberos reputabant; unde gloriantur de libertate, & non curant de liberatione, propterea dicunt ei: *Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam.* Et si ita liberi sumus per naturam, *quomodo tu dicis: Liberi eritis*, quasi modo non simus liberi? Ideo dicebant se liberos, quia nati de Abraham per Isaac, qui filius fuit Liberæ, secundum quod dicitur ad Galat. quarto: Ejice ancillam, & filium ejus, dictum est de Agar: Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ, & tractum est de Genesi vigesimo primo, ubi dicitur: Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.

Liberatio promissa, a Judæis parvi penditur. Ad Gal. 4. 30. Gen. 21. 10.

VERSUS XXXIV.

610. *Respondit eis Jesus: Amen amen &c.* Tangitur hic tertium, quia necessitas liberationis ostenditur, & ostendit eos servos, & quod habent opus liberatione, & quomodo liberantur. Quod ergo sint servi spiritualiter, ostendit tali ratione: *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*c*); Sed vos facitis peccatum, ergo vos estis servi peccati. Minorem hujus rationis tacet, quia infra eam exprimet, & conclusionem similiter tacet; sed proponit majorem dicens: *Amen amen dico vobis: Quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Hoc probat Beatus Petrus in secunda Cathol. secundo: A quo quis superatus est, hujus & servus est (*d*). Hæc est pessima servitus, unde Augustinus: O miserabilis servitus! Servus enim hominis aliquando sui Domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit: Servus vero peccati quo fugit? Secum trahit malam conscientiam, quocumque eat; quia quocumque vadit, a se non recedit (*e*). Sic patet eos esse servos, & ex hoc probat, quod indigent liberatione, tali ratione: Qui non manet in domo in æternum, indiget liberari ab eo, qui manet, & per eum potest libera-

Necessitas liberationis ostenditur. Peccati servitus. 2. Cathol. 2. 19. Augustinus in Jo. Evang. c. 8. Tract. 41. n. 4.

(*a*) Vulg. non habet *vos*; sed habet etiam Cod. noster Bernardin. habeturque etiam in Comment. Hugo Card. tametsi inibi innuatur, ceu ad textum additio.

(*b*) De triplici rectitudine etiam ipsemet S. Bona. Prœm. in 2. sent. sic paulo aliter loquitur: *Tunc homo rectus est, quando intelligentia adæquatur summæ veritati in cognoscendo: voluntas conformatur summæ bonitati in diligendo: & virtus summæ potestati in operando.* De qua postrema rectitudine postea subdit: *Illa virtus recta est, cujus operatio est a principio primo, & ad finem ultimum.* Vid. quo ad duas priores Par. 2. Breviloq. cap. 11. nec non Opusc. de reduct. art. ad Theol.

(*c*) Idem S. Bona. 2. Dist. 44. Art. 3. Q. 1. in concl. inquit „ Secundum arctationem libertatis a culpa, attenditur servitus peccati, de „ qua Joannes: *Qui facit peccatum, servus est* „ *peccati*, “ De quo etiam ad Rom. 6. ver. 6. 12. ac 14.

(*d*) Similiter ipsemet Interpres loc. modo cit. *Servitus introducta fuit in hoc, quod unus alterum vicit, & servituti suæ addixit.*

(*e*) Heic ex August. pariter Auctor Exposit. in Evang. S. Jo. sub. S. Bonav. nomine. Edit. Maur. post *quo fugit?* sic pergit: *secum se trahit quocumque fugerit. Non fugit se ipsam mala conscientia, non est quo eat, sequitur se, non recedit a se: peccatum enim quod facit intus est.*

berari: Sed servus non manet, filius autem manet; ergo servus per filium indiget & potest liberari. Sed vos estis servi, ut supra dictum est, si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis. Primæ rationis ponit minorem propositionem, cum dicit:

VERSUS XXXV.

611. *Servus autem non manet in domo in æternum, filius (a) manet in æternum.* Augustinus exponit, qui est servus peccati, non manet in domo in æternum, id est, in Ecclesia finaliter, quamvis possit esse de præsenti Ecclesia quantum ad numerum. Tales servi etsi sint in domo cum bonis, tamen non habent vestem nuptialem; ideo ejiciuntur secundum illud Matth. vigesimo secundo: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Et post subditur: Mittite eum in tenebras exteriores.

Augustinus ibi n. 8. — *Matth. 22. 12. ac seq.*

VERSUS XXXVI.

612. *Si ergo filius vos liberaverit, vere liberi eritis*, ille, inquam, Filius solus est liber, quia solus sine peccato, unde in Psal. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. Et ratio redditur, Joan. quarto decimo: Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Iste Filius liber, ut nos liberaret, factus est pro nobis quasi servus. Ad Philipp. secundo: Exinanivit, id est, humiliavit (b) semetipsum formam servi accipiens &c. Hic ergo nos liberavit redimendo. Isai. quinquagesimo secundo: Gratis venundati estis, & sine argento redimemini; quia sicut dicitur primæ Petri primo: Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati, & incontaminati Christi Jesu (c). Non, inquam, ut iterum simus servi, sed liberi. Unde ad Galat. quinto: Vos, inquit, fratres in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem spiritus servite invicem.

Ps. 87. 5. ac 6. — *Jo. 14. 30.* — *Ad Philip. 2. 8.* — *Isa. 52. 3.* — *1. Pet. 1. 18. ac seq.* — *Ad Galat. 5. 13.*

613. Sed quæritur hic de hoc quod dicunt: *Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam.* Contra: Servierunt Ægyptiis, unde Deuter. sexto: Eduxit te Dominus de terra Ægypti, de domo servitutis. Item servierunt Nabucho in captivitate Babylonica per septuaginta annos. Si dicas, quod ipsi loquebantur de se, non de Patribus, objicitur; quia etiam tunc tributum reddebant Romanis, unde quæsiverunt Matth. vigesimo secundo: Licetne tributum dare Cæsari, an non? Ad hoc est una responsio, quod ipsi mentiti sunt, sicut sæpe solebant, & beneficiorum Dei obliti erant, unde Augustinus: O pellis inflata! non est ista magnitudo, sed tumor. Quomodo verum dixistis? Joseph venundatus est, Prophetæ in captivitatem ducti, Populus in Ægypto in luto & latere serviebat, vos ipsi etiam tributa solvebatis (d). Aliter respondetur, quod istud intellexerunt quantum ad morem, quem habebant inter se ex præcepto legis. Levit. vigesimo quinto: Servus & ancilla sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt. Vel dicendum, quod est servitus conditionis (e) per originem, sicut filius servi est servus, & sic intelligebant, & isti dicuntur servi de corpore; & est servitus oppressionis per dominium (f), & de hac non intelligebant (g).

Quæstio de hoc quod dicitur: Nemini servivimus unquam. — *Deut. 6. 13.* — *Matth. 22. 17.* — *Responsio prima.* — *Augustinus ibi n. 2.* — *Responsio secunda.* — *Levit. 25. 44.* — *Responsio tertia.*

614. Sed quæritur, cum peccator faciat omne quod vult, justus autem non; quomodo peccator dicitur servus? Dicendum, quod peccator recte dicitur servus peccati, quia magna servitus est sequi malam voluntatem; & propter con-

Altera quæstio quomodo peccator dicitur servus. — *Responsio.* — *Magna servitus sequi malam voluntatem.*

(a) Vulg. repetit *autem*, quo tamen secunda vice carent Evangelior. Codd. Forojulien. Brixian. ac Trident. & alter Bernardin. Item Dionys. Carthus. &c.

(b) Sic etiam Glossa interlin.

(c) Vulg. *quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*, sed ut supra Cod. noster Bernard. A. I. 41.; alter itidem Bernardin. A. II. 39. *quasi agni incontaminati, & immaculati Jesu Christi*; tertius Biblioth. Episcop. Trid. 58. *agni incontaminati, & immaculati Christi*; quartus Goth. apud Blanchin. *incontaminati, & immaculati Christi Jesu.*

(d) Hæc quoque noster Interpres compendio retulit Augustini responsum.

(e) De *servitute conditionis* idem Interpres in 2. Dist. 44. Art. 3. Q. 1. in concl.

(f) Ibi.

(g) Intelligebant ergo tantum se non esse de genere mancipiorum, cum nec sub Romanis, aut Græcis, ac nequidem sub Antiocho, non ita servirent, & in ipsa Babylonica captivitate simul cum Jechonia, opibus & honoribus potirentur.

conditiones serviles, quæ in peccatore reperiuntur, propter quas recte servus dicitur. Servus enim vilis est, sic &
3. Reg. 1. 21. peccator, tertii Reg. primo: Erimus ego & filius meus Salomon peccatores, id est, viles. Vilibus vescitur, sic pec-
Luc. 15. 16. cator, Luc. quinto decimo: Filius prodigus implere cupiebat ventrem de siliquis porcorum. Vilia operatur; sic
Exo. 1. 14. & peccator, Exod. primo: Ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. Viliter tractatur, sic pecca-
Jer. 16. 13. tor, (a) Jerem. sexto decimo: Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Alienus est a
Osee 8. 7. lucro, Osee octavo: Culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam, quod etsi fecerit, alieni comedent eam. Alienus a Domini sui secreto, sic peccator, Joan. quinto decimo: Jam non Jo. 15. 15.
dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Peccatoribus non revelat, quia sunt in tenebris. Alienus ab honoris familiaritate, ad Rom. octavo: Non accepi- Ad Rom. 8. 15.
stis spiritum servitutis iterum in timore. Alienus ab hæreditate, sic peccator, Job vigesimo septimo: Dives cum Job. 27. 19.
dormierit, nihil secum afferet (b); & ad Galat. quarto: Non erit hæres filius Ad Gal. 4. 30.
ancillæ cum filio liberæ.

Nota quoad supra jam dicta (c), ac infra dicenda (d), quod

Sermo

(a) Quod servitute peccati nihil pejus viliusque sit, legere quoque est Collat. 42. in cap. 8. Evang. S. Jo. sub S. Bonav. nomine. Præclare S. Ambrosius in Ps. 118. serm. 12. ad illa verba: *Tuus sum ego, salvum me fac*, de servili, eaque perquam vili conditione peccatoris, ita ad rem nostram inquit „ Non potest dice„ re sæcularis: *Tuus sum*. Plures enim Do„ minos habet. Venit libido, & dicit: Meus „ es, quia ea, quæ sunt corporis, concupiscis. „ Venit avaritia, & dicit: Meus es, quia ar„ gentum & aurum quod habes, servitutis tuæ „ pretium est. Venit luxuria, & dicit: Meus „ es, quia unius diei convivium pretium tuæ „ vitæ est. Venit ambitio, & dicit: Plane „ meus es. Nescis quod ideo imperare te fe„ ci, ut mihi ipse servires? Nescis quod ideo „ potestatem in te contuli, ut meæ te subjice„ rem potestati? Veniunt omnia vitia, & „ dicunt: Meus es. Quem tanti competunt, „ quam vile mancipium est? “ Nec tantum vile mancipium vitiorum, sed & Diaboli. Unde subnectit idem S. Ambrosius „ Venit, „ & introivit in eum Satanas, & cœpit dice„ re: Non est tuus Jesu; sed meus est. Ea „ quæ mea sunt cogitat, quæ mea sunt in „ pectore volvit: tecum epulatur, & mecum „ pascitur: a te panem accipit, a me peccuniam; „ tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendit: „ tuus est Apostolus, & meus mercenarius. “

(b) Vulg. *auferet*, sed *afferet* etiam Cod. noster Bernardinian. & alius Biblioth. Episc. Trident. ac Editiones sacrorum Biblior. antiquiores.

(c) Supra a num. 606.

(d) Mox infra num. 615. ac num. 636

Sermo Dei est efficax.

- *Eccle. 8. 3. ac seq.* Ad facienda voluntaria. Ecclesiastes octavo: Omne quod voluerit, faciet. Et sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis?
- *Num. 11. 23.* *Ps. 148. 5.* Ad implenda promissa. Numer. undecimo: Jam nunc videbis, utrum sermo meus opere compleatur. Sermo sermonis virtute impletur, quia dixit, & facta sunt &c.
- *Ps. 147. 15.* Ad dirigendos devios. Psal. Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus; quia velociter facit currere, & in nullam partem declinare.
- *Jer. 20. 9.* Ad inflammandos tepidos. Jerem. vigesimo: Et dixi: Non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius: & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens.
- *Jer. 20. 15.* *Ad Heb. 4. 12.* Ad arguendos malignos, qui sunt profundi corde. Ad Hebr. quarto: Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum &c.
- *Sap. 18. 15.* Ad expugnandos superbos. Sapient. decimo octavo: Omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de Cœlo (a) a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit.
- *Jo. 12. 48.* Ad condemnandos incredulos. Joan. duodecimo: Qui me spernit, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.
- *Jo. 8. 31. ac seq.* Ad liberandos servos. Joan. octavo: Si vos permanseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & vos (b) cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.
- *Sap. 16. 12.* Ad curandos infirmos. Sapient. sextodecimo: Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus, Domine, qui sanat omnia.
- *Sap. 16. 26.* Ad conservandos sanos. Sapient. sextodecimo: Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus eos, qui in te crediderunt, conservat.
- *Prov. 30. 5.* Ad protegendos tentatos. Prov. trigesimo: Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.
- *Jo. 17. 17.* Ad sanctificandos electos. Joan. decimo septimo: Pater, sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est.
- *Jo. 8. 51.* Ad glorificandos perseverantes. Joan. octavo: Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit (c) in æternum &c.

VER-

(a) In Vulg. deest *Domine*, & *exiliens*; sed habet ipsemet S. Bona. Comment in cap. 18. Sap. habent quoque duo Codd. nostri Bernardin. Item Hugo Card. Lyran. Biblior. Editiones antiquiores &c. Vid. Tract. de sacr. Script. myster. §. *9*.
(b) Vid. supra *607*. ac seq.
(c) Infra num. *636*.

VERSUS XXXVII.

615. *Scio quia filii Abrahæ estis: Sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.* Postquam ostensa est per doctrinam Christi liberatio, evacuatur hic Judæorum gloriatio (*a*); quia gloriabantur se liberos per naturam, & hoc quidem Dominus facit hoc ordine. Primo innuit duplex genus filiationis, secundum naturam, & imitationem. Secundo ostendit, quod per imitationem non sunt filii Abrahæ. Tertio quod non sunt filii Dei. Quarto quod sunt filii diaboli. Primo ergo innuitur duplex genus filiationis, per naturam, & per imitationem; per naturalem generationem, cum dicit: *Scio quia filii Abrahæ estis*, secundum carnem, scilicet geniti. Isaiæ quinquagesimo primo: Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos, & hunc Patrem habetis per generationem; sed alium habetis per imitationem, unde dicit: *Sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.* Ecclesiastici vigesimo primo: Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. Proverb. nono: Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit, & qui arguit impium, sibi maculam generat. Et hoc quidem est opus iniquitatis, & secundum hoc alium patrem habetis, quem imitamini. Unde

Evacuatur Judæorum gloriatio.

Duplex filiationis genus.

Isa. 51. 2.

Eccli 21. 17.

Prov. 9. 7.

VERSUS XXXVIII.

616. *Ego quod vidi apud Patrem meum, hoc* (*b*) *loquor*, ipsum imitando. Ad Ephes. quinto: Imitatores Dei estote, sicut filii carissimi; *Et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.* Unde alium patrem habetis per imitationem (*c*). Sicut ergo hi habebant duplicem patrem, secundum carnem, & imitationem, sic Abraham duo genera filiorum. Ad Rom. nono: Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.

Ad Ephes. 5. 1.

Ad Rom. 9. 7. *ac seq.*

VERSUS XXXIX.

617. *Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster &c.* Hic tangitur secundum; ostenditur enim, quod non sunt filii Abrahæ per imitationem, sicut ipsi gloriabantur; propter quod dixerunt ei: *Pater noster Abraham est;* ideo hoc replicant, quia dixerat, quod faciebant opera patris, & ostendit Dominus, quod non intellexit de illo patre, ideo *dicit eis Jesus: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*; id est, si vultis esse filii per imitationem, sicut estis secundum carnem, opera Abrahæ facite (*d*); alioquin frustra gloriabimini. Matth. tertio: Et ne velitis dicere: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Et quia opera Abrahæ non facitis, a destructione consequentis, nec filii ejus dicendi estis. Ideo dicit:

Quod Judæi non sunt filii Abrahæ per imitationem.

Matth. 3. 9.

VERSUS XL.

618. *Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo*, & ita justum & innocentem, *hoc* autem *Abraham non fecit*; quia iniquum est, & lege prohibetur. Exodi vigesimo tertio: Innocentem, & justum non interficies (*e*); ideo alius est pater, quem imitamini. Jerem. secundo: Quid niteris bonam ostendere viam tuam &c. propter quod subdit:

Exo. 23. 7.

Jer. 2. 33.

VERSUS XLI.

619. *Vos autem* (*f*) *facitis opera patris vestri.* Chrysostomus: Opera Abrahæ fuerunt fides, obedientia, mansuetudo; opera autem vestra infidelitas, impietas, & crudelitas. *Dixerunt itaque ei*, tangitur hic tertium; ostenditur enim, quod non sunt filii Dei. Quia enim jam intellexerant, quod loqueretur de Patre spirituali, ideo commendant se esse filios Dei, tanquam cultores ejus, non idololatriæ deditos, quæ fornicatio

Chrysostomus in Jo. Evang. cap. 8. *Hom* 53.

Opera Abrahæ bona Judæorum mala.

Quod non sunt filii Dei.

(*a*) Vid. supra num. 606.

(*b*) Vulg. sine *hoc*; sed cum *hoc* etiam Cod. Veronen.

(*c*) De hac infra sub ver. 50. num. 630.

(*d*) Exposit. in cap. 3. S. Lucæ ad illud: *Patrem habemus Abraham.*

(*e*) Vide supra cap. 7. num. 515.

(*f*) Vulg. absque *autem*. At Codd. Evangelior. Veronen. ac Cant. apud Blanchin. nosterque Tridént. *Sed vos*, quod idem est ac *Vos autem*.

tio dicitur in Scriptura (*a*), unde dicitur: *Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione nati non sumus*, fornicantes cum idolis secundum illud Jerem. secundo: [Jer. 2. 20. & 3. 2.] Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix, id est, idololatria fornicata es. Et tertio: Polluisti terram in fornicationibus tuis, & malitiis tuis. Non sic nos, sed (*b*) *unum Patrem habemus Deum*, quem colimus juxta imperium ipsius. [Exo. 20. 3.] Exodi vigesimo: Non habebis Deos alienos coram me. Hunc [Malach. 1. 6.] non habebant Malach. primo: Si Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Et quia inaniter gloriabantur, ostendit, quod non sunt filii Dei, unde subditur;

VERSUS XLII.

620. *Dixit* (*c*) *eis Jesus: Si Deus Pater vester esset; diligeretis utique me*, tamquam fratrem vestrum, quia spiritus adoptionis est spiritus amoris. Ad Rom. [Ad Rom. 8. 15.] octavo: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. *Ego enim a Deo* (*d*) *processi*, ut Filius scilicet per generationem; *& veni* in mundum per incarnationem: & sicut ab illo sum genitus, ita etiam & missus. Unde dicit: *Neque enim a meipso veni, sed ille me misit*, non propria au- [Ad Heb. 5. 5.] ctoritate veni. Ad Hebr. quinto: Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. [Jer. 23. 21.] E contra Jerem. vigesimo tertio: Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophe- [Exo. 4. 13.] tabant. Item Exod. quarto: Obsecro, Domine, mitte quem missurus es. Et tamen me non diligitis, & hoc probat quærens ab eis:

VERSUS XLIII.

621. *Quare*, inquit, *loquelam meam non cognoscitis?* Scilicet credendo in me; ratio hujus erat odium, *quia non potestis audire sermonem meum*, propter odium & invidiam. Sapient. secundo: Gravis [Sap. 2. 15.] est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius &c. (*e*)

VERSUS XLIV.

622. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: Quia veritas non est in eo: Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est, & pater ejus.* Tangitur hic quartum; ostenso enim quod non [Quod Judæi sunt filii Diaboli.] sunt filii Dei, ostendit quod filii sunt Diaboli, ut sic omnis gloria eorum evacuetur, & proponit, cum dicit: *Vos ex patre diabolo estis*, *ex* non dicit ibi generationem, sed imitationem exempli (*f*). Ezechiel. sexto decimo: Pater [Ezech. 16. 3.] tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et primæ Joan. tertio: Qui facit pec- [1. Jo. 3. 8.] catum, ex diabolo est. Probat hoc, quia eum imitantur, unde *& desideria patris vestri vultis facere*; hæc desideria sunt, de quibus primæ ad Timoth. ultimo: Desideria multa inutilia & no- [1. ad Tim. 6. 9.] civa, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Ostendit quod imitantur diabolum in duobus, scilicet in homicidio, & mendacio. In men- [In mendacio curvitas intellectus, in homicidio affectus.] dacio est curvitas intellectus, in homicidio affectus, ideo dicitur: *Ille homicida erat ab initio*, id est, post humani generis jacturam, quia primum hominem ad mortem perduxit, promittendo vitam, & negando mortem: Nequaquam, inquit, morte moriemini; [Gen. 3. 4.] Gen.

(*a*) In 4. Dist. 39. Dub. 3. *communiter dicitur fornicatio in Scriptura idololatria, per quem modum Propheta ipsos idololatras meretricibus fornicariis frequenter comparant.*

(*b*) *Sed* non est de textu. Unde objicit Rupert. debuisse eos addere vocem adversativam *sed*, quam tamen omisere, ac dixisse: Non sumus ex fornicatione, id est, ex idololatria nati; *sed* unum habemus Deum Patrem, quem colimus. Resp. tamen Maldon. τὸ *sed*, & similes particulas sæpe omitti, & subintelligi. Tamquam ergo subintellectum, recte Interpres noster addidit *sed*.

(*c*) Vulg. *ergo*, sed deest *ergo* etiam in Cod. Veron. & in Vers. Gothica apud Blanchinium, nec non in Evangeliar. Eccl. nost. Trident.

(*d*) Vulg. *ex Deo*; sed *a Deo* etiam Cod. Brixian. & Auctor Exposit. in Jo. Evang. sub nomine S. Bonav.

(*e*) Hæc de Christo intelligit noster Interpres etiam Exposit. in Lib. Sap. cap. 2. ad hunc textum.

(*f*) Sic Serm. 2. de S. Magd. inter Sermones de Sanctis „ *Vos ex patre Diabolo estis*, quod in„ telligi debet *ex Diabolo*, scilicet non creatio„ ne, sed imitatione. “ Sicque itidem 1. Dist. „ 26. Dub. 6. „ Dominus dicit, peccatores „ habere *patrem Diabolum*, propterea quod a „ Deo recedunt, & imitantur eum. „

Genes. tertio. Et Sapient. secundo:
Sap. 2. 23. et seq. Deus creavit hominem inexterminabilem, invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum &c. (a) Et quia in hoc vos eum imitamini, sicut supra dictum est, vultis me interficere. Imitamini etiam eum in mendacio, unde dicit: *Et in veritate non stetit*, immo ad falsitatem & vanitatem cecidit. Isa. quarto decimo: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? *Quia veritas non est in eo*; propter peccatum enim superbiæ eam perdidit, nec recuperavit. Ezech. vigesimo octavo: Nihil factus es, & non eris in perpetuum. *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, quia a se habet, non alio suggerente. *Ipse autem mendax est, & pater ejus*, id est, mendacii. Job penultimo: Ipse est Rex super universos filios superbiæ. Augustinus: Pater mendacii est Diabolus, Pater veritatis est Deus. Recedite a Patre mendacii, & currite ad Patrem veritatis, scilicet amplectimini veritatem, ut accipiatis libertatem. Hujus patris filii sunt omnes mendaces, qui odiunt (b) veritatem. Et tales erant Judæi, & hoc probat Dominus, quod odiant veritatem, unde dicit:

Isa. 14. 12. — Ezech. 28. 19. — Job 41. 25. — Augustinus in Jo. Evang. cap. 8. Tract. 42. n. 13. — Pater mendacii Diabolus, Deus veritatis.

VERSUS XLV.

623. *Ego autem quia (c) veritatem dico, non creditis mihi*, & ita veritatem oditis. Psal. Filii hominum, usquequo diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et quia possent dicere, non discredimus (d) propter odium veritatis, sed iniquitatis, ideo addit:

Ps. 4. 3.

VERSUS XLVI.

624. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quasi dicat, nullus. Propter hoc ita arguens reprehenditur, Job quinto decimo: Arguis verbis eum, qui non est æqualis tibi. Propter quid igitur mihi non creditis? *Si ergo veritatem dico (e), quare non creditis mihi?* Hoc certe non est propter culpam meam, sed vestram malitiam, & hoc probat:

Job. 15. 3.

VERSUS XLVII.

625. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, primæ Joan. quarto: Qui novit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos; sed vos non auditis, & quare? *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, sed magis ex Diabolo. Ecclesiastici tertio: Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam; e contra Judæi non audiebant. Act. septimo: Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.

1. Jo. 3. 6. — Eccli 3. 31. — Act. 7. 51.

VERSUS XLVIII.

626. *Responderunt ergo Judæi, & dixerunt (f): Nonne bene &c.* Postquam ostensa est liberatio, & Judæorum evacuata est gloriatio, exprimitur hic ipsorum indignatio ad Domini reprehensionem (g). Et indignationis signum est illatio convicii. Primo ponitur convicii illatio: secundo patiens responsio: tertio patientis responsionis ratio. Primo conviciantur: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Quia Dominus dixerat, quod non erant filii Abrahæ, sed Diaboli; ideo duplex reddunt convicium. Primum contra primum: *Samaritanus es*, non filius Abrahæ. Secundum contra secundum: *Dæmonium habes*, id est, non imitaris Deum, sed Diabolum, cujus instructione doces, & adjutorio signa facis. Unde Matth. duodecimo: Hic non ejicit Dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum (h).

Judæorum indignatio ad Domini reprehensionem. — Convicii illatio. — Matth. 12. 24.

VER-

(a) Vide Exposit. Interpretis in Lib. Sap. ibi, ubi etiam est *intravit* pro *introivit*, quod est in Vulg. Eamdem quoque servat lectionem Comment. in Apocal. cap. 8. num. 564. & cap. 16. num. 1173.

(b) Similiter Luc. 16. 13. *unum odiet*; & Apocal. 17. 16. *odient fornicariam*. De verbo odio, is, Claudius Salmasius ad Historiam Augustam, & Amalth. Onom. Joseph. Laurent.

(c) Vulg. *si*; sed *quia* etiam Cod. noster Bernardinian. & alius Biblioth. Episc. Trident. nec non Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. Corbejen. Item alius Ecclesiæ S. Gatiani Turonensis, Forojulien. apud Blanchinium, Evangeliar. Eccl. Trid. *quoniam*.

(d) Sic supra col. 333. not. *e*, ac Lex. Philol.

(e) Vulg. *vobis*; sed absque *vobis* rursum dicti Codd. Bernardinian. & alius Bibliot. Episc. Trident. & Evangel. Vercellen. Veronen. Brixian. Corbejen. Forojulien. Trident. nec non Hugo Card. Lyran. antiquioresque Biblior. Edit.

(f) Vulg. *ei*; sed absque *ei* pariter Codd. Bernardin. & Vercellen.

(g) Supra n. 606.

(h) Exposit. in cap. 11. S. Lucæ ad illud: *in Beelzebub principe dæmoniorum &c.*

VERSUS XLIX.

Patiens responsio.

627. *Respondit Jesus*, tangitur hic secundum, scilicet patiens responsio, quia non ad totum convicium respondet, sed ad partem. Unde dicit: *Ego dæmonium non habeo*, cujus virtute opera faciam ad gloriam meam; *sed honorifico Patrem meum*, qui in cœlis est: quia omnia in gloriam Patris faciebat, secundum illud Apostoli primæ ad Cor. decimo: Omnia in gloriam Dei facite; *& vos inhonorastis me*, inferendo contumeliam, & per consequens etiam inhonoratis Patrem, supra quinto: Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

1. ad Cor. 10. 31.

Jo. 5. 23.

VERSUS L.

Patientis responsionis ratio.

628. *Ego (a) gloriam meam &c.*, tangitur hic tertium, scilicet patientis responsionis ratio. Non enim respondebat ad se glorificandum, sed ideo sustinebat eorum convicium; non quia verum, sed quia de gloria non curabat, propter quod dicit: *Ego gloriam meam non quæro*, & ideo contumeliæ vestræ non respondeo. Hieronymus: Qui non quærit gloriam, non sentit contumeliam *(b)*, ideo de contumelia illata non curo; sed tamen non credatis vos immunes a culpa, & retributione dignos. Unde dicit: *Est qui quærat, & judicet*, scilicet Pater, qui quærit gloriam Filii. Joan. duodecimo: Et clarificavi, & iterum clarificabo. *Et judicet*, quasi dicat, cujus judicio reservo. Gregorius *(c)*: Filius injurias accipiens, gloriam suam non quærit: Illatas contumelias Patris judicio reservat, ut nobis profecto insinuet, quantum nos esse patientes debemus; dum se adhuc ulcisci non vult & ipse qui judicat.

Hieronymus. Qui non quærit gloriam, non sentit contumeliam.

Jo. 12. 28.

Gregorius in Evang. L. 1. Hom. 18. n. 2.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Vos quæ vidistis apud Patrem vestrum, hæc facitis*.

629. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicitur in litera: *Vos quæ vidistis apud patrem vestrum, hæc facitis*. Nunquam enim Diabolum viderant. Et præterea nonne etiam per seipsos poterant peccare? Resp. Dicendum, quod etsi homo per seipsum possit peccati habere nequitiam, pauca tamen aut nulla sunt, in quibus Diabolus partes suas non interponat suggerendo; & videre dicuntur opera patris Diaboli, dum suggestiones ejus vident in corde, & complent in opere.

Responsio.

Diaboli suggestiones.

630. Item quæritur de hoc, quod dicitur: *Vos ex patre Diabolo estis*. Ex hoc arguit Manichæus, quod Dominus non sit factor, & creator hominum malorum. Ad hoc respondet Augustinus, quod *pater* hic vocatur non qui generat per originem, sed per imitationem. Similiter hæc præpositio *ex* non dicit hic originem in esse primo *(d)*, sed secundo *(e)*. Unde Augustinus: Hic filii dicuntur non nascendo, sed imitando. Noluit Adam imitari Deum obediendo, & imitatus est Diabolum peccato consentiendo.

Quæstio secunda de hoc quod dicit: *Vos ex patre Diabolo estis*.

Manichæi argumentum.

Responsio.

Augustinus cit. Tract. 42. n. 10.

Præpositio *ex* aliquando originem, aliquando imitationem significat.

Augustinus ibi.

631. Item objicitur de hoc quod dicitur: *Ille homicida erat ab initio*. Ex hoc opponit Manichæus, quod malitia Diaboli non habet initium, & sic videtur, quod duo sint principia, unum boni, & alterum mali *(f)*. Resp. Dicendum, quod verbum istud quinque modis exponitur. Uno modo sic: Erat homicida ab initio, quia, sicut Verbum, erat in principio, quia non habuit principium; sed hæc est hæretica expositio, & eliditur per literam; non enim dicit *in initio*, sed *ab initio* *(g)*. Alia expositio est, quod a suo initio factus est malus, sicut videtur dicere Psal. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei; & hæc etiam est hæretica: quia sicut impossibile est, quod summe calidum infrigidet, sic quod summe bonum malum faciat, & istud verbum Psal. & consimilia intelligenda sunt ex post facto *(h)*. Tertia expositio est hæc: Homi-

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Ille homicida erat ab initio*.

Responsio.

Hæretica expositio.

Ps. 103. 26.

Alia hæretica expositio.

Tertia catholica.

(a) Vulg. *autem*; sed absque *autem* etiam Auctor Exposit. sub S. Bonav. nomine.

(b) Sic quoque Hugo Card. & Dionys. Carthus. ex eodem Hieronymo absque allegatione.

(c) In prædicta Exposit. sub S. Bona. nomine *Anselmus*.

(d) Hoc sensu præpositio *ex* accipitur apud nostrum Auctorem in 1. Dist. 25. Dub. 2.

(e) De hac *origine in esse secundo* infra num. 633.

(f) Adversus hujusmodi principia idem Auctor in 2. Dist. 1. par. 1. art. 2. q. 1.

(g) *Non creationis suæ* (ut subdit Estius) *quia tunc homo nondum erat, sed ex quo homo esse cæpit; quia licet statim non occiderit eum, statim tamen odio & inimicitia motus fuit in eum. Scriptum est autem: Qui odit fratrem homicida est.*

(h) Quando scilicet secundum præfata Psalmographi verba *Dominus Jesus Christus illum Draconem in patibulo ludificavit*, inquit idem noster Interpres Comment. in Apocal. cap. 12. su› ver. 5. num. 840.

micida erat ab initio, id est, statim post initium, quia parva fuit mora inter creationem Diaboli & lapsum, & ideo subditur: *Ille in veritate non stetit*, quia non perseveravit (*a*).

Quarta catholica.

Quarta expositio est hæc. Homicida ab initio non suo, sed generis humani. Unde Augustinus: Non posset homo occidi, nisi factus fuisset homo.

Augustinus ibi n. 1.

Quinta rejicitur.

Quinta hæc: Quod homicida erat ab initio, quia in eodem instanti cœpit esse a Deo, & malus a se, sicut anima nostra, quæ corpori infunditur. Primæ duæ hæreticæ. Secundæ duæ catholicæ. Ultima dubia, & declinans ad hæreticam, licet non sit hæretica, & ideo communiter non tenetur (*b*).

Ad hæreticam declinat.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur, quod Diabolus est pater mendacii.

632. Item objicitur de hoc quod dicitur, quod Diabolus est *pater mendacii*. Ergo cum omne peccatum sit mendacium, videtur, quod sit unum principium peccati (*c*).

Responsio.

Resp. Dicendum, quod non est ponere primum malum, quod quidem sit primum in genere entis, quasi non sit ab alio; sed est ponere primum malum, ante quod non præcessit aliud malum; & hoc quidem est origo sequentium malorum, non semper effective, sed occasionaliter, & suggestive, ideo dicitur: *Mendax est, & pater ejus*, scilicet mendacii (*d*).

Quæstio quinta de hoc quod dicitur: Qui ex Deo est.

633. Item quæritur de hoc quod dicitur; *Qui ex Deo est*. Aliqui sumpserunt robur erroris, quod boni Spiritus sunt ex Deo materialiter. Respondetur eis, quod hoc erroneum est dicere, quod Deus alicujus sit materia (*e*), cum sit simplicissimus.

Error quorumdam veterum Philosophorum dicentium; Mundum ex Deo, velut materia, fuisse factum.

Sed tunc objicitur, quia si *ex* dicit ibi originem & caussam efficientem, & omnes sumus a Deo; omnes ergo audimus verbum Dei. Item nonne ipsi audiebant?

Responsio.

Respondeo sicut prædictum est, *ex* dicit originem non quantum ad esse primum, sed quantum ad esse secundum (*f*), quod est esse gratiæ, & culpæ; & hoc quidem secundum conformitatem, & imitationem. Unde sensus est, *qui ex Deo est* per conformitatem voluntatis, *verba Dei audit* aure cordis, non corporis, quia sic etiam mali audiunt.

Quæstio sexta de duobus præ aliis Christo objectis.

634. Item quæritur de hoc, quod Judæi ista duo objecerunt Christo magis, quam alia. Aliquam rationem utique habebant, quare hæc convicia magis dicerent.

Responsio.

Dicendum, quod eis videbatur, quod Christus in observatione legis quædam faceret, quædam transiret, ut sabbatum, & hujusmodi. Et quia Samaritani hoc faciebant, quia partim observabant, partim non; ideo dixerunt eum Samaritanum. Item Dominus in doctrina sua quædam dicebat valde sapientia, & aliquando quædam eis valde improbabilia, quia non intelligebant eum; ideo videbatur eis loqui tanquam homo alienatus: & ideo quia Dæmonium inducit in mentis alienationem, dicebant eum Dæmonium habere.

Dæmonium in mentis alienationem inducit.

Quæstio septima de Christi responso ad unum tantum ex duobus sibi objectis.

635. Item quæritur, cum duo fuissent ei objecta, quare Dominus tantum ad alterum respondit?

Responsio.

Gregorius in Evang. L. 1. Hom. 18. n. 2.

Respondet Gregorius: Quod alterum negavit, alterum tacendo consensit. Samaritanus enim interpretatur Custos, & ipse Custos erat (*g*), de quo Psal. Nisi Dominus custodierit civitatem &c.

Samaritanus, id est, custos. Psal. 126. 1.

Duæ responsiones Interpretis.

Aliter respondetur, quod certum erat eum de Judæis natum, ideo non oportuit eum respondere, quia evidenter erat falsum. Tertio modo respondetur, quod istud de

---

(*a*) Sic Estius inde concludens: *Fuit ergo aliquando in veritate*.

(*b*) Ipsemet S. Bonav. 2. Dist. 3. par. 2. art. 1. q. 2. in concl. eodem plane modo sic loquitur „ Antiqua positio fuit aliquorum, quod „ simul tempore fuit Diabolus, & peccavit, „ nec unquam fuit nisi malus. Et videtur „ Augustinus illam approbare, & ideo aliqui „ moderni eam tenuerunt. Sed quoniam, sicut expresse dicit August., prædicta positio „ accedit ad primam, quæ est hæretica, & ita „ quasi hæresim sapit: ideo communis opinio „ Magistrorum Parisiensium est, quod duratione conditio Angeli præcessit lapsum: & de „ communi consilio Magistrorum positio opposita excommunicata est ab Episcopo Parisiensi. Ideo tanquam magis veram & catholicam, & magis probabilem, & communem „ opinionem, dico illam esse tenendam, quod „ morula fuit inter creationem, & lapsum, „ licet parvula. Propter quam Sancti, & Expositores, & ipsa Scriptura loquitur de malitia Diaboli, quasi semper fuisset in ea: „ quia illud modicum quasi pro nihilo reputatur.

(*c*) 2. Dist. 5. art. 2. q. 2. post initium §. *Item in Joanne dicitur &c.*, iisdem fere verbis.

(*d*) Ibi in concl.

(*e*) Ibi Dist. 1. Par. 1. Art. 1. Q. 1. in concl. nec non in Collat. de donis Spir. sanct. num. 79. Vol. 2.

(*f*) Sic supra num. 630.

(*g*) Exposit. in cap. 10. S. Lucæ, nec non ibi in cap. 17.

de Samaritano tangebat suum vituperium, sed illud de Dæmonio tangebat vituperium Divinum, & in Spiritum sanctum blasphemia erat, de qua dicitur Matth. duodecimo (*a*), & derogabat gloriæ Patris; ideo docuit nos Dominus sustinere nostra improperia, sed non Divina, & hoc patet ex responsione sua: *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum.*

Matth. 12. 32.

Dominus nos docuit sustinere nostra, non Divina improperia.

VERSUS LI.

636. *Amen amen dico vobis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit (b) in æternum.* Ostendit Dominus, quod per doctrinam suam est liberatio a cæcitate erroris, & servitute peccati; hic jam tertio ostendit, quod per ipsum est liberatio a damnatione mortis. Et hoc quidem ostenditur sic. Primo Judæis convicientibus ostendit sermonis sui efficaciam. Secundo contra argumentantibus ostendit suam excellentiam. Tertio admirantibus suam æternitatem. Quarto persequentibus suam patientem humilitatem. Ponitur igitur primo doctrinæ Christi commendatio in hoc quod ipsam servantes, a morte eripiuntur, & hoc sine omni dubitatione, ideo dicit: *Amen amen dico vobis*, scilicet ego Jesus in veritate hoc assero: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.* Hæc observatio est per mandatorum custodiam, Ecclesiastes octavo: Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali; & Sap. sexto: Custoditio legum incorruptionis consummatio est. Incorruptio autem facit esse proximum Deo; & talis mortem non gustat per experientiam, mortem scilicet æternam (*c*), licet videre possit, secundum illud Isa. ultimo: Egredientur, & videbunt cadavera hominum, qui prævaricati sunt in me. Matth. sexto decimo: Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

Per Christi doctrinam liberatio a damnatione mortis.

Christus Judæis convicientibus ostendit sermonis sui efficaciam.

Eccle 8. 5.

Sap. 6. 19. ac seq.

Isa. 66. 24.

Matth. 16. 28.

VERSUS LII.

637. *Dixerunt ergo Judæi: Nunc &c.* Hic secundo Judæis oppugnantibus monstrat suam excellentiam. Impugnant eam docentem, unde dicunt: *Nunc cognovimus, quia Dæmonium habes*, bonum non poterant cognoscere, sed ad malum erant prompti. Jerem. quarto: Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt. Et quidem volunt ostendere improbando Domini dictum, tum quia falsum, tum quia superbum. Falsum ipsum esse ostendunt hac ratione: *Abraham mortuus est, & Prophetæ mortui sunt (d)*, & isti servaverunt sermonem Dei; falsum est ergo, quod dicis: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit (e) in æternum.* Et argumentum istud est a majori: Si enim servantes sermonem Dei mortui sunt, & non habuerunt immortalitatem, de quibus magis videtur, ergo &c. Propterea dicunt: *Abraham mortuus est*, qui scilicet Domini sermonem servavit. Unde Genes. vigesimo secundo dictum est Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. *Et Prophetæ mortui sunt*, quibus Dominus est locutus. Ecclesiastici quadragesimo sexto: Ossa Prophetarum pullulent de loco suo. *Et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum?* Quasi dicant, aperte falsum dicis. Nec tantum falsum loqueris, sed superbe, unde dicunt:

Judæis oppugnantibus monstrat suam excellentiam.

Jer. 4. 22.

Gen. 22. 18.

Eccli 46. 14.

VERSUS LIII.

638. *Numquid tu major es Patre nostro Abraham, qui mortuus est?* Quasi dicant: Non es major, & ipse mortuus est. Genes. vigesimo quinto: Deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum. *Et* etiam *Prophetæ mortui sunt*, ita si nec Abraham, nec Prophetæ potuerunt mortem evadere, multo minus tu poteris evadere.

Gen. 25. 8.

(*a*) Ibi: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remitetur ei: qui autem dixerit contra spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

(*b*) Vulg. *videbit*; sed Glossa ordinar. apud Lyranum: *videbit, vel gustabit*, nec non apud Hugonem Card. *videbit, al. gustabit.* Item *gustabit* absque *videbit* Edit. sub S. Bonav. nomine, nec non ipsemet S. Bona. in themate serm. 3. Dom. in Passio.

(*c*) Sic Exposit. in cap. 6. Sap. loc. cit.

(*d*) Vulg. sine *mortui sunt*; sed *mortui sunt* quoque Cod. Gat. apud Blanchin.

(*e*) Vide supra num. 636.

Quem te ipsum facis? Quasi dicant: Quare te ipsum laudas, & extollis? Et sic arguunt eum, quod se laudabat, & falsum dicebat, quia se Abrahæ præponebat, cum nullus mortem evadat.
2. Reg. 14. 14. Secundi Reg. quarto decimo: Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. Ad hanc impugnationem respondet Dominus ostendendo suam excellentiam respectu Abrahæ. Ante tamen quam dicat excellentiam, vitat arrogantiam, ne videatur hoc dicere per jactantiam; ideo respondendo asserit, se non quærere propriam gloriam, & propterea dicitur:

VERSUS LIV.

639. *Respondit Jesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est*, id est, vana a vobis reputabitur (*a*), sicut vana reputatur gloria, qua quis se ipsum laudat, & commendat, unde dixerunt
Supra ver. 13. ei supra eodem: Tu testimonium perhibes de te ipso, testimonium tuum non est verum, id est, *si ego* solus,
Ego discretive sumptum. quia *ego* discretive tenetur (*b*). Secundæ ad
2. ad Cor. 10. 18. Cor. decimo: Non qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Sed non ego solus me glorifico, immo alius mecum, propterea dicit: *Est Pater meus, qui glorificat*
Jo. 1. 14. *me*, unde supra primo: Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Secundæ
2. Pet. 1. 16. et seq. Petri primo: Speculatores facti illius magnitudinis, accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. *Quem vos dicitis, quia Deus vester est*, id est, quem Patrem dicitis esse Deum vestrum, & ita credere ei deberetis (ipse enim est Deus Abraham, & Isaac, & Jacob, Exo. 3. 15.
Exodi tertio) sed non creditis, unde

VERSUS LV.

640. *Et non cognovistis eum*; erant enim de illis, de quibus dicitur ad Tit. primo: Confitentur se nosse Deum, fa- Ad Tit. 1. 16.
ctis autem negant. *Ego autem novi eum*, & hoc quidem non per jactantiam, sed propter veritatem dicendam. Unde: *Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax*, & ideo oportet dicere, quia novi eum. Augustinus: Sic ar- Augustinus in Jo. Ev. c. 8. Tract. 43. n. 15.
rogantia vitetur, ut veritas non relinquatur (*c*). Et ideo hoc iterum asserens, non dico quia non novi, *sed scio eum, & sermonem ejus servo*; & hoc est vere nosse Deum, quia dicitur primæ Joan. secundo: Qui dicit se nosse Deum (*d*), 1. Jo. 2. 4.
& mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Sic igitur vitata arrogantia, manifestat Dominus suam excellentiam, quia non credebant eum esse majorem Abrahamo; ideo ostendit se esse majorem, unde dicit:

VERSUS LVI.

641. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: Vidit, & gavisus est*, tanquam de majori. Gregorius Gregorius in Evang. L. 1. Hom. 18. n. 3.
dicit, quod tunc exultavit, quando tres viros vidit, & unum adoravit Gen. de- Gen. 18. 2.
cimo octavo (*e*). Unde Luc. decimo: Beati oculi, qui vident quæ vos vide- Luc. 10. 23.
tis &c. Vel potest dici aliter, quod Abraham exultavit, ut videret Domini benedictionem Gen. duodecimo. Sed Gen. 12. 3.
vidit

(*a*) *Recte hoc intelligitur dictum ex sententia, & consensione Judaorum*, inquit etiam Gordonus.

(*b*) Appellat *pronomen discretum* (sive *discretivum*) *ego* noster Interpres etiam Comment. in Apocal. cap. 1. sub ver. 8. num. 34. similiter Exposit. in cap. 3. S. Lucæ ad illud: *Tu es Filius meus &c.*, observat, quod *tu hic discretive tenetur, quia nullus alius*. Similiter de *meo discretive* supra Cap. 7. sub ver. 18. num. 513.

(*c*) Verba Augustini sunt: *Ergo arrogantia non ita caveatur, ut veritas relinquatur*.

(*d*) Vulg. *eum*; sed *Deum* Cod. noster Bernardin. 40. S. Greg. Moral. Lib. 17. cap. 5. num. 7. ac in Ezech. Lib. 2. Hom. 10. num. 17. ac etiam alibi. Item Lyran. Gagnæjus, Menochius, Bibliorumque Editio Basileen. 1509.

(*e*) Sic 3. Dist. 9. art. 1. q. 5. ab init. ac Serm. 2. in Hexaem. Unde in eodem 3. Dist. 11. art. 1. q. 2. ad 4. ait, quod quamvis Christus Abraham *non præcesserit re, vel tempore; præcessit tamen præfiguratione, & credulitate, sive sub quibusdam velaminibus figurarum*. Quod vero tres Angeli apparentes Abrahamo, quos ipse adoravit, symbolice significarent SS. Trinitatem, mediusque designaret essentiam Divinam, utrisque Personis communem, tradunt S. Ambrosius Cyrillus &c. Unde *Abraham tres vidit, & unum adoravit*, ut canit Ecclesia in secundo Responsor. 1. Noctur. Dom. Quinquag. Vide infra cap. 14. num. 972.; & insuper adde ex Gordono, *certe non esse quod quis neget Abrahamo factam de Christo revelationem, sive cum voluit immolare filium Isaac, sive ipsa nocte nati Christi, ut illi erat facta promissio*.

vidit & gavisus est, in Domini firma promissione, Gen. quinto decimo, ubi Dominus promisit, & Abraham credidit, & reputatum est ei ad justitiam. Et rursus in confirmationem pacti in datione circumcisionis dicitur, quod Abraham risit, unde & gavisus est, Gen. decimo septimo.

Gen. 15. 4. et seqq. *Gen. 17. 17.*

VERSUS LVII.

Christus Judæis admirantibus ostendit suam æternitatem.

642. *Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta &c.* Hic tertio Judæis admirantibus suam ostendit æternitatem. Mirabantur de hoc, quod dixit, quod Abraham vidisset diem ejus, unde dicunt: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Quasi dicant, hoc omnino est impossibile. Et notandum, quod non dicunt, Abraham vidit te, sed tu Abraham; quasi semper majorem reputantes Abraham. Chrysostomus ponit *quadraginta* (a), quia secundum eorum æstimationem Dominus appropinquabat ad quadragesimum annum (b). Huic igitur admirationi subjungit Dominus suam responsionem, in qua suam ostendit æternitatem (c). Et ideo non est mirum, si aliis det immortalitatem, quia etiam præcessit Abraham, sicut Creator creaturam, unde

Chrysostomus Hom. 54. in Jo. Evang. c. 8.

VERSUS LVIII.

643. *Dixit ergo (d) eis Jesus: Amen, amen dico vobis*, id est, in veritate assero: *Antequam Abraham fieret*, sicut creatura in esse producitur, *ego sum*. Non dicit ego factus sum, quia esse non cœpit: Non dicit ego fui, quia esse ejus non transit in præteritum. Ideo dicitur Exodi tertio: Ego sum qui sum, quia esse ejus est increatum, & intransibile (e). Unde Gregorius: Præteritum, & futurum tempus Divinitas non habet, sed semper esse habet, ideo recte dicit: *Sum*, non fui. Ecclesiastici vigesimo quarto: Ego ex ore Altissimi prodii (f), primogenita ante omnem creaturam.

Exo. 3. 14. *Gregorius supra cit.* *Eccli 24. 5.*

VERSUS LIX.

Ipsis persequentibus suam humilitatem.

644. *Tulerunt ergo lapides &c.* Hic quarto Judæis persequentibus Dominus suam ostendit humilitatem; volebant enim eum lapidare, ideo dicitur: *Tulerunt ergo lapides Judæi (g) ut jacerent in eum.* Gregorius: Ista æternitatis verba mentes infidelium non ferentes, ad lapides cucurrerunt (h), & quem intelligere non poterant, obruere quærebant. Ideo volebant eum occidere, quia videbatur blasphemasse. Unde Levit. vigesimo quarto: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo. Hanc igitur persecutionem injustam Dominus fugit humiliter, cum posset superare potenter, unde dicitur: *Jesus autem abscondit se, & exivit de templo*, secundum illud ad Rom. duodecimo: Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ. Et primæ Petr. secundo: Cum malediceretur, non maledicebat.

Gregorius ibi. *Levit. 24. 16.* *Ad Rom. 12. 19.* *1. Pet. 2. 23.*

Quæstio prima cur Christus non cessavit a prædicatione, qua nihil proficiebant Judæi.

645. Sed quæritur hic, cum Judæi scandalizati essent, & non intelligerent Dominum, quia solum carnaliter sapiebant; unde est, quod Dominus non cessavit a prædicatione? Resp. Dicendum, quod Dominus sic loquebatur, quod

Responsio.

(a) Sic Exposit. jam edita sub. S. Bona. nomine, nec non laudatus Gordonus ajens: *Aliqui legunt quadraginta*. Ita etiam legit Euthymius.

(b) Quinimo secundum æstimationem Judæorum appropinquabat *ad quinquagesimum annum*. Tametsi enim non superaret reapse annum trigesimum quartum, ea tamen erat maturitate judicii, vultus morumque gravitate, ut longe provectioris ætatis videretur, auctore eodem Euthym. Menochius vero Judæos repræsentat per illa verba: *quinquaginta annos nondum habes*, quasi dicentes: „ Ut te maxime provectum ætate facias, certe „ quinquagenarium te facere non potes; quo- „ modo ergo Abraham vidisti, aut ille vidit te, „ cum ante bis mille annos mortuus sit? " Pariter ante Menochium Dionysius Carthus.

(c) Sic idemmet Euthym. August. Beda &c.

(d) Vulg. sine *ergo*; sed eum *ergo* etiam Cod. noster Bernardin. ac alter Biblioth. Episc. Trident. In Commentar. Hugonis Card. *Dixit ergo eis Jesus*, quamvis inibi indicetur *ergo*, ut ab Interprete adjectum.

(e) 1. Dist. 2. Dub. 4. Itiner. ment. in Deum cap. 5. ac Comment. in Apocal. cap. 1. sub ver. 8. num. 36.

(f) Sic supra cap. 1. ver. 1. num. 3. Comment. in Apocal. ibi num. 35. Exposit. in cap. 9. Sapient. &c.

(g) *Judæi* omittit Vulg. sed non omittunt Codd. Vercellen. & Bernardin. atque alter Biblioth. Episc. Trident. *Judæi* quoque legere est in themate serm. 4. Dom. in Passio. inter editos sub S. Bona. nomine.

(h) Edit. Maur. *sustinere ista æternitatis verba mentes infidelium non valentes, ad lapides currunt.*

quod ipsi poterant spiritualiter intelligere, sed justo Dei judicio excæcati erant; nec tamen a prædicatione cessavit, quia sicut dicit Gregorius: Cum perversitas malorum crescit, prædicatio non debet minui, sed augeri (*a*).

[*Gregorius ibi n. 2.* Cum malorum perversitas crescit, prædicatio debet augeri]

[Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.*]

646. Quæritur de hoc quod dicitur: *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est*. Contra: Qui potest testificari, potest & laudare; sed supra eodem dixit, quod de se posset testificari, ergo & se glorificare. Item opponit Hæreticus: Pater glorificat Filium, Filius non potest se glorificare; ergo est minor Patre. Resp. Dupliciter solvitur hoc; vel ita quod hoc, quod nunc dictum est, intelligatur secundum humanam naturam; vel ita quod intelligatur gloria nihil esse, non secundum veritatem, sed secundum Judæorum æstimationem (*b*).

[Responsio.]

[Quæstio tertia de hoc quod dicitur, quod non noverunt Patrem. *Deut. 6. 4.* Responsio.]

647. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod non noverunt Patrem, cum dicatur in lege: Deus tuus Deus unus est, & hoc credebant. Respond. quod Pater dicitur dupliciter, uno modo essentialiter, & sic Judæi cognoverunt Patrem Deum; quia sic convenit toti Trinitati in comparatione ad creaturam. Alio modo dicitur personaliter in relatione ad Filium, & sic non cognoverunt, ut dicit Augustinus, sicut nec Filium.

[*Augustinus cit. Tract. 43. n. 15.*]

[Quæstio quarta de hoc quod Christus se abscondit.]

648. Item quæritur de hoc quod Dominus se abscondit. Videtur quod timuerit, & imperfectus fuerit; quia imperfectorum est fugere (*c*). Respond. Abscondit se in signum, quod veritas, quando non invenit humilem mentem, fugit, ut dicit Gregorius. In exemplum, ut quando resistere non possumus, iram superbientium humiliter declinemus, sicut etiam dicit Gregorius. Ad tempus opportunum servandum abscondit se, qui inferius persecutionibus se obtulit, ut ostenderet se hominem verum. Unde Augustinus: Tanquam homo a lapidibus fugit, sed væ illis, a quorum lapideis cordibus Deus fugit.

[Responsio. — *Gregorius cit. Hom. 18. n. 5.* — *Gregorius ibi n. 4.* — *Augustinus ibi n. 18. in fin.*]

[Quæstio quinta. *Jo. 5. 22.*]

649. Item quæritur de hoc, quod dicitur: *Est qui quærat, & judicet*. Contra: Supra quinto: Neque Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Respondeo: Est judicium condemnationis, & discretionis; de primo supra (*d*), de secundo habetur hic (*e*).

[Responsio. Judicium condemnationis, & discretionis.]

CA-

(*a*) Edit. Maur. *Cum malorum perversitas crescit, non solum prædicatio frangi non debet, sed etiam augeri*.

(*b*) Supra num. 639. Sed lubeat audire S. Augustinum in hoc ipsum Cap. 8. Tract. 43. num. 14. sic dicentem „ Aliquando Ariani & de „ isto verbo (*Est Pater meus qui glorificat me*) „ calumniantur fidei nostræ, & dicunt: Ecce „ major est Pater, quia utique glorificat Fi- „ lium. Hæretice, non legisti & ipsum Filium „ dicentem, quod glorificet Patrem suum? „ (Joan. 17. 4.) Si & ille Filium glorificat, „ & Filius Patrem glorificat: pone pervica- „ ciam, agnosce æquitatem, corrige perversi- „ tatem.

(*c*) D. ipse Bona. in Apolog. Pauperum Responsion. 2. partic. 1. Art. 1. *Mortem fugere actus est imperfectionis quantum in se est*. Sed continuo subjungit, quod *potest tamen ad perfectionem reduci per circumstantiam superadditam, utpote cum quis hoc facit, ut se reservet ad gloriosiorem triumphum &c.*

(*d*) Scilicet de judicio publico & universali, quod Pater commisit Filio, ut illud peragat in die extremi judicii. Videatur noster Interpres in 4. Dist. 48. art. 1. q. 1. ad arg.

(*e*) Nimirum secundum Glossam, quæ inquit: *Est qui judicet*, hoc est qui discernat meam gloriam a vestra, qui secundum sæculum gloriamini, juxta illud Davidis: *Judica me Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta*. De *judicio discretionis in præsenti judicio* rursum infra idem Interpres, ubi & de *futuro judicio condemnationis*. Similiter S. Thomas respondet.

CAPUT NONUM.

1. ET præteriens Jesus vidit hominem cæcum a
nativitate: 2. Et interrogaverunt eum disci-
puli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut pa-
rentes ejus, ut cæcus nasceretur? 3. Respondit
Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes
ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.
4. Me oportet operari opera ejus, qui misit
me, donec dies est: venit nox, quando nemo
potest operari: 5. Quamdiu sum in mundo,
lux sum mundi. 6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lu-
tum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, 7. & dixit ei: Va-
de, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo,
& lavit, & venit videns. 8. Itaque vicini, & qui viderant eum prius
quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendi-
cabat? Alii dicebant: Quia hic est. 9. Alii autem: Nequaquam, sed
similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum. 10. Dicebant ergo
ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? 11. Respondit: Ille homo, qui
dicitur Jesus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade
ad natatoria Siloe, & lava. Et abii, lavi, & video. 12. Et dixe-
runt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio. 13. Adducunt eum ad Pharisæos,
qui cæcus fuerat. 14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Je-
sus, & aperuit oculos ejus. 15. Iterum ergo interrogabant eum Pha-
risæi quomodo vidisset. Ille autem dixit: Lutum mihi posuit super
oculos, & lavi, & video. 16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam:
Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem
dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schis-
ma erat inter eos. 17. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de
illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est.
18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidis-
set, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat: 19. Et interroga-
verunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus
natus est? Quomodo ergo nunc videt? 20. Responderunt eis paren-
tes ejus, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus
natus est: 21. Quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus
aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse
de se loquatur. 22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant
Judæos: jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur
esse Christum, extra Synagogam fieret. 23. Propterea parentes ejus

dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate. 24 Vocaverunt er-
go rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei; Da gloriam
Deo: nos scimus quia hic homo peccator est. 25. Dixit ergo eis
ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cum essem, mo-
do video. 26. Dixerunt ergo illi. Quid fecit tibi? quomodo aperuit
tibi oculos? 27. Respondit eis: Dixi vobis jam, & audistis: quid
iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli ejus fieri? 28. Ma-
ledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem
Moysi discipuli sumus. 29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus:
hunc autem nescimus unde sit. 30. Respondit ille homo, & dixit
eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit
meos oculos: 31. Scimus autem quia peccatores Deus non audit;
sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.
32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.
33. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. 34. Respon-
derunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos?
Et ejecerunt eum foras. 35. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras:
& cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? 36. Re-
spondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? 37. Et
dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. 38. At
ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum. 39. Et dixit
Jesus: In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident vi-
deant, & qui vident cæci fiant. 40. Et audierunt quidam ex Phari-
sæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci su-
mus? 41. Dixit eis Jesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum;
nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

EX-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

650.

ET *præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate*. Manifestavit Dominus in duobus præcedentibus capitulis se directorem verbo sapientiæ, hic ostenditur istud idem miraculo potentiæ. Illuminando enim corporaliter significat se illuminare spiritualiter, & hoc quidem facit in præsenti capitulo. Dividitur autem præsens capitulum in tres partes. Primo enim insinuatur mirabilis cœci illuminatio. Secundo Pharisæorum disceptatio seu calumniatio, ibi: *Et dixerunt ei, ubi est ille &c.* Tertio occasione illius disceptationis spiritualis cœci illuminatio, ibi: *Audivit autem Jesus &c.* In prima igitur parte duo describuntur. Primo mirabilis cœci illuminatio. Secundo vero ipsius publicatio, ibi: *Itaque vicini &c.* Illuminationis igitur miraculum describitur hoc ordine. Primo notatur Divinæ bonitatis miseratio. Secundo Divinæ Sapientiæ dispensatio. Tertio Divinæ potentiæ mirabilis operatio. Divinæ benignitatis miseratio tangitur in hoc, quod Dominus oculo misericordiæ respexit cæcum, unde dicitur: *Præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate*; *vidit*, inquam, oculo misericordiæ, secundum illud Thren. primo: Vide Domine, quoniam tribulor (*a*). Vel *vidit*, quia studiose respexit, ut Discipulis sensum scilicet inspiciendi tribueret, ut dicit Chrysostomus (*b*), & propter hoc interrogaverunt Discipuli.

Divisio hujus capituli in tres partes.

Miraculi in cæco illuminato descriptio. Divinæ benignitatis miseratio.

Thren. 1. 20.

Chrysostomus in Jo. Evangel. c. 9. Tract. 55.

VERSUS SECUNDUS.

651. *Et interrogaverunt eum Discipuli ejus*, tangitur hic secundum, scilicet Divinæ sapientiæ dispensatio, quam volentes Discipuli scire, interrogaverunt eum: *Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Supponentes quod Divina Sapientia non infligit pœnam absque culpa (*c*), quærunt, in quo fuerit? Hoc quidem didicerant ex curatione Paralytici, cui dictum fuit supra quinto: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Sciebant scriptum esse, Exod. vigesimo: Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes visitans, id est, judicans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt me. Et quia bene intendebant, sed male quærebant, ideo Dominus in responsione sua destruit quæstionem, cum dicitur:

Divinæ sapientiæ dispensatio.

Divina sapientia non infligit pœnam absque culpa.

Jo. 5. 14.

Exo. 20. 5.

VERSUS TERTIUS.

652. *Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus*; non quia non peccaverunt, sed quia cœcitas non erat pœna peccati (*d*): Et tamen satisfacit quærentibus: *Sed ut manifestentur opera Dei in illo*, ideo scilicet natus est cæcus, ut opera Dei manifestentur, quoniam Deus in suis operibus manifestatur (*e*). Hæc præcipue sunt opera miraculosa. Supra secundo: Manifestavit gloriam suam. Ecclesiastæ tertio: Didici quod opera, quæ fecit Deus, perseverent in æternum &c. Ideo ad manifestationem cæcus natus est, quia se offert opportunitas manifestandi, unde dicit:

Jo. 2. 11.

Eccle 3. 14.

(*a*) Exposit. in cap. 1. Thren. ad illum vers. „ *Vide Domine*, ut mihi compatiaris, & contra „ adversarios, indigneris, *quoniam tribulor &c.* "

(*b*) Sic ex Chrysostomo etiam Edit. sub S. Bonav. nomine.

(*c*) Breviloq. Par. 3. Cap. 5.

(*d*) Sic ex S. August. idemmet noster Interpres in 2. Dist. 36. Art. 2. Q. 2. in Fundam.

(*e*) 1. Dist. 3. Par. 1. Ar. 1. Q. 2. in concl.

VERSUS QUARTUS.

653. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me.* Hæc sunt opera miraculosa, quæ Patri attribuit, quia sibi appropriatur potentia (a), Joan. quarto decimo: Pater in me manens, ipse facit opera. Supra quinto: Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Opportunitas faciendi hæc opera durat, *donec dies est: Veniet (b) nox, quando nemo potest operari*; tunc enim cessat opportunitas (c). Apocal. quarto decimo: Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. Et Ecclesiastæ nono: Quodcumque (d) potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas (e). Quis sit autem iste dies, hic explicat, unde dicit;

Potentia Patri appropriatur.

Jo. 14. 10.

Jo. 5. 36.

Apoc. 14. 13.

Eccle. 9. 10.

VERSUS QUINTUS.

654. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Sicut igitur dies nihil aliud est, quam præsentia lucis in terra; sic dies iste non est aliud quam præsentia lucis in mundo. Malach. ultimo: Orietur vobis timentibus Deum sol justitiæ. Ideo Dominus dicit Joan. duodecimo: Ambulate, dum lucem habetis, ut tenebræ vos non comprehendant.

Malach. 4. 2.

Jo. 12. 35.

VERSUS SEXTUS.

655. *Hæc cum dixisset*, tangitur (f) hic tertium, scilicet Divinæ virtutis mirabilis operatio in hoc quod sputo & luto opaco lumen reddit solo imperio, ideo dicitur: *Hæc cum dixisset*, scilicet quæ prædicta sunt, *exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus*, fecit quasi collyrium ad sanandum oculos. Apocal. tertio Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.

Divinæ virtutis mirabilis operatio.

Apoc. 3. 18.

VERSUS SEPTIMUS.

656. *Et dixit ei: Vade, & (g) lava in natatoria Siloe.* Siloe est fons ad radicem montis Sion, qui non jugibus aquis, sed in certis horis ebullit per concava terrarum (h). Et quia hoc non sine mysterio præceptum est, subdit Evangelista nominis interpretationem dicens: *Quod interpretatur missus*. Chrysostomus: Ut discas, quoniam illic virtus mittentis operatur, & virtus exprimitur in effectu, unde subditur: *Et abiit (i), & lavit, & venit videns*, in quo notatur effectus virtutis, & obedientia cæci; unde Chrysostomus: Vide cæci mentem ad omnia obedientem; non enim in aliquo angustiatur quærens, vel scandalizatur dicens, quid opus est luto, cujus gratia inunxisti, cujus gratia lavari præcepisti? Sed nihil horum reputavit, sed ad omnia suasus obedivit.

Siloe quid sit.

Chrysostomus ibi Hom. 56.

Chrysostomus cit. Hom. 56.

657. Secundum Allegoriam saliva sive sputum, quod ex ore procedit, quod etiam salsum est, significat Dei sapientiam, de qua Ecclesiastici vigesimo quarto: Ego ex ore Altissimi prodii primogenita &c. Terra est caro Virginis Psal. Terra nostra dabit fructum suum. Saliva terræ conjungitur, quando Dei Filius ex Virgine nascitur, & fit lutum, cum Verbum caro factum est (k), & hoc ad nostram reformationem, secundum Augustinum, Sicut enim Deus homi-

Allegoria salivæ sive sputi.

Eccli 24. 5.

Ps. 84. 13.

Augustinus in Evang. Jo. c. 9. Tract. 44. n. 1.

(a) 1. Dist. 34. art. 1. q. 3. in concl.

(b) Vulg. *venit*, sed notatur *tempus futurum* etiam in Exposit. jam edita sub. S. Bonav. nomine. Item habet *veniet* in futuro Cod. noster Bernardinian. nec non Codd. Veronen. & Brixian. apud Blanchinium, nec non Serm. 8. de S. Matth. Apost. & Evang. num. 7. inter edendos in Supplemento Sermonum ad Edit. Vatic. Vol. III.

(c) *Quia jam non est dies, in qua operari valeant merendo*, ut pariter exponit sequentem Apocalypsis textum 4. Dist. 20. par. 1. q. 1. ad 1.

(d) Vide supra cap. 5. num. 370.

(e) Sic quoad utrumque textum ibi Exposit. in Ecclesiasten.

(f) Hoc verbo *tangitur* in præsenti Comment. sæpius repetito, ac repetendo, itidem sæpe idem utitur Interpres d. Exposit. in Ecclesiasten.

(g) *&* in Vulg. deest; sed habent quoque Cod. noster Bernard. ac Forojulien. Item Hugo Card. Lyran. Edit. Biblior. Basileen. 1509. Absque *&* tamen num. mox seq. in not. c.

(h) Sic Glossa ordinar. apud Lyranum, nec non S. Hieronymus in Isaiæ caput 8.

(i) Vulg. *abiit ergo*; sed absque *ergo* quoque Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. & Trident. Vercellen. quidem: *abiit & lavit*. Veronen. *& perrexit* pro *& abiit*. Trident. *abiit autem*.

(k) Est versus apud eumdem Interpretem Serm. 4. in Dom. Quinquag. qui sic sonat: *Et caro nostra lutum, Patris sapientia sputum.*

hominem de limo terræ formavit, ita per idem genus luti humanum genus reparavit (a). Hoc luto inunguntur oculi nostri, dum in Christum credentes illuminantur unctione sancti Spiritus,

1. Jo. 2. 27.

de qua primæ Joan. secundo: Unctio ejus docet vos de omnibus: & lava-

Sacra Scriptura aquis Siloe comparata.

mur de aquis Siloe, id est, sacræ Scripturæ, quæ cum silentio fluunt, quia non strepitu verborum mundanæ Philosophiæ fucantur vel colorantur, sed in humilibus requiescunt, & de montibus descendunt.

Isa. 8. 6.

Isaiæ octavo: Aquas Siloe, quæ currunt (b), id est, fluunt cum silentio (c).

Sensus Moralis salivæ sive sputi.

658. Secundum Moralitatem spuere est peccati fœditatem extra nuntiare, ne forte putrescat.

Ps. 37. 6.

Psal. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ; & Proverb. vige-

Prov. 28. 13.

simo octavo: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam con-

Glossa interlin.

sequetur. Glossa: Ecce collyrium, quo ungitur genus humanum.

Luto oculos inungere est, peccata frequenter considerare.

Luto oculos inungere est peccata frequenter considerare, Jerem. trigesimo primo: Statue

Jer. 31. 21.

tibi speculam, pone tibi amaritudines.

Isa. 38. 15.

Isaiæ trigesimo octavo: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Lavari est per lacrymas,

Ps. 6. 7.

Psal. Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum

Isa. 1. 16.

rigabo, & Isaiæ primo: Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse.

VERSUS OCTAVUS.

659. *Itaque vicini, qui viderant eum &c.* Posita est, & descripta mirabilis cæci

Descriptio manifestationis hujus miraculi.

illuminatio, describitur hic ipsius manifestatio, & hoc ordine: primo inducitur dubitatio: secundo dubitantium

certificatio: Tertio mirabilis illuminationis expressio. Inducitur ergo primo

Dubitatio vicinorum.

dubitatio vicinorum, qui ex admiratione immutationis visus se cognoscere dubitant illuminatum, propterea dicitur: *Itaque vicini, qui viderant eum prius, quia mendicus erat,* sicut cæci mendicare solent. Tales personas miseras, & contemptibiles, & pauperes maxime Dominus benignus, & humilis curabat, unde de consimili Luc. decimo

Luc. 18. 35. ac 40.

octavo: Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Stans autem Jesus dicitur ibi, quod illuminavit illum. Illi igitur, qui solebant eum videre, *dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat?* Dubitando hoc dicebant, & in hac dubitatione dissentiebant, unde dicitur: *Alii dicebant, quia hic est,* considerantes corporis figuram.

VERSUS NONUS.

660. *Alii autem dicebant, nequaquam, sed similis est ei,* considerantes visus immutationem, credunt alium, sed ei similem. *Ille autem (d) dicebat,* tangitur hic secundum, scilicet dubitationis certificatio, quæ fit per cæcum, qui seip-

Dubitationis certificatio.

sum certitudinaliter cognoscebat, unde dicitur: *Ille autem dicebat, quia ego sum,* scilicet ille, qui cæcus mendicabat. Augustinus: Vox grata, ne damnaretur ingrata. Non erubescebat cæcus con-

Augustinus cit. Tract. 44. n. 8.

fiteri se fuisse cæcum ad gloriam Dei: unde Ecclesiastici quarto: Est confusio

Eccli. 4. 25.

adducens peccatum, quod scilicet minuit gloriam Dei propter nostram, & est confusio adducens gratiam & gloriam, & manifestat ignominiam ad Divinam gloriam manifestandam.

VERSUS DECIMUS.

661. *Dicebant ergo ei,* tangitur hic tertium, scilicet mirabilis illuminatio-

Mirabilis illuminationis expressio.

nis expressio, & hoc ad inquisitionem

 dubi-

(a) *Reformavit* ait Glossa interlinear. apud. Lyranum.

(b) Sic Serm. sive Coll. 19. in Hex. Vulg. *vadunt*.

(c) Præfata allegoria omnino conformis illi, qua idem Interpres sic loquitur in eamdem rem Ser. sive Collat. 17. in Hex. „ Aquæ currentes cum „ silentio sunt sacræ Scripturæ, quæ nisi in si- „ lentio addisci non possunt; & ibi fit illumi- „ natio. In signum hujus dictum est cæco: „ *Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpreta-* „ *tur missus*. Aquæ enim istæ per revelatio- „ nem sunt. Sed oportet prius linire oculos „ luto, & sputo ex pulvere facto: saliva sa- „ pientia, pulvis caro Christi: lutum fides de „ mysterio Incarnationis. Qui autem quærunt. „ Rasim, & filium Romeliæ, sunt qui quæ- „ runt exteriores scientias &c. “ De fuco autem mundanæ Philosophiæ, ejusque superbia Ser. sive Collat. 4. in Hexaem. „ Multi Philo- „ sophorum, dum se voluerunt dividere a tene- „ bris erroris, magis se erroribus immiscuerunt: „ dicentes enim se esse sapientes, stulti facti „ sunt, superbientes de sua scientia, Luciferiani „ facti. “ De eadem allegoria iterum Vol. 2. Comment. singul. in ver. 1. cap. 5. Apoc. num. 38.

(d) Vulg. pro *autem* habet *vero*; sed *autem* Codd. Evangellor. Vercellen. Veronen. & Trident. Bibliorumque noster Bernardin.

dubitantium, unde dicitur: *Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt oculi tui* (a)? ex quo tu es ille, qui cæcus erat. Et insinuat eis auctorem, & modum.

VERSUS XI.

662. *Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus*, quia nondum credebat Deum (b), *lutum fecit, & linivit* (c) *oculos meos*, ecce operatio. *Et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & lava*, ecce ejus præceptio. *Et abii, & lavi, & vidi* (d), ecce præcepti adimpletio, & per illam illuminatio (e). Implendo enim mandatum Christi illuminatur homo, quia sicut dicitur Proverb. sexto: Mandatum lucerna est, & lex lux, quæ obscurata illuminat. Psal. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Prov. 6. 23. — *Ps. 18. 9.*

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Quis peccavit, hic, aut parentes ejus &c.

663. Sed incidit hic quæstio, primo de hoc quod dicunt Discipuli: *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus &c.?* Ex hoc videtur implicare, quod filii puniantur propter peccata parentum. Contra hoc est quod dicitur Ezechiel. decimo octavo: Non portabit pater iniquitatem filii, nec filius iniquitatem patris; ergo non debet filius propter peccatum parentum puniri. Contrarium hujus dicitur Exodi vigesimo: Vindicans peccata patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. Resp. Dicendum, quod duplex est pœna peccati, quædam temporalis, quædam æterna. Dico quod pœna æterna non punitur filius propter iniquitatem patris; unde etsi parvuli non baptizati æterna visione priventur, hoc non est propter peccatum patris tantum, sed etiam suum, quia quilibet habet originale (f). De pœna vero temporali intelligendum, quod filius portat iniquitatem patris; quia frequenter malus pater punitur in filio, ideo dicitur: Usque in tertiam, & quartam generationem, quia usque ad illam ætatem possunt parentes videre filios. Aliter dicunt aliqui, quod hoc intelligitur de filiis imitantibus scelus paternum, sed primum melius est.

Ezech. 18. 20. — *Exo. 20. 5.* — *Responsio.* — *Peccata parentum quomodo puniantur in filiis.*

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: Neque hic peccavit &c.

664. Item quæritur de hoc, quod dicitur: *Neque hic peccavit &c.* Contra: Job decimo quinto: Nemo purus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram (g). Respondet Augustinus, quod litera illa est supplenda sic: Non peccavit peccato, propter quod infligeretur hæc pœna cæco, ut cæcus nasceretur (h). Et indiscrete petebant Discipuli, ut dicit Chrysostomus, quia antequam nasceretur, peccare non potuit, ut cæcus nasceretur. Sed objicitur tunc, quia si omnis pœna est propter culpam, & iste non peccavit, nec parentes ejus; ergo injuste cæcus natus est, & pœna injuste inflicta. Item Hieronymus super illud Jerem. quarto: Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: dicit: Quidquid supplicii nobis accidit, vitii nostri est, non Dei (i). Item si dicas quod propter gloriam Dei, numquid non aliter potuit

Job. 15. 14. — *Augustinus in Jo. Evang. c. 9. Tract. 44. n. 3.* — *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 9. Hom. 55.* — *Hieronymus super illud Jer. 4. 18.*

(a) Vulg. *tibi oculi*; sed *oculi tui* Cod. Veronen. ac Cod. Goth. nec non textus Græcus apud Blanchinium. Noster autem Bernardinian. & alter Biblioth. Episc. Trident. *tibi oculi tui*.

(b) Sic Euthymius, & Theophylactus.

(c) Vulg. *unxit*. Cod. Veron. *superlinuit*, Brixian. *superlinivit*; alius Biblioth. Episc. Trid. & Card. Jo. Vital. in Spec. Moral. tot. sacr. Script. verbo *Confessio* fol. m. 101. *linivit*.

(d) Vulg. *Et abii, lavi, & video*. Sed alii Codices præponunt conjunctionem etiam verbo *lavi* (*& lavi*) nec non præsens *video* mutant cum præterito *vidi*, quod legitur Græce. Hanc lectionem *& abii, & lavi, & vidi*, habet etiam Expositio sub Bonaventuræ nomine, nec non S. Thomas in Jo. Evang. cap. 9. Lect. 2. not. c. Item Codd. noster Bernardinian. ac supradictus Biblioth. Episc. Trident. Corbejen. Forojulien. Goth. &c. Veronen. autem *videre cæpi*, Hugo Card. ac Lyran. legunt quidem *& video*; ita tamen ut vel ipsi habeant *& abii, & lavi*, sicut etiam habent sacrorum Bibliorum Editiones antiquiores, atque Cod. Vercellen. Evangeliar. autem Eccl. Trident. in hoc tantum a Vulg. discordat quia habet *& lavi*.

(e) Par. 4. Eccl. Hier. c. 6. id interpretari videtur de adimpletione præcepti pœnitentiæ, quæ ad hujusmodi illuminationem disponit. Unde ait „ A Christo, velut a fonte, procedit flumen pœnitentiæ, qua anima a sordibus „ abluitur, & purgatur, & ad videndum lumen „ desuper veniens disponitur, & habilitatur, „ sicut dicitur in Joanne: abii &c. “ Ubi Vulgatæ lectio adhibetur.

(f) 2. Dist. 30. art. 1. q. 2. in concl. nec non ad 1. ubi ad prædictum Ezechiel. textum respondetur.

(g) Cum lectio hæc penitus a Vulg. abeat, eam confirmo S. Gregorio Moral. Lib. 9. cap. 21. num. 32. ubi Job 15. ver. 14. scriptum dicitur: *Non est mundus in conspectu ejus nec unius diei infans super terram*; nec non S. Leone Serm. 20. in solemnit. Nativit. D. N. J. C. I. cap. 1. ubi ex Job 14. 4. secundum 70. allegatur: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*.

(h) Pariter ex Augustino in 2. Dist. 36. art. 2. q. 2. in Fundam.

(i) Similiter in 2. ibi ad opp.

potuit manifestari gloria Dei, quam sic? Et Deus propter suam gloriam non indiget bonis nostris, multo ergo minus malis. Resp. Dicendum, quod est caussa sine qua non, & hoc modo omnis pœna habet culpam caussam, quia si non fuisset culpa, nulla prorsus esset pœna: Alio modo est caussa meritoria, & sic non omnis pœna respicit culpam (a), & hoc modo loquitur hic Dominus. Immo sicut dicit Damascenus: Pœna bona est. Aliquando ergo pœnæ infliguntur propter reatum culpæ. Quandoque ad virtutis probationem & manifestationem, sicut in Tobia, & Job, qui dicebat: Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus, Job decimo septimo. Aliquando ad virtutis conservationem, sicut in Paulo, qui dicebat: Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi &c. secundæ ad Cor. duodecimo. Aliquando propter Divini consilii dispensationem, sicut in Christo. Aliquando ad Divinæ virtutis manifestationem, sicut in hoc cæco. Nec tantum propter Deum hoc factum est, sed propter nos instruendos, & propter utilitatem cæci; quia occasione corporalis illuminationis est spiritualiter illuminatus: unde magna ejus fuit utilitas (b).

Responsio.

Jo. Damascen. Dial. contra Manich. n. 49.

Pœnæ propter quid infliguntur.

Job. 17. 2.

2. ad Cor. 12. 7. ac seq.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur, quod oportet eum operari, donec dies est.

665. Quæritur de hoc, quod dicit, quod *oportet eum operari, donec dies est*. Sed Deo semper est dies, ergo nunquam cessat operari. Dicendum, quod loquitur hic de operibus, quæ operatur propter nos, & in nobis, secundum illud Isaiæ vigesimo sexto: Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine (c). Et quantum ad hæc opera venit nox, quando clauditur nobis dies extremus, post quem nec nos operari poterimus, nec Deus in nobis, nec propter nos. Unde Matth. vigesimo secundo: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.

Responsio.

Isa. 26. 12.

Matth. 22. 13.

Quæstio quarta de modo curationis.

666. Quæritur hic de modo curationis, cum Dominus alios curaverit solo imperio, unde est hoc quod facit hoc luto, & quare præcipit lavari? Resp. Dicendum, quod ratio fuit Allegorica & Moralis, ut supra (d) dictum est, ad instructionem nostræ cognitionis, & operationis. Fuit etiam ratio Literalis; quia enim justo judicio in adventu suo & cæci erant illuminandi, & Pharisæi excæcandi, lutum facit, in quo sabbatum solvere videretur, & per hoc sordidi magis sordescerent: & ex hoc ipse cæcus illuminaretur & purificaretur. Ad natatoria misit, ut miraculum esset publicum, sicut dicit Chrysostomus; quia omnes cucurrerant ad tantum spectaculum, quod luto, unde alii excecantur, cæcus illuminatur. Quo autem ad prædictum judicium notandum

Responsio. Allegorica, & Moralis ratio, nec non Literalis de justo Dei judicio.

Gregorius ibi Hom. 46.

Quod

(a) Ita plane in 2. ibi in concl. ubi sic infertur „ Cum ergo quæritur, utrum omnis „ pœna sit caussata a culpa, dicendum est, „ quod si intelligatur de caussa meritoria de „ condigno, sic non habet veritatem: si autem „ intelligatur de caussa sine qua non, sic aliquo „ modo veritatem habet. Nulla enim esset „ pœna in homine, nisi præcessisset culpa. " Sicque etiam in 4. Dist. 15. Par. 1. Dub. 3. Videsis quoque in 3. par. Breviloq. c. 10. in Centiloq. par. 2. sect. 3. nec non in 1. Dist. 40. art. 4. q. 1. ad 3.

(b) Simillime quo ad prædictas pœnarum caussas in 4. ibi Dub. 2. Item Beda in Mar. cap. 2. Lib. 1. super illud: *Dimittuntur tibi peccata*.

(c) Ita etiam legit in 2. Dist. 28. art. 2. q. 3. in concl. Vulg. *Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis*.

(d) Supra num. 657. ac 659.

Quod judicat Dominus.

- In præsenti Judicio.
  - Discretionis, Psal. Judica me, Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me. Ezechiel. trigesimo quarto: Ecce ego ipse judico inter pecus pingue, & macilentum. *Ps. 42. 1.* *Ezech. 34. 20.*
  - Probationis, primæ Pet. quarto: Tempus est, ut incipiat judicium a domo Dei, hæc est tribulatio præsens. Ecclesiastici secundo: In igne probatur aurum, & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. *1. Pet. 4. 17.* *Eccle 2. 5.*
  - Excæcationis, supra tertio: Qui non credit in Filium Dei, jam judicatus est, & post: Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. *Jo. 3. 18. et seq.*
- In futuro Judicio.
  - Accusationis, ad Rom. secundo: Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Dominus (a) occulta hominum. *Ad Rom. 2. 15. et seq.*
  - Disceptationis, Joel. tertio: Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & ibi disceptabo cum eis, & de hoc Matth. vigesimo quinto. *Joel. 3. 2.* *Matth. 25. 31.*
  - Diffinitionis, Daniel. septimo: Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, ad judicandum scilicet, juxta illud Psalm. nono: Sedes super thronum qui judicas æquitatem (b). *Dan. 7. 2.* *Ps. 9. 5.*
  - Condemnationis, Joan. quinto: Procedent qui mala egerunt, in resurrectionem judicii; & primæ ad Cor. quinto: Eos, qui foris sunt, Deus judicabit, id est, condemnabit. *Jer. 5. 29.* *1. ad Cor. 5. 13.*

Judi-

(a) Vulg. *Deus*; sed *Dominus* etiam S. Gregorius Moral. Lib. 24. cap. 11. num. 32.

(b) Vulg. *Sedisti super thronum, qui judicas justitiam*; sed ut supra Cassiodor. & Psalter. Roman. in Quincup. Psalter. Jac. Fabri Stapulen. nec non idem S. Gregorius in Evang. Lib. 2. Hom. 34. num. 10. *Æquitatem* habet quoque Psalter. Græco: Lat. aliique Codd. apud Blanchin.

Judicia Dei sunt.

Ad Rom. 11.13. —Admiranda, quia inscrutabilia, ad Rom. undecimo: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!

Job. 34. 10. et seq. —Veneranda, quia irreprehensibilia, Job trigesimo quarto: Absit a Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas, opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis; vere enim non condemnabit frustra, nec omnipotens subvertet judicium, Job ibi. Job ibi 12.

Prov. 6. 34. —Formidanda, quia inflexibilia, Proverb. sexto: Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ &c. Primi Reg. 1. Reg. 15. 29. quintodecimo: Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.

Ps. 118. 52. —Recogitanda, quia consolatoria, Psal. Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, & consolatus sum; propter Ps. 18. 10. justitiæ pulchritudinem: unde alibi: Judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

VERSUS XII.

667. *Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.* Postquam insinuata est mirabilis cæci illuminatio, sequitur hic secunda pars, in qua describitur ex hoc omnis Judæorum calumniatio, & disceptatio. Et dividitur hæc pars in tres. In prima ostenditur, quomodo nituntur miraculum negare ibi: *Dicunt ergo iterum cæco: Tu quid dicis &c.* Tertio quomodo in his deficientes nituntur occultare ibi: *Vocaverunt ergo rursum hominem*. Primo ergo describitur, quomodo nituntur reprehendere miraculum cum auctoritate per hunc modum. Primo enim insinuatur reprehendentium sollicitudo. Secundo reprehendendi occasio. Tertio reprehendentium dissensio. Reprehendentium sollicitudo in hoc notatur, quod curantem requirunt, & non invenientes, curatum non dimittunt, ideo dicitur: *Et dixerunt ei: Ubi est ille?* scilicet curator. *Ait: Nescio.* Et quia curantem non possunt invenire, curatum ad Pharisæos perducunt, ideo dicitur:

Descriptio omnis Judæorum calumniationis, & disceptationis. Divisio hujus partis in tres.

Reprehendentium sollicitudo.

VERSUS XIII.

668. *Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat*, quia illi erant ad reprehendendum solliciti. Luc. sexto: Observabant Scribæ & Pharisæi, si in sabbato curaret, ut invenirent unde accusarent eum. (*a*). Luc. 6. 7.

VERSUS XIV.

669. *Erat autem sabbatum*, tangitur hic secundum, scilicet reprehendendi occasio, quæ erat ex die festo, & modo curandi ratione diei, unde dicitur: *Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus*. Supra quinto: Propter hoc persequebantur Judæi Jesum, quia hoc, scilicet opus curationis, faciebat in sabbato, quasi legem contemnens. Alia occasio erat ex modo curandi, quam ideo quærunt, quia nisi per confessionem cæci scire non possunt. Quærunt de modo, ut quia factum non valent reprehendere, calumnientur modum (*b*), ideo dicitur:

Reprehendendi occasio. Jo. 5. 16.

VERSUS XV.

670. *Et iterum (c) interrogabant eum Pharisæi quomodo videret (d)*, & modum quæ-

(*a*) *Observatio ista erat insidiosa, quod spectat ad malignum animum &c.* ait Exposit. in hoc Cap. 6. S. Lucæ ad hunc textum.

(*b*) *Ut possent aliquam calumniandi occasionem ex verbis cæci nati elicere*, ait etiam Dionys. Carthus. Pariterque ex Chrysost. A Lap.

(*c*) Vulg. *Iterum ergo interrogabant*. Edit. sub S. Bonav. nomine: *Et interrogabant*. Cod. Vercellen. *Iterum interrogaverunt*. Cod. noster Bernardin. *Iterum interrogabant*.

(*d*) Vulg. *vidisset*, Cod. Veronen. *quomodo vides?*

quærunt, & modum audiunt, unde: *Ille autem dixit eis: Lutum posuit mihi super oculos meos* (a), *& lavi, & modo* (b) *video*, breviter repetit, quia ipsi jam ab aliis audierant; sed ad majorem certitudinem ex ipsius ore requirebant. Et apparet hic constantia cæci, qui veritatem non timuit confiteri, servans illud Ecclesiastici quarto: Pro anima tua non confundaris dicere verum. Eccli 4. 24.

VERSUS XVI.

671. *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam*, tangitur hic tertium, scilicet in reprehendendo dissensio; unde dicitur: *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam*, fatui zelatores legis, ad Rom. decimo: Æmulationem quidem (c) Dei habent, sed non secundum scientiam. *Dicebant*, inquam: *Non est hic homo a Deo*, per conformitatem & complacentiam; *qui sabbatum non custodit*, quod custodiri a Deo præceptum est. Exodi vigesimo, & in pluribus aliis locis. *Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Et isti erant magis illuminati; unde isti habebant aliquid luminis, sed alii erant penitus obtenebrati, ideo sequitur: *Et schisma erat inter eos*, id est, divisio, justo Dei judicio dividentis lucem a tenebris, & bonos a malis, propter quod dixit Matth. decimo: Non veni pacem mittere, sed gladium.

Reprehendentium dissensio. Ad Rom. 10. 2. Exo. 20. 8. 31. 13. Levit. 19. 30. &c. Matth. 10. 34.

VERSUS XVII.

672. *Dicunt ergo iterum cæco: Tu &c.* Tentaverunt supra Pharisæi Christum reprehendere; & quia in reprehendendo non poterant concordare, tentant & satagunt miraculum negare. Et hoc quidem describitur hoc ordine: primo notatur Pharisæorum versutia ad cæcum tentandum: secundo duritia ad credendum: tertio diligentia ad quærendum: quarto parentum cæci timiditas ad respondendum. Notatur ergo primo Pharisæorum versutia ad tentandum; tentant enim cæcum, quid de Christo sentiat, ut, si male, eum negare faciant Christi miraculum: Si bene, verbis ejus non credant, propterea dicitur: *Dicunt ergo iterum cæco*, scilicet Pharisæi: *Tu quid dicis de eo* (d), *qui aperuit oculos tuos?* Utrum scilicet sit bonus, vel malus, & malitiose requirunt. Cæcus autem respondit simpliciter: *Ille autem dixit, quia Propheta est*. Glossa: Constanter exprimit quod sentit, sicut turbæ Luc. septimo: Propheta magnus surrexit in nobis (e).

Descriptio negantium cæci illuminati miraculum. Pharisæorum versutia ad cæcum tentandum. Glossa interl. Luc. 7. 16.

VERSUS XVIII.

673. *Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus &c.* Tangitur hic secundum, scilicet Judæorum duritia ad credendum; ideo enim credere nolebant, propter hoc scilicet, quia Christum laudabat, ideo suspectum habebant: *Non crediderunt*, scilicet *quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat*; sperabant enim per ipsos miraculum infirmare, unde Chrysostomus: A parentibus putabant abortivum facere miraculum, unde semper rebellare nitebantur, secundum illud Job vigesimo quarto: Ipsi rebelles fuerunt lumini, & nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.

Judæorum duritia ad credendum. Chrysostom. Hom. 57. in Jo. Evang. c. 9. Job 24. 13.

VERSUS XIX.

674. *Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic est &c.* Tangitur hic tertium, scilicet Judæorum diligentia ad inquirendum; quærunt enim a parentibus tria, personam, conditionem, & mirabilem immutationem; propter quod dicitur: *Hic est filius vester?* Quærunt de persona. *Quem vos dicitis, quia cæcus natus est?* Id est, de quo dicitis, quia cæcus natus est? Interrogative quærunt conditionem. *Quomodo ergo nunc videt?* Immutationem prudenter & diligenter requirunt; quia sicut dicitur Luc. sexto decimo: Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

Eorum diligentia ad quærendum. Luc. 16. 8.

VER-

(a) *Meos* Vulg. non habet; sed habet etiam Cod. Veron.
(b) Vulg. *& video* absque *modo*. Cod. Veronen. *& ecce video* Infra ver. 25. num. 680. *modo video*.
(c) Vulg. absque *quidem*; sed habent *quidem* duo nostri Codd. Bernardin. Hugo Card. Lyran. & antiquæ Biblior. Editiones.
(d) Vulg. *de illo*; sed *de eo* etiam Evangelior. Codd. Veronen. Brixian. Forojulien. & Trident. Item Goth. ac Biblior. alius Trident.
(e) *Id est Christus mediator*, inquit Interpres Exposit. in d. cap. ac text. S. Lucæ.

VERSUS XX.

675. *Responderunt eis parentes ejus*, tangitur hic quartum, scilicet parentum timiditas ad respondendum. Et licet tria quæsiissent, ad duo respondent, ad tertium non audent respondere. (a) Respondent ergo ad hoc utrum sit eorum filius, & cæcus natus: *Responderunt eis parentes ejus*, id est, Pater & Mater, *& dixerunt*: *Scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est*. Et in hoc confutantur Pharisæi certissimo parentum testimonio, unde Chrysostomus: Quis crederet, parentes talia mentiri de filio? Et licet veritatem dixerint, tamen non totam, unde

Parentum cæci timiditas ad respondendum.

Chrysostomus ibi.

VERSUS XXI.

676. *Quomodo autem nunc videat, nescimus: Aut quis ejus oculos aperuit, nos nescimus;* quia scilicet præsentes non fuimus, neque magis scimus, quam vos, nec oportet nos interrogare, sed ipsum, unde dicunt: *Ipsum interrogate*, quia potest respondere, *ætatem habet*: *Ipse de se loquatur*; quia ipse certior est nobis. Rationem hujus responsionis assignat Evangelista. Illius responsionis ratio fuit timor judaicæ conspirationis, unde dicit Evangelista:

VERSUS XXII.

677. *Hæc autem dixerunt parentes ejus, quia (b) timebant Judæos*. Isaiæ quinquagesimo primo: Quis tu ut timeas ab homine mortali, & a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? Et primi Machab. secundo: A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus & vermis est. Et ratio timendi redditur: *Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur (c) Christum, extra Synagogam fieret*. Conspiratio est colligatio in malum, sicut Jerem. undecimo: Inventa est conjuratio in viris Juda, & in habitatoribus Jerusalem. Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum. Et *conspiraverant* nomen Christi delere. Jer. undecimo: Eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.

Isa. 51. 12.

1. Machab. 2. 62.

Conspiratio est colligatio in malum.

Jer. 11. 9. ac seq.

Jer. 11. 19.

VERSUS XXIII.

678. *Propterea parentes ejus dixerunt: (d) Ætatem habet, ipsum interrogate*; adhuc enim erant de illis, de quibus dicitur Joan. duodecimo, quod multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de Synagoga non ejicerentur.

Jo. 12. 42.

VERSUS XXIV.

679. *Vocaverunt ergo rursum hominem &c.* Jam frustrato conatu Pharisæorum ad reprehendendum & negandum, hic conantur ad miraculum obumbrandum, ut ipsum Christo Domino non attribuatur, sed nomen ejus taceatur. Ideo conantur hic cæcum a confessione nominis Christi retrahere hoc ordine. Primo scilicet blanditiis, secundo astutiis, tertio conviciis, quarto injuriis. Primo ergo conantur ipsum retrahere blanditiis; blande enim admonent ipsum cæcum, ut Christum non tanquam bonum credat hoc fecisse miraculum: & istud confiteatur, propterea dicitur: *Vocaverunt ergo rursum hominem, qui cæcus fuerat, & dixerunt ei: Da gloriam Deo*, scilicet confitendo veritatem. Dare enim gloriam Deo est veritatem de aliquo confiteri, quasi Deo præsente, Josue septimo: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere. Et veritas illa erat, ut hoc miraculum Christo non attribuat, propter quod dicunt: *Nos scimus, quia hic homo peccator est*. Confitere igitur te curatum non ab hoc, sed a Deo (e). Chrysostomus: Sub specie religionis hoc facere tentabant, & tamen ad malum inducebant. Unde Augustinus: Quid est *da gloriam Deo*? nega.

Inanis Pharisæorum conatus ad miraculum adumbrandum.

Et ad retrahendum cæcum a confessione nominis Christi blanditiis.

Dare gloriam Deo est veritatem de aliquo confiteri, quasi Deo præsente.

Josue 7. 19.

Chrysostomus cit. Hom. 57.

Augustinus in Jo. Evang. cap. 9. Tract. 44. n. 11.

(a) *Parentes caute respondent, scire filium hunc esse suum, & cæcum esse natum; sed a quo & quomodo sit illuminatus nescire*, inquit etiam Cornel. a Lap.

(b) Vulg. *quoniam*; sed *quia* Codd. Veronen. Brixian. Forojulien. Goth. noster Bernard. &c.

(c) Vulg. *esse*; sed sine *esse* Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. Forojulien. Goth. apud Blanchin. Item *esse* deest in tex. Græc. nec non apud Hugonem Card. ac in Biblior. Codd. Biblioth. Episc. Trident. nostræque Bernardinian. &c.

(d) Vulg. *quia*; sed absque *quia* etiam Cod. Vercellen.

(e) Pariter Estius: *Pro honore Dei fatere veritatem, & nega tibi lumen restitutum ab isto homine.*

nega quod accepisti. Hoc plane non est gloriam Deo dare, sed Deum potius blasphemare (a). Et licet blandiantur, non tamen prævalent; quia cæcus admonitionem spernit, & veritatem dicit.

VERSUS XXV.

680. *Dixit ergo homo (b) ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia cum essem cæcus, modo video*. Quasi dicat: Auctorem non judico, sed beneficium recognosco. Glossa (c) dicit: Nec paret calumniæ (d), nec celat veritatem. Et Augustinus: Confitetur libere, constanter, veraciter. Sapienter itaque cæcus respondit juxta illud Ecclesiastici quinto: Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris.

Glossa interlin. *Augustinus ibi n. 13.* *Eccli 5. 14.*

VERSUS XXVI.

681. *Dixerunt ergo illi: Quid fecit &c.* Tangitur hic secundum, quomodo scilicet tentant retrahere per astutias; ideo malitiose quærunt, ut aliquid miraculo objiciant, propter quod dicitur: *Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos tuos (e)?* Chrysostomus: Curationis modum scrutantur, quemadmodum canes undique investigantes. Sed in hac astutia reprehenduntur a cæco, ideo renuit respondere, sed arguit, unde subditur:

Tentant quoque cæcum retrahere astutiis. *Chrysostomus eadem Hom. 57.*

VERSUS XXVII.

682. *Respondit eis: Jam dixi vobis, & audistis, quid iterum vultis audire?* Quasi dicat, si malitiose quæritis, non respondebo; si autem studiose, respondebo, unde dicit: *Numquid & vos vultis discipuli ejus fieri?* Quasi dicat, credo quod non vultis (f), sed si velletis, iterum dicerem; attendens illud Proverb. nono: Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit.

Prov. 9. 7.

VERSUS XXVIII.

683. *Maledixerunt ergo &c.* Tangitur hic tertium, scilicet quod tentant retrahere conviciis, unde sic paulatim procedunt: *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis*, id est, maledicendo & conviciando dixerunt ei, quod esset discipulus Christi. Augustinus: In me sit ista maledictio (g), tale maledictum sit super nos, & super filios nostros. Maledictum enim est, si cor discutias, non si verba perpendas. Discipulatum Christi contemnebant, & ei præferebant discipulatum Moysi, unde dicunt: *Nos (h) Moysi discipuli sumus*, non istius, & rationem subdunt:

Item conviciis. *Augustinus ibi n. 22.*

VERSUS XXIX.

684. *Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus*, sicut dicitur in Exodo & Levitico quasi per totum. Exodi trigesimo tertio: Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. *Hunc autem nescimus unde sit*, ideo discipuli sumus illius, quem Dominus approbat. Sed tamen falsum dicebant, quia sicut dicitur supra quinto: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; & in hac maledictione contra cæcum non prævalent. Immo arguit maledictionis rationem in hoc, quod dicebant se nescire Christum, propter quod dicitur:

Exo. 33. 11. *Jo. 5. 46.*

VER-

(a) Ita fere ait Glossa interlin. *Nega quod accepisti, quod est blasphemare, non gloriam Deo dare.*

(b) In Vulg. est *eis*, & deest *homo*; sed *eis* carent etiam Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. Forojulien. & Trident. Item Biblior. Goth. Trident. ac noster Bernardinian. nec non S. Augustinus Hugo Card. Lyran. &c. Item *ille homo* infra ver. 30. num. 685.

(c) Edit Colon. sub nomine Gorran. *Augustinus*; sed Augustini verba sunt, non hæc, quæ e vestigio subduntur, sed quæ postea subjunguntur.

(d) Apud Gorran *nec favet calumniæ*; sed *nec paret calumniæ* in Edit. sub S. Bonav. nomine, & apud Lyranum itidem *non paret calumniæ*.

(e) Vulg. *tibi oculos*; sed *oculos tuos* Codd. Vercell, & Veronen. & *tuos oculos* Gat. & Mm.

(f) Quippe illud *numquid* &c. est *ironice* dictum, inquit Sa.

(g) Hæc verba *in me sit ista maledictio* desunt in Edit. Venet. Maur. Rebecca autem dixit Jacob filio suo Gen. 27. 13. *in me sit ista maledictio, fili mi*.

(h) Vulg. *nos autem*; sed absque *autem* etiam Codd. Evangelior. Veronen. & Trid. ac Biblior. noster Bernardin.

VERSUS XXX.

685. *Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quod (a) vos nescitis unde sit, & aperuit oculos meos.* Non dixit impium, ne provocaret eos, sed *mirabile*; quia ipse admirabatur eorum duritiam. Et rationem reddit, quia vident signum evidentissimum, & non credunt. Ideo verificatum est illud
Isa. 6. 6. Isaiæ sexto: Ut videntes non videant,
Jo. 8. 10. & audientes non intelligant.

VERSUS XXXI.

686. *Scimus (b) quia peccatores Deus non audit*, vel *non exaudit (c)*. Unde Isaiæ
Isa. 1. 15. primo Dominus ad peccatores: Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine
Job 8. 20. plenæ sunt. Job octavo: Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis. *Sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*
Jo. 15. 7. Joan. quinto decimo: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet
1. Jo. 3. 21. ac seq. vobis. Et primæ Joan. tertio: Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: Et quodcumque (d) petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo, facimus. Sed hunc præcipue exaudit, & hoc probat:

VERSUS XXXII.

687. *A sæculo non est auditum, quod (e) quis aperuit oculos cæci nati.* Sed hic aperuit; ergo est a Deo. Quia a destructione consequentis.

VERSUS XXXIII.

688. *Nisi esset hic homo (f) a Deo, non posset (g) facere quidquam.* Joan. quinto decimo: Sine me nihil potestis facere. *Jo. 15. 5.*

VERSUS XXXIV.

689. *Responderunt & dixerunt ei*, tangitur hic quartum, quia non valentes retrahere blanditiis, nec astutiis, nec conviciis, aggrediuntur injuriis; unde *Insuper injuriis.* ex indignatione moti *responderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* qui scilicet justi reputamur. Vere isti erant Pharisæi similes illi, qui se in oratione laudabat, Luc. decimo *Luc. 18. 11. ac seq.* octavo. *Et ejecerunt eum foras*, pro veritate injuriam intulerunt. Chrysostomus: Vides præconem, quanta passus *Chrysostomus ibi.* est. Hæc scripta sunt, ut & nos similiter imitemur. Simile de Stephano Act. sexto: Et ejicientes eum extra ci- *Act. 7. 57.* vitatem lapidabant.

690. Sed quæritur hic primo de hoc *Quæstio prima de hoc quod dixit: Si peccator est, nescio.* quod cæcus dixit: *Si peccator est, nescio.* Videtur fuisse mentitus, quia infra ostendit, quod non erat peccator. Respon- *Responsio duplex.* detur dupliciter, ex Chrysostomo primo quod *nescio*, id est, modo non enun- *Chrysostomus ibi.* tio. Vel *nescio*, quia ipsius vitam ignoro, ut homo cæcus, & qui nunquam eum vidi, nec secutus fui.

691. Item quæritur de hoc quod di- *Quæstio secunda de hoc quod dicitur: Scimus quia peccatores Deus non audit.* citur: *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Contra: Nonne audivit Publicanum? Respondetur dupliciter, & pri- *Responsio duplex.* mo modo, ut fiat vis in hoc, quod dicitur *peccatores non audit*; quia persistentes in peccato (h) non audit, ad salutem scilicet (i). Aliter respondet Glossa, quod cæcus adhuc inunctus *Glossa interlin.* erat (k), nec plene interius illumina-

(a) Vulg. *quia*; sed *quod* pariter Cod. noster Bernardin. ac Vercellen.
(b) Vulg. *autem*; sed absque *autem* Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. & Trident.
(c) *Non exaudit* legit etiam Interpres noster 4. Dist. 45. art. 2. q. 2. ab initio, quam lectionem confirmant Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. & Forojulien. apud Blanchin.
(d) Vulg. *quidquid*; sed *quodcumque* etiam Goth. apud eumdem Blanchin.
(e) Vulg. *quia*; sed *quod* etiam Cod. Vercellen.
(f) *Homo* in Vulg. deest; habet tamen *nisi esset hic homo* quoque Tirinus.
(g) Vulg. *non poterat*; sed *non posset* Evangelior. Codd. Vercellen. ac Trident. & Biblior. noster Bernardin. Hinc notat Sa, quod heic in Vulg. est *non poterat* pro *non posset*.
(h) Scilicet *affectu, & actu*, ut habet Exposit. sub S. Bonav. nomine. Sed etiam Estius interpretatur id vere dictum a cæco *de peccatoribus perseverantibus in peccatis*. Unde Ps. 65. 18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*. Et Prov. 28. 9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*.
(i) 4. Dist. 45. art. 2. q. 2. ad opp. & resp. ad arg.
(k) Pariter Augustinus supra cit. Tract. 44. num. 13. nec non Lib. 3. de Baptismo contra Donat. cap. 20. & Beda in Jo. Evang. cap. 9.

tus (*a*); & ideo falsum dixit, licet crederet verum dicere.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Nisi esset hic homo a Deo, non posset facere quidquam.*

692. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Nisi esset hic homo a Deo, non posset facere quidquam.* Contra: Multi mali faciunt miracula plura (*b*), sicut ipse Dominus dicit Matth. septimo: Domine, nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Respondetur, quod cæcus intellexit, quod fecerat propria auctoritate (*c*); vel potest responderi, sicut de priori (*d*).

Matth. 7. 22.

Responsio.

Quæstio quarta quare iste cæcus non fuit mox interius illuminatus.

693. Sed tunc quæritur, cum Dominus omnem, quem sanavit exterius, sanaverit simul interius, quare iste cæcus non fuit interius illuminatus? Respondere potest dupliciter, aut quod cæcus iste fidelis erat, sed tamen nondum fidem explicitam habebat, sicut catechumeni, & ideo infra instruitur; aut quod non oportuit plene eum tunc simul sanari interius, quia non ex culpa sua infirmabatur exterius, sicut Dominus testatur.

Responsio duplex.

Quæstio quinta de hoc quod dicunt: *In peccatis natus es totus.*

694. Item quæritur, quare dicunt ei Pharisæi: *In peccatis natus es totus?* Responderi potest, quod non dicunt ex ratione, sed ex indignatione; vel quia a peccatis, in quibus natus fuerat, non recesserat (*e*) per religionem sectæ Pharisæorum (*f*); vel propter cæcitatem, quæ erat pœna peccati, vocabant eum in peccatis natum (*g*).

VERSUS XXXV.

Tertia hujus capituli pars.

695. *Audivit Jesus, quia &c.* Hæc est tertia pars capituli, in qua, jam descripta mirabili illuminatione, & Judæorum disceptatione, tertio introducitur de spirituali illius cæci illuminatione. Hanc autem describit Evangelista hoc ordine: primo enim notatur ipsius cæci despecti vocatio benigna: secundo consentientis illuminatio interna: tertio vero innuitur ipsorum Judæorum superborum excæcatio justa. Primo ergo insinuatur cæci abjecti vocatio benigna. Ejecerant enim eum Pharisæi, & Dominus suscepit eum; propter quod dicitur: *Audivit Jesus, quia ejecerunt eum foras*, per se sciebat, sed nihilominus est ei relatum. *Et cum invenisset eum* Jesus, scilicet non casu; sed studio suscipiendi, Luc. quinto decimo: Accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat; *dixit ei: Tu credis in Filium Dei?* Quærendo excitat, & excitando vocat, ut abjectum suscipiat, secundum illud Psalm. Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Jerem. quadragesimo nono: Relinque pupillos tuos, & (*h*) ego faciam eos vivere, & viduæ tuæ in me sperabunt.

Cæci abjecti vocatio benigna.

Luc. 15. 8.

Ps. 29. 10.

Jer. 49. 11.

VERSUS XXXVI.

696. *Respondit ille, & dixit: Quis &c.* Tangitur hic secundum, scilicet consentientis instructio, vel illuminatio interna. Consensit enim cæcus in fidem, unde dixit: *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Quasi dicat paratus sum credere, unde Chrysostomus: Verbum inquirentis est, & desiderantis, ideo instruitur.

Consentientis illuminatio interna.

Chrysostomus in Jo. Ev. c. 9. Hom. 58.

VERSUS XXXVII.

697. *Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Vidisti* per

(*a*) *Non sicut plene videns* inquit etiam d. Exposit. sub S. Bonav. nomine.

(*b*) 2. Dist. 7. part. 2. art. 2. q. 2. ad 9. ubi ait, quod *mali Christiani faciunt miracula per signa publicæ justitiæ, quia fidem habent, & videntur habere opera.* Hinc Serm. sive Collat. 9. in Hexaem. id de solis Hæreticis negat inquiens: *Numquam auditum est, quod Hæreticus, vel ante, vel post mortem, faceret miracula.*

(*c*) Hanc responsionem probat declaratque Estius ajens: *Miracula pleraque velut propria auctoritate faciebat, ut se Deum esse ostenderet: quod non potuisset, si peccator fuisset.* Non dissimiliter Eutym. Theophyl. Maldonat. & vid. Suarez Tom. 2. de Relig. Lib. 1. de Orat. cap. 25.

(*d*) Scilicet priori quæstione secunda.

(*e*) Pariter Chrysost. Theophyl. Maldonat. &c.

(*f*) Al. *sicut Pharisæi.* Porro hic erat sectæ Pharisæorum spiritus & fastus, quod se puros & sanctos secundum legem arbitrabantur, atque ceteros, ceu impuros, contemnebant. At Christi spiritus fuit his plane contrarius, qui venerat, ut peccatores purificaret, salvaretque.

(*g*) Ita Menoch. & Tirin. Vel forte cum Pytagora, Platone, aliisque putabant, animam ante corpus extitisse, & ob peccata in corpus cæcum fuisse detrusam; uti Cyrill. Leont. & alii exponunt.

(*h*) Vulg. absque *&*; sed cum *&* Cod. noster Bernardinian. 40. & alius Biblioth. Episc. Trid. Hugo Card. Lyran. antiquæ Biblior. Editiones &c.

per miraculosam operationem. *Loquitur tecum* per mirabilem instructionem. Supra octavo: Ego (a) principium, qui & loquor vobis. Simili modo instruxit Dominus Samaritanam supra quarto; Ego sum, qui loquor tecum. Et quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; ideo sequitur vera cæci illuminati confessio, & confessus est fidem suam verbo.

Jo. 8. 25. Jo. 4. 26. Ad Rom. 10.10.

VERSUS XXXVIII.

698. *At ille ait: Credo, Domine. Et*, devotionis obsequio, *procidens adoravit eum*, tanquam Deum, qui solus Latria est adorandus. Unde respondit Dominus Diabolo Matth. quarto: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Deuter. sexto: Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies.

Matth. 4. 10. Deuter. 6. 13.

VERSUS XXXIX.

699. *Et dixit ei (b) Jesus: In judicium &c.* Tangitur hic tertium, scilicet Judæorum excæcatio justa, quam Dominus manifestat cæco, ad quam etiam manifestandam ipsum corporaliter illuminavit, propterea dicitur: *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. In judicium*, scilicet discretionis (c), *ut qui vident*, id est, se videre reputant, sicut Judæi, *cæci fiant*. De hoc judicio dicitur ad Rom. undecimo: Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobismetipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium subintraret (d). Et iterum ad Rom. nono: Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; justitiam autem, quæ ex fide est: Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Et quod istud judicium justum sit, patet ex inquisitione Pharisæorum, & responsione Domini, in qua innuitur malitia & pertinacia Judæorum; quia cum viderent, noluerunt credere & intelligere: & ideo justo judicio Dei, & suo peccato, sunt excæcati (e); ideo dicitur:

Judæorum excæcatio justa. Ad Rom. 11. 25. Ad Rom. 9. 30. ac seq.

VERSUS XL.

700. *Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui erant cum ipso*, id est, qui præsentes aderant; *& dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus?* Indignabantur verbo Domini, quia credebant propter se fuisse dictum; quoniam se sapientes reputabant: & ex hoc ipso ostendit Dominus Divinum judicium, quod juste sunt excæcati, propter quod

VERSUS XLI.

701. *Dixit eis Jesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum;* quia tunc vos Dominus illuminaret. Unde primæ ad Cor. tertio: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. *Nunc autem (f) dicitis: Quia videmus*, & vos sapientes reputatis (g), *peccatum vestrum manet*, scilicet infidelitatis, secundum illud ad Rom. primo: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Unde tales alloquitur Dominus Jerem. quinto: Audi popule stulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, & aures, & non audi-

1. ad Cor. 3. 18. Ad Rom. 1. 22. Jer. 5. 21.

(a) Supra cap. 8. num. 603. in not. *h*.

(b) Vulg. *ei* non habet; sed habent Editiones antiquiores, nonnullæque recentiores, ac etiam Codd. Brixian. ac Forojulien. nosterque Bernardinian. aliusque Biblioth. Episc. Trident. Quin & S. August. in Jo. Evang. cap. 9. Tract. 44. num. 16. Evangelior. autem antiquissimus Cod. Trident. pro *ei* habet *illi*. Item *ei* Dionys. Carthus. &c. Si tamen Christus hæc quæ sequuntur dixerit non ad cæcum, sed ad Pharisæos, omittendum *ei* cum Romanis, Græcis, Syro, & Arabico; tametsi etiam nonnulli Codd. apud Cornel. a Lap. addant *ei*, scil. cæco.

(c) *Quo* scilicet, ut loquitur idem S. August. ibi num. 17., *discernit caussam credentium & confitentium a superbis se videre putantibus, & ideo gravius excæcatis*. Hanc interpretationem de *judicio examinis & discretionis, non condemnationis, meliorem* censet idem Cornel. a Lap.

(d) Supra cap. 4. num. 216.

(e) De hujusmodi *excæcatione*, quæ est *ex propria malitia*, potius quam a *Deo*, idem Interpres 2. Dist. 36. art. 3. q. 2. per totam. Hinc sequitur Christum non fuisse caussam cæcitatis Judæorum, neque hoc significare verba illa: *ut qui vident cæci fiant*; non enim reddunt caussam, sed eventum, ut cum Chrysostomo & Theophylacto Gordonus declarat, quibus addi possunt Cyrill. Euthym. & alii.

(f) Vulg. *nunc vero*; sed *nunc autem* etiam S. August. in Jo. Evang. cap. 10. Tract. 45. num. 1. ac Evangelior. Cod. noster Trident.

(g) Pariter Cornel. a Lap. cum Theophyl. Cornel. Jansen. & aliis.

auditis. Et quia ipsi videntes noluerunt credere, ideo (a) sunt excæcati. Psal. Obscurentur oculi eorum, ne videant.

Ps. 68. 24.

Quæstio prima cur Christus a cæco primo quærit, utrum credat in Filium Dei, & post subdit: Vidisti eum.

702. Sed quæritur hic primo de hoc, quod Dominus primo quærit, utrum credat *in Filium Dei*. Constans est, quod Filius Dei stat pro Divina natura. Sed post subdit: *Vidisti eum. Eum* est relativum, ergo refert Divinam naturam; ergo cæcus vidit Divinam naturam. Item si fides est de his, quæ non videntur, quomodo hortatur Dominus, ut credat in eum, quem videt?

Responsio. *Idiomatum in Divinis communicatio.*

Resp. Dicendum, quod idiomatum est communicatio (b), propter convenientiam in una hypostasi (c). Unde sicut dicitur idem mortuus & æternus; sic idem, in quem credendum, quia æqualis Patri, idem qui loquitur, & videtur, sed in forma servi.

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: In judicium ego veni in mundum. *Jo. 3. 17.* *Responsio.*

703. Quæritur de hoc quod dicitur: *In judicium ego veni in mundum*. Quia supra tertio dicitur: Non misit Deus Filium suum, ut judicet mundum. Respondetur, quod venit in judicium discretionis, sed non condemnationis (d).

Aliud est venire in judicium, aliud ad judicium.

Aliter tamen dici potest, quod differt dicere *veni in judicium*, & *ad judicium*; venire ad judicium dicit finalem intentionem ad judicandum, sic non venit in primo adventu; sed venire in judicium est ex adventu ejus aliquod fieri judicium in superbos, quia excæcantur ex ejus adventu, quamvis ad hoc non veniat (e).

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: Ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.

704. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*. Videtur ergo, quod a Domino Jesu Christo fit excæcatio. Et hoc quidem videtur dici debere per rationem; quia si excæcatio est pœna, & omnis pœna justa est, & quod justum est bonum est, & quod bonum est a Deo est: ergo excæcatio est a Deo. Sed contra: Deus est lux, sicut & calor; ergo si caloris non est infrigidare, nec lucis obscurare, ergo nec excæcare. Item Deus appetit semper suam imaginem sibi conformari; ergo si excæcatio deformat, Dei non est excæcare.

Responsio.

Respondetur, quod excæcatio potest considerari aut secundum id quod est, & sic privatio est, & non habet caussam efficientem, sed deficientem; Deus autem nullius est caussa deficiens, & sic ejus est caussa malitia nostra.

Deus nullius est caussa deficiens. *Sap. 2. 21.*

Unde Sapient. secundo: Excæcavit eos (f) malitia eorum. Quia tamen excæcatio & induratio pœnæ sunt, ponunt esse secundum id quod sunt, & pœna secundum id quod est, justa est.

Pœna secundum id quod est, justa est.

Secundum id quod est, amplius videtur dicendum, quod dupliciter est aliqua pœna a Deo. Uno modo sicut ab ordinante, & sic peccatum, quod est pœna peccati, secundum quod pœna, a Deo est; & secundum quod est peccatum, sic non est a Deo, sed in quantum pœna.

Peccatum, quod est poena peccati, secundum quod poena, a Deo est, non secundum quod est peccatum.

Alio modo aliqua pœna dicitur esse a Deo, secundum id quod est; & hoc vel a Deo infligente, & hoc modo mors, & pœnæ aliæ sunt a Deo, per quas contingit mereri. Alio modo a Deo aliquid subtrahente nostro merito, & sic fomes est a Deo. Cessavit enim Deus dare animæ gratiam, per quam regeret carnem, & hoc merito nostro; qua gratia subtracta, caro ad inferius declinavit. Tertio modo sicut a non apponente nostris meritis, & sic fit excæcatio & obduratio. Aliquis enim obduratur in malo, quia a Domino non visitatur, justo judicio. Aliquis excæcatur, quia interius non illuminatur, ita dicit Augustinus (g).

Aliquis excæcatur, quia a Deo non illuminatur. *Augustinus Tract. 1. in Jo. Evang. c. 1. n. 19.*

CA-

(a) Hoc ideo conforme est Græco, Arabico, & Syro, qui legunt: *idcirco peccatum vestrum manet*.

(b) De *idiomatum communicatione* sæpius idem Interpres in Libris sententiarum.

(c) Sive supposito in 3. Dist. 21. Ar. 1. Q. 1. ad 2. &c.

(d) De *præsenti judicio discretionis* Exposit. in Psalt. 34. Ibi quoque de *futuro judicio discussionis, & damnationis*. Sed & Atto Episc. Vercellen. in Epist. ad Roman. ait: *In judicium discretionis venit*, ad d. textum.

(e) Exposit. in cap. 2. ac S. Lucæ, ubi prædictum textum allegat eodem sensu noster Interpres.

(f) Vulg. *illos*; sed *eos* Exposit. quoque in Cap. 2. Sapien. ac Comment. in Apocal. Cap. 17. num. 1255.

(g) Præfata doctrina perquam similis est illi, quam tradit doctor in 2. Dist. 36. Art. 3. Q. 2. in fundam. & in concl., nec non ibi Art. 1. Q. 1. in concl.

CAPUT DECIMUM.

AMen, amen dico vobis: Qui non intrat per
ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde,
ille fur est, & latro. 2. Qui autem intrat per
ostium, pastor est ovium. 3. Huic ostiarius
aperit, & oves vocem ejus audiunt, & pro-
prias oves vocat nominatim, & educit eas.
4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas
vadit: Et oves illum sequuntur, quia sciunt
vocem ejus. 5. Alienum autem non sequun-
tur, sed fugiunt ab eo: Quia non noverunt vocem alienorum. 6. Hoc
proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loquere-
tur eis. 7. Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis,
quia ego sum ostium ovium. 8. Omnes quotquot venerunt, fures
sunt, & latrones, & non audierunt eos oves. 9. Ego sum ostium.
Per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, &
pascua inveniet. 10. Fur non venit nisi ut furetur, & mactet, &
perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. 11. Ego
sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.
12. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves
propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus
rapit, & dispergit oves: 13. Mercenarius autem fugit, quia mercena-
rius est, & non pertinet ad eum de ovibus. 14. Ego sum pastor bo-
nus: & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. 15. Sicut novit me
Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ovibus
meis. 16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas
oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile,
& unus pastor. 17. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam
meam, ut iterum sumam eam. 18. Nemo tollit eam a me: sed ego
pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem
habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi a Patre meo.
19. Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos.
20. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid
eum auditis? Alii dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium haben-
tis: numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? 22. Facta
sunt autem Encænia in Jerosolymis: & hyems erat. 23. Et ambula-
bat

bat Jesus in templo, in porticu Salomonis. 24. Circumdederunt ergo
eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es
Christus, dic nobis palam. 25. Respondit eis Jesus: Loquor vobis,
& non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc te-
stimonium perhibent de me. 26. Sed vos non creditis, quia non
estis ex ovibus meis. 27. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego
cognosco eas, & sequuntur me: 28. Et ego vitam æternam do eis: &
non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.
29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest
rapere de manu Patris mei. 30. Ego & Pater unum sumus. 31. Su-
stulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. 32. Respondit eis
Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod
eorum opus me lapidatis? 33. Responderunt ei Judæi: De bono opere
non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis
teipsum Deum. 34. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege
vestra: quia Ego dixi, dii estis? 35. Si illos dixit deos, ad quos
sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: 36. Quem Pater
sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis. Quia blasphemas: quia
dixi vobis, Filius Dei sum? 37. Si non facio opera Patris mei, nolite
credere mihi. 38. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, ope-
ribus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego
in Patre. 39. Quærebant ergo eum apprehendere: & exivit de mani-
bus eorum. 40. Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum, ubi
erat Joannes baptizans primum: & mansit illic. 41. Et multi vene-
runt ad eum, & dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nul-
lum. 42 Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant.
Et multi crediderunt in eum.

EX-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

705.

Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Manifestavit Dominus supra se directorem verbo sapientiæ, & miraculo potentiæ; hic manifestat se exemplo bonæ vitæ. Primis enim duobus modis dirigebat, ut Doctor; sed hic tertio dirigit, ut pastor.

Hoc capitulum de vero ac bono pastore in duas partes dividitur.

In hoc igitur capitulo intendit Dominus se ostendere verum & bonum pastorem (a), & dividitur in duas partes; quia primo Dominus se bonum pastorem in proverbio & parabola demonstrat: secundo vero proverbium exponit, & sibi adaptat, ut per hoc se verum pastorem ostendat, ibi: *Dixit ergo eis iterum Jesus*.

Descriptio boni pastoris.

Describit igitur bonum pastorem in proverbio hoc ordine; nam primo determinat boni pastoris ingressum: secundo indicium: tertio boni pastoris officium: quarto dicit, hoc proverbium esse Judæis occultum.

Boni pastoris ingressus.

706. Primo igitur determinat boni & veri pastoris ingressum per comparationem ad suum oppositum; quia opposita juxta se posita magis elucescunt: & ingressus pastoris est per ostium, sed furis per locum alium, propterea dicitur: *Amen, amen dico vobis*, sermonem continuat Dominus Pharisæis loquens: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium*, id est, in Ecclesiam Dei (b), in qua grex Dominicus continetur; *sed ascendit aliunde*, ut superbus & ambitiosus, *ille fur est, & latro*. *Fur*, quia alienum surripit; *latro*, quia bona alterius destruit, & occidit. De hoc ascensu mali pastoris dicit Hieronymus: Lætamur ad ascensum, timeamus descensum (c); non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris est de excelsis corruisse (d). Sic ascendit ille princeps latronum & ambitiosorum, de quo dicitur Isaiæ quarto decimo: Ascendam in cœlum (e), super astra cœli exaltabo solium meum &c. Qui sic inordinate ingreditur, fur est, & non pastor.

Hieronymus.

Isa. 14. 13.

VERSUS SECUNDUS.

707. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium*, ille intrat per ostium, qui intrat per veritatem (f). De hoc introitu primæ ad Thessalon. secundo: Ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, & subditur ibidem: Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ: Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. Nota vero, quod

Intrat per ostium intrans per veritatem.

1. ad Thess. 2. 1. ac 5. & 6.

(a) Hinc pingebatur olim ut pastor humeris suis ovem bajulans, uti etiamnum in antiquis picturis videre est, iisque ipsis vetustissimis Romæ extantibus in Basilica Lateranensi, in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani, in Cryptis ac Cœmeteriis S. Priscillæ, S. Laurentii, S. Sebastiani &c. De hoc *pastore vero & bono* D. ipse Bona. Serm. 1. post Oct. Paschæ per totum.

(b) Rectissime id exponitur de Christi Ecclesia, ut ostendatur, cæco ejecto ex Synagoga Judæorum, de quo superiori cap. actum est, apertum fuisse ostium, ut in Christi Ecclesiam ingrederetur.

(c) Apud Hug. Card. *lapsum*. Dixit quoque S. Bernard. Epist. 238. num. 3 *Considero gradum, & casum vereor: Considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi jacentis deorsum: Attendo celsitudinem honoris, & e vicino periculum reformido &c.*

(d) Apud eumdem Hug. *cecidisse*.

(e) Vulg. *in cœlum conscendam*; sed ut supra etiam 2. Dist. 2. part. 2. Dub. 2. nec non Dist. 5. Art. 1. init. Q. 2. Item membran. Cod. noster Bernardin. 40. S. Hieron. in Isa. ibi, Lyran. Malvenda &c. Ac ita quoque Comment. in Apocal. cap. 12. num. 850. noster Interpres.

(f) Scilicet per Christum, qui veritas ipsa est infra num. 717. quive infra ver. 7. ac 9. asserit, se se ovilis ostium esse, idque hoc ipsum heic quoque usurpandum esse, Patribus bene multis videtur, puta Cyrillo, Augustino, Gregorio Magno, Bedæ, Ruperto, uti notat Calmet.

Non ingreditur per ostium —

—Qui ingreditur malo modo, quia in Christo est —

—Paupertas. Ad hoc ostio declinat, qui ingreditur per pecuniam, ut Simoniaci, tertii Regum tertiodecimo: Quicumque volebat, implebat manum Jeroboam, & fiebat sacerdos excelsorum. Istis dicitur quod dixit Petrus Simoni Act. octavo: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. *3. Reg. 13. 33.* *Act. 8. 20.*

—Humilitas. Ab hoc ostio declinat, qui ingreditur per potentiam, ut potentes & superbi. Amos sexto: Væ vobis (a) qui opulenti estis in Sion: optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum, & confiditis in monte Samariæ. Istis dicitur quod dictum fuit ad Sobnam præpositum, Isaiæ vigesimo secundo: Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus. *Amos 6. 1.* *Isa. 22. 17.*

—Veritas. Ab hoc ostio declinat, qui ingreditur per justitiam falsam, ut hypocritæ, de quibus Osee octavo: Ipsi regnaverunt, & non ex me &c. Quia ipsorum intentionem non approbavi. De talibus Matth. vigesimo tertio: Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. *Os. 8. 4.* *Matth. 23. 3.*

—Qui ingreditur malo fine, ut —

—Ad tondendum. Et hic est non pastor, sed mercenarius. Ezechiel. trigesimo quarto: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedabatis, & lanis operiebamini &c. Talis Prælatus avarus. *Ezech. 34. 2. ac seq.*

—Ad devorandum. Et hic est non pastor, sed lupus. Jerem. duodecimo. Venite congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum. Pastores multi demoliti sunt veniam meam, conculcaverunt partem meam dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. Talis est Prælatus austerus. *Jer. 12. 9. ac seq.*

—Ad dispergendum & rapiendum. Et hic est non pastor, sed fur & latro. Jerem. vigesimo tertio: Væ pastoribus, qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Talis est Prælatus hæreticus, qui vulpi latrocinanti comparatur. *Jer. 23. 1.*

VER-

(a) Vulg. absque *vobis*; sed *vobis* habent duo nostri Codd. Bernardin. ac tertius Biblioth. Episc. Trident. Hugo Card. Lyran. antiquæ Biblior. Editiones.

VERSUS TERTIUS.

708. *Huic ostiarius aperit*, tangitur hic secundum, scilicet veri pastoris indicium in hoc, quod recognoscitur ab ostiario, & grege, propterea dicitur: *Huic ostiarius aperit*, sciens eum esse pastorem. Ostiarius iste est Christus (a), qui habet clavem. Unde Isaiæ vigesimo secundo: Dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat (b). *Et oves vocem ejus audiunt*, quia bono pastori libenter obediunt, ad Hebr. ultimo: Obedite præpositis vestris & subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. *Et proprias oves vocat nominatim*, tangitur hic boni pastoris officium, quod est triplex, vocare, educere, & dirigere; nominatim vocat cognoscendo; educit ad pascua instruendo; sed ante eas vadit bonum exemplum præbendo. Hoc convenit pastori Christo per excellentiam, aliis per imitationem. Unde primo dicitur: *Et proprias oves vocat nominatim*, scilicet Christus. Secundæ ad Timot. secundo: Novit (c) Dominus, qui sunt ejus, id est, de ejus imitatione. Proverb. duodecimo: Novit justus animas jumentorum suorum. *Et educit eas* ad pascua, scilicet Christus. Ezechiel. trigesimo quarto: Educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, quæ scilicet erat lacte manans. Sic & imitator Christi, ut Moyses, & Aaron. Psal. Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi, & Aaron.

Veri pastoris indicium. — Isa. 22. 22. — Ad Heb. 13. 17. — Boni pastoris officium, & hoc triplex. — 2. ad Tim. 2. 19. — Prov. 12. 10. — Ezech. 34. 13. — Ps. 76. 21.

VERSUS QUARTUS.

709. *Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit*, bonum exemplum ostendendo præit (d), ut Christus. Michææ secundo: Ascendet pandens iter ante eos. Unde dixit Joan. tertio decimo: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis; sic & imitator Christi. Unde primæ ad Cor. undecimo: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Sed pauci sunt tales (e). Unde Isaiæ vigesimo quarto: Erit sicut populus, sic sacerdos. Hoc triplex boni pastoris officium magnum habet effectum in ovibus, qui scilicet est ovium directio per imitationem, propter quod dicitur: *Et oves illum sequuntur*, scilicet verum pastorem (f). Oves sunt simplices & humiles (g), de quibus dicit Hugo (h): Humilitas ovis est, ut præesse non appetat, & subesse diligat: Multi fugientes laborem, volunt præesse, & subesse dedignantur (i): Isti non sunt oves, quia non sequuntur. Ideo oves sequuntur, *quia sciunt vocem ejus*, esse scilicet vocem consolationis, secundum illud Matth. undecimo: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Bonus pastor ad reficiendum vocat.

Mich. 2. 13. — Jo. 13. 15. — 1. ad Cor. 11. 1. — Boni pastores pauci. — Isa. 24. 2. — Hugo de S. Vict. — Multi fugientes laborem, volunt præesse, & subesse dedignantur. — Matth. 11. 28.

VERSUS QUINTUS.

710. *Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo*, hoc est malum pastorem, vel lupum, *quia non noverunt vocem alienorum*, id est, non approbant. Isti alieni sunt pseudochristi, & pseudoprophetæ, & pseudoapostoli, de quibus dicitur secundæ ad Cor. undecimo, quod sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Hos non sequuntur; semoti enim sunt a suo pastore, Matth. septimo: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

2. ad Cor. 11. 13. — Matth. 7. 15.

(a) Interprete etiam S. August. Christus ipse est ostiarius, pastor, & ostium; sicque more Syrorum, & Hebræorum plures parabolæ insimul commiscentur. Vide infra num. 717.

(b) Pariter Comment. in Apocal. cap. 20. ver. 1. num. 1457.

(c) Vulg. *cognovit*; sed *novit* etiam S. Greg. Moral. Lib. 27. cap. 12. num. 23. & ante S. Greg. S. August. in Jo. Evang. cap. 3. Tract. 12. num. 12.

(d) *Quod quidem facit, cum eas per sanctitatis exemplum præcedit*, ait etiam in Apolog. pauper. Respon. 4. cap. 3. paucis post init.

(e) Similiter d. Comment. in Apocal. pluries, nec non Phar. Lib. 1. cap. 12. in fine, atque Exposit. in Cap. 12. S. Luc. &c.

(f) *Imitantes eum in vita & moribus*, ait Serm. 1. Dom. 1. post Oct. Pasch.

(g) Ibi.

(h) Ne quis suspicetur heic allegari Hugonem Card. sciat, nihil eorum quæ sequuntur apud ipsum, nequidem simile, reperiri.

(i) Contra hos L. 1. Phar. cap. 11. ex D. Bernardo Epist. 42. ad Henric. Archiepisc. Senonen.

VERSUS SEXTUS.

Proverbium Judæis occultum.

Matth. 13. 13.

711. *Hoc proverbium dixit illis (a) Jesus*, tangitur hic quartum, scilicet quod proverbium fuit illis occultum, unde dicitur: *Hoc proverbium dixit illis Jesus. Illi autem non cognoverunt, quid loqueretur eis*. Unde Matth. tertio decimo: Ideo in parabolis loquor eis, ut videntes non videant, & audientes non audiant, neque intelligant (b).

Proverbium quid sit. *Chrysostomus.*

Basilius Hom. 5. in Principium Proverbior. Salom. n. 1.

712. Notandum, quod proverbium, secundum Chrysostomum, est sermo utilis, aliquid utilitatis continens in aperto, plurimum autem sensum retinens in occulto (c). Secundum Basilium, proverbium est moralis eruditio, & emendatio vitiorum, ac vitæ probabilis regula, humanos actus linea quadam dirigens cautiores (d). Secundum communem dicendi modum, proverbium est locutio generalis & brevis, aliud in sententia, & aliud in verborum superficie continens (e). Notandum etiam ad intelligentiam prædictorum, quod veri pastoris privatur officio, qui per ostium non ingreditur, & hoc multipliciter.

VERSUS SEPTIMUS.

Secunda pars capituli.

Verus pastor quoad ingressum, quoad affectum, quoad indicium Christus.

713. *Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis: Ego (f) sum ostium ovium*. Hæc est secunda pars capituli, in qua Dominus proverbium propositum sibi adaptando explanat, ostendens se verum pastorem quantum ad illa tria, quæ prædicta sunt in proverbio: primo quoad veri pastoris ingressum: secundo quoad veri pastoris affectum, ibi: *Ego sum pastor bonus*: tertio quoad veri pastoris indicium, ibi: *Facta sunt autem Encænia &c.* Primo ergo ostendit se verum pastorem quoad ingressum hoc ordine: primo quod nullus nisi per ipsum recte ingreditur: secundo quod per ipsum quicumque ingreditur, salubriter (g) ingreditur: tertio quod ipse non tantum est via ingrediendi, sed etiam recte ingreditur. Ostendit ergo primo, quod nullus nisi per ipsum recte in ovile ingreditur, propter quod dicit: *Amen, amen dico vobis: Ego sum ostium ovium*. *Ego* discretive, & nullus alius, quia non est ingressus nisi per me, unde dicit:

Nullus nisi per Christum recte ingreditur in ovile.

VERSUS OCTAVUS.

714. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones*, quia scilicet per me non intraverunt, & hujus signum subdit: *Sed (h) non audierunt eos oves*. Istud ostium clausum fuit diu, sed in Passione est reseratum, ut plenitudo gentium intraret. De hoc ostio Apocal. quarto: Post hæc vidi: & ecce ostium apertum in cœlo (i); vere apertum, quia sicut dicitur supra sexto: Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, & eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

Apocal. 4. 1.

Jo. 6. 37.

VERSUS NONUS.

715. *Ego sum ostium*. Tangitur hic secundum, scilicet quod quicumque per ipsum ingreditur, salubriter ingreditur, propterea dicit: *Ego sum ostium*, per quod scilicet salubriter intratur, & ratio subditur: *Per me si quis introierit, salvabitur*. De quo ingressu Matth. septimo: Intrate per angustam portam. Quam angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam; quia Christus fuit pauper & modicus. Per hoc ostium parvulum non intrant divites pleni divitiis, propter quod dicitur Matth. decimo

Quicumque per ipsum ingreditur, salubriter ingreditur.

Matth. 7. 13. ac seq.

Per ostium Christi non intrant divites pleni divitiis.

(a) Vulg. *eis*; sed *illis* etiam Codd. Evangel. Vercellen. Veronen. Forojulien. ac Trident. aliusque Episc. Biblioth. Trident.

(b) Vulg. *quia videntes non vident &c.*; sed *ut videntes non videant &c.* quoque Codd. Corbejen. & Vercellen. apud Blanchin.

(c) Sic etiam apud Hug. Card. sed absque allegatione Chrysostomi.

(d) Ita secundum Ruffini translationem e Græco in Latinum.

(e) Pariter Edit. sub S. Bonaventuræ nomine. Vide S. Hieron. in cap. 12. ver. 9. Ecclesiastes, nec non in cap. 18. ver. 2. Ezech.

(f) Vulg. *Quia ego*; sed absque *quia* etiam Codd. Corbejen. & Vercellen.

(g) Al. *recte*.

(h) Vulg. *&*; at *sed* Biblior. Cod. quoque noster Bernardin. & alter Biblioth. Episc. Trident. nec non Codd. Evangelior. Vercellen. Veronen. Brixian. Forojulien. Gat. Trident. &c. Item S. August. in Jo. Evang. c. 10. Tract. 45. num. 9. S. Tho. Hugo Card. Lyran. antiquæ Biblior. Editiones.

(i) Hunc utrumque textum, tam Apocal. 4. quam Jo. 10. ad idem explicandum adhibet noster Interpres Commentar. in Apocal. ibi sub cit. ver. 1. num. 252.

Matth. 19. 24. cimo nono: Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum Cœlorum (a). Ingressus iste est per fidem, & baptismatis Sacramentum; quoniam illa est janua virtutum, & istud Sacramentorum. Qui hoc modo ingreditur, salvabitur. Marc. ultimo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. *Et ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Ingredietur* per contemplationem, quæ revocat ad interiora, *& egredietur* per actionem. Numeror. vigesimo septimo: Provideat Dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc: & possit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore. Vel sicut exponit Augustinus: Ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus; egredi autem, quando exterius aliquid operamur. Vel *ingredietur* ad contemplationem Divinitatis, *egredietur* ad aspectum humanitatis, *& pascua inveniet;* quia in omnibus reficitur intellectus in contemplatione Divinitatis, & sensus in contemplatione humanitatis (b); *& pascua inveniet*, de quibus pascuis Ezechiel. trigesimo quarto: Pascam eas in montibus Israel, in pascuis uberrimis pascam eas.

Fides virtutum, baptismus Sacramentorum janua.

Mar. 16. 16.

Num. 27. 16. ac seq.

Augustinus in Evang. Jo. c. 10. Tract. 45. n. 15.

Ezech. 34. 13. ac seq.

VERSUS DECIMUS.

716. *Fur non venit, nisi ut furetur*, tangitur hic tertium, scilicet quod ipse Christus ut verus pastor ingreditur, non ut fur, propter quod dicitur: *Fur non venit, nisi ut furetur*, bona temporalia extorquendo; *& mactet*, subditos temporaliter affligendo; *& perdat*, per malum exemplum in infernum præcipitando. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*, id est, ad conservandam vitam (c), ut pastor. Vel *ut habeant vitam*, scilicet gratiæ, de qua vita supra sexto: Hic est panis de cœlo descendens ut si quis ex eo (d) manducaverit, non moriatur; *Et abundantius habeant*, scilicet vitam gloriæ (e), de qua Joan. decimo septimo: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesus Christum. Hæc dicitur abundans, quia dicitur Luc. sexto: Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Christus, uti verus pastor, ingreditur, ut salvet.

Jo. 6. 50.

Jo. 17. 3.

Luc. 6. 34.

717. Sed quæritur hic primo de hoc quod Dominus se comparat hic ostio, quia supra se comparavit ostiario; quomodo idem est ostium, & ostiarius, & pastor? Resp. Dicendum, quod sicut dicitur Joan. quarto decimo, Christus est via (f), veritas, & vita; quia via ad Patrem, ideo ostium (g); quia vero veritas, quæ docet viam, ideo ostiarius; quia vita, ideo pastor, qui pascit & conservat vitam (h).

Quæstio prima quomodo Christus modo ostio, modo ostiario, se comparat.

Responsio.

Jo. 14. 6.

Christus ostium est, & ostiarius, & pastor.

718. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Quotquot venerunt, fures sunt.* Contra: Venerunt Prophetæ, & Patriarchæ, & Joannes Baptista; ergo secundum hoc omnes mali, ut dicunt Hæretici. Respondetur ad hoc, ut fiat vis in hoc, quod dicitur: *Quotquot venerunt*, scilicet propria auctoritate, non Divina, sicut pseudoprophetæ, de quibus Jerem. vigesimo tertio: Non mittebam eos, & ipsi currebant (i); boni autem non venerunt, sed missi sunt. Unde Augustinus: Non præter illum venerunt, sed cum illo venerunt. Ipse enim

Quæstio secunda de hoc quod dicit: *Quotquot venerunt, fures sunt.*

Responsio.

Jer. 23. 21.

Augustinus cit. Tract. 45. n. 8.

(a) *Quia sicut* (verba sunt ipsiusmet S. Bonavent. Serm. 1. in ordine 28. de plur. SS. Confess.) *camelus non potest portam, quæ acus dicitur, intrare, nisi onus deponat; sic homo in regnum cœlorum intrare non potest, nisi desinat dives esse*. Namque porta dicitur fuisse in Jerusalem *Acus* nuncupata, per cujus foramen solis exoneratis patebat aditus; qua quidem similitudine significabatur, ad introitum regni Cœlorum opus esse, ut divitiarum curæ deponantur, earumque affectus abiiciatur, ut etiam inquit Hugo Card.

(b) Pariter idem D. Bona. in Amator. sic loquitur: *Hoc erat totum bonum hominis, ut sive ingrederetur, sive egrederetur, pascua in factore suo inveniret: Pascua foris in carne Salvatoris: pascua intus in Divinitate Creatoris &c.*

(c) Sive, quod perinde est, *perseverando usque in finem*, ait S. Augustinus in Jo. Evang. cap. 10. Tract. 45. num. 15.

(d) Vide supra cap. 6. num. 449.

(e) Ita Chrysost. Cyrill. Theophylact. Euthym. Beda, Menoch. &c.

(f) Vide infra suo loco.

(g) Sic nedum S. August. sed & Cyrill. Beda, Rupert. &c.

(h) En rursum commixtæ simul more Syrorum & Hæbræorum tres parabolæ.

(i) Tales fuere Judas Galilæus, Theodas, & post Christum Simon Magus, Barchochebas &c. Ita Cyrill. Chrysost. Theophylact. Euthym. &c.

enim est veritas; & ideo cum illo venerunt quicumque veritatem prædicaverunt (a).

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Egredietur, & pascua inveniet.* 719. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod *egredietur, & pascua inveniet.* Contra: Nullus mittens manum ad aratrum debet retro aspicere; ergo nullus ingrediens egredietur. Luc. 9. 62. Responsio. Resp. Dicendum, quod duplex est egressus, unus contrarius ingressui (b); & iste est egressus de Ecclesia per infidelitatem (c), & de hoc objicitur, & de hoc dicit Augustinus: *Augustinus ibi n. 15.* Ingredi in Ecclesiam valde bonum est, sed egredi pessimum. Et de hoc primæ Joan. secundo: 1. Jo. 2. 19. Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant. Alius est a contemplatione ad actionem (d); & iste non est retrocessionis, sed exercitationis. De hoc in Psal. Ps. 103. 23. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam (e).

VERSUS XI.

720. *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor &c.* Ostendit se Dominus bonum pastorem quoad boni pastoris ingressum, hic ostendit secundo quoad boni pastoris affectum; Boni pastoris affectus. & hoc quidem facit per hunc modum. Primo ostenditur Christi ad suas oves amicitia: secundo diligentia: tertio providentia: quarto munificentia: quinto ex hoc Judæorum discordia. Primo ergo ostenditur Christi ad oves vera amicitia Christi pastoris erga oves suas amicitia. in comparatione ad amorem mercenarium, qui non est amor verus, propterea dicit: *Ego sum pastor bonus, & hoc monstrat: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, ex vehementi dilectione, quam habet circa eas (f). Unde ipse dixit Joan. quinto decimo: Jo. 15. 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam (g), ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Talis pastor erat Paulus, qui dicebat secundæ ad Cor. tertio decimo (h): 2. ad Cor. 12. 15. Ego libentissime impendam, & superimpendar ego (i) ipse pro animabus vestris. Non sic mercenarius, propter quod dicitur:

VERSUS XII.

721. *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ*, quia eas non amat, sed lucrum, pro quo servit. De hoc Gregorius: *Gregorius in Evang. L. 1. Hom. 14. n. 2.* Mercenarius est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur, de quo potest dici illud Matth. sexto: Amen dico vobis, Matth. 6. 2. receperunt mercedem suam (k). Hic scilicet *videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit*, quia lupum timet, & oves non amat. Lupus, ut dicit Gregorius, *Gregorius ibi eodem n. 2.* super oves venit, cum quilibet injustus & raptor fideles & humiles opprimit. De talibus lupis Act. vigesimo: Scio, inquit Paulus, quoniam Act. 20. 29. intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Ad adventum talis lupi mercenarius dimittit oves. Zachar. undecimo: O Zach. 11. 17. pastor, & idolum, derelinquens gregem. Ad hujus mercenarii fugam sequitur ovium dispersio, & ideo dicitur: *Et lupus rapit, & dispergit oves.* Ezechiel. trigesimo quarto: Ezech. 34. 6. Super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret. Et ratio prædictorum subditur, defectus scilicet veræ amicitiæ, propter quod dicitur:

VER-

(a) Ita quoque præfatum textum intelligit noster Interpres Comment. in Apocal. cap. 16. sub ver. 16. ad illud *quotquot venerunt*, addens *præter me*. Et sic etiam S. August. L. 16. contra Faustum cap. 12. S. Hieronym. Lib. 2. contra Pelag. Beda heic &c.

(b) *Ingressui*, inquam, in ovile Ecclesiæ *per ostium fidei* pariter idem August. Gregor. Rupert. nec non inter Sermones sub S. Bonavent. nomine Dom. prima post oct. Pasch. fer. 2. ad finem.

(c) Sive *per hæresim*, in eod Serm. 2. ibi.

(d) De hoc egressu, ejusque commendatione rursum noster Interpres Exposit. in cap. 10. S. Lucæ, ubi loquens de vitæ contemplativæ & activæ prælectione inquit: *Viros spirituales aliquando oportet egredi, aliquando ingredi*; & ita August. Gregor. Beda, Auctor de Spir. & Anima &c.

(e) Per hunc textum significari, *unumquemque hominum in hac vita egredi ad suas operas exercendas*, interpretatur etiam Cassiodor.

(f) Vide Lignum vitæ Tit. *Jesus pastor sollicitus.*

(g) Infra suo loco.

(h) Olim *tertio decimo*, ut apud Hug. Card. & Cod. Biblior. Episc. Biblioth. Trident. Nunc vero ut supra in marg.

(i) Vulg. absque *ego*; sed *ego* habet Hugo Card. Lyran. Codd. Bernardinian. ac d. Episc. Biblioth. Trident. nec non ipsemet S. Bona. in Apolog. Pauperum Resp. 2. partic. 1. Ar. 1.

(k) Sic Exposit. in cap. 15. S. Luc.

VERSUS XIII.

722. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus*, hoc eſt quia diligit temporalem mercedem, & non oves (*a*). Unde Gregorius: Stare in periculo ovium non poteſt, qui in eo, quod ovibus præeſt, non oves diligit, ſed lucrum terrenum quærit (*b*). De talibus dicitur Ezechiel. tertio decimo: Non aſcendiſtis ex adverſo, nec oppoſuiſtis vos (*c*) murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini. Gregorius: Fugit, quia tacuit, quia ſe ſub ſilentio abſcondit: Quia timuit; timor enim fuga eſt (*d*).

Gregorius ibi n. 3. — *Ezech. 13. 5.* — *Gregorius ibi n. 2.*

VERSUS XIV.

723. *Ego ſum paſtor bonus:* Tangitur hic ſecundum, ſcilicet Chriſti erga oves diligentia, quæ conſiſtit in ovium diſcretione, & cognitione, propter quam dicit ſe paſtorem bonum, propter quod dicitur: *Ego ſum paſtor bonus: Et cognoſco meas, ſcilicet oves, & cognoſcunt me meæ*, & in hoc notatur diligentia (*e*) ſecundum illud Proverb. vigeſimo ſeptimo: Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. Secundæ ad Timoth. ſecundo: Novit Dominus qui ſunt ejus. Et nota

Chriſti paſtoris erga oves ſuas diligentia. — *Prov. 27. 23.* — *2. ad Tim. 2. 19.*

Quod

(*a*) *De mercenario malo, qui principaliter reſpicit ad mercedem creatam, & temporalem;* de illo, inquam, quem vituperat Dominus dicens: *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt*, idem Interpres in 3. Diſt. 27. art. 2. q. 2. in concl. ubi animadvertit „ Quod mercenarius dicitur ille, „ qui principaliter habet oculum ad mercedem. „ Nam ſi eam aſpiceret non principaliter, non „ propter hoc mercenarius eſſet. Secundum „ hoc intelligendum eſt, quod duplex eſt merces, videlicet creata, & increata, temporalis, „ & æterna. Et ſecundum hoc eſt duplex „ mercenarius, videlicet bonus, & malus: & „ duplex mercimonia, una laudabilis, alia vituperabilis. Nam qui principaliter reſpicit ad „ mercedem creatam, & temporalem, malus „ mercenarius eſt: & hunc vituperat Dominus „ dicens: *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt*. Ille vero, qui reſpicit principaliter ad mercedem æternam, de qua dicitur: „ *Merces tua magna nimis*, bonus mercenarius „ eſt. Et hic mercenarius panibus abundat „ fidei, ſpei, & caritatis, ſicut dicit Ambroſius „ ſuper illud: *Quanti mercenarii &c.* Ubi allegatur in marg. *Ambr. L. 7. in c. 15. S. Luc. To. 3.* Et Expoſit. in cap. 15. S. Luc. ubi fere id ipſum ſic repetit „ Nota quod quidam ſunt „ mercenarii mali, de quibus Joannes: *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt*. Iſti „ etſi abundant aliquando in domo ſupremi Patris panibus materialibus, non tamen ſpiritualibus, propter quod dicitur: *Amen dico* „ *vobis, receperunt mercedem ſuam* .... Alii ſunt „ mercenarii boni ..... Et iſti ſunt qui ſerviunt pro mercede æterna; & tales abundant „ frequenter panibus fidei, ſpei, & caritatis &c. " Vid. ſupra num. 721. nec non infra num. 731.

(*b*) Ita ex S. Gregorio etiam Cornelius a Lap.

(*c*) *Vos* omittit Vulg.; ſed non omittunt duo noſtri membr. Codd. Bernardin. unus in margine, alter in texru; habetque *vos* etiam Card. Jo. Vitalis in Speculo verbo *Eccleſia* fol. 126.

(*d*) Sæpius heic Interpres noſter laudavit S. Gregorium, quia ipſe rem hanc optime explicat, utpote quam per longam praxim, & experientiam exactam, optime callebat. Unde plura ex eodem deprompſit etiam L. 1. Phar. cap. 11. ac 12. agens de Prælatis bonis, & malis; & ipſum infra num. 721. ad idem propoſitum iterum iterumque laudat.

(*e*) Dom. pri. poſt Oct. Paſch. Ser. 1. Dicit ergo: *Bonus paſtor*, ubi commendatur a diligenti executione paſtoralis officii.

Quod bonitas pastoris consistit —

- —In solertia pascendi, & hoc —
  - —In pascuorum electione. Unde Ezechiel. trigesimo quarto: Pascam eas in montibus Israel, in pascuis uberrimis pascam eas. (a) Talis pastor Christus, unde in litera: *Ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet* (b). — *Ezech. 34. 14.*
  - —In temporanea educatione. Matth. vigesimo quarto: Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis escam (c) in tempore, sive in tempore tritici mensuram (d). — *Matth. 24. 45.* *Luc. 12. 42.*
  - —In liberali administratione, ut pascat verbo, exemplo, & temporali subsidio, propter quod dictum est Petro Joan. ultimo: Pasce oves meas (e). — *Jo. 21. 17.*
- —In diligentia custodiendi, & hoc —
  - —In ovium cognitione. Poverb. vigesimo septimo: Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. (f) Talis Christus, unde dicit in litera: *Cognosco meas*. — *Prov. 27. 23.*
  - —In infirmorum consolatione, propter quod primæ ad Thessal. ultimo: Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos. Contra quod dicitur malis pastoribus Ezechiel. trigesimo quarto: Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis. — *1. ad Thess. 5. 14.* *Ezech. 34. 4.*
  - —In sanorum vigilanti conservatione, unde de bono pastore Jacob Genes. trigesimo primo: Nec captum a bestia ostendi tibi, damnum omne ego reddebam; die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis (g). — *Gen. 31. 39. ac seq.*

Præ-

(a) Vid. supra sub num. 715. col. 836.
(b) Ibi, nec non num. 719.
(c) Vulg. *cibum*; sed *escam* etiam S. Bernardus Lib. 3. de considerat. Cap. 1. num 2.
(d) Hæc intelligit de Prælatis Ecclesiæ nedum cit. loc. Bernard. sed quoque noster Interpres Exposit. in Cap. 12. S. Luc. Lib. 1. Phar. cap. 11. ac Serm. 2. de Cath. S. Petri Apost.
(e) Sic infra suo loco.
(f) Supra col. 841.
(g) Schemata prædicto, aliisque supra digestis similia, nedum videre licet apud Hugonem Interpreti nostro coævum; verum etiam in nonnullis Opusculis vere Bonaventurianis antiquiorum Editionum.

Prædictam autem Pastoris diligentiam manifestat per similitudinem, unde subditur:

VERSUS XV.

724. *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*, sic, supple, agnosco meas, & cognoscunt me meæ. Chrysostomus: *Sicut* est nota similitudinis, non æqualitatis (*a*), sicut Joan. decimo septimo: Filius orans Patrem pro discipulis dicit, ut sint unum, sicut & nos. Hanc etiam diligentiam manifestat per effectum (*b*), unde dicit: *Et animam meam pono pro ovibus meis*. Sic Apostolus primæ ad Cor. quintodecimo: Quotidie morior propter gloriam vestram, fratres. Et ipse Dominus Jerem. duodecimo: Dedi dilectam animam meam in manus iniquorum.

Chrysostomus in Jo. Evangel. c. 10. Hom. 59. Sicut nota similitudinis, non æqualitatis. Jo. 17. 11. 1. ad Cor. 15. 31. Jer. 12. 7.

VERSUS XVI.

725. *Et alias oves habeo*, tangitur hic tertium, scilicet Christi erga oves providentia, quæ consistit in ovium suarum adunatione; sicut pastor in unum colligit oves, ne patiantur incursum. Propterea dicit: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili*, ut Fideles ex Gentibus (*c*) prædestinatos (*d*); *& illas oportet me adducere*, quasi errantes. Unde primæ Petr. secundo: Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum. *Et vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor*, propter unionem Ecclesiæ ex Gentibus, & Judæis, unde ad Ephes. secundo: Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, scilicet Gentes, & Judæos in unum ovile (*e*). Et ipse unus pastor, Ezechiel. trigesimo quarto: Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: Ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.

Christi pastoris erga oves suas providentia. 1. Pet. 2. 25. Ad Ephes. 2. 14. Ezech. 34. 23.

VERSUS XVII.

726. *Propterea me diligit Pater*, tangitur hic quartum, scilicet Christi erga oves munificentia, in hoc quod cum ipse non esset debitor mortis, non necessitate coactus, sed mera liberalitate posuit animam suam pro ovibus; & hoc ad Patris præceptum, cujus gratia meruit Patris dilectionem. Unde dicit: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam*, in morte scilicet & passione, *ut iterum sumam eam*, id est, in resurrectione (*f*); & ita ex potestate, quia meum est ponere, & meum est resumere, & hoc manifestat:

Christi pastoris erga oves suas munificentia.

VERSUS XVIII.

727. *Nemo tollit eam a me: Sed ego pono eam a me ipso*, & ita libere pono, unde dicit, *& potestatem habeo ponendi eam*, id est, deponendi, *& potestatem habeo iterum sumendi eam*. Unde Isaiæ quinquagesimo tertio: Oblatus est, quia ipse voluit. Et quare hoc faciat, ponit rationem, quia: *Hoc mandatum accepi a Patre meo*, unde ad Philipp. secundo: Humiliavit semetipsum factus obediens, scilicet Patri, usque ad mortem, mortem autem crucis. Unde Joan. decimo octavo dixit Petro: Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis (*g*), ut bibam illum? Quasi dicat, obedire volo.

Isa. 53. 7. Ad Philip. 2. 8. Jo. 18. 11.

VERSUS XIX.

728. *Dissensio itaque (h) facta est*, tangitur hic quintum, scilicet Judæorum discordia ex Domini instructione exorta,

Judæorum discordia.

(*a*) 3. Dist. 29. Art. 1. Q. 3. ad 2. & sic etiam Dionys. Carthus. Cornel. a Lap. Menoch. Tirin. &c.

(*b*) In cit. Serm. 1. d. Dom. 1. post Oct. Pasch. „ Ille enim pastor diligenter suum officium exercet, secundum quod evidentia „ facti manifestat. „

(*c*) Sic communissime etiam ex recentioribus Interpretes Sa, Cornel. a Lap. Marian. Menoch. Tirin. Gordon. Calmet, Natal. Alexan. &c.

(*d*) Mariana *propter electionem æternam*. Sed & *oves prædestinatas de gentibus* vocat Hugo Card. Vid. infra n. 733.

(*e*) Pariter Dionys. Carthus. quoad prædicta omnia.

(*f*) Menoch. „ *Pono animam meam*: vitam „ meam traditurus sum per passionem, & cru„ cem. *Iterum*: tertio die. *Sumam*: per resur„ rectionem. "

(*g*) Vulg. *non bibam illum?* sed *non vis ut bibam illum?* etiam infra suo loco, nec non in Cod. nostro Bernardin. alioque Biblioth. Episc. Trident.

(*h*) Vulg. *Dissensio iterum*; sed *Dissensio itaque* etiam Cod. noster Bernardin. ac Cod. Goth. apud Blanchin. S. Tho. in Jo. Evang. cap. 10. Lect. 5. not. *a*. Chrisost. Versio quæ mihi præ manibus est, Exposit. sub S. Bonavent. nomine &c.

ta, quia aliqui non intelligentes putabant ipsum insanire; alii vero sublimia dicere, propterea dicitur: *Dissensio itaque facta est inter Judaeos* (qualis supra fuit facta propter miraculum, supra nono) *propter sermones hos*, quia non intelligebant, propter quod

Supra 9. 16.

VERSUS XX.

729. *Dicebant autem multi ex ipsis: Daemonium habet, & insanit*, unde putabant eum insanire. Isti erant de illis, de quibus primae ad Cor. secundo: Animalis homo non percipit ea, quae spiritus Dei sunt, stultitia enim est illi, & non potest intelligere ea, quae spiritualiter examinantur (*a*). Unde recusabant audire, propterea dicunt: *Quid eum auditis?* Unde Dominus dicebat supra octavo: Quia non potestis audire sermonem meum.

1. ad Cor. 2. 14. — *Jo. 8. 43.*

VERSUS XXI.

730. *Alii dicebant: Haec verba non sunt daemonium habentis*, hi aliquo modo incipiebant illuminari, unde ad illuminationis miraculum confugiunt: *Numquid daemonium potest caecorum oculos aperire?* Chrysostomus: Quia verbis suadere non poterant, ut obstruerent ora illorum, demonstrationem ab operibus faciebant; unde opera dant fidem verbis, ideo Joan. eodem: Et si mihi non vultis credere, operibus credite.

Chrysostomus cit. Hom. 59. — *Jo. 10. 38.*

Quaestio prima utrum mercenarius sit ab ovibus abiiciendus, vel sustinendus, aut laudandus.

731. Quaeritur hic de mercenario, utrum sit ab ovibus abiiciendus, vel sustinendus, aut laudandus? Quod abiiciendus ab ovibus videtur hic, quia vituperatur. Quod autem sustinendus, videtur ad Philip. pri.: Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, & gaudebo. Quod autem laudandus, videtur Luc. quinto decimo: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus? Ubi dicit Ambrosius, quod bonus mercenarius Petrus, Joannes, Jacobus &c. (*b*) Isti non filiquis, sed panibus abundant, scilicet fide, spe, & caritate (*c*). Resp. Dicendum, quod differt mercenarius, & fur; quia mercenarius veritatem dicit, & oves conservat, sed fur falsitatem, & oves dilacerat, ut Haereticus: & iste est omnino abjiciendus; sed mercenarius tolerandus. Sed hic est duplex, quia quidam servit propter mercedem temporalem, & talis est sustinendus, sed tamen vituperandus; quidam propter aeternam, & talis sustinendus, & approbandus, sed tamen non est omnino extollendus; sed qui solum amore, est praeconiis extollendus (*d*).

Ad Philip. 1. 18. — *Luc. 15. 17.* — *Ambrosius Exposit. Evang. sec. Luc. L. 7. n. 220.* — Responsio. — Solo Dei amore cura animarum gerenda.

Quaestio secunda de hoc quod dicitur: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

732. Quaeritur de hoc quod dicitur: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Ex hoc videtur, quod Praelatus teneatur mori pro subditis. Sed contra, pati martyrium est supererogationis; sed ad opera supererogationis nullus tenetur, nisi voto se astrinxerit: ergo videtur, quod Praelatus ad hoc non teneatur. Item videtur, quod omnes teneantur ad hoc, primae Joan. tertio: Nos debemus pro fratribus animas ponere. Resp. Dicendum, quod mori pro grege Dominico potest esse tripliciter, aut pro ipso de bono in melius promovendo, & sic est supererogationis, quantum ad omnes Praelatos; aut pro ipso ab imminenti periculo liberando, & sic tenetur quilibet Praelatus (*e*): quia suscepit curam gregis Dominici, & de manu ejus requiritur sanguis. Aut pro ipso in extremae necessitatis articulo constituto, quod non potest evadere damnationem, nisi homo se morti exponat; & sic dico, quod est necessitatis, quantum ad omnes: sicut vendere sua, & dare pauperibus, quando sunt in extrema necessitate. Et secundum has vias currunt rationes.

1. Jo. 3. 16. — Responsio. — Mori pro grege Dominico tripliciter. — *Ezech. 3. 18.*

Quaestio tertia de hoc quod dicitur: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili.*

733. Quaeritur de hoc quod dicitur: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili*. Quoniam nulla ovis est ovis, cum est extra Ecclesiam; quia extra Ecclesiam nulla innocens. Item quomodo dicit *illas oportet me adducere?* Quia Matth. quinto decimo: Non sum missus nisi ad

Matth. 15. 24.

(*a*) Circa variantem hanc a Vulg. lectionem vide hujus Comment. Prolog. n. 3. in not. *a.*

(*b*) Sic ex S. Ambrosio ipsemet S. Bonav. 2. Dist. 38. Art. 1. Q. 3. ad opp. 2. & supra num. 722. not. *a.*

(*c*) *Tales, qui serviunt pro mercede aeterna abundant frequenter panibus fidei, spei, & caritatis*, ipsemet S. Bona. supra eod. num. ac not.

(*d*) Haec doctrina perquam cohaeret ei, quam idem tradit Interpres in 2. supra cit. loc. ad 1. & 2. ac nedum confirmat supra relata ex eodem cit. num. 722. ac not. *a.* sed etiam magis magisque declarat.

(*e*) Exposit. in Cap. 10. S. Lucae.

ad oves, quæ perierunt domus Israel; ergo non debebat illas adducere. Resp.

Responsio.

Dicendum, quod illas oves de Gentibus, nondum secundum præsentem justitiam vocatas, suas dicit, quia electæ secundum prædestinationem æternam *(a)*: & illas adduxit merito passionis, & verbo prædicationis, non suo, sed Apostolorum; quoniam ipse in propria Persona venerat specialiter & principaliter populo Israelitico prædicare, quibus promissus erat, & a quibus occidendus. Et secundum hoc intelligendum est illud Matth. quinto decimo: Non sum missus &c.

Electio secundum prædestinationem æternam.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Ego pono animam meam a me ipso.* *Augustinus in Io. Evang. cap. 11. Tract. 47. n. 11.*

734. Quæritur de hoc quod dicitur: *Ego pono* animam meam *a me ipso*. Quia sic videtur quilibet facere; unde Augustinus: Quilibet, qui moritur, animam ponit. Si dicas quod iste necessario, objicitur de martyre, qui moritur voluntate. Resp. Dicendum, quod aliter ponit quilibet homo, aliter martyr, aliter Christus; quilibet homo necessitate, martyr voluntate; sed Christus voluntate simul & potestate. Voluntas enim martyris, etsi sit absoluta a moriendo ut tunc, non tamen a moriendo simpliciter; sed Christus omnino fuit liber *(b)*.

Responsio. Mortis triplex diversitas.

Quæstio quinta de hoc quod dicunt: *Potestatem habeo ponendi animam meam &c.*

735. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Aut hoc dicit secundum Divinam naturam, aut secundum corpus, quod deponit animam. Si secundum Divinam, ergo Deitas dimisit animam, quod nefas est dicere, & qui hoc dicit anathema est *(c)*. Aut dicit secundum corpus, & istud non habet potestatem resumendi eam. Item objicitur, si corpus deposuit animam, & sicut dicit Damascenus, anima erat medium uniendi Divinam naturam corpori *(d)*; ergo Divina natura deposuit corpus, quod nefas est. Dicendum, quod anima dicitur hic vita; unde sensus est, potestatem habeo ponendi vitam meam, id est, deponendi per mortem, & potestatem habeo resumendi per resurrectionem. Si autem dicatur anima proprie, tunc dicitur Christus animam ponere, id est, de carne deponere, non quia hoc corpus faciat; sed ipse Dei Filius, qui potest super utrumque, scilicet animam & corpus *(e)*. Quod vero objicitur de medio, dicendum est, quod est medium distantiæ *(f)*, colligantiæ, *(g)* & congruentiæ. Anima non est medium distantiæ in illa unione, quia immediate Deitas unitur corpori. Nec colligantiæ, quia non ligat unum cum alio. Sed congruentiæ, quia corpus per hoc, quod animabile, est Divinitati unibile de congruo; *(h)* & ideo non oportet quod solvatur.

Damascenus L. 3. de Fide orthod. c. 6.

Responsio.

Medium triplex, distantiæ, colligantiæ, & congruentiæ.

736. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam.* Ergo videtur, quod Christus per passionem meruit Divinam dilectionem. Contra: Ab instanti conceptionis dignus erat super omnes diligi. Dicendum, quod loquitur secundum humanam naturam, & *propterea* dicit ibi caussam meritoriam, sicut ibi: Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen. Et meritum attenditur, non quia de indebito faciat debitum, nec quia de debito magis debitum; sed quia quod debetur una via, & uno modo, scilicet optima voluntate interiori, fit debitum alia, scilicet opere exteriori *(i)*.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Propterea me diligit Pater, quia ergo pono animam meam.*

Responsio.

Ad Philip. 2. 9.

(a) Ita fere ad verbum Dionys. Carthus. Adstipulatur & Estius, inde inferens, quod *manifestum videtur per oves intelligi prædestinatos*, atque *Ecclesiam vocari ovile, non quod in ea sint omnes, ac solæ oves, id est, prædestinati; sed quia prædestinati præcipua sunt Ecclesiæ membra, eademque usque ad finem in ea permansura, & numquam ab ea separanda; & quorum gratia instituta est a Christo pastore Ecclesia: Omnia enim propter electos.*

(b) Prædicta doctrina eadem est cum illa, quam habet Seraphicus noster Interpres in 3. Dist. 21. Dub. 1. & art. 1. q. 1. ad 1. ubi Augustinum itidem laudat.

(c) Ita ex Damasceno Lib. 3. de Fide orthod. cap. 27. in eodem 3. Dist. 21. art. 1. q. 1. in concl.

(d) Sic ex eodem Damasceno loc. cit. in 3. Dist. 2. art. 3. q. 1. in Fundam. nec non d. Dist. 21. art. 1. q. 2. ad opp.

(e) Pariter ibi cit. Dist. 21. art. 1. q. 1. in concl. & ad 1.

(f) *De medio distantiæ* in Princip. sacr. Scriptur. & Serm. sive Collat. 1. in Hexaem. & supra col. 285. ac seqq.

(g) Ibi, ac Serm. 1. Dom. 3. Advent. *De medio colligantiæ*.

(h) In eodem 3. Dist. 2. Ar. 3. Q. 1. in concl. ubi ait: *Non erat congruum, quod Dei Verbum, quod est vita, acciperet corpus nisi vivificatum.*

(i) In 2. Dist. 40. Ar. 2. Q. 1. in concl. ubi agitur de merito bonæ voluntatis, ac boni operis.

VERSUS XXII.

737. *Facta sunt autem Encania in Jerosolymis: Et hyems erat.* Ostendit se Dominus verum pastorem esse quoad pastoris ingressum, & affectum; hic tertio ostendit quoad veri pastoris indicium, quod consistit in hoc, quod oves eum agnoscunt, & sequuntur. Et tria notantur hic: Primo a Judæis certi indicii postulatio: Secundo certi indicii expressio ibi: *Respondit eis Jesus: Loquor &c.* Tertio vero ex hoc Judæorum persecutio ibi: *Sustulerunt ergo lapides Judæi.* Veri indicii postulatio, quod ipse esset pastor & ductor in Israel, fit a Judæis quærentibus, in quorum quæstionis descriptione innuuntur tempus & locus, & quærendi modus. Quantum ad tempus dicit: *Facta sunt autem Encania in Jerosolymis: Et hyems erat.* Notandum est, quod Encænia dicuntur a cænon Græce, quod est novum Latine, id est enim encæniare, quod est innovare (*a*); quia tunc celebrabatur festum innovationis Templi, prius profanati: & dicitur pluraliter; quia per octo dies durabat ista solemnitas. Primi Machab. quarto: Statuit Judas & fratres ejus, & universa Ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris ab anno in annum per dies octo a quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio (*b*). Quantum ad locum:

Veri pastoris indicium. — *Veri indicii postulatio.* — *Encænia quid sint, quæve tunc fuerint celebrata.* — *1. Mach. 4. 59.*

VERSUS XXIII.

738. *Et ambulabat Jesus in templo*, & quasi exponendo subdit (*c*), *in porticu Salomonis*, id est, in loco ubi Salomon prius fecerat porticum ad orandum, quæ tamen destructa fuit (*d*). Quantum ad quærendi modum dicitur:

VERSUS XXIV.

739. *Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis?* id est, retines in suspenso (*e*)? *Si tu es Christus, dic nobis palam*, certum de te da indicium. Et ut responsionem extorqueant, nituntur & potentia, & malitia; potentia: ideo *circumdederunt*. Psal. Circumdederunt me vituli multi, & tauri pingues obsederunt me, ut scilicet non posset effugere. Psal. Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis. Malitia: ideo prætendunt desiderium addiscendi: *Quousque animam &c.* Psalm. Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos, id est, sursum, deorsumque moventur, ut Christum confundant &c. Augustinus: Non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant.

Ps. 21. 13. — *Ps. 117. 12.* — *Ps. 106. 26.* — *Augustinus in Jo. Evang. c. 10. Tract. 48. n. 3.*

VERSUS XXV.

740. *Respondit eis Jesus: Loquor vobis &c.* Postquam posita est inquisitio, ponitur hic certi indicii exhibitio, & hoc quidem per hunc modum. Primo enim in Domini responsione ponitur Judæorum arguitio. Secundo certi indicii expressio. Tertio illius indicii ratio. Ponitur infidelitatis Judæorum arguitio, propter quod dicitur: *Loquor vobis, & non creditis*, & ideo stulte & malitiose quæritis; & aperte loquor, quia non tantum verbo, sed facto; *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa* (*f*) *perhibent testimonium de me.* Supra septimo: Numquid Christus cum venerit plura signa faciet? Quibus deberetis credere:

Infidelitatis Judæorum redargutio. — *Jo. 7. 31.*

VERSUS XXVI.

741. *Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*; unde si essent oves, indicium

(*a*) Sic S. August. in Jo. Evang. cap. 10. Tract. 48. num. 2.

(*b*) Secundum ergo nostrum Interpretem non celebrabatur tunc memoria Templi olim per Salomonem dedicati, nec postea a Zorobabel facti, illa namque fiebat mense Aprili, hæc mense Octobri; sed purificationis, quam Judas Machabæus fecit, qui profanatum ab Antiocho Epiphane Templum & Altare, triennio post expurgavit, dedicavitque rursum mense Casleu, fere nostro Decembri respondente, quod festum eo ipso mense quotannis per octiduum ipse celebrari mandavit. Et hinc probe intelligitur, quod tunc *hyems erat*. Ita S. Tho. Hug. Card. Lyran. Dionys. Carthus. ac recentiores Interpretes.

(*c*) Ita quoque Edit. sub S. Bona. nomine.

(*d*) Sa „ *Templo*, id est, templi atrio. *Salomonis*. Ita dicebatur, quod similis esset forma „ & loco ei, quam olim fecerat Salomon, & „ *Salomonis* dicebatur, quod ibi oraret. "

(*e*) Ita Calmet, & alii.

(*f*) Vulg. *hæc*; sed *ipsa* etiam antiquissimi Evangelior. Codd. Vercellen. & Trident.

dicium sui pastoris haberent in verbo & opere. Augustinus: Eos dicit non esse de ovibus suis, quia videbat eos ad sempiternum interitum ordinatos (a), non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.

Augustinus ibi n. 4.

VERSUS XXVII.

742. *Oves meæ vocem meam audiunt &c.* Tangitur hic secundum, scilicet certi indicii exhibitio, quæ quidem est in hoc, quod auditur ab ovibus, & oves eum sequuntur, & ipse eas conservat. Hoc est certe indicium veri pastoris, propterea dicitur: *Oves meæ vocem meam audiunt*, scilicet credendo, quia fides ex auditu, ad Rom. decimo. *Et ego cognosco eas*, a malis discernendo, non facie, sed corde. Ad Hebr. quarto: Discretor est cogitationum & intentionum cordis, & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus. Matth. vigesimo quinto: Nescio vos, dicitur de malis; e contra de bonis secundæ ad Timoth. secundo: Novit (b) Dominus qui sunt ejus. *Et sequuntur me*, per imitationem (c). Matth. sexto decimo: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Certi indicii exhibitio. *Ad Rom. 10. 17.* *Ad Heb. 4. 12. ac seq.* *Matth. 25. 12.* *2. ad Tim. 2. 19.* *Matth. 16. 24.*

VERSUS XXVIII.

743. *Et ego vitam æternam do eis*, sicut bonus pastor retribuendo. Supra sexto: Ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Ecclesiastici quarto: Sapientia filiis suis vitam inspirat. *Et non peribunt in æternum, nec (d) rapiet eas quisquam de manu mea*, propter meam potentiam. Pastor iste recte significatus est per David, qui interpretatur manu fortis (e), qui prædam eripiebat de ore leonis, & ursi, sicut dicitur primi Reg. decimo septimo. 1. Reg. 17. 35.

Jo. 6. 40. *Eccli 4. 12.* *David, id est, manu fortis.*

VERSUS XXIX.

744. *Pater meus quod dedit mihi &c.*, notatur hic tertium, scilicet illius indicii approbatio, cujus duplex ratio assignatur. Prima talis est: Quod Pater meus dedit mihi, majus omnibus est; sed quod majus est omnibus non patitur violentiam: ergo impossibile est, quod aliquis rapiat de manu mea. Hujus rationis ponit majorem, cum dicit: *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est*, id est, illud, quod dedit mihi Pater meus, est majus omnibus; quia dedit totum quod potuit. Joan. sexto decimo: Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Alia ratio: Nullus potest rapere de manu Patris; sed una est manus mea & Patris: ergo nullus de manu mea rapere potest (f). Propterea dicitur: *Et nemo potest rapere de manu Patris mei*, quia omnipotens est. Psal. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Ecclesiastes octavo: Sermo illius potestate plenus est (g).

Illius indicii approbatio. *Jo. 16. 15.* *Ps. 75. 8.* *Eccle 8. 4.*

VERSUS XXX.

745. *Ego & Pater unum sumus*, *unum* scilicet in essentiæ unitate (h), *sumus* in Personarum pluralitate (i), ideo una est manus mea & Patris. Chrysostomus: Cum manum audis, nihil sensibile æstimes, sed tantum virtutem & potentiam intelligas.

Chrysostomus in Jo Evang. Hom. 60.

VERSUS XXXI.

746. *Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum.* Postquam facta est veri pastoris per certum indicium declaratio, tangitur malarum ovium, immo luporum persequutio; quia sicut oves pastorem sequuntur, ita lupi persequuntur.

(a) Edit. Maur. *prædestinatos*.
(b) Vide supra 708.
(c) Dom. pri. post oct. Pasch. Ser. 1. versus finem *suæ oves* dicuntur, *imitantes eum in vita, & moribus*.
(d) Vulg. *& non*; sed *nec* etiam Cod. Brixian.
(e) Sic Cod. noster Bernardin. A. I. 40. in interpret. nom. Hebraicor. ad finem sacror. Biblior. nec non alius Biblioth. Episcop. Trident. 58.
(f) Ita Tertull. Hilar. Ambros. August. Beda, Maldonat. Cornel. a Lap. &c.
(g) *Vox enim Domini in virtute, vox Domini confringentis cedros. Et non erit tibi difficile omne verbum, qui facis misericordiam in millibus*, inquit Interpres Exposit. in Ecclesiasten ad illum textum.
(h) Sic SS. Athanas. Cyrill. Basil. Hilar. Ambros. August. ceterique Patres contra Arianos.
(i) Contra Sabellianos. Vid. S. August. Lib. 6. de Trinit. cap. 2. ac Bellarm. Lib. 1. de Christo cap. 6.

tur. Et determinatur persequutio hoc ordine: primo ostenditur ipsa persequutio: secundo persequendi ratio: tertio prudens Christi excusatio: quarto furoris persequentium declinatio: quinto credentium multiplicatio. Primo ipsa persequutio tangitur in hoc, quod Christum lapidare volebant, propter quod dicitur: *Sustulerunt ergo lapides Judaei, ut lapidarent eum.* Augustinus: More suo duri ad lapides cucurrerunt, sed non habuerunt effectum; quia nondum venerat tempus passionis, non pervenerunt ad effectum lapidationis. Statim voluerunt occidere, quemadmodum illi, de quibus Proverb. primo: Pedes illorum ad mala currunt, & festinant, ut effundant sanguinem.

Persecutio. — *Augustinus in Jo. Evang. c. 10. Tract. 48. n. 8.* — *Prov. 1. 16.*

VERSUS XXXII.

747. *Respondit eis Jesus: Multa bona &c.* Notatur hic secundum, scilicet persequutionis ratio. Et primo Dominus ostendit eos irrationabiliter moveri, propterea dicit: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Id est, propter quod opus eorum, id est, de numero eorum, partitiva est constructio. Psal. Retribuebant mihi mala pro bonis. Proverb. decimo septimo: Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. Sed malitia, quae latitat sub pelle ovina, rationem assignat, unde

Persequutionis ratio. — *Ps. 34. 12.* — *Prov. 17. 13.*

VERSUS XXXIII.

748. *Responderunt ergo (a) ei Judaei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia,* quia Levit. vigesimo quarto: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Et ostendunt in quo blasphemat: *Et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum (b).* Et sic homo faciens se Deum blasphemat, quia plures dicit esse Deos. Et hoc erat contra Judaeorum legem, in qua praeceptum erat unum solum Deum credere, & confiteri. De consimili Matth. vigesimo sexto: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Non se fecit de homine Deum, sed cum esset Deus, factus est homo. Ad Philip. secundo: Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

Levit. 24. 16. — *Matth. 26. 65.* — *Ad Philip. 2. 6. ac seq.*

VERSUS XXXIV.

749. *Respondit eis Jesus: Nonne scriptum &c.*, tangitur hic tertium, scilicet prudens sui excusatio, in qua Dominus ostendit, se non blasphemasse, duplici testimonio, scilicet Scripturarum, & operum. Scripturarum sic: Scriptura vocat Deos, ad quos Deus locutus est; sed multo magis dicendus est Deus, quem Pater sanctificavit, & misit: ergo si Scriptura non blasphemat, nec Ego. *Nonne scriptum est in lege vestra: Quia Ego dixi: Dii estis?* Lex hic communiter accipitur, prout comprehendit Psalmos, in quibus, Psal. octuagesimo primo, id scriptum est (c).

Excusatio prudens. — *Ps. 81. 6.*

VERSUS XXXV.

750. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est* (ut Prophetas, & alios Sanctos, Ezechiel. primo: Et factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem &c.) *& non potest solvi Scriptura*, id est, falsitatis argui, vel de blasphemia reprehendi, Matth. quinto: Jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant;

Ezech. 1. 3. — *Matth. 5. 18.*

VERSUS XXXVI.

751. *Quem Pater sanctificavit*, id est, sanctum genuit (d), *& misit in mundum* (non vocavit de mundo, & de tenebris mundi, ut alios Sanctos) *vos dicitis: Quia blasphemas: Quia dixi: Filius Dei*

(a) Vulg. absque *ergo*; sed cum *ergo* Cod. quoque noster Bernardin. ac Cod. Goth. apud Blanchin. nec non antiquissimum nostrum Evangeliar. Trident. ac inter vetustiores sacror. Biblior. Editiones Venet. 1476. nostrae Biblioth. Bernardin. alia Venet. 1481. Biblioth. Griezen. &c.

(b) Ex hoc Judaeorum responso ad illud Domini: *Ego & Pater unum sumus*, elicit S. Augustinus cit. quod „ Judaei intellexerunt, quod „ non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, „ quoniam senserunt non posse dici; *Ego & „ Pater unum sumus*, nisi ubi aequalitas est Pa- „ tris & Filii. „

(c) S. Augustinus supra cit. num. 9. Et probatur Jo. 12. 34. *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum*, ex Ps. 109. 4. ac 116. 2. Item Jo. 15. 25. *Ut impleretur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis*, ex Ps. 24. 9.

(d) Idem ibi, nec non Beda, Toletus, & alii.

Dei sum? Quasi dicat, irrationabiliter dicitis. Si enim illuminati Dii sunt, nonne lumen, quod illuminat, Deus est (*a*)? Non Dominus blasphemabat, sed ipsi, qui de Deo dicebant, cum non esse Deum. Unde Dominus dixit Matth. duodecimo: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemiæ non remittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro: unde omnes erant lapidandi. Deinde ostendit hoc idem, quod non blasphemavit, testimonio operum, quæ ipsum Patri æqualem docent, propterea dicitur:

Matth. 12. 31. & seq.

VERSUS XXXVII.

752. *Si non facio opera Patris mei*, scilicet opera omnipotentiæ; *nolite credere mihi*, dicenti scilicet me esse æqualem Patri. Exodi quarto dixit Moyses: Non credent mihi, sed dicent &c. & ideo Dominus dedit ei signa.

Exo. 4. 1.

VERSUS XXXVIII.

753. *Si autem facio*: *Et si mihi non vultis credere*, scilicet sermoni meo, *operibus credite*, id est, per opera in me credite, *ut credatis*, *&* *cognoscatis quia Pater in me est*, *&* *ego in Patre*, & ita verum esse quod supra dixi: Ego & Pater unum sumus. *Ut*, inquam, *credatis*, *&* ita credendo *cognoscatis*; quia secundum quod dicit Isai. septimo: Si non credideritis, non permanebitis, & secundum aliam literam (*b*): Nisi credideritis, non intelligetis. Joan. quarto decimo dixit Philippo: Non credis (*c*) quia Ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.

Jo. 10. 30. *Isa. 7. 9.* *Jo. 14. 10.* *Jo. 14. 11.*

VERSUS XXXIX.

754. *Quærebant ergo eum &c.* Tangitur hic quartum, scilicet declinatio persequentium, quia nondum tempus advenerat patiendi, ideo dicitur: *Quærebant ergo eum apprehendere*, sed non potuerunt, unde dicitur: *Et exivit de manibus eorum*. Simile dicitur Luc. quarto: Ipse autem transiens per medium illorum ibat, quando voluerunt eum præcipitare.

Declinatio persequentium. *Luc. 4. 30.*

VERSUS XL.

755. *Et abiit iterum trans Jordanem in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum*, de quo loco dicitur supra primo: Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. (*d*) *Et mansit illic*, in quiete scilicet. Chrysostomus: Monet tumultus fugere, & in quiete orare; *mansit* absconditus a Judæis, secundum illud Deuter. trigesimo secundo: Abscondam faciem meam ab eis.

Jo. 1. 28. *Chrysostomus cit. Hom. 60.* *Ad orandum quiete tumultus fugiendus.* *Deut. 32. 20.*

VERSUS XLI.

756. *Et multi venerunt &c.* Tangitur hic ultimum, scilicet ex ipsius recessu multiplicatio Fidelium, propter quod dicitur: *Et multi venerunt ad eum* (scilicet per fidem, Isaiæ sexagesimo: Filii tui de longe venient) *&* *dicebant*: *Quia Joannes nullum quidem signum fecit*, propter quod ostenderet se esse Christum; sed tantum testimonium de Christo perhibuit.

Multiplicatio Fidelium. *Isa. 60. 4.*

VERSUS XLII.

757. *Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant.* *Et*, ita isto duplici testimonio inducti, *multi crediderunt in eum*, secundum quod ipse Dominus supra eodem dixerat: Et si mihi non vultis credere, operibus credite. *Multi* secundum illud Psal. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur; & Genes. decimo septimo: Eris pater multarum gentium.

Jo. 10. 38. *Ps. 138. 18.* *Gen. 17. 4.*

758. Sed quæritur hic de hoc quod dicitur: *Nec* (*e*) *rapiet eas quisquam de manu mea*, nonne sunt in manu filii, qui habent præsentem justitiam, qui tamen disperguntur secundum illud, quod dictum est supra: Lupus rapit, & dispergit oves? Respondetur ad hoc, quod rapiuntur non ex imbecillitate custodientis, sed ex infirmitate custoditi; vel

Quæstio prima de hoc quod dixit: Nec rapiet eas quisquam de manu mea. *Jo. 10. 12.* *Responsio.*

(*a*) Idem S. Augustinus ibi: *Si lumina illuminata Dii sunt, lumen quod illuminat non est Deus?*

(*b*) De hac alia litera etiam in *Prodromo* col. 118. & in Exposit. sub S. Bonav. nomine, ex Græca interpretatione 70. Interpretum. Vide supra cap. 6. ver. 70. num. 480. in not. *a*. &c.

(*c*) Vide infra suo loco.

(*d*) Non autem *supra tertio*, ubi ver. 23. *Erat Jesus baptizans in Hennon juxta Salim*; quia Joannes primo baptizavit in Bethania, sive Bethabara, postea in Hennon juxta Salim.

(*e*) Vid. supra num. 743.

Augustinus in Jo. Evang. c. 10. Tract. 48. n. 6. vel secundum Augustinum, oves dicuntur hic secundum æternam electionem qui non possunt rapi finaliter (a). Unde *Augustinus ibi.* Augustinus: Nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit; securus est de numero earum qui eas numeravit (b).

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Nemo potest rapere de manu Patris mei.* 759. Sed tunc quæritur de hoc quod dicitur: *Nemo potest rapere de manu Patris mei*. Ergo qui sunt in manu Dei, ut prædestinati, non possunt damnari; ergo non habent libertatem peccandi finaliter. Ad hoc videtur dicere Augustinus, quod finaliter non possunt perire, in libro de bono (c) perseverantiæ; nec tamen perit liberum arbitrium, sicut etiam non perit in confirmatis (d). *Augustinus L. de bono persev. c. 14. n. 35.*

Responsio. Dicendum tamen, quod nemo potest rapere, quia Pater electis suis non permittit violentiam fieri; unde primæ ad Cor. decimo: Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; & Diabolus non potest violentiam Deo facere, ut servos ejus tentet ultra quam ipse permittat. Manet ergo in libero arbitrio libertas ad peccandum, sed non manet in Diabolo potentia ad violentandum, & vi surripiendum (e). *1. ad Cor. 10. 13.*

Quæstio tertia de responsione Christi, qua dixerat se Deum, & Dei Filium. 760. Item quæritur de responsione Domini. Quia Dominus dixerat se Deum, & Dei Filium, ostendit quod non blasphemavit per Scripturam, quæ servos Dei, sive justos (f), Deos vocat. Ista responsio videtur non valere, quia Scriptura vocat illos deos per adoptionem; sed ipse dicebat se Deum per essentiam, unde dicebat: *Ego & Pater unum sumus*. Resp. Dicendum ad hoc, quod quando Dominus disputabat cum Judæis, aliquando respondebat ad rationem, aliquando respondebat ad hominem; eo quod omnino adversanti animo est adversandum. Unde quando ipsi petiverunt, in qua potestate faceret, & Dominus respondit: Baptismus Joannis e cœlo erat, an ex hominibus? Eos sua responsione ligavit, Matth. vigesimo primo. Sic & nunc respondet ad hominem, ut mitiget eorum iracundiam, sicut supra octavo confutavit malitiam: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Potest tamen dici, quod revera optime respondit, quia cum hoc nomen *Deus* dicatur tripliciter, natura, participatione, & nuncupatione, ut in idolis (g): ista multiplicitas habet ortum ab una radice, sicut multiplicitas hujus nominis *sanum* (h). Unde verissimo modo dicitur Deus per naturam, minus vero modo dicendi per participationem, minimo per nuncupationem, quia secundum solam æstimationem. Quia ergo calumniabantur ex hoc, quod nomen Dei sibi attribuerat, probat quod sibi potest sine blasphemia attribuere: Quia si amicus vel filius Dei adoptivus deus dicitur, & vere Deus honoratur sine blasphemia; multo magis ille, qui est Filius per naturam, & est locus a minori. (i) *Respon sio.* *Matth. 21. 25.* *Jo. 8. 7.* *Deus tripliciter dicitur, natura, participatione, & nuncupatione.*

761. Item quæritur de hoc, quod dicunt: *Joannes quidem nullum signum fecit*. Quia dicitur Luc. primo: Ipse præ- *Quæstio quarta de hoc quod dicunt: Joannes nullum signum fecit. Luc. 1. 17.*

(a) Pariter Estius post hæc verba: *Non rapiet eas quisquam de manu mea*, subjungit „ Hæc ne„ que in omnes competunt fideles, neque „ etiam in omnes justos; sed in omnes & solos „ prædestinatos. Hi quoque omnes, & soli „ finaliter, & perseveranter audiunt vocem „ Christi &c.

(b) Edition. Maurinen. *qui pro eis novit quod dedit*.

(c) Nunc *de dono*.

(d) De his noster Interpres in 1. Dist. 40. art. 2. q. 1. ac q. 2. in qua itidem allegat: *Augustinum in Lib. de bono perseverantiæ*. Item ibi Dist. 47. art. 1. q. 1. nec non 2. Dist. 7. par. 1. art. 2. q. 1.

(e) 2. Dist. 23. art. 1. q. 2. ad 3. ac q. 3. in concl. Hinc etiam Menochius: *Nulla vis eas perdere poterit: nam sub mea, & Patris mei, sunt potestate*. Quandoquidem, ut subdit Gordonus, *talis est exitus gratiæ efficacis, & perseverantiæ, nempe ut prædestinati numquam non consequantur gloriam*.

(f) Ps. 81. quod dicitur: *Deus stetit in synagoga Deorum*, Chaldæus vertit: *Deus cujus Majestas commoratur in congregatione justorum*.

(g) Pariter Exposit. in cap. 14. Lib. Sap. *Deus tripliciter dicitur, natura, adoptione, nuncupatione*. Nec non Comment. in Apocal. cap. 3. sub ver. 12. num. 215. ubi de Deo per *essentiam*, per *gratiam*, & per *reputationem*.

(h) Sumitur enim pro integro, incorrupto, prospera utente valetudine, cujus partes omnes probe suas abeunt functiones, Cic. 2. Phil. Transfertur etiam ad animum, usurpaturque pro sapiente, sive eo, qui rationis est compos, rectique judicii, idem Cic. 2. de nat. Deor. nec non 9. Attic. Epist. 15. Insuper ad orationem, ac sermonem, pro bono, sincero, rectoque, ipsemet Cic. in Brut. ut alios aureæ Latinitatis Scriptores omittam.

(i) Inquit etiam Cornel. a Lap. *Est argumentum non a pari, ut volunt Ariani; sed a minori ad majus*.

præcedet ante eum in ſpiritu & virtute Eliæ; ergo ſi virtus Eliæ fuit in miracula faciendo, videtur qnod Dominus debuerit ei dare poteſtatem miraculorum. Item ſi non fuit major Joanne quiſquam, & Dominus diſcipulis de ipſo teſtificantibus potentiam dedit miraculorum; quare non ſimiliter & Joanni? Reſp. Dicendum, quod Joannes a pluribus æſtimabatur eſſe Chriſtus, ſicut patet ex primo capitulo; ideo quantum ad homines ſenſibiles debuit differentia ſenſibilis eſſe inter Joannem & Chriſtum, ut poſſent diſcernere: Sed non debuit in ſanctitate vitæ (a), quia neceſſe eſt teſtem fidelem Sanctum reputari; (b) ergo oportuit quod eſſet in miraculorum virtute. (c) Quod objicitur de ſpiritu & virtute dicendum, quod verbum Eliæ erat igneum; ſic & verbum Joannis, ſicut ipſe Dominus dixit ſupra quinto: Ille erat lucerna ardens & lucens (d). Quod objicitur de diſcipulis, dicendum, quod de nullo diſcipulorum erat ſuſpicio, quod ipſe eſſet Chriſtus, & quia omnibus conſtabat, quod Chriſtum ſecuti fuerant; totum ergo, quod erat in eis & ſanctitatis, & virtutis, & ſcientiæ, Magiſtro attribuebatur. Sed Joannes Dominum non fuerat ſecutus, nec fuerat ejus diſcipulus.

Reſponſio.

Jo. 5. 35.

CA-

(a) Intellige non fuiſſe *differentiam ſenſibilem* quoad *homines ſenſibiles*, inter ſanctitatem Chriſti, & Joannis, non vero quoad rem; & quod quemadmodum Chriſtus fuit Sanctus, & Joannes Sanctus eſſe debuit: neutiquam tamen, quod amborum ſanctitas eſſet reapſe æqualis. Faſſus enim eſt de Chriſto Joannes ſupra 1. ver. 27. *Cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamentorum.*

(b) S. Tho. in Joan. Evang. cap. 10. Lect. 6. ſub not. *f. Oportebat quod fieret fide dignus, & teſtimonium ejus oſtenderetur verum: quod quidem fit convenienter per ſanctitatem vitæ.*

(c) Dionyſ. Carthuſ. heic ſic „ Non fecit „ Joannes aliquod miraculum, ne populus haberet nimiam occaſionem reputandi, quod „ Joannes eſſet Meſſias, ſicque difficilius con„ verterentur ad ipſum. Sed Chriſto reſervata ſunt ſigna, quemadmodum Eſaias prædixit: *Ecce Deus veſter veniet, & ſalvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* “ Iſa. 35. 4. ac ſeqq.

(d) Sic etiam Expoſit. in cap. 1. S. Lucæ, ubi idemmet Interpres noſter ait „ Spiritus & virtus Eliæ deſcribitur: Surrexit Elias propheta, „ quaſi ignis, & verbum ipſius ſicut facula ardebat. (*Eccli* 48. 1.) De Joanne dicitur: „ Ille erat lucerna ardens & lucens. Et ideo „ propter nimiam conformitatem dicitur Elias: „ Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt &c. “ Matth. 11. 14.

CAPUT UNDECIMUM.

1. ERAT autem quidam languens Lazarus a Be-
thania, de castello Mariæ, & Marthæ soro-
ris ejus. 2. (Maria autem erat, quæ unxit
Dominum unguento, & extersit pedes ejus
capillis suis, cujus frater Lazarus infirmaba-
tur.) 3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum
dicentes: Domine, ecce quem amas infirma-
tur. 4. Audiens autem Jesus dixit eis: In-
firmitas hæc non est ad mortem, sed pro
gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. 5. Diligebat autem
Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum. 6. Ut ergo
audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus
diebus. 7. Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Judæam
iterum. 8. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi
lapidare, & iterum vadis illuc? 9. Respondit Jesus: Nonne duode-
cim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia
lucem hujus mundi videt: 10. Si autem ambulaverit in nocte, offen-
dit, quia lux non est in eo. 11. Hæc ait, & post hæc dixit eis:
Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut a somno excitem eum.
12. Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit.
13. Dixerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putaverunt quia
de dormitione somni diceret. 14. Tunc ergo Jesus dixit eis manife-
ste: Lazarus mortuus est: 15. Et gaudeo propter vos, ut credatis,
quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas,
qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, ut moriamur
cum eo. 17. Venit itaque Jesus: & invenit eum quatuor dies jam
in monumento habentem. 18. (Erat autem Bethania juxta Jerosoly-
mam quasi stadiis quindecim.) 19. Multi autem ex Judæis venerant
ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. 20. Mar-
tha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem do-
mi sedebat. 21. Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses
hic, frater meus non fuisset mortuus: 22. Sed & nunc scio, quia
quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. 23. Dicit illi Jesus:
Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in
resurrectione in novissimo die. 25. Dixit ei Jesus: Ego sum resur-
rectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.
26. Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.
Credis hoc? 27. Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es
Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. 28. Et cum

hæc

hæc dixiſſet, abiit, & vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te. 29. Illa ut audivit, ſurgit cito, & venit ad eum: 30. Nondum enim venerat Jeſus in caſtellum: ſed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. 31. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cum vidiſſent Mariam quia cito ſurrexit, & exiit, ſecuti ſunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. 32. Maria ergo, cum veniſſet ubi erat Jeſus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus. 33. Jeſus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum, 34. Et dixit: Ubi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. 35. Et lacrymatus eſt Jeſus. 36. Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum. 37. Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? 38. Jeſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum: erat autem ſpelunca: & lapis ſuperpoſitus erat ei. 39. Ait Jeſus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha ſoror ejus, qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt enim. 40. Dicit ei Jeſus: Nonne dixi tibi, qnoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei? 41. Tulerunt ergo lapidem: Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me: 42. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi: ut credant quia tu me miſiſti. 43. Hæc cum dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare veni foras. 44. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Jeſus: Solvite eum, & ſinite abire. 45. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quæ fecit Jeſus, crediderunt in eum. 46. Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Jeſus. 47. Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? 48. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. 49. Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam, 50. Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. 51. Hoc autem a ſemetipſo non dixit: ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jeſus moriturus erat pro gente, 52. Et non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. 53. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. 54. Jeſus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, ſed abiit in regionem juxta deſertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis. 55. Proximum autem erat Paſcha Judæorum: & aſcenderunt multi Jeroſolymam de regione ante Paſcha, ut ſanctificarent ſe ipſos. 56. Qnærebant ergo Jeſum: & colloquebantur ad invicem, in templo ſtantes: Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum? Dederant autem Pontifices & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit, indicet, ut apprehendant eum.

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

762.

Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororum (a) ejus. Supra ostendit Dominus se Curatorem, & Conservatorem, & Directorem, hic ostendit se esse perfectum Reparatorem; quod fit in animæ & corporis iterata conjunctione: & hoc ostendit in Lazari quatriduani suscitatione, & durat hæc pars usque circa finem capituli, ibi: *Collegerunt ergo Pontifices &c.* Dividitur autem hæc pars in duas: Quia primo ponuntur antecedentia ad miraculum: secundo ponitur ipsum miraculum, ibi: *Hæc cum dixisset, voce magna clamavit.* Prima pars habet quatuor partes, secundum quatuor antecedentia, quæ determinat. In prima notatur denuntiatio infirmitatis: in secunda adventus Medici, ibi: *Deinde post hæc dixit discipulis suis*: in tertia intercessio seu meritum fidei, ibi: *Martha ergo ut audivit quia Jesus venit &c.*: in quarta exauditio pietatis, ibi: *Jesus ergo, ut vidit eam plorantem.* Describitur ergo primo infirmitatis denuntiatio, hoc ordine. Primo tangitur languentis conditio. Secundo languoris denuntiatio. Tertio sanitatis dilatio. Quarto infirmitatis ratio.

Divisio in duas partes, quarum prior in quatuor subdividitur.

763. Languentis igitur conditio describitur a nomine, cum dicitur: *Erat autem quidam languens Lazarus*; a patria, cum subditur (b): *a Bethania*, in quem locum sæpe solebat Dominus venire; a parentela (c), cum subinfertur: *De castello Mariæ, & Marthæ sororum ejus.* Luc. decimo: Intravit Jesus in quoddam castellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Luc. 10. 38. Et specialiter describit Mariam:

Languentis conditio.

VERSUS SECUNDUS.

764. *Erat autem Maria, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis*, in quo miro modo laudatur ejus devotio Joan. duodecimo: Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis &c. (d) Jo. 12. 3. Luc. septimo: Ecce mulier attulit alabastrum unguenti. Luc. 7. 37. *Cujus frater Lazarus infirmabatur*, cujus etiam precibus fuit resuscitatus, sicut notatur Joan. eodem: Jesus ergo ut vidit Mariam plorantem &c. Jo. 11. 33.

VERSUS TERTIUS.

765. *Miserunt ergo sorores ejus*, tangitur hic secundum, scilicet infirmitatis denuntiatio, facta a sororibus Lazari Domino, propter quod dicitur: *Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur*, Dominum vocant, non Magistrum, quia petebant miraculum, non documentum. Quasi dicant (e), Domine, qui potens es,

Infirmitatis denuntiatio.

Sorores Lazari jam mortui cur Jesum vocant Dominum, non Magistrum.

(a) Vulg. *sororis*; sed *sororum* Cod. noster Bernardin. & alius Biblioth. Episc. Trident. S. Tho. Hugo Card. Nic. Lyran. Editionesque sacror. Biblior. antiquiores. Item Codd. Gat. & Mm. apud Blanchin. Heic Maria & Martha dicuntur *sorores* etiam in Evangeliar. pervetusto Eccl. nostræ Trident.

(b) Notabilis heic est lacuna in editis Gorran.

(c) Hac voce utitur Interpres noster cum Serm. 2. de S. Thoma Apost. tum Opusc. De laude Mellifl. Nom. D. N. J. C. num. 10. Pro ipsa Joseph. Laurent. in Amalth. onomast. allegat Cod. LL. antiquar. Dicitur etiam in Offic. S. Agat. V. & M. Antiph. pri. in 1. Noct. *Ingenua sum, & ex spectabili genere, ut omnis parentela mea testatur.* Eam quoque usurpat Hugo Card. in c. 1. Epist. ad Cor. circa finem &c.

(d) Hunc Lucæ locum heic allegat etiam Cornel. a Lap. subditque „ Ostendi eamdem „ fuisse Mariam, quæ bis, vel, ut alii, ter „ unxit Christum, nimirum Mariam Magdalenam, esto aliqui opinentur fuisse duas, alii „ tres. “ Vid. infra num. 777.

(e) *Quasi dicant*, quia id expresse non dicunt; sed

Matth. 8. 2. es, Matth. octavo: Domine, si vis, potes me mundare, & rationem adjutorii exprimunt: *Ecce quem amas*. Psal.
Ps. 9. 11. Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. Et opportunitas est, *infirmatur*, ideo miserere. Psal. Miserere mei
Ps. 6. 3. Domine, quoniam infirmus sum.

VERSUS QUARTUS.

766. *Audiens autem Jesus dixit eis*, tangitur hic tertium, scilicet infirmitatis ratio, quam Dominus insinuat salutem petentibus, propter quod *dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei*, hoc dixit secundum Divinam dispensationem, propter quod subditur: *Ut glorificetur Filius Dei per eum*, id est, ut per tale opus suam gloriam manifestet; quia in resuscitatione manifestavit suam potentiam, ac per hoc gloriam, unde supra secundo: Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus. Quare autem erat in eo manifestanda gloria Dei, occultius innuit Evangelista, propter specialem amorem erga illas personas, propter quod dicitur: *Infirmitatis ratio.* *Jo. 2. 11.*

VERSUS QUINTUS.

767. *Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum*, ideo diligebat eos, quia ipsi diligebant eum,
Prov. 8. 17. secundum illud Proverb. octavo: Ego diligentes me diligo. Nec mirum, quia omnia diligit Dominus. Sapient. un-
Sap. 11. 25. decimo: Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.

VERSUS SEXTUS.

768. *Ut ergo audivit*, tangitur hic quartum, scilicet curationis dilatio. Quamvis enim vellet curare, non tamen statim voluit, sed maluit expectare; propterea dicitur: *Ut ergo audivit*, id est, postquam audivit, *quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus*. Ideo Dominus ab amicis vocatus non statim venit, sed expectat, ut instantius & ardentius requiratur. Habacuc secundo: Si moram Hab. 2. 3.
fecerit, expecta eum (a) quia veniens veniet, & non tardabit. Ad Coloss. quarto: Orationi instate, vigilantes in ea. Ad Coloss. 4. 2. *Curationis dilatio.*

769. Nota: Est multiplex infirmitas, scilicet gratiæ & honestatis (b), amplectenda, & hæc quadruplex, scilicet humilitatis. Proverb. trigesimo: Formicæ, populus infirmus, qui præparat in æstate (c) cibum sibi. Primæ ad Cor. primo: Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. Matth. undecimo: Quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Pœnitentiæ, Ecclesiastici trigesimo primo: Infirmitas gravis sobriam facit animam, de hac in Psal. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum (d), vel infirmitates eorum secundum aliam literam (e). Patientiæ, secundæ ad Cor. duodecimo: Virtus in infirmitate perficitur, scilicet patientiæ, quia Jacobi primo: Patientia opus perfectum habet. Ideo dicitur secundæ ad Cor. duodecimo: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Compatientiæ (f), secundæ ad Cor. unde- *Infirmitas quadruplex amplectenda.* *Prov. 30. 25.* *1. ad Cor. 1. 27. & seq.* *Matth. 11. 25.* *Eccli 31. 2.* *Ps. 146. 3.* *2. ad Cor. 12. 9.* *Jac. 1. 4.* *2. ad Cor. 12. 9.*

---

sed est insinuatio quædam, & oratio occulta, & implicita, significans necessitatem, ac desiderium remedii, de qua inquit idem Cornelius secundum S. Thomam, & Suarezium, quod *sæpe efficacior est postulatione aperta, quia magis humilis, verecunda, reverens, & confidens*. Vid. infra num. 774.

(a) Vulg. *illum*; sed *eum* duoque nostri Codd. Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident.

(b) Videlicet spectans ad gratiam & honestatem, sive virtutem, adeoque ad æternam salutem conducens. Ratio autem cur dicatur *infirmitas gratiæ*, patet infra num. 791. ubi de Lazaro infirmo, ac dein mortuo, dicitur, quod *adjutus a Domino interpretatur*, quodve *significat virum, qui habet gratiam adjuvantem*.

(c) Vulg. *in messe*; sed *in æstate* Hebr.

(d) His significari *pœnitentium corda gravi afflictione contrita*, docet quoque Cassiodor. & *medicamenta sacramentorum, & sanitatem gratiæ*, noster Interpres ad fin. Prooem. 4. Sententiar.

(e) Huic literæ favet Versio S. Hieronymi, quæ habet *plagas eorum*, quam lectionem quoque continet Psalter. Hebr. in Quincup. Psalter. Jac. Fabri Stapulen. favetque & illud Psal. 102. ver. 3.: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*, quem utrumque textum in eamdem rem allegat ipsemet S. Bonavent. in fine d. Prooem. 4. Sententiar. Adde quod & Hebr. vox in Psal. 15. 4. apud Lorinum *vertitur nomine infirmitatum*.

(f) A verbo *compatior* Hebr. 4. 15.

1. ad Cor. 11. 29. undecimo: Quis infirmatur, & ego non infirmor? (a) Et primæ ad Cor. nono: 1. ad Cor. 9. 22. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem.

Infirmitas quadruplex fugienda. 770. Item est infirmitas perversitatis culpæ fugienda; & hæc quadruplex est, scilicet cupiditatis, Ecclesiastæ quinto: Eccle 5. 12. ac seq. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: Divitiæ congregatæ (b) in malum domini sui; pereunt enim in afflictione pessima. Carnalis voluptatis, Isaiæ vigesimo quarto: Isa. 24. 7. ac seq. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde, cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ &c. Elationis, Isa. vigesimo quarto: Isa. 24. 4. ac seq. Infirmata est altitudo populi terræ, & terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Obstinationis, Deuter. septimo: Deut. 7. 15. Auferet Dominus a te omnem languorem: & infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi. Infirmitates Ægypti sunt obstinationes in malo.

Infirmitas quadruplex difficultatis. 771. Item est infirmitas difficultatis sequelæ (c) relevanda. Et hæc quadruplex, scilicet ad resistendum malo culpæ, Thren. primo: Thren. 1. 14. Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere (d). Et Isa. quadragesimo: Isa. 40. 30. Juvenes in infirmitate sua (e) cadent. Ad sustinendum malum pœnæ (f), primæ ad Thessal. ultimo: 1. ad Thess. 5. 14. Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos; e contra Ezech. trigesimo quarto: Ezech. 34. 4. Quod infirmum erat non consolidastis. Ad aggrediendum bonum, Ecclesiastici trigesimo primo: Eccli 31. 27. In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. Et ad Rom. quarto decimo: Ad Rom. 14. 1. Infirmum autem in fide assumite, id est, suscipite juvandum (g). Ad perseverandum in bono, primi Reg. secundo: 1. Reg. 2. 5. Quæ multos habebat filios, infirmata est. Hæ omnes infirmitates sunt relevandæ. Ad Rom. octavo: Ad Rom. 8. 26. Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.

Infirmitas quadruplex passibilitatis. 772. Item est infirmitas passibilitatis pœnæ supportanda, & hæc quadruplex, scilicet contractæ propter prævaricationem. Psal. Ps. 102. 3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Et ad Rom. quarto decimo: Ad Rom. 14. 2. Qui infirmus est, olus manducet. Assumptæ ad nostram redemptionem. Isa. quinquagesimo tertio: Isa. 53. 2. ac seq. Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Inflictæ ad purgationem. Psal. Ps. 15. 4. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt (h). Illatæ ad Divinæ gloriæ manifestationem, ut in præsenti, Joan. undecimo: Jo. 11. 4. Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Lazarus erat de castello Mariæ & Marthæ sororum ejus. 773. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicitur in litera, quod *Lazarus erat de castello Mariæ & Marthæ sororum ejus*. Cum enim caput mulieris sit vir, potius debet dici e contra, Martha & Maria de castello Lazari. Respon sio. Dicendum ad hoc, quod non sine caussa introducuntur hic Maria & Martha, ut principales, quia etsi mulieres essent sexu, tamen firmitate animi & virtute Lazarum excedebant; quia etiam merito fidei ipsarum, sicut infra patebit, est Lazarus suscitatus. Unde attendendum, quod Evangelista duo dicit, primo *de castello Mariæ & Marthæ*, ut eas illi præferat in virtute; secundo dicit *sororum ejus*, ut eas illi postponat in sexus fragilitate.

Quæstio secunda cur mulieres ad Jesum mittentes, infirmitatem Fratris insinuarunt potius, quam pro ejus salute rogarunt. 774. Item quæritur de hoc, quod mulieres mittentes ad Jesum non rogaverunt, sed tantum insinuaverunt. Videtur quod aut fratris salutem neglexerint

(a) Hanc vocat *infirmitatem gratiæ* Alex. Alen. sive Hugo Card. in Ps. 6. ver. 2. allegans d. textum Apostoli.

(b) Sic Exposit. in Ecclesiasten ad illum textum Vulg. *conservatæ*.

(c) Scilicet ejus difficultatis, quæ ex præterita culpa consequitur.

(d) Sic allegorice ad hunc textum Exposit. in Cap. 1. Jerem. Proph.

(e) Vulg. absque *sua*; sed *sua* etiam Cod. noster Bernard. 40.

(f) De infirmitate pœnæ & culpæ Exposit. in Ps. 93. nec non d. Exposit. in cap. 1. Jerem. Proph. ibi.

(g) Sic quoque Sa.

(h) In hoc etiam sensu apud Lorin. De pœna autem inflicta & contracta in Breviloq. par. 3. cap. 10. ac Centiloq. par. 2. sect. 2. nec non 1. Dist. 40. art. 4. q. 1. ad 3. ac. 2. Dist. 35. Ar. 1. Q. 2. ad 4. De pœna necessitate inflicta, & voluntate assumpta pro reparanda humana natura, in 3. Dist. 15. Art. 1. Q. 1. ad 2. Item de pœnis contractis & assumptis 4. Dist. 4. Par. 1. Art. 1. Q. 2. in concl.

xerint, aut Dominum contempserint. Resp. Dicendum, quod mulieres illæ optimæ & fideles cognoscebant Christi potestatem, ideo non rogabant quod veniret, sicut Regulus rogavit. Reverebantur ejus Majestatem, & ideo non audebant rogare, quod ibi juberet, & hic fieret, sicut Centurio. Sperabant tamen de ejus potestate, & bonitate, ideo insinuabant: *Ecce quem amas infirmatur* (a). Unde Magister Hugo (b) dicit, quod insinuatio est una species orationis, quæ fit tripliciter: confidentia, ut Mater Domini supra secundo: reverentia, sicut hic, ut dicit ipse Hugo de Sancto Victore: contemptu, sicut superbus dominus aliquando dicit famulo.

Responsio. — Magister Hugo de S. Victore. — Jo. 2. 3. — Idem Hugo de S. Victore.

775. Item quæritur de hoc quod dicitur. *Infirmitas hæc non est ad mortem.* Quia mortuus est; unde quærit Chrysostomus: Quomodo non fuerunt scandalizatæ mulieres, quando non evenit quod Dominus eis prædixerat? Resp. Dicendum, quod sensus est, *non est ad mortem*, id est, ad finalem terminum vitæ, ut amplius non vivat (c); erat tamen ad mortem, id est, ad dissolutionem animæ a carne. Quod quæritur, quare mulieres non fuerunt scandalizatæ? Dicendum, quod adhuc sperabant, quod Dominus deberet ipsum resuscitare; vel crediderunt, ex quo non evenit ad literam, quod Dominus parabolice esset locutus.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: Infirmitas hæc non est ad mortem. Chrysostomus in Jo. Evang. c. 11. Hom. 61. — Responsio.

776. Item quæritur de hoc quod Dominus *mansit duobus diebus*, & expectavit. Videtur quod non debuit, quia ipse erat amicus, & Proverb. tertio dicitur: Ne dicas amico tuo: vade, & revertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare. Resp. Dicendum, quod distulit, ut majus quid faceret, & magis acceptabile. Majus enim fuit mortuum suscitare, quam infirmum curare; propterea distulit ad majorem certitudinem miraculi, sicut dicit Chrysostomus: Quia jam certum erat, quod non erat sopitus, sed quod vere mortuus. Idque ad majorem potentiæ ostensionem; quia majus fuit animam unire corpori jam putrido, quam adhuc recenter mortuo. Ipse vero tempus congruum in omnibus operibus suis considerat.

Quæstio quarta de hoc quod Christus mansit duobus diebus. — Prov. 3. 28. — Responsio. — Chrysostomus ibi.

777. Item quærit Chrysostomus de descriptione hujus Mariæ, quæ unxit Dominum unguento, utrum fuerit illa peccatrix, de qua dicitur Lucæ septimo, quod unxit pedes Domini in domo Simonis leprosi? Et respondet, quod non est illa, quia ista erat bona mulier, & famosa, sed illa erat meretrix. Glossa autem dicit contrarium, & similiter Gregorius. Dicendum, quod assentiendum est Glossæ, & Gregorio in parte ista (d). Quod autem Chrysostomus sentit contrarium, dicendum, quod non est inconveniens Expositores contraria sentire, maxime in nominibus personarum, quia non est ibi vis.

Quæstio quinta qualis fuerit hæc Maria. Chrysostomus ibi. — Glossa ordinar. cum Beda in c. 7. S. Lucæ. Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 25. n. 1. — Responsio. — Glossa interl. hic, & Ordin. in c. 7. Luc. Chrysost. ibi. — Non est inconveniens Expositores contraria sentire, maxime in nominibus personarum.

VER-

(a) Sic Interpres noster secundum S. August. in Jo. Evang. cap. 11. Tract. 49. num. 5. in hæc verba loquentem „ Non dixerunt, veni: „ amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. „ Non ausæ sunt dicere: Veni, & sana: non „ ausæ sunt dicere: Ibi jube, & hic fiet .... „ Nihil horum istæ, sed tantummodo: *Domi-* „ *ne, ecce quem amas infirmatur.* Sufficit ut „ noveris; non enim amas, & deseris. " Vid. supra num. 765. not. *e.*

(a) Hugo scilicet de S. Victore, de quo mox, dictus *Didascalus*, sive *Magister*, ob septem Libros ab eo *Didascali*, seu *Didascalici* titulo insignitos, inter cujus etiam Opera recensentur *Annotationes elucidatoriæ in quatuor Evangeliorum libros*. Hinc ab ipsomet S. Bona. 3. Dist. 22. Art. 1. Q. 1. in concl. dicitur *Magister Hugo de Sancto Victore*. Certe Hugo Card. habet quidem ex S. Augustino ea, quæ modo adnotavimus; illorum autem quæ e vestigio sequuntur, nihil omnino.

(c) Quod Christus per illa verba: *Infirmitas hæc non est ad mortem*, intellexerit eam mortem, qua qui moriuntur, mortui manent, nec redeunt ad vitam, ait item S. August. Lib 3. de consen. Evangelist. cap. 79. Mors autem Lazari non fuit talis; sed potius ad miraculum, pro Dei manifestanda gloria per ejus defuncti resurrectionem. Quo etiam modo non tam fuit mors, quam somnus, a quo illico evigilavit resurrexitque a Christo excitatus. Vid. infra ver. 11.

(d) Huic adhæsit noster Interpres opinioni etiam Exposit. in cap. 7. S. Lucæ, ubi etiam Gregorium, ac Glossam allegat. Idipsum habet & Expositio jam edita sub Bonaventuræ nomine, ubi itidem Chrysostomo opponuntur Gregorius & Glossa. Pro Chrysostomo stant apud S. Tho. Origenes & Hieronymus; pro Gregorio Augustinus. Dionys. Carthus. Enarrat. in Evang. Matth. cap. 26. longam de hoc disputationem induxit, defenditque contra Hieronym. & Chrysost. Augustini & Gregorii sententiam. Favet etiam inter Recentiores opinioni Interpretis nostri præter Cornel. a Lap. de quo supra num. 764. not. *d.* Petrus Annatus in Apparatu ad Theol. Posit. De Scrip. Div. Lib. 2. Dub. 17. Consulenda tamen in hanc rem Dissertatio P. Augustini Calmet in tres Marias.

VERSUS SEPTIMUS.

778. *Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Judæam iterum.* Postquam facta est denuntiatio infirmitatis, describitur hic adventus Medici hoc ordine: primo insinuatur adveniendi securitas: secundo veniendi necessitas: tertio discipulorum utilitas: quarto Thomæ ad commoriendum animositas: quinto temporis tarditas: sexto loci opportunitas. Primo igitur notatur Christi adventus securitas, propter quam hortatur discipulos timidos dicens: *Deinde post hæc dixit discipulis suis*, scilicet Jesus: *Eamus in Judæam iterum*, ideo eos hortabatur, quia timidi erant, & hoc patet ex eorum responsione.

Descriptio adventus Medici.

Christi adventus securitas.

VERSUS OCTAVUS.

779. *Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare*, id est, adhuc recens est supra decimo: Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. *Et iterum vadis illuc?* Quasi dicant, non eundum. Simile dixit Domino Petrus Matth. sexto decimo: Absit a te, Domine: non erit tibi hoc. Dissuadebat Jesu mortem, & fuit reprehensus; quia Dominus se prædixerat moriturum: & ipse dissuadebat, & volebat eum retrahere a suo proposito. Isti autem nesciebant tunc, quod ipse vellet mori; & ideo instruuntur, & confortantur, ut non timeant, propter quod ait:

Jo. 10. 31.

Matth. 16. 22.

VERSUS NONUS.

780. *Respondit Jesus: Nonne duodecim horæ sunt (a) diei?* In quibus scilicet ambulare bonum est & securum, unde dicit: *Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt.* Hæc lux Christus (b) est supra octavo: Ego sum lux mundi. Post hanc lucem qui ambulat, non offendit; quia sicut dicitur supra octavo: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; & ideo non offendit. Ideo dicit Sapientia Proverb. quarto: Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum. Non solum ambulare in die securum est, sed etiam opportunum, unde subditur:

Jo. 8. 12.

Ibidem.

Prov. 4. 11. ac seq.

VERSUS DECIMUS.

781. *Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* Matth. quinto decimo: Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt, propter quod dicitur Joan. duodecimo: Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.

Matth. 15. 14.

Jo. 12. 35.

VERSUS XI.

782. *Hæc ait, & post hæc dixit illis (c):* Tangitur hic secundum, scilicet veniendi necessitas propter Lazarum, qui mortuus nisi per ipsum suscitari non poterat, ideo dicit: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum*, propriissime loquitur; quia mori, Deo dormire est (d), unde Augustinus: Hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant: Domino vero dormiens, qui tanta facilitate eum excitabat de sepulchro, quanta tu non excitas dormientem de lecto; ideo dicebat Dominus Matth. nono: Non est mortua puella, sed dormit (e). Sed discipuli hoc non intelligebant.

Veniendi necessitas propter Lazarum.

Mori, Deo dormire est. *Augustinus in Jo. Evang. c. 11. Tract. 49. n. 9.*

Matth. 9. 24.

VERSUS XII.

783. *Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit*, quia in acutis ægritudinibus bonum signum est somnus (f). Et hoc dixerunt non intelligentes, propter hoc autem dicit Evangelista:

Somnus in ægrotis plerumque futuræ salutis indicium.

VER-

(a) Vulg. *duodecim sunt horæ; sed duodecim horæ sunt* Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. ac Trident. Item Biblior. Cod. Biblioth. Episc. Trident. nosterque Bernardin. & Goth. apud Blanchin. Insuper sic legunt Augustinus, Thomas &c.

(b) Sicut & memoratus *dies*, ut etiam exponunt S. August. Beda, Rupert. Glossa &c.

(c) Vulg. *eis*; sed *illis* Cod. quoque noster Bernardin.

(d) 4. Dist. 38. Dub. 10.

(e) Exposit. in cap. 8. S. Luc. prope finem.

(f) Ita ex Hippocrate 2. Aph. 2. atque ex Alexandro Tralliano Lib. 1. cap. 13. Raymundus Joannes Fortis Centur. 1. Consult. & Responsion. Med. 12. pag. m. 33. nec non inter Recentiores Medicos Vir siquis alius clariss. Gerardus Van Swieten Cæsareus Archiater in Comment. ad Aphorismos longe celeberrimi Hermanni Boerhave To. 3. §. 733. in Tract. de

VERSUS XIII.

784. *Dixerat autem Jesus de morte ejus, illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret*, unde decepti erant, ut innuit Evangelista, per æquivocationem dormitionis. Propter quod intelligendum, quod est dormitio quadruplex, (Dormitio quadruplex) scilicet pigritiæ, Prov. sexto: (Prov. 6. 9. ac seq.) Usquequo piger dormis? *(a)* quando consurges de somno tuo? *(b)* Paululum dormies &c. Et primæ ad Thessal. quinto: (1. ad Thess. 5. 6.) Non dormiamus, sicut & ceteri, sed vigilemus, & sobrii simus. Culpæ, ad Ephes. quinto: (Ad Ephes. 5. 14.) Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Et primæ ad Cor. undecimo: (1. ad Cor. 11. 30.) Multi inter vos infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Quietis, Matth. vigesimo sexto: (Matth. 26. 43. ac 45.) Et invenit eos dormientes; & subditur, quod dixit eis: Dormite jam, & requiescite. Mortis, primæ ad Thessal. quarto: (1. ad Thess. 4. 12.) Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent. Et Job vigesimo septimo: (Job. 27. 19.) Dives cum dormierit, nihil secum afferet *(c)*.

VERSUS XIV.

785. *Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste*, (Discipulorum utilitas.) tangitur hic tertium, scilicet discipulorum utilitas; ideo replicat mortem Lazari aperte, quia occulte non capiebant. *Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste: Lazarus mortuus est*, ideo *manifeste*; quia sicut dicitur Matth. tertio decimo: Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum. (Matth. 13. 11.) Et subditur utilitas, de qua gaudet, unde dicitur:

VERSUS XV.

786. *Sed (d) gaudeo, propter vos*, id est, propter utilitatem vestram, *ut credatis, quia (e) non eram ibi*, hoc non refertur ad fidem, sed ad gaudium; *gaudeo* scilicet *quia non eram ibi*, ut postmodum ex nostro adventu fides vestra solidetur *(f)*. Ideo dicit: *Sed eamus ad eum* propter securitatem, & Lazari necessitatem, & vestram utilitatem. Ratio quare veniebat, erat, quia amicus. Joan. quarto decimo: (Jo. 14. 23.) Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

VERSUS XVI.

787. *Dixit ergo Thomas*, tangitur hic quartum, scilicet Thomæ animositas, (Thomæ animositas ad commoriendum.) etiam ad commoriendum; ideo subditur: *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus*, quasi diu dubitans *(g)*, (Dydimus quasi diu dubitans.) *ad condiscipulos: Eamus & nos, & (h) moriamur cum illo (i)*. Quærit Chrysostomus, (Chrysostomus cit. Hom. 61.) quomodo Thomas hoc dixit? Et dicit, quod dixit ex formidatione; sed melius di-

de febre putrida continua. Sed & sacri Interpretes heic observant, somnum sæpe esse in ægrotis futuræ salutis indicium. Sic Cyrillus, Augustinus, Thomas, Jansenius, Maldonatus, Menochius, Cornelius a Lap. &c. Quibus Calmet accedit sic aiens: *Optimus est in morbis præsertim acutis somnus*; laudatque in hanc rem *August. Brug. Grot. & alios*. Tum addit hoc apud Judæos effatum: *Somnus in ægrotante signum est ad salutem*, pro quo allegat *Misnaiot apud Grot. hic*.

(a) Vulg. *dormies*; sed *dormis* etiam S. Greg. Moral. Lib. 8. cap. 10. num. 20. nec non Hugo Card. in hoc Evang. sec. Jo. cap. 11.

(b) Vulg. *e somno tuo*; sed *de somno tuo* Biblior. Editiones Basileen. 1509. & Colonien. 1527.

(c) Vide supra cap. 8. sub ver. 36. num. 614.

(d) Vulg. *&*; at etiam Cod. Veronen. *sed*.

(e) Vulg. *quoniam*; sed *quia* etiam Cod. noster Bernardin.

(f) Sa „ *Gaudeo*, jungendum cum *quoniam non eram ibi*: reliqua per parenthesim. *Ut credatis*, scilicet perfectius, viso miraculo, quod non fieret, si ibi fuissem: impedissem enim mortem. “ Ita nectit Arabicus, ac necti posse autumat quoque Lyranus, nectendumque etiam censent Cornel. a Lap. Menoch. &c.

(g) Auctore Theophylacto *Thomas* dicitur *Didymus, quasi gemellus, varius, inconstans, dubius, duplex*, quod præcipue quadrat Jo. cap. 20. ver. 24. ubi *Thomas* ob incredulitatem resurrectionis Christi *Didymus* nuncupatur. Hinc Alcuinus apud S. Tho. in Catena in Jo. cap. 20. not. c. *Didymus Græce, Latine geminus, vel dubius, propter dubium cor in credendo*. Similiter Exposit. sub S. Bonav. nomine in cap. 20. Item Dionys. Carthus. secundum Bedam. Sed circa hanc vocem legesis Cornel. a Lap. aliosque recentiores Interpretes.

(h) Vulg. *ut*; sed *&* similiter Cod. Goth. apud Blanchin. ac alius Biblioth. Episc. Trident. atque antiquæ Biblior. Editiones. Mariana „ *Ut* „ *moriamur cum eo*. Multi Codices, inter eos „ Goth. *& moriamur*. “

(i) Vulg. *cum eo*; sed *cum illo* quoque Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. ac Trident.

cendum, quod dixerit ex fortitudine (*a*), quasi exhortatione Domini animatus, & sapienter dixit, & fortiter. Unde
2. ad Tim. 2. 11. ac seq. secundæ ad Timoth. secundo: Si commortui sumus, & convivemus, si sustinemus (*b*), & conregnabimus.

VERSUS XVII.

788. *Venit ergo* (*c*) *Jesus*, tangitur hic
Temporis tarditas. quintum, scilicet temporis tarditas. Divina enim dispensatione hoc gestum est: Unde non tantum invenit mortuum, sed fœtidum, ut certius, & admirabilius, & gloriosius esset miraculum; & ideo subditur: *Et invenit eum jam quatuor dies in monumento habentem*, & ita
Jo. 11. 39. fœtidum. Joan. eodem: Domine, jam fœtet, quatriduanus enim est.

VERSUS XVIII.

789. *Erat autem Bethania*, tangitur hic
Loci opportunitas. ultimum, scilicet loci opportunitas; quia enim prope Jerusalem erat, multi Judæi venerant, qui essent testes miraculi. Ratio autem quare venerant, erat loci opportunitas, vel propinquitas. Propter opportunitatem dicit: *Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.* Stadium est octava pars
Stadium pars milliarii octava. milliarii (*d*), & ita propinquus erat locus, propter quod etiam dicitur:

VERSUS XIX.

790. *Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo*; quia tunc multa erat tristitia de mortuis: sed post mortem Christi de bonis mortuis debet esse consolatio; quia Beati mortui, qui in *Apocal. 14. 13.*
Domino moriuntur. Ideo primæ ad Thessal. quarto: Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non *1. ad Thess. 4. 12.*
contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent.

791. Spiritualiter notanda sunt tria. Spiritualis intelligentia circa Lazarum.
Primo quidem est, quod Lazarus a Domino amatur. Secundo quidem est, quod languet, moritur, & quatriduanus invenitur. Tertio quidem est, quod Dominus suos discipulos exhortatur, quod in die ambulent. Lazarus adjutus a Domino interpretatur (*e*). Iste Lazarus adjutus a Domino interpretatur.
significat virum, qui habet gratiam adjuvantem, secundum illud Isaiæ quadragesimo nono: In tempore accepto (*f*) *Isa. 49. 8.*
exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui. Iste sic adjutus Dominum diligit, ideo & amatur. Prov. octavo: Ego *Prov. 8. 17.*
diligentes me diligo. Iste Lazarus languet in peccati delectatione (*g*), qui tamen diligitur (*h*), de cujus languore *Eccli 10. 11.*
Ecclesiastici decimo: Languor prolixior gravat medicum (*i*); quia vix contingit, quin morosa delectatio demergat Delectatio morosa demergit in peccatum mortale.
in peccatum mortale. Sed moritur in consensu, quia tunc consummatur peccatum interius. Jacobi primo: Con- *Jac. 1. 15.*
cupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. Et quatriduanus efficitur, & fœtidus, dum a consensu pervenitur in opus, ab opere in consuetudinem (*k*), a consuetudine in peccati impudentiam; quando frons *Jer. 3. 3.*
meretricis fit homini, ut jam nolit erubesce-

(*a*) Gordonus: *Recte Beda interpretatur, hæc Thomæ verba non esse timentis, sed parati ad mortem, & qui desiderat pro Christo pati.*

(*b*) Vulg. *sustinebimus*; *sed sustinemus* etiam Hugo Card. ac Lyran. Quinimo & S. Greg. Moral. Lib. 10. cap. 19. num. 36. nec non in Ezech. Lib. 1. Hom. 6. num. 19.

(*c*) Vulg. *itaque*; sed *ergo* pariter Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. & Trident.

(*d*) Ita ex Beda etiam Exposit. in cap. 24. S. Lucæ. Unde & Cornel. a Lap. *Stadium est octava pars milliaris Italici, sive mille passuum: continet ergo 125. passus. Quare quindecim stadia continent 1875. passus; sedecim enim continent duo milla passuum, faciuntque duo milliaria Italica.*

(*e*) Sic etiam in Exposit. jam edita sub S. Bonavent. nomine eodem cap. 11. Sed quoque in Cod. nostro Bernardin. A. I. 40. alioque Biblioth. Episc. Trident. 58. ad finem. sacror. Biblior. in interpret. nom. Hebraicor. *Lazarus adjutus Domini, vel auxiliatus a Domino.*

(*f*) Vulg. *placito*; sed *accepto* legit etiam S. Paulus 2. Cor. 6. 2.

(*g*) Tropologice enim Rabanus, & ex eo Glossa: *Lazarus*, inquit, *est peccator.*

(*h*) Similiter Hugo Card. probans pluribus Scripturæ textibus, quod *Dominus etiam peccatorem fatentem diligit.* De cujus resuscitatione D. Bona. in 4. Dist. 18. Par. 1. Ar. 2. Q. 1. in Fundam. *Augustinus & Gregorius dicunt, quod in suscitatione Lazari mortui significata est resuscitatio peccatoris.* Vid. ibi in marg. allegationes.

(*i*) Pariter d. Hugo.

(*k*) Intelligitur etiam *per Lazarum in sepulchro peccatum consuetudinis*, inquit etiam idem Interpres Exposit. in cap. 8. S. Lucæ prope finem; pariterque Serm. 4. Dom. 15. post Pentec. Nec non Dionys. Carthus. secundum Augustinum.

bescere, & tunc fœtidus est; quia jam peccatum ejus in alios diffunditur. Amos quarto: Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras. Ad hunc peccatorem suscitandum a mortuis Dominus sollicitat discipulos suos, quos & Prælatos ordinaverat. Proverb. sexto: Discurre, festina, suscita amicum tuum; & hortatur, quod de die ambulent. Dies dicitur tempus merendi, quia dum sol oritur, homo exit ad opus suum, & dæmones abscondun-tur. Psal. Ortus est sol, & congregati sunt &c. & post: Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam (a). Iste dies durat ab adventu Christi usque ad diem Judicii; quia supra nono: Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi; & ipse est usque ad consummationem sæculi, Matth. ultimo: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Et hoc operandum, ut peccatores suscitentur. Ad Galat. sexto: Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Duodecim horæ hujus diei possunt dici duodecim status Christi, de quibus habitum est supra quarto (b). Vel possunt dici duodecim Apostoli, qui etiam significati sunt per duodecim lapides, per duodecim fontes in Elim, per duodecim boves circa mare æneum Salomonis, per duodecim lapides pretiosos, & nunc per duodecim horas (c). Vel duodecim horæ sunt duodecim virtutes, quæ fuerunt in Christo, scilicet quatuor Cardinales, una Theologica (d), & septem dona. Vel duodecim horæ dicuntur duodecim fructus Spiritus, de quibus Apocal. vigesimo secundo: Lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum (e).

Amos 4. 10. *Prov. 6. 3.* *Psal. 103. 22. ac seq.* *Jo. 9. 5.* *Matth. 28. 20.* *Ad Gal. 6. 10.* Duodecim Apostoli in multis duodenariis numeris figurati. *Apoc. 22. 2.*

VERSUS XX.

792. *Martha ergo ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.* Supra determinata sunt duo antecedentia ad miraculum, scilicet denuntiatio infirmitatis, & adventus Medici; tangitur hic tertium, scilicet intercessio fidei, quæ quidem merebatur Lazari suscitationem. Hæc autem erat fides & devotio duarum sororum Lazari, Marthæ scilicet & Mariæ. Unde primo insinuatur fides Marthæ, secundo Mariæ, ibi: *Et cum hæc dixisset, abiit &c.* Fides igitur & devotio Marthæ insinuatur hoc ordine: primo innuitur Marthæ officiosa sollicitudo: secundo ipsius fidelis confessio: tertio fidelis confessionis amplificatio. Marthæ igitur sollicitudo innuitur in hoc, quod ipsa Domino occurrit, nec sustinuit, quod veniret usque ad domum, ideo dicitur: *Martha ergo ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi*, & in hoc patet quod Martha multum erat sollicita, sed e contrario Maria quieta, unde dicitur: *Maria autem domi sedebat*, quieta scilicet; propterea dicitur Luc. decimo: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Optime per Martham occurrentem significatur vita activa. Isai. vigesimo primo: Cum panibus occurrite fugienti. Per Mariam domi sedentem contemplativa (f), unde Threnor. tertio de viro contemplativo: Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit se (g) super se (h).

Intercessio fidei. Marthæ sollicitudo. *Luc. 10. 41. ac seq.* Per Martham vita activa, per Mariam contemplativa designatur. *Isa. 21. 14.* *Thren. 3. 28.*

VERSUS XXI.

793. *Dixit ergo Martha ad Jesum*, tangitur hic secundum, scilicet Marthæ fidelis confessio, in qua confitetur Domi-

Ejus fidelis confessio.

(a) Vulg. *vesperum*; sed *vesperam* Cod. quoque noster Bernard. ac alius Biblioth. Episc. Trident. nonnullæque Biblior. antiquæ Editiones. Item Hugo Card. Lyran. Jac. autem Fabri Stapulen. Quincup. Psalter. habet *vesperam* & *vesperum*.

(b) Supra num. 293.

(c) Exposit. in cap. 6. S. Lucæ idemmet Interpres noster, nec non S. August. & Glossa.

(d) *Una*, inquam, *Theologica*, quia cum Christus esset simul viator, & comprehensor, nec fidem, neque spem habere potuit; sed cum visione & fruitione consummatam caritatem.

(e) Comment. in Apocal. ibi.

(f) Exposit. in cap. 10. S. Luc.

(g) Vulg. sine *se*; sed habent quoque *se* duo nostri Codd. Bernardin. 21. ac 40. ac tertius Biblioth. Episc. Trident. 58. Editiones Biblior. antiquior. Item Raban. Rupert. Hugo Card. Lyran. ac ipsemet noster Interpres in loc. cit. Threnor. nec non Cap. 4. de perfect. vit. ad Soror.

(h) Idem noster Interpres in locis modo citatis eodem sensu.

minum potentem & benignum, ut posset, & vellet liberare, & nunc resuscitare, ideo dicitur: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*; quia voluisses, & potuisses liberare: sed & nunc potes resuscitare, ideo dicitur:

VERSUS XXII.

794. *Sed & nunc scio*, id est, firma fide teneo, *quia quaecumque proposceris a Deo, dabit tibi Deus*. Augustinus: Scio quod (*a*) potes, si vis, facis; utrum autem (*b*) facias, judicii tui est, non meae praesumptionis. Non fuit ausa petere tam magnum quid, ne pateretur repulsam; sed suam fidem exprimendo insinuavit desiderium suum. Non solum quae petit Christus, dat Deus, sed quod petitur in nomine ejus. Joan. sexto decimo: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Augustinus in Jo. Evangel. c. 11. Tract. 49. n. 13.

Jo. 16. 23.

VERSUS XXIII.

795. *Dixit ei* (*c*) *Jesus*: Tangitur hic tertium, scilicet fidelis confessionis amplificatio; confessa enim fuerat Martha, quod Dominus posset impetrare fratris resuscitationem: Dominus autem vult ad hoc eam inducere, ut confiteatur ipsum posse resuscitare, propter quod potestative dicit: *Resurget frater tuus*. Et Martha confitetur de generali resurrectione, unde

Fidelis confessionis amplificatio.

VERSUS XXIV.

796. *Dicit ei Martha*: *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die*. Sciebat ex lege Daniel. duodecimo: Multi de his, qui dormiunt in pulvere terrae, evigilabunt. Sciebat per doctrinam supra sexto: Ego resuscitabo eum in novissimo die. Sed quia nondum confessa erat, quod virtute Christi resurgeret, ideo instruitur de hoc, propterea dicitur:

Dan. 12. 2.

Jo. 6. 40.

VERSUS XXV.

797. *Dixit ei Jesus*: *Ego sum resurrectio & vita*, caussalis est, id est, facio resurgere & vivere (*d*), primae ad Cor. quinto decimo: Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Et hoc manifestat: *Qui credit in me, etsi* (*e*) *mortuus fuerit, vivet*; & ita facio resurgere supra quinto: Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent. Non solum facio mortuos resurgere, sed etiam viventes vivere (*f*), unde

1. ad Cor. 15. 20. ac seq.

Jo. 5. 25.

VERSUS XXVI.

798. *Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in aeternum*. Supra sexto: Omnis qui videt Filium, & credit in eum, habet vitam aeternam. Et quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem ad Rom. decimo, ideo dicit: *Credis hoc?*

Jo. 6. 40.

Ad Rom. 10. 10.

VERSUS XXVII.

799. *Ait illi*: *Utique Domine*, hoc credo quod tu hoc facias, *ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei* (*g*), *qui in hunc mundum venisti*, & ita potes resuscitare, & vivificare, quia supra quinto: Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita dedit & Filio vitam habere in semetipso. Confitetur in hoc & Divinitatem, & humanitatem, quia *Dei Filius*, potes; quia *venisti*, facies; ad hoc enim missus es.

Jo. 5. 26.

VERSUS XXVIII.

800. *Et cum haec dixisset*, posita fideli confessione Marthae, ponitur hic fidelis confessio Mariae, quae describitur hoc ordine: primo ipsius Mariae vocatae acceleratio: secundo Judaeorum associatio: tertio fidelis & devota confessio. Primo ergo ponitur Mariae vocatae acceleratio, in quo signatur quies & devotio in Maria. Quies, quia non venit nisi vocata a Martha, propterea dicitur: *Et cum*

Descriptio confessionis Mariae Magdalenae. Ejus ad vocationem acceleratio.

(*a*) Edit. Maur. *scio quia*.
(*b*) Eadem Edit. *utrum enim*.
(*c*) Vulg. *Dicit illi*, sed *Dixit ei* Cod. quoque Brixian. nec non *ei* pro *illi* pariter Cod. Veron.
(*d*) Similiter Dionys. Carthus. & Cornel. a Lap. Et quidem caussa quadruplex, sc. meritoria, efficiens, exemplaris, & finalis.
(*e*) Vulg. *etiamsi*; sed *etsi* Codd. Evangelior. Vercellen. Brixian. Forojulien. ac Trident.
(*f*) *Vitam* intelligunt, qua resurgentes vivunt, etiam Chrysost. Theophyl. Euthym. &c.
(*g*) Vulg. *vivi*, sed absque *vivi* text. Graec. ac Codd. Evangelior. Vercellen. Veronen. Brixian. Gat. Forojulien. nec non Biblior. Goth. apud Blanchin. Quibus accedit quoque perantiquum Evangeliar. Eccles. Trident. duo item Codd. Biblior. unus Bernardin. alter Biblioth. Episc. Trid. antiquiores Biblior. Edit., Dion. Carthus. &c.

cum hæc dixiſſet, abiit, & vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio (a). Threnor. tertio: Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Vocavit, inquam, eam imperio Domini. Apocal. ultimo: Et qui audit, dicat: Veni. Et hoc innuitur, quia vocavit eam, *dicens: Magiſter adeſt, & vocat te.* Et quamvis hoc non ſit prædictum (b) cauſſa brevitatis, tamen ita fuiſſe intelligendum eſt (c). Job quarto decimo: Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. Non tantum erat Maria quieta, ſed etiam devota, unde dicitur:

Thren. 3. 26. Apoc. 22. 17. Job 14. 15.

VERSUS XXIX.

801. *Illa ut audivit, ſurrexit* (d) *cito, & venit ad eum*, non expectavit quod veniret; ſed ipſa velociter cucurrit, antequam intraret, ideo dicitur:

VERSUS XXX.

802. *Nondum enim venerat Jeſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha*, in quo (e) ſignatur, quod vir a Domino vocatus debet accelerare, ſicut fecerunt boni diſcipuli, de quibus Matth. quarto: Continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum. Unde & ille Lucæ nono reprehenditur, qui dixit: Domine permitte mihi primum ire, & ſepelire patrem meum. Eccleſiaſtici trigeſimo primo: In omnibus operibus tuis eſto velox; & Proverb. decimo octavo: Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.

A Domino vocatus debet accelerare. Matth. 4. 20. Luc. 9. 59. Eccli 31. 30. Prov. 18. 9.

VERSUS XXXI.

803. *Judæi igitur* (f), *qui erant &c.* Tangitur hic ſecundum, ſcilicet Judæorum aſſociatio, & ratio aſſociandi erat voluntas conſolandi, propterea dicitur: *Judæi igitur, qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam* (ad hoc enim venerant) *cum vidiſſent Mariam, quia cito ſurrexit & abiit* (g), quaſi dolore tacta non valens diu ſuſtinere, *ſecuti ſunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ibi ploret.* Ideo ſequebantur, ut conſolarentur, de qua conſolatione Eccleſiaſtici trigeſimo octavo: Conſolare propter triſtitiam, & fac luctum ſecundum meritum ejus uno die vel duobus propter detractionem.

Judæorum aſſociatio. Eccli 38. 17. ac ſeq.

VERSUS XXXII.

804. *Maria ergo cum veniſſet*, tangitur hic tertium, ſcilicet fidelis confeſſio & devota, propter quod dicitur: *Maria ergo cum veniſſet ubi erat Jeſus, videns eum cecidit ad pedes ejus*, ecce devotio qua ſemper fuit ad pedes Domini, unde Lucæ ſeptimo: Maria ſtans retro ſecus pedes Domini. Et decimo: Sedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius. Non legitur de Martha, quod ceciderit ad pedes; quia non ſic devota, non ſic fervida, ut Maria (h). Deuter. trigeſimo tertio: Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. Et ſubditur fidelis confeſſio: *Et dixit* (i) *ei: Domine, ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus*, in quo inſinuat virtutem Domini, ut prius ſoror fecerat; ſed illa amplius dixit, quod adhuc reſuſcitaret, ſi vellet. Hæc ob reverentiam tacuit, & ob devotionem flevit (k); & amplius Dominum movit, ſicut infra patebit. In quo innuitur, quod Dominus magis audit gemitum cordis, quam ſonum oris. Gregorius: Veraciter orare eſt amoroſus in compunctione gemitus, & non compoſita verba reſonare. Unde primi Reg. primo dicitur, quod Anna largiter flevit, & tacite oravit.

Mariæ Magdalenæ fidelis confeſſio & devota. Luc. 7. 38. & 10. 39. Deut. 33. 3. Dominus magis audit gemitum cordis, quam ſonum oris. Gregorius Moral. L. 33. c. 23. n. 43. Veram efficiunt orationem amari gemitus, non verba compoſita. 1. Reg. 1. 10.

805.

(a) *Submiſſa voce, & forte in aure prolata, vel aliquo nutu ſine voce*, ait Dionyſ. Carthuſ.

(b) Sive non ante ab Evangeliſta narratum.

(c) Ita S. Auguſt., Cyrill., Leont. Dionyſ. Carthuſ. Tolet. Maldonat. &c.

(d) Vulg. *ſurgit*; ſed *ſurrexit* Biblior. Cod. noſter Bernardin. aliuſque Biblioth. Epiſc. Trid. nec non Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. ac Trident. S. Tho. Hugo Card. Lyran. Editiones ſacr. Biblior. antiquiores &c.

(e) Scilicet in eo quod dicitur præceden. ver. de Maria a Magiſtro vocata, quod *ſurrexit cito, & venit ad eum.*

(f) Vulg. *ergo*; ſed *igitur* etiam Codd. Forojulien. & Goth. apud Blanchin. nec non Hugo Card.

(g) Vulg. *exiit*, ſed *abiit* Cod. quoque Gat. apud eumdem Blanchin.

(h) *Ex quo patet, quod Maria magis amabat Jeſum, & reverebatur*, inde deducit etiam Lyranus. Sed & *ferventiorem ſorore* dicit S. Cryſoſt.

(i) Vulg. *dicit*; ſed *dixit* pariter Biblior. Cod. noſter Bernardin. ac alius Epiſc. Biblioth. Trid. nec non Codd. Evang. Forojulien. Veronen. Trident. & Goth. Editiones Biblior. antiquiores, atque S. Tho. Hugo Card. Lyran. &c.

(k) Non dixit omnia quæ Martha, lacrymis nimirum impedita, ait etiam Beda.

Quæstio cur Christus exegerit confessionem Marthæ de fide resurrectionis, cum eam sciret de hac minime dubitantem. Responsio.

805. Sed quæritur hic, quare Dominus ita diligenter quærit confessionem Marthæ de fide resurrectionis, cum sciret eam fideliter credere? Et quæ necessitas erat? Dicendum, quod fides sororum Lazari impetravit ejus resurrectionem. Et quia tunc fides est certior & firmior, quando ore confitemur; ideo oris petiit confessionem.

Quæstio altera, cujus virtutis magis sit miraculum impetrare. Jo. 11. 40.

806. Sed tunc quæritur, cujus virtutis sit magis impetrare miraculum? Et quod fidei, videtur, quia infra eodem: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Item Marci nono: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. (Mar. 9. 22.) Et ibidem dicitur, quod Dominus dixit Apostolis, (Ibi 18.) quod non potuerunt ejicere Dæmonium propter incredulitatem. Et Apostolus primæ ad Cor. tertio decimo: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam. (1. adCor. 13. 2.) Quod autem spei, videtur, quia Matth. nono dicitur illi: Confide filia; (Matth. 9. 22.) ergo videtur, quod sit confidentiæ: sed confidentia est spei. Quod autem sit caritatis, videtur; quia illius est conjungere Deo, & amicum facere, hi maxime exaudiri sunt digni. Resp. (Responsio.) Dicendum, quod quia miraculum non solum impetratur a bonis, sed etiam a malis *(a)*, quod ab illa virtute impetratur, quæ bonis & malis communis est. Hæ autem fides & spes esse possunt; ideo miraculum est fidei, ut originalis principii *(b)*: sed spei, ut consummativi. Et quia confidentia utrumque complectitur, proprie loquendo, impetratio miraculi est confidentiæ. Notatur, quod operatio miraculi debetur fidei; quia ipsa communis est; quia prima elevat intellectum *(c)*; quia habet considerare omnipotentiam *(d)*.

VERSUS XXXIII.

807. *Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbavit semetipsum* *(e)*. Supra posita sunt tria præambula *(f)* ad mirabilem suscitationem, hic ponitur quartum, quod est exauditionis pietas; propter pietatem enim motus est Dominus exaudire eas, & Lazarum suscitare, & describitur hoc ordine. Primo innuitur pietas exaudientis: secundo signum exauditionis: tertio virtus vel potestas exaudiendi. Pietas ergo exaudientis notatur in hoc, quod Christus ad fletum Mariæ & Judæorum flevit & doluit, propterea dicitur: (Pietas exaudientis.) *Jesus ergo, ut vidit eam plorantem,* scilicet Mariam, *& Judæos, qui venerant cum ea, plorantes. Vidit* oculo scilicet pietatis, quarti Reg. vigesimo: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas. (4. Reg. 20. 5.) *Infremuit spiritu, & turbavit semetipsum,* eis compatiendo *(g)*, & ex hac compassione approximat, unde

VERSUS XXXIV.

808. *Et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide,* & sequitur compassionis ostensio, unde

VERSUS XXXV.

809. *Et lacrymatus est Jesus,* unde ex visu oritur turbatio, ex turbatione approximatio, ex approximatione doloris & compassionis expressio. Job trigesimo: Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. (Job 30. 25.) Lucæ decimo nono: Videns Jesus civitatem flevit super illam. (Luc. 19. 41.) Flevit autem, cum vidit flentem Mariam. Ad Rom. duodecimo: Flere cum flentibus *(h)*; & hæc (Ad Rom. 12. 15.) com-

(a) Videsis Interpretem nostrum in 2. Dist. 7. Par. 2. Art. 2. Q. 2. ad 9.

(b) *Fides enim caput est, & radix, qua servata, etiam si omnia perdas, omnia tamen rursus majore cum gloria recuperabis,* inquit S. Joan. Chrysostomus Homil. 54. in Evangel. S. Matthæi. Dicit etiam idemmet noster Interpres: *Actus fidei præambulus est ad actum spei, & caritatis,* in 3. Dist. 23. Dub. 6. Item *quod principium nostræ salutis fides est, secundum quod sæpe dicitur in Evangelio: Fides tua te salvum fecit,* ibi Ar. 1. Q. 1. in Fundam.

(c) *Nemo enim aliquid sperat, vel amat, nisi illud cognoscat, & aliquo modo credat,* ipsemet ait in 3. ibi.

(d) Exposit. in cap. 17. S. Lucæ ad illum ver. *Fides tua te salvum fecit.*

(e) Vulg. *seipsum*; sed *semetipsum* etiam Cod. Veron. S. August. Beda, Hugo Card. Lyran. &c. Quinimo ipsemet S. Bona. 3. Dist. 15. Art. 2. Q. 2. in concl. Vide infra num. 817. in not. *e*.

(f) *Præambula* apud ipsum S. Bona. in Breviloq. par. 7. cap. 2. cap. ab init. & alibi sæpius. Vid. paulo supra not. *b*.

(g) Sic inter SS. PP. Augustinus, inter vero Interpretes recentiores Tirinus, Natal. Alex. & Calmet.

(h) Ita in 3. ibi ad 1. 2. 3. in fine.

compaſſio ſignum erat doloris, & dolor ſignum amoris, propterea

VERSUS XXXVI.

810. *Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum*, quia de ejus morte flebat, & verum dicebant, ſecundum quod Sap. 11. 25. ac 27. Sapient. undecimo dicitur: Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, & poſt: Tua ſunt, Domine, qui amas animas. Sed ex hoc in dubitationem incidebant; quia enim amans non vult eum mori, videbatur eis, quod contra voluntatem ejus mortuus eſſet, & admirabantur, propter quod dicitur:

VERSUS XXXVII.

811. *Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci* Jo. 9. 7. *nati*, (ſupra nono) *facere ut hic non moreretur?* Dubitando dicunt, quia rationem ad utramque partem habere videntur (*a*). Et bene quidem poterat, Eccle 8. 3. quia Eccleſiaſtæ octavo: Omne quod Luc. 1. 37. voluerit, faciet; & Lucæ primo: Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Sed ſi non eſſet mortuus, non manifeſtaretur gloria Dei in illo; ideo iſte eſt mortuus, ſicut ille cæcus natus, Jo. 9. 3. ſupra nono: Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. Ideo ſicut cæcus eſt natus, ſic Lazarus mortuus.

VERSUS XXXVIII.

812. *Jeſus ergo rurſum fremens*, tangitur hic ſecundum, ſcilicet ſignum exauditionis, quod in hoc manifeſtatur; [Signum exauditionis.] quia ad monumentum venit, & lapidem amoveri fecit, & compaſſio movebat hæc facere, ideo dicitur: *Jeſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo*, per compaſſionem, *venit ad monumentum*. Et quia venerat ſuſcitare, ideo monumentum præcipit aperiri; quia clauſum erat, unde dicitur: *Erat autem ſpelunca: & lapis ſuperpoſitus erat ei*, propter fœtorem ſcilicet amovendum.

VERSUS XXXIX.

813. *Ait Jeſus: Tollite lapidem*. Et quia Martha ſollicita erat de Domino, quantum ad ſenſibilia & corporalia; ideo: *Dicit ei Martha ſoror ejus, qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet* (ideo non eſt aperiendum) *quatriduanus enim eſt* (*b*). Et quia Martha credebat, quod Dominus ex compaſſione vellet videre, non ex potentia ſuſcitare (*c*), ideo

VERSUS XL.

814. *Dicit ei Jeſus: Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?* Id eſt, Divinæ virtutis magnitudinem? Act. ſeptimo: Cum eſſet Stephanus Act. 7. 55. plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei. Et in hoc ſciverunt, quod non ideo aperiri fecerat, ut videret mortuum, ſed ut ſuſcitaret; ideo ſequitur obedientia:

VERSUS XLI.

815. *Tulerunt ergo lapidem*, in quo jam manifeſtatio facta eſt, quod Dominus vellet eum ſuſcitare; & tunc crediderunt, & obtinere meruerunt, unde dicitur Mariæ Luc. primo: Bea- Luc. 1. 45. ta, quæ credidiſti, quoniam perficienter ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino. *Jeſus autem elevatis &c.* Tangitur hic tertium, ſcilicet poteſtas exaudiendi in Chriſto, quæ inſinuatur ex verbis ejus, [Poteſtas exaudiendi in Chriſto.] in quibus oſtendit ſe exauditum, & ſemper exaudiri, & non ex impotentia Patrem rogare, propter quod dicitur: *Je-*

(*a*) S Tho. in Jo. Evang. Cap. 11. Lect. 5. not. *l.* „ Vertentes in dubium miraculum factum, erant ex invidis Jeſu. Unde dicit: *Quidem autem ex ipſis*, ſcilicet Judæis, *dixerunt:* „ *Non potuit hic, qui aperuit oculos cæci nati, fa-* „ *cere ut hic non moreretur?* Quaſi dicant: Si ſic „ amabat eum, ut etiam pro ejus morte lacry- „ maretur, videtur quod voluiſſet eum non „ mori: nam triſtitia eſt de his quæ nobis non „ volentibus acciderunt. Si ergo eo nolente „ mortuus eſt, videtur quod non potuit mor- „ tem impedire; multo magis videtur quod non „ potuerit aperire oculos cæci nati &c. "

(*b*) Vulg. *eſt enim*; ſed *enim eſt* etiam Cod. noſter Bernardin. aliuſque Epiſc. Biblioth. Trident. nec non Codd. Brixian. Goth. &c. Ceterum & Origen. Cyrill. & Rupert. cenſent Martham id ſuggeſſiſſe, ne Chriſtus deformitate & fœtore Lazari cadaveris offenderetur.

(*c*) Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Leont. Maldonat. &c. putant id dixiſſe, quia diffidebat Lazarum quatriduanum a Chriſto ſuſcitari poſſe, & hoc ſatis innuere reprehenſionem ejus mox factam a Chriſto: *Nonne dixi tibi &c.*

Jesus autem elevatis oculis in cœlum (a) dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me, gratias agit pro exauditione, non quia Pater eum audiret tunc, & non alias; propterea dicitur:

VERSUS XLII.

816. *Ego autem sciebam, quia semper me audis*. Ad Hebr. quinto. Cum clamore valido & lacrymis offerens preces supplicationesque ad Deum (b), exauditus est pro sua reverentia. Ideo non tanquam indigens petii, vel gratias egi; *sed propter populum, qui circumstat, dixi: Ut credant, quia tu me misisti*, & ego tibi in operibus meis non sum contrarius, sed per omnia concors. Supra octavo: Sicut docuit me Pater, hæc loquor: & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia (c) quæ placita sunt ei facio semper. Et sic gratias egit, & oravit, non propter impotentiam, sed ad insinuandam sui & Dei concordiam, de qua supra quinto: Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille facit (d), hæc & Filius similiter facit.

Ad Hebr. 5. 7. — *Jo. 8. 28. et seq.* — *Jo. 5. 19.*

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Turbavit semetipsum Jesus. — *Isa. 42. 4.*

817. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicitur, quod *turbavit semetipsum Jesus*. Contrarium videtur quod dicitur Isaiæ quadragesimo secundo: Non erit tristis, neque turbulentus. Si dicas quod voluntarie turbavit se (e), non involuntarie, sicut nos; tunc objicitur, quia perturbatio obscurat oculum mentis: ergo si in Christo mentis oculus non potuit obscurari, nequidem potuit perturbari. Item quando perturbatio est voluntaria, tunc non solum est sensualitatis, sed rationis, & completa est perturbatio; ergo si Christus voluntarie fuit perturbatus, patet ex hoc, quod plene perturbatus fuit. Resp. Dicendum, quod perturbatio uno modo est passio, sicut dicit Hieronymus, alio modo propassio; (f) passio secundum quod ascendit in rationem, propassio secundum quod sistit in sentiente. Et hoc potest dupliciter esse. Quia aut est in sentiente de necessitate, quod non potest facere aliud; aut voluntate. Sic igitur duplex est perturbatio, scilicet rationis, & hæc mala, & in malis; sensualitatis, & hæc necessitate in bonis, voluntate in Christo. Quod ergo dicitur: Non erit tristis, neque turbulentus, intelligendum de illa, quæ est rationis, vel sensualitatis involuntaria. Quod etiam objicitur, quod illa, quæ est sensualitatis, obscurat mentem, saltem ad tempus; verum est, ubi est necessitatis: sed in Christo ascendebat quantum dictante ratione volebat (g). Quod autem objicitur, quod voluntaria est plena, intelligitur, quando ratio turbat seipsam.

Responsio. — *Passio, & propassio. Hieronymus Comment. in Matth. L. 4. c. 26. ℣. 37.*

Quæstio secunda de hoc quod Christus lacrymatus est.

818. Item quæritur de hoc quod Christus lacrymatus est; aut enim volebat Lazarum esse mortuum, aut non: si sic,

---

(a) Vulg. pro *in cœlum* habet *sursum*; sed *in cœlum* absque *sursum* habet quoque Cod. Brixian. *ad cœlum* sine *sursum* Cod. Veron.

(b) Vulg. *ad eum*; sed etiam Glossa interlin. apud Lyran. *al. ad Deum*. Pariterque Gagnæjus legit *ad Deum*.

(c) Vide supra cap. 8. num. 60.

(d) Supra cap. 5. num. 329.

(e) Sic Augustinus & Beda heic, Gregorius magnus Moral. Lib. 3. cap. 16. num. 30. Bernard. Ser. 1. in Festo S. Andreæ Apost. nu. 6.

(f) De *passione, & propassione* secundum *Hieron. ibi* idem Interpres 3. Dist. 15. Dub. 4. Verba S. Hieronymi ibidem sunt „ Illud quod supra „ diximus de passione & propassione, etiam in „ præsenti capitulo ostenditur, quod Dominus, „ ut veritatem probaret assumpti hominis, vere „ quidem contristatus sit; sed ne passio in ani„ mo illius dominaretur, per propassionem cœ„ perit contristari &c. “ Supra vero differentiam, quæ in nobis ipsis est passionem inter & propassionem hisce verbis posuerat „ Inter *pas„ sionem*, & *propassionem*, hoc interest, quod „ passio reputatur in vitium, propassio, licet „ initii culpam habeat, tamen non tenetur in „ crimine. “ Sic Comment. in Matth. Lib. 1. Cap. 5. ver. 28. Sed & inter recentiores Interpretes placeat audire Cornelium a Lap. „ „ *Turbavit seipsum*, non autem turbatus est. „ Quare hæ passiones in Christo non tam fue„ re passiones, quam propassiones, libere as„ sumptæ, uti ex Damasceno docent Theologi.

(g) Idem noster Interpres in eodem 3. cit. Dist. 15. Art. 2. Q. 2. in concl. ubi præfatum textum, qui modo objectatur, expendens, non turbationem rationis in Christo, sed rationi subjectionem sic elicit „ De nullo tristatus fuit, „ nisi secundum quod dictabat ei ratio. Et „ hoc idem innuit Joannes, ubi dicitur: *Jesus „ autem infremuit spiritu, & turbavit semetipsum*, „ in quo ostenditur quod turbatio & tristitia „ rationi non præsidebat, sed subjacebat. “ „ Item laud. Cornelius mox ita pergit „ Pote„ rat enim Christus eas pro arbitrio suo exci„ tare, sopire, moderari, regere, flectere, mul„ to magis quam auriga regit suos equos & „ currum. Vide dicta Matth. 26. v. 27. unde „ ait Augustinus: *Quis eum posset nisi ipse tur„ bare? turbatus est, quia voluit; esuriit, quia „ voluit: in illius potestate erat sic & sic affici.* “

si sic, ergo fictitie flebat: si non, ergo voluntas ejus erat discors a Divina, & aliquid voluit, quod non fecit. Resp. Dicendum, quod triplex fuit in Christo voluntas humana, scilicet rationis, pietatis, & sensualitatis, sicut dicit Hugo *(a)*. Voluntate pietatis, quæ est velleitas, volebat aliquid, quod tamen absolute non volebat, & propter illam compatiebatur, & flebat, sicut flevit super Jerusalem *(b)*. Intelligendum tamen, quod Christus non tam flevit propter mortem Lazari, quam propter nostram miseriam *(c)* quæ in morte Lazari figurabatur. Unde legitur Dominus flevisse primo in suscitatione Lazari, & tunc deflevit humanam infirmitatem. Secundo supra Jerusalem Lucæ decimo nono, & tunc deflevit nostram cæcitatem, unde: Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Tertio in Cruce ad Hebr. quinto: Cum clamore valido & lacrymis offerens preces supplicationesque ad Deum *(d)*, exauditus est pro sua reverentia. Et tunc deflevit nostram malignitatem. *(e)* Quæ sunt tres origines peccatorum, & tres pœnæ inflictæ nobis pro peccatis, quæ merito lacrymarum ejus mitigatæ sunt.

Responsio. *Triplex in Christo voluntas humana, rationis, pietatis, & sensualitatis.* *Hugo de S. Victore in sententiis vel assertionibus de quibusdam verbis Domini §. de triplici compassione.* *Christus ter flevit.* *Luc. 19. 42.* *Ad Heb. 5. 7.*

819. Item quæritur de hoc quod oravit, quia oravit secundum quod homo; & secundum quod oravit, suscitavit, ergo secundum quod homo, suscitavit: ergo non differt modus ejus resuscitandi a modo Petri. Resp. Dicendum, quod sicut patet ex litera nec oravit, nec gratias egit, ut potestatem suscitandi acciperet ut alii; nec ut se minorem Patre credi faceret, quia, ut dicit Chrysostomus, non oportebat; sed ut Deo se conformem, & virtutem suam a Patre non discordantem ostenderet. Quod ergo objicitur suscitavit secundum quod oravit, falsum est; quia suscitavit secundum quod Deus, oravit secundum quod homo *(f)*.

Quæstio tertia de hoc quod oravit. *Responsio.* *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 6. Hom. 63.*

VERSUS XLIII.

820. *Hæc cum dixisset, voce magna &c.* Posita sunt præambula ad mirabilem Lazari suscitationem, hic ponuntur concomitantia, & consummantia, & proceditur in hac particula sic: primo ponitur ipsius Lazari virtuosa vocatio: secundo ipsius resuscitatio: tertio ipsius solutio: quarto consequens aliorum ædificatio, aliorum vero destructio. Lazari vero potestativa vocatio innuitur in hoc, quod *voce magna clamavit: Lazare veni foras*, imperiose dicit *(g)*: *Veni, & voce magna* clamat, eo quod ad vocem ejus fiet resurrectio generalis, secundum quod prædictum est supra quinto: Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii *(h)*.

Lazari potestativa vocatio. *Jo. 5. 28. et seq.*

VERSUS XLIV.

821. *Et statim prodiit*, tangitur hic secundum, scilicet ad Domini imperium Lazari suscitatio, propter quod dicitur: *Et statim prodiit qui fuerat mortuus*, in quo notatur obedientia creaturæ ad Creatorem Marc. quarto: Quis, putas, est iste, quia & ventus & mare obediunt ei? Origenes *(i)*: Cum omnia obediant Creatori, sola rationalis creatura inobediens invenitur. Nec obstiterunt vincula, unde dicitur: *Ligatus manus & pedes (k) institis. Ligatus*, synecdochica est constructio: *institis*, id est, ligaminibus, quibus involvebantur manus & pedes: *& facies ejus (l) erat ligata sudario*, & ideo

Ejus ad Domini imperium suscitatio. *Mar. 4. 40.* *Origenes Hom. 6. ex collectis in diver. loc. Evang.*

(a) Ibi Dist. 17. art. 1. q. 3. in concl.
(b) In eadem q. 3. ad 3. Videatur etiam circa prædicta omnia Breviloq. par. 4. c. 8.
(c) Cyrillus quoque ait, Christum flevisse humani generis miserias per peccatum invectas.
(d) Vide supra num. 816.
(e) De Christo, qui ter flevisse legitur, Exposit. in cap. 19. S. Lucæ ad illum ver. *Videns civitatem flevit super illam.*
(f) *Oravit secundum humanitatem*, itidem ait Interpres adducens eundem textum Exposit. in cap. 3. Lament. Jerem. Proph.
(g) Sic Cyrillus, aliique etiam recentiores Interpretes.
(h) Ita Chrysost. Cyrill. Theophylact. Euthym. Item Ambros. de fide resurrect. Vid. Interpretem nostrum Exposit. in cap. 8. S. Lucæ versus finem ad illa verba. *Clamavit dicens: puella, surge.*
(i) In meo Apographo cum Edit. Gorran. conlato *Augustinus*, cujus verba in hanc rem frustra quæsivi.
(k) Vulg. *pedes & manus*; sed etiam Cod. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trid. *manus & pedes*, Editionesque Biblior. antiquiores, S. Thomas &c.
(l) Vulg. *illius*; sed *ejus* Cod. quoque noster Bernardin. nec non Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. Forojulien. Trident. S. Tho. &c.

ideo non proprio egressu, sed Divina virtute egressus est. Hac virtute usus est Christus in morte sua. Matth. vigesimo septimo: Monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. *Dixit eis Jesus: Solvite illum* (*a*), tangitur hic tertium, scilicet ligati solutio. Ad literam ideo solvitur a ministris, quia Dominus etsi totum possit facere, vult tamen aliis suam potestatem communicare. Beda: Potuit ligamenta solvere qui potuit mortuum resuscitare; sed propter unitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, & individuam caritatem dixit ministris, id est, discipulis suis: *Solvite illum, & sinite abire*; quia sine unitate Ecclesiæ Catholicæ fidei, & caritate Ecclesiasticæ sanctitatis peccata non solvuntur. Chrysostomus: Non volebat resuscitatum secum ducere, ut pompam mundi nos evitare doceret.

Matth. 27. 52. Ligati solutio. Beda in Evang. S. Jo. cap. 11. Chrysostomus ett. Hom. 63.

VERSUS XLV.

822. *Multi ergo ex Judæis*, tangitur hic quartum, scilicet quorumdam ædificatio, & aliorum destructio. Propter illos, qui ædificati sunt ad fidem, dicitur: *Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. Qui venerant*, Proverb. tertio decimo: Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Supra quarto: Multi crediderunt in eum &c. Propter alios, qui pejores effecti sunt, dicitur:

Quorumdam ædificatio, & aliorum destructio. Prov. 13. 20. Jo. 4. 39.

VERSUS XLVI.

823. *Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Jesus*, unde eodem uno alii profecerunt, alii defecerunt. Secundæ ad Cor. secundo: Aliis sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. Ideo Luc. secundo: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur.

2. ad Cor. 2. 16. Luc. 2. 34.

824. Moraliter sunt in suscitatione Lazari quatuor notanda. Primo quod Dominus quærit, ubi sit. Secundo lapidem amoveri præcipit. Tertio ipsum prodire facit. Quarto discipulis solvendum exponit. Quærit igitur primo Dominus, ubi peccator sit, cum ei vilitatem peccati sui ostendit. Sic quærebat Dominus ab Adam Genes. tertio: Adam ubi es? & Jerem. tertio: Leva oculos tuos in directum, & vide ubi nunc (*b*) prostrata sis. Secundo lapidem amoveri præcipit, cum a consuetudine peccati hominem cessare facit, quæ tanquam lapis ponderosus deorsum trahit (*c*). Ideo dicebat Anima pœnitens in Psal. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Augustinus: Quam difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit! Threnor. tertio: Lapsa est in lacum, id est, in mortem culpæ, vita mea (*d*), & posuerunt super me lapidem, id est, sepulturam (*e*). Unde notandum, quod Dominus suscitavit mortuam in domo, Matth. nono, id est, peccatorem peccatis mortuum per consensum; extra domum, id est, per opus malum; in sepulchro per consuetudinem malam, ut hic (*f*). Tertio prodire injungit, cum propriam iniquitatem confiteri facit. Prodire est de occulto in apertum venire,

Moralis intelligentia circa quatuor in resurrectione Lazari notanda. Gen. 3. 9. Jer. 3. 2. Ps. 37. 5. Augustinus in Jo. Evang. c. 11. n. 24. Thren. 3. 53. Matth. 9. 23 ac seqq.

(*a*) Vulg. *eum*; sed & Evangelior. Codd. Vercellen. ac Iridenț. habent *illum*.

(*b*) Vulg. *non*; sed *nunc* itidem geminus Cod. noster Bernardinian. nec non antiquæ Editiones sacror. Biblior. tam Biblioth. nostræ Bernardin. quam Gentilott. ac Griezen. Item Hugo Card. Jo. Vital. itidem Card. in Spec. verbo *Peccatum* fol. m. 253. Nic. Lyran. &c. Quin ipsemet Interpres legit *nunc* etiam Exposit. in Cant. Canticor. cap. 6. §. 281. nec non Comm. in Apocal. cap. 3. sub ver. 18. num. 236. Pariter *nunc* in fine Ser. 3. Dom. 9. post Pentec. inter editos sub S. Bonav. nomine.

(*c*) De hujusmodi *consuetudine peccati* in lapide sepulcrali Lazari significata paulo supra jam diximus, ac continuo redibit sermo. Audi S. Augustinum Ser. 44. de verbis Domini secundum Joannem: *Moles illa imposita sepulcro, ipsa est vis dura consuetudinis, qua premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur*.

(*d*) Exposit. in Lament. Jerem. Proph. ibi inquit Interpres: *Moraliter lacus est locus miseriæ culpæ*.

(*e*) Idem ibi: *Pro sepultura subjungit: & posuerunt super me lapidem*.

(*f*) *Sicut supra tactum fuit* (inquit noster Interpres Exposit. in cap. 8. S. Lucæ prope finem) *per puellam mortuam in domo, intelligitur peccatum cogitationis: per adolescentem in porta, peccatum operationis: per Lazarum in sepulcro, peccatum consuetudinis*. Pariterque in 3. Dist. 14. Par. 2. Dub. 11. nec non Serm. 1. de puella a Christo suscitata num. 5. in edendo supplem. ad Sermones Edit. Vatic. Vol. 3. hujus Supplementi. Appositissime in hanc rem S. Gregor. Lib. 4. Moral. cap. 27. num. 52. „ Redemptor noster „ (in-

Prov. 28. 13. nire, unde Prov. vigesimo octavo: Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Augustinus ibi. Augustinus: Quando contemnis, mortuus jaces; si maxime (a) contemnis, sepulchro (b) jaces; quando confiteris, procedis. Quarto discipulis solvendum exponit, quia tunc venit potestas sacerdotibus, quæ ante confessionem locum non habet. Sed Dominus præcipit, ut ostendant se sacerdotibus ad solvendum. Luc. decimo septimo de leprosis mundatis dictum est eis: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et Dominus dedit eis officium Joan. vigesimo: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Et notandum est, quod Lazarus resuscitatus triplici vinculo ligatus prodiit; quia triplex difficultas remanet in homine post remissionem peccati. Nam facies ligata dicit difficultatem in bene cogitando: ligamen pedum dicit difficultatem in benevolendo: ligamen manuum in bene operando. De his Matth. vigesimo secundo: Ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores. Sed ab his vinculis solvitur, quando per satisfactionem injunctam ab hoc triplici vinculo solvitur, & in pristinum statum restituitur. Hunc statum petebat Sampson Judic. sexto decimo: Domine Deus, memento mei, & redde nunc mihi fortitudinem pristinam, Deus meus.

Luc. 17. 14. — *Jo. 20. 23.* — In homine triplex difficultas remanet post remissionem peccati. — *Matth. 22. 13.* — *Jud. 16. 28.*

VERSUS XLVII.

825. *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi consilium (c) adversus Jesum (d), & dicebant: Quid faciemus (e), quia hic homo multa signa facit?* Ista pars Libri, quæ incipit ibi: *Fuit homo missus*, in qua agitur de Verbo incarnato, fuit divisa in tres partes. In prima agitur de Christi Incarnatione, & de Incarnati manifestatione. In secunda vero de Passione. In tertia de Resurrectione. Hic ergo incipit secunda pars. Intentio igitur hujus partis usque ad vigesimum capitulum exclusive, est agere de his, quæ spectant ad Passionem, & dividitur hæc pars in duas; quia quædam spectant ad Passionem, ut præambula: quædam vero ut circumadjacentia. Primo ergo agitur de antecedentibus; secundo vero de concomitantibus in principio decimi octavi: *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est &c.* Præambula (f) vero ad Passionem sunt tria, scilicet Judæorum machinatio, Passionis Christi prædictio, discipulorum consolatio. Ideo prima pars habet tres. Primo enim agitur de Judæorum conspiratione. Secundo de Passionis prædictione ibi: *Erant autem quidam Gentiles &c.* infra duodecimo capitulo. Tertio de discipulorum confirmatione, Joan. tertio decimo: *Ante diem festum &c.* Prima pars, in qua agitur de machinatione Judæorum, qua mortem Christi machinabantur, habet quatuor partes. In prima describitur Judæorum conspiratio. In secunda conspirationis corroboratio, ibi: *Jesus ergo ante sex dies &c.* In tertia conspirationis amplificatio, ibi: *Cognovit ergo turba multa.* In quarta in conspiratione obstinatio, ibi: *In crastinum autem turba multa &c.* Conspiratio ergo Judæorum hoc ordine describitur: primo ponitur humani consilii indagatio: secundo consilii determinatio: tertio ex hoc Christi occultatio: quarto occultati inquisitio.

Incipit secunda pars de passione, quæ in duas dividitur. — Aliæ subdivisiones. — Jo. 12. 20. — 13. 1. — Judæorum conspirationis descriptio.

826. Ponitur ergo primo humani consilii indagatio (g), quæ facta fuit occasione manifestationis Christi, propter quod dicitur: *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi consilium adversus Jesum*, unita fuit — Humani consilii indagatio.

„ (inquit) puellam in domo, juvenem extra „ portam, in sepulcro autem Lazarum suscitat. „ Adhuc quippe in domo mortuus jacet, qui „ latet in peccato. Jam quasi extra portam „ educitur, cujus iniquitas usque ad inverecun- „ diam publicæ perpetrationis aperitur. Sepul- „ turæ vero aggere premitur, qui in perpetra- „ tione nequitiæ etiam usu consuetudinis pres- „ sus gravatur. Sed hos ad vitam miseratus „ revocat; quia plerumque Divina gratia, non „ solum in occultis, sed etiam in apertis ini- „ quitatibus mortuos, & mole pravæ consue- „ tudinis pressos, respectus sui lumine illu- „ strat. “

(a) Edit. Maur. *& si tanta quanta dixi.*

(b) Edit. d. *sepultus.*

(c) Vulg. *Concilium*; sed *Consilium* Cod. Goth. apud Blanchin. Dionys. Carthus. &c.

(d) Vulg. absque *adversus Jesum*; sed ut supra Glossa interlin. nec non Cod. noster Bernardin. Item Theophylactus apud S. Tho. in Catena in Jo. cap. 11. not. *b.* Et ipse noster Interpres Comment. singul. in ver. 1. cap. 5. Apocal. n. 40.

(e) Vulg. *facimus*; sed *faciemus* Codd. Vercellen. Veron. Brixianen. Forojulien. Trident. Got. &c. Et idem Interpres noster loc. cit.

(f) Supra num. 807.

(g) Alias Judæorum *conspiratio.*

fuit simul ambitio Principium cum malitia Pharisæorum, ut per vim facerent consilium iniquum. Ecclesiastici vigesimo primo: Stuppa collecta synagoga peccantium. *Et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Chrysostomus: Adhuc hominem vocant, qui tantam Divinitatis fecerat demonstrationem (a).

Eccli. 21. 10. *Chrysostomus cit. Hom. 63.*

VERSUS XLVIII.

827. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*, & hoc sequitur inconveniens, *& venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Ideo hoc dicebant, quia Romani tunc imperabant eis; & si ipsi sibi novum Imperatorem vel Regem invenirent, timebant eorum indignationem incurrere: ideo magis voluerunt facere contra Deum, quam contra hominem, propterea Proverb. vigesimo nono: Qui timet hominem, cito corruet. Ratio autem hujus fuit, quia magis diligebant temporalia, quam æterna, unde Augustinus: Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt. Et quod timebant, hoc eis accidit. Unde Chrysostomus dicit, in eis esse impletum illud Psalmi: Infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt. Proverb. decimo: Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum justis dabitur.

Prov. 29. 25. *Augustinus in Jo. Evang. cap. 11. Tract. 49. n. 26.* *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 11. Hom. 64. ad init.* *Ps. 9. 16.* *Prov. 10. 24.*

VERSUS XLIX.

828. *Unus autem ex ipsis*, tangitur hic secundum, scilicet consilii determinatio, quæ facta est auctoritate humana, dispensatione Divina, & communi concordia. Auctoritate humana, propter quod dicitur: *Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius*, & ita auctoritatem haberet, & per hoc consilium authenticum daret, *dixit eis: Vos nescitis quidquam,*

Consilii determinatio, *Auctoritate humana.*

VERSUS L.

829. *Nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Unus ad Rom. quinto: Si enim unius, scilicet hominis Adæ (b), delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Iste non dedit consilium, quod interficeretur propter suam culpam, quia non habuisset robur; sed propter aliorum salutem (c), ut nullus posset jam huic resistere propter Christi innocentiam. Jerem. decimo octavo: Venite, & cogitemus contra Jeremiam cogitationes: Venite, & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad universos sermones ejus. Istud consilium mortis Christi processit a sacerdotibus secundum illud Daniel. tertio decimo: Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum. Hujus consilii determinatio non solum facta est auctoritate humana, sed etiam dispensatione Divina, propterea subdit Evangelista:

Ad Rom. 5. 15. *Jer. 18. 18.* *Dan. 13. 5.*

VERSUS LI.

830. *Hoc autem non dixit a semetipso*, hoc est propria adinventione, sed Divina inspiratione, propterea dicitur: *Sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit.* Spiritum propheticum honori sacerdotali attribuit (d). In hoc patet, quod Spiritus sanctus multa nobilia opera etiam per malos sacerdotes facit; unde in reverentia habendi sunt. Propterea cum Paulus malediceret summo Pontifici, comperto quod summus Pontifex esset, dixit: Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum. Act. vigesimo tertio. Et Saul cum fuit inunctus, prophetavit, primi Reg. decimo. Et prophetiam ejus explanat dicens: *Prophetavit, quia (e) Jesus moriturus erat pro gente.*

Inspiratio Divina, *In reverentia habendi Sacerdotes, etiam mali.* *Act. 23. 5.* *1. Reg. 10. 10.*

VER-

(a) S. Tho. in Jo. Evang. cap. 11. Lect. 7. not. c. absque allegat. Chrysost. *Caci sunt adhuc eum hominem vocantes, cujus tantam susceperunt Divinitatis demonstrationem.*

(b) Sic Glossa interlin. apud Lyran.

(c) Tirinus „ *Pro populo*, id est, pro populi „ salute. Ex mente Caiphæ dicendum fuisset, „ præ toto populo Judaico. Sed illi hoc di„ cere volenti Spiritus Sanctus ea verba obje„ cit, quibus pro salute totius mundi Christum „ passurum prædiceret. “

(d) Quidquid heic prophetiæ fuit, non meritis Caiphæ, sed Pontificali ejus officio dedisse Spiritum sanctum, ajunt etiam August. Chrysost. Cyrill. Theophylact. Euthym. Beda &c.

(e) Vulg. *quod*; sed *quia* etiam Codd. Veronen. Brixian. Forojulien. noster Bernardinian. alius Episc. Biblioth. Trid. antiquioresque Bibliorum Editiones nostræ, S. Tho. Hugo Card. Lyran. &c.

VERSUS LII.

831. *Et non tantum pro gente*, scilicet Judæorum; *sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*, id est, ut prædestinatos ad unitatem Ecclesiæ colligeret (a). Hæc congregatio prædicta est Isaiæ undecimo: Congregabit profugos Israel, & dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ; & Isa. sexagesimo: Filii tui de longe venient. Supra decimo: Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor. Cum auctoritate humana & dispensatione Divina concurrit subditorum concordia, propterea subditur:

Isa. 11. 12. *& 60. 4.* *Jo. 10. 16.*

VERSUS LIII.

832. *Ab illo itaque (b) die cogitaverunt, ut interficerent eum*, nullo jam contradicente; quia etsi prius quærerent eum, sicut dicitur supra septimo, & octavo: Quid me quæritis interficere? tamen non ita diffinito consilio. De hoc Proverb. decimo octavo: Occasiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis &c.

Communi concordia. *Jo. 7. 20. & 8. 40.* *Prov. 18. 1. ac seqq.*

VERSUS LIV.

833. *Jesus ergo jam non palam (c) ambulabat*, tangitur hic tertium, scilicet Christi occultatio; occultat enim se, id est, declinat, non timore, sed nostra instructione: non ut mortem fugiat, sed ut tempus congruum veniat, unde dicitur: *Jesus ergo jam non palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum* (secundum humanum modum loca secretiora quærens) *in civitatem, quæ dicitur Ephrem (d), & ibi morabatur cum discipulis suis*. De hoc Augustinus: Apparet non esse peccatum, si Fideles, qui sunt membra Christi, oculis Fidelium se subtrahant, & furorem sceleratorum potius latendo devitent, quam se offerendo magis accendant (e). Judæos fugiebat, & cum discipulis manebat. Supra decimo: Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.

Christi occultatio. *Jo. 10. 4.*

VERSUS LV.

834. *Proximum autem erat Pascha*, tangitur quartum, scilicet Christi latentis inquisitio, quæ fiebat ab eis, qui ascenderant ad diem festum; quia Christus in diebus festivis solebat ascendere, propterea dicitur: *Proximum autem erat Pascha* dies festus *Judæorum*, per antonomasiam Pascha festiva dies dicitur, quod fiebat mense primo (f), scilicet Martio (g). Exodi duodecimo: Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni. Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas &c. Et servabitis cum usque ad quartam decimam diem mensis hujus &c. Et Numeror. nono: Mense primo faciant filii Israel phase in tempore suo, quarta decima die mensis hujus ad vesperam &c. *Et ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha*, ante scilicet diem festum, & ratio subditur: *Ut sanctificarent seipsos*, quia nullus immundus audebat comedere Pascha. Numeror. nono: Homo, qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat phase Domino, in mense secundo (h) quar-

Christi latentis inquisitio. *Exo. 12. 2. ac seqq.* *Num. 9. 2. ac seqq.* *Num. 9. 10. ac seqq.*

(a) *Hæc autem secundum prædestinationem dicta sunt*, ait etiam S. August. cit. Tract. 49. n. 27. ad finem; *nam* (subdit) *neque oves ejus, neque filii Dei adhuc erant, qui nondum crediderant*.

(b) Vulg. *ergo*; sed etiam Evangelior. Codd. Vercellen. ac Triden. *itaque*.

(c) Vulg. *in palam*; sed *palam* absque *in* S. Augustinus, nec non Cod. noster Bernardin. ac Codd. Vercellen. Brixian. Forojulien. Trident. & Goth. Item Edit. sub S. Bonav. nomine &c.

(d) Ribera aliique putant, Ephrem sitam fuisse supra Jericho, juxta ejus desertum: Adrichom. autem Ephrem collocat in quinto milliario Bethelis versus Orientem, septem horis distantem a Jerusalem, juxta desertum Hai, non longe a torrente Carith, ad quem Elias fugiens Jezabel secessit, ibique fuit pastus a corvis 3. Reg. 17.

(e) Edit. Maur. *subtraherent, devitarent, accenderent*. Exemplum dedisse per fugam pericula vitæ declinandi, ajunt quoque præter laudat. Augustinum Origen. Cyrill. Theophyl. Beda, Rupert.

(f) Dicto *Nisan*.

(g) *Aprili* in editis Gorran; sed mense *Martio* Mundum, & Hominem conditum, ac redemptum fuisse, docet idem Interpres noster Exposit. in cap. 1. S. Lucæ. Non diffiteor tamen, quod mensis *Nisan* partim Martio respondet, partim Aprili; non enim totus ita est intra Martium, quin in Aprilem excurrat.

(h) Omnibus rationabili impedimento involuntario prohibitis primo mense, ut supra, celebrare pascha, id secundo mense præstandum fuisse. Ita Philo.

quarta decima die mensis ad vesperam. *Jo. 18. 28.* Joan. decimo octavo: Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Hi venerunt se exterius mundare, sed interius per contaminatam voluntatem, & homicidam mentem (*a*) inquinare, unde dicitur:

VERSUS LVI.

835. *Quærebant ergo Jesum*, scilicet ad *Ps. 39. 15.* perdendum. Psal. Confundantur, & revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. *Et colloquebantur ad invicem, in templo stantes.* Et modus quærendi subditur: *Quid putatis, quia non venit ad diem festum?* Ista quæstio fiebat in templo. Unde impletum *Jer. 7. 11.* est illud Jerem. septimo: Spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum; unde Matth. *Matth. 21. 13.* vigesimo primo: Vos fecistis eam (*b*) speluncam latronum. Quare autem sic quærerent, insinuat Evangelista: *Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.* Simile mandatum perversum dedit Saul de Davide primi *1. Reg. 23. 23.* Reg. vigesimo tertio: Considerate, & videte omnia latibula ejus, in quibus absconditur &c. Quod si etiam in terra se obstruxerit (*c*), perscrutabor eum in cunctis millibus Juda.

Quæstio prima utrum Judæi peccaverint in dando consilio de Christo Domino interficiendo.

836. Quæritur, utrum Judæi peccaverint in dando isto consilio? Quod sic, videtur, quia reprehenduntur principes sacerdotum & Pharisæi, quod Dominum occiderunt, sive occidi fecerunt, & ipse Dominus reprehendit eos supra *Jo. 7. 20.* septimo. Quod non, videtur, quia voluntas Dei erat, quod Christus occideretur; ergo in volendo ipsum occidere conformabant voluntatem suam voluntati Divinæ: & si hoc, ergo non peccabant. Item ipse Dominus voluit Filium suum pati, sed non potuit pati, nisi interficeretur, & Judæi interfecerunt; ergo voluit, quod Judæi interficerent. Item ad hoc venit, ut pateretur; ergo si Judæi non interficerent, adventus ejus frustraretur: ergo cum adventus ejus habuerit efficaciam ex Judæorum consilio, videtur, quod Judæi non peccaverint. Resp. Dicendum, *Responsio.* quod Judæi peccaverunt, & ratione actus, & ratione intentionis. Ratione actus, quia voluerunt occidere eum, quem sciebant innocentem esse, quod nullo modo potest bene fieri. Ratione intentionis, quia non intendebant implere Divinam voluntatem, sed suam satiare invidiam. Quod ergo objicitur, quod Deo placuit mors Christi, dicendum, quod activa occisio fuit permissa, sed passiva fuit beneplacita, sicut est in passionibus Sanctorum; quia illi occidebant mala voluntate, & Christus patiebatur bona. Quod quæritur quod frustra, dicendum, quod non; quia alius modus Deo erat possibilis, & Deus per malos ministros multa bona implet, sicut per Diabolum probat Sanctos: & tamen Diabolus non facit nisi demereri; sed Deus actum ordinat in bonum (*d*).

Quæstio altera utrum Caiphas in eo dando peccaverit.

837. Quæritur, utrum Caiphas peccaverit in dando illud consilium? Quod non, videtur per textum, quia dicitur in litera, quod *non dixit a semetipso*, & per hoc innuitur, quod dixit a Spiritu sancto: ergo si quod est a Spiritu sancto non est peccatum &c. Item dicitur, quod *prophetavit, cum esset Pontifex*; ergo si actus prophetandi bonus est, non dedit malum consilium, sed bonum, ergo non peccavit. Sed contra: Ipse hoc verbo intendebat dare consilium, quod Christus occideretur; ergo in dando istud consilium erat homicida &c. Respondet Præpositivus (*e*), *Præpositivus.* quod Caiphas in mala voluntate peccavit, sed in illius consilii prolatione non peccavit; quia Spiritus usus est eo, sicut instrumento, & sicut Angelus usus fuit asina Balaam (*f*). Unde illius locutio non fuit fructus ejus voluntatis; quia ipsius voluntas non fuit nisi mala, lo-

(*a*) Sic S. Joan. Chrysost. Hom. 64. in Joan. Evang. ante med.

(*b*) Vulg. *illam*; sed *eam* quoque Codd. Corbejen. Veronen. Brixian. &c.

(*c*) Vulg. *in terram se abstruserit*; sed *in terra se obstruxerit* etiam Cod. noster Bernard. A. V. 1. Editionesque nostræ Biblior. antiquiores habent quidem *obstruxerit*; sed *in terram*.

(*d*) 3. Dist. 20. Dub. 4.

(*e*) Magister a D. Bonaventura allegatus, uti adnotavimus in Prodromo col. 518.

(*f*) Notavit etiam Origenes, quod Spiritus Sanctus per os ejus locutus est, sicut Angelus locutus est Balaam impio per os asinæ, Numer. 22. 28. ac seqq.

locutio vero non fuit nisi bona. Di-
Responsio. cendum tamen, quod Caiphas non tantum protulit ut asinus, sed ut homo perversus, intendens per hoc persuadere malum (*a*). Unde dicendum, quod istius sermonis duplex fuit principium, intentio formata, & Divina inspiratio. Divina inspiratio, & hæc simpliciter bona; Caiphæ intentio, & hæc simpliciter mala. Et secundum istud duplex principium, duplex respondet in sermone intellectus: primus est carnalis, & iste fuit malus ad vitandam Romanorum offensionem: secundus est spiritualis & bonus propter humani generis salvationem. Et sic concedendum, quod peccavit (*b*). Et aliquis Propheta potest peccare, sicut prædicendo, (*c*) sic miracula faciendo, quando suam pervertit intentionem.

C A-

(*a*) Hinc S. Chrysostomus, *Spiritum Sanctum Caiphæ linguam, non cor movisse*. Unde etiam: *Vide* (inquit Hom. 64.) *quanta sit virtus Spiritus Sancti: a mente mala voluit verba proferri prophetica*. Et S. Ambrosius in Ps. 118. Serm. 15. n. 10. *Aliud dicere volebat, aliud significabat*.

(*b*) Ita diserte idemmet noster Interpres 4. Dist. 19. Dub. 1. respondet „ Dicendum quod „ in prophetatione illa duo est considerare, „ scilicet verbum cogitationis interioris, & ver„ bum exterioris hominis. In verbo autem „ ipso interiori est considerare duo, scilicet „ ipsius immissionem, vel inspirationem, & post „ immissionem verbi, immissi dijudicationem, „ quæ fuit ab intellectu Caiphæ. Et cum ver„ bum haberet duplicem intellectum, scilicet „ carnalem, & spiritualem, Spiritus Sanctus im„ misit secúndum intellectum spiritualem, & „ ipse intellexit secundum carnalem. Et secun„ dum hunc duplicem intellectum verbum exte„ rius duplicem facit intelligentiam in audito„ ribus. Unam carnalem in Judæis, & aliam „ spiritualem in Christianis: & secundum pri„ mum intellectum non fuit verbum propheta„ tionis, sed conspiratio; secundum vero se„ cundum intellectum verbum fuit verum, & „ prophetia facta fuit Christianis. Unde pro„ phetavit nesciens quid diceret quantum ad „ verum intellectum, secundum quem inspira„ tum fuerat verbum. Et secundum duplicem „ intellectum dicitur verbum illud fuisse factum „ Spiritus sancti, vel malæ voluntatis ipsius Pontificis. “ Pariterque Dionys. Carthus. Estius, Cornel. a Lap. Mariana &c. Hinc neutiquam censendus est *Propheta, nisi*, ut loquitur S. Tho. heic Lect. 7. sub not. g. in fine, *in quantum habuit propheticum actum in denuntiatione; imaginatione, & ratione ejus in contrarium existente*.

(*c*) Quod *per homines malos prophetiæ spiritus* possit *futura prædicere*, ait D. Augustinus cit. Tract. 49. num. 27. Quodque *multi alii futura prædixerint indigni existentes*, adseverant Hugo Card. & Exposit. in cap. 11. Evang. S. Jo. sub S. Bona. nomine.

CAPUT DUODECIMUM.

1. JESUS ergo ante sex dies Paschæ venit Betha-
niam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem su-
scitavit Jesus. 2. Fecerunt autem ei cænam
ibi: & Martha ministrabat, Lazarus vero unus
erat ex discumbentibus cum eo. 3. Maria
ergo accepit libram unguenti nardi pistici pre-
tiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes
ejus capillis suis: & domus impleta est ex odo-
re unguenti. 4. Dixit ergo unus ex discipulis
ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus. 5. Quare hoc unguen-
tum non væniit trecentis denariis, & datum est egenis? 6. Dixit au-
tem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat,
& loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. 7. Dixit ergo Je-
sus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. 8. Pauperes
enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis. 9. Co-
gnovit ergo turba multa ex Judæis quia illic est: & venerunt, non
propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a
mortuis. 10. Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut & Laza-
rum interficerent: 11. Quia multi propter illum abibant ex Judæis,
& credebant in Jesum. 12. In crastinum autem turba multa, quæ
venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam:
13. Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & cla-
mabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex
Israel. 14. Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum, sicut scrip-
tum est: 15. Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens su-
per pullum asinæ. 16. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum:
sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant
scripta de eo, & hæc fecerunt ei. 17. Testimonium ergo perhibebat
turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, &
suscitavit eum a mortuis. 18. Propterea & obviam venit ei turba:
quia audierunt eum fecisse hoc signum. 19. Pharisæi ergo dixerunt
ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post
eum abiit. 20. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascende-
rant ut adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philip-
pum, qui erat a Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Do-
mine, volumus Jesum videre. 22. Venit Philippus, & dicit Andreæ:
An-

Andreas rurium & Philippus dixerunt Jesu. 23. Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. 24. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit. 25. Ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. 27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. 28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificavi, & iterum clarificabo. 29. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est. 30. Respondit Jesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. 31. Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. 32. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. 33. (Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.) 34. Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege; quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? 35. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus: & abiit, & abscondit se ab eis. 37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum. 38. Ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: 40 Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos. 41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo. 42. Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur: 43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. 44. Jesus autem clamavit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. 45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. 46. Ego lux in mundum veni: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. 47. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit: ego non judico eum, non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. 48. Qui spernit me, & non accipit verba mea: habet qui judicet eum: sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. 49. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. 50. Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

838.

JEsus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Postquam descripta est Judæorum conspiratio, describitur hic secundo ipsius roboratio; robur accepit ipsa conspiratio ex proditoris indignatione. Hæc igitur proditoris indignatio ortum habuit ex avaritia, sed occasionem ex effusione unguenti facta in convivio. Ideo describitur per hunc modum: primo describitur convivium Domini: secundo effusio unguenti; tertio indignatio Judæ; quarto excusatio Mariæ. Convivium Christo Domino factum est, ubi erat suscitatus Lazarus, ante diem festum per sex dies. Unde dicitur: *Jesus ergo ante sex dies Paschæ*, id est, sexto die ante Pascha (*a*), *venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus*. Ibi factum est convivium in præsentia Lazari suscitati, unde dicitur:

Conspirationis Judæorum adversus Christum roboratio.

Convivii Domini descriptio, ubi Lazarus fuerat mortuus, ac suscitatus.

VERSUS SECUNDUS.

839. *Fecerunt autem ei cœnam ibi:* Quia Apocal. tertio: Si quis aperuerit mihi januam, introibo (*b*) ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Et licet in præsentia Lazari fieret, tamen Lazarus non ministrabat; sed manducabat, ut resurrectionis veritas probaretur. Et Marci quinto de puella suscitata jussit illi dari manducare &c. propter quod dicitur: *Et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo*. Semper Martha ministrat, & sollicita est, tanquam prudens mulier. Unde Luc. decimo: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Ideo per eam vitam activam intelligimus, quæ sollicitudinibus anxiatur (*c*).

Apoc. 3. 20.

Mar. 5. 43.

Luc. 10. 40.

VERSUS TERTIUS.

840. *Maria ergo accepit libram*, tangitur hic secundum, scilicet effusio unguenti, quæ facta est a Maria, quæ non discumbebat, nec ministrabat; sed ipsa Dominum speciali refectione pascebat. Unde circa eum vehementi devotione flagrabat, cujus devotio exprimitur in unguento effuso, propter quod dicitur: *Maria ergo accepit libram unguenti* (magna fuit unguenti quantitas, quia magna erat devotio) non cujusque modi, sed *nardi*, id est, de nardo. Nardus est herba aromatica, sicut dicit Isidorus, quæ vehementis est odoris, propter quod dicitur in Cantic. primo; Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. De spicis nardi fit pretiosum unguentum, unde dicitur Marc. quartodecimo: Nardi spicati (*d*), *Pistici*. Glossa: id est, fidelis, ad differentiam sophistici (*e*); *pretiosi*, quia magni pretii erat & valoris. *Et unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: Et domus impleta est ex odore unguenti*. Ad literam Judæi unguentis valde odoriferis utebantur (*f*); ideo Dominus pretiosissimum unguentum sibi offerri præcepit Exod. trigesimo, & aliis illud prohibuit; unde vocavit illud Sanctum Sanctorum, quod esset in odorem suavissimum Domino.

Effusio unguenti.

Isidorus Etymologiar. L. 17. c. 9.

Cant. 1. 11.

Mar. 14. 3.

Glossa ordinar.

Unguentorum odoriferorum usus apud Judæos.

Exo. 30. 36. ac seq.

VER-

(*a*) Ita etiam Sa. Circa autem diem, an esset veneris, sabbati, vel Dominicæ, videsis discordantes Interpretes, videlicet Cornel a Lap. Calmet. Tirinum &c.

(*b*) Hanc circa variantem a Vulg. lectionem in Comment. Interpretis nostri cit. cap. 3. Apocal. ibi num. 240. Sed & *intrabo*, pro introibo habet etiam Biblior. Cod. Biblioth. Episc. Trid. nu. 58.

(*c*) Supra cap. 11. num. 792.

(*d*) Sic Exposit. in Cant. Cantic. cap. 1. §. 78.

(*e*) Sive *sophisticati per aliquam admixtionem*, ut habetur apud S. Thomam in Jo. Evang. cap. 12. Lect. 2. d.; *nam pistis in Græco idem est ac fides*.

(*f*) Ita quoque eadem Exposit. in Cant. Cantic. cap. 1. § 16.

VERSUS QUARTUS.

Indignatio Judæ contra mulierem.

841. *Dixit ergo unus ex Discipulis ejus, Judas*, tangitur hic tertium, scilicet indignatio Judæ contra mulierem, quia unguentum effuderat, propter quod: *Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus*, propter avaritiam scilicet, & propter avaritiam dixit:

VERSUS QUINTUS.

Matth. 26. 8. ac seq.

842. *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis?* Matth. vigesimo sexto: Ut quid perditio hæc? potuit enim istud venumdari multo, & dari pauperibus. Et quia videbatur hoc dixisse ex pietate, ostendit Evangelista quod dixit ex cupiditate, propter quod dicitur:

VERSUS SEXTUS.

Eccli 4. 1. *Matth. 26. 15.* *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 12. Hom. 64. Quantum avaritiæ malum.*

843. *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum*, quia de pauperibus non curabat contra illud Ecclesiastici quarto: Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas a paupere &c. *sed quia fur erat, & loculos habens*, tanquam dispensator, *ea, quæ mittebantur, portabat*, id est, asportabat (*a*), & furabatur, & ideo gaudebat, quando plura dabantur; unde propter avaritiam suam vendidit Dominum. Unde dicitur Matth. vigesimo sexto, quod abiit ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Unde & Chrysostomus: Avaritia cor in servitutem redigit, hæc proditorem fecit Judam, & Giezi leprosum, & Ananiam, & Saphiram morti tradidit.

VERSUS SEPTIMUS.

Excusatio Mariæ Magdalenæ a Christo facta.

844. *Dixit ergo eis* (*b*) *Jesus: Sinite illam*, tangitur hic quartum, scilicet excusatio Mariæ, quia ei Judas insultabat, quasi de malefacto; & vult Dominus ostendere, quod melius fecit, quam si dedisset pauperibus, propter quod dicitur: *Sinite illam*, id est, nolite esse molesti ei. Non eos culpat, sed Mariam excusat: *Ut in diem sepulturæ meæ servet illud*, quod quidem melius est, quam dare egenis.

VERSUS OCTAVUS.

Deut. 15. 11. *Jo. 16. ...* *Matth. 26. 10.*

845. *Pauperes enim semper vobiscum habebitis* (*c*). Deuter. quinto decimo: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. *Me autem non semper habebitis* (*d*), secundum corporalem præsentiam. Joan. sexto decimo: Modicum, & non videbitis me, quia vado ad Patrem; & ideo magis expedit, mihi humanitatis beneficium exhiberi. Ideoque non debetis esse molesti. Matth. vigesimo sexto: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.

Spiritualis intelligentia de triplici convivio, incipientium, proficientium, & perfectorum. Triplex convivium Domino factum. *Matth. 9. 10.* *Luc. 7. 36.* *Bethania domus obedientiæ, & hæc est Religio.*

846. Spiritualiter sunt hic duo notanda, quod scilicet fuerit illud convivium, & quod unguentum. Et notandum, quod triplex convivium legimus Domino factum. Primum a Matthæo publicano converso Matth. nono: Eo discumbente in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus; hoc est convivium pœnitentium. Secundum a Simone Pharisæo Luc. septimo: Rogabat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo; hoc est proficientium, quia Pharisæi legem servabant (*e*). Tertium a Maria, Martha, & Lazaro in Bethania, ut hic. Bethania est domus obedientiæ (*f*), & hæc est Religio, in qua sunt homines

(*a*) Hoc verbum usurpat quoque in Legen. S. Clar. cap. 3. num. 27.

(*b*) Vulg. absque *eis*. S. August. & Cod. Veron. habent *ei*, quia postea legunt *sine*, non *sinite*.

(*c*) Vulg. *habetis*; sed *habebitis* quoque Cod. noster Bernardin. nec non Bibliorum Editiones antiquiores, ipsaque edit. Exposit. in cap. 12. S. Jo. sub S. Bona. nomine. Item Codd. Veronen. Gat. Min. Trident. & Goth. S. Tho. Hugo Card. &c.

(*d*) Hoc secundo loco, non primo, legit *habebitis* Cod. Vercellen. Item alius Biblioth. Episc. Trident. ac etiam Lyranus, & Carthusianus. Vulg. tamen iterum *habetis*.

(*e*) Apud Gorran. in editis: *Quia Pharisæi opinione sua soli legem servabant*.

(*f*) Exposit. in cap. 19. & cap. 24. S. Lucæ prope finem ejusdem Expositionis. Et ita Glossa, S. Bernardus &c.

in statu perfectionis, secundum illud Matth. decimo nono: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes (*a*), & da pauperibus; & hoc est convivium perfectorum.

Matth. 19. 21.

De triplici Magdalenæ unguento, contritionis, devotionis, & compassionis.

847. Nota similiter de unguento secundum spiritualem intelligentiam, quod triplex est, unde & ter Maria unxisse Dominum legitur. Est enim unguentum contritionis, quod significatum est in illo, Luc. septimo: Lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Devotionis, & hoc significatum est hic, & Matth. vigesimo sexto: Cum esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Compassionis, & hoc Marci ultimo: Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Primo unguento inunguntur pedes. Secundo caput. Tertio vero totum Domini corpus (*b*).

Luc. 7. 38. — *Matth. 26. 6. ac seq.* — *Mar. 16. 1.*

Quæstio prima de tribus contrarietatibus, quæ apparent circa hoc in Evangelistarum enarratione.

848. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicitur, quod ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi unctus est a Maria. Quia Matth. vigesimo sexto dicitur: Scitis quia post biduum Pascha fiet, & post, quod in domo Simonis unctus est a Maria; ergo videtur per biduum ante, & hic dicitur, quod per sex dies. Item objicitur de hoc, quod dicitur, quod unxit pedes, quia dicitur Matth. vigesimo sexto, quod effudit super caput ejus. Si effudit super caput, quomodo unxit pedes? Item de alia contrarietate, quia ibi dicitur, quod videntes discipuli indignati sunt, hic autem dicitur, quod unus indignatus, scilicet proditor. Ad has tres contrarietates respondetur per tres regulas Augustini de concordia Evangelistarum. Prima est, quod aliquando unus Evangelista aliquid dicit secundum seriem historiæ, alter dicit per recapitulationem, & per hoc solvitur primum; quia Matthæus recapitulando dicit, sicut ibidem ostendit (*c*). Secunda regula est, quod unus omittit, alter dicit, & utrumque factum est; sed non utrumque ab utroque dictum: sic solvitur secundum, quia & pedes unxit, & deinde totum super caput effudit. Tertia regula est, quod mos est Evangelistarum pluralem numerum pro singulari ponere per Synecdochen; & ideo dixerunt alii, quod discipuli indignati sunt, sed Joannes exprimit proprie, quis fuerit.

Matth. 26. 2. ac. 6. — *Hic. ver. 3.* — *Matth. 26. 7.*

Responsio. Tres regulæ pro Evangelistarum concordia. *Augustinus de consen. Evang. L. 2. c. 72. n. 153. ac seqq.*

Quæstio secunda de hoc quod de Juda dicitur: *Non quia de egenis pertinebat ad ipsum.*

849. Item quæritur de hoc quod dicit Evangelista de Juda: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum.* Sed contra: Erat dispensator, ergo pertinebat. Item dicit, quod fur erat, & loculos habebat, unde est hoc, quod Dominus voluit furi loculos committere? Videtur, quod ei daret occasionem peccandi. Item quare non corripuit eum Dominus, ex quo sciebat eum esse in peccato? Item cum Dominus esset in extrema paupertate (*d*), & præcepisset discipulis non recipere pecu-

Domini extrema paupertas.

(*a*) Vel *possides* secundum aliam lectionem, de qua Comment. in Apocal. cap. 6. num. 439. Ceterum superiorem lectionem habet Interpres eodem Comment. in Apocal. cap. 13. num. 972. in Leg. S. Franc. cap. 3. ac in Apol. Pauper. Tert. Resp. prima partic. Art. 1. duo nostri Codd. Bernardin. & alius Biblioth. Episc. Trident. antiquiores Biblior. Editiones, nec non Hugo Card. Lyran. &c. Item inter Patres S. Greg. Moral. Lib. 26. cap. 27. num. 51. Sed Vulg. *vade, vende, quæ habes.*

(*b*) De *trifario unguento, compunctionis, compassionis, devotionis*, quorum *primo pedes; secundo corpus, sed tertio ungitur caput, & ideo Magdalena ter legitur venisse ad Dominum ungendum;* idem Interpres Exposit in cap. 7. S. Lucæ ad illum ver. *unguento ungebat.* Sed & de *unguento compunctionis, & devotionis* Exposit. in Cant. Canticor. cap. 1. ver. 2. §. 17.

(*c*) Ita etiam in Exposit. jam edita sub S. Bonav. nomine ex eodem Augustino. Quo spectat etiam illud quod animadvertit Du-Hamel. Præf. in quatuor Evangelia inquiens „ In factis „ enarrandis interdum anticipatione, interdum „ utuntur recapitulatione. Sic Matthæus & „ Marcus, ille cap. 26. hic cap. 14. cœnam „ & unctionem in Bethania factam per recapi„ tulationem referunt, quam Joannes suo loco „ commemorat. Joannes ubique servat ordinem „ temporum, & locorum, nec fere anticipa„ tione utitur, aut recapitulatione &c. " *De recapitulatione & anticipatione* idem S. August. in 3. De Doctr. Christ. ubi in diversis capitulis exponit 7. Tichonii regulas, aliasque addit, quas etiam refert noster Petrus Aureolus in Prologo suorum Commentarior. sacr. Scriptur. Art. 2.

(*d*) Hanc Christi *extremam paupertatem* alibi quoque magnificat S. Bonaventura. Profecto *extrema* fuisse videtur Christi *paupertas*, cum ipsemet dicat Luc. 9. 58. *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet*; in quo, secundum eundem Interpretem nostrum, *miram ostendit inopiam.* Et hanc maxime demonstravit, cum in Cruce rebus omnibus, etiam vestibus, ultro se se abdicavit. Vid. Nic. III. cap. *Exiit qui seminat*, de

cuniam, unde eſt, quod loculos habebat? Dico ad primum, quod pertinere dupliciter eſt, aut quantum ad affectum, aut quantum ad officium: primo modo non pertinebat ad Judam: ſecundo modo ſic. Ad ſecundum dico, quod duplex fuit ratio, ſcilicet Divini judicii diſpenſatio, & noſtra inſtructio. Divini judicii diſpenſatio in hoc, quod Dominus malo ejus deſiderio ſatisfaciebat, ſicut avaros in præſenti ditat; ut etiam Judas non haberet excuſationem, quod proderet Dominum propter inopiam. Noſtra inſtructio, quia oſtendit Dominus, quod parvam vim facit in divitiis Eccleſiarum (a), ſed magnam in theſauro animarum. Ad aliud dicendum, quod non corripuit, quia ſciebat quod non melioraretur, ſed pejor efficeretur; nec officium abſtulit, ne proderet crimen, & ad majus crimen incitaretur (b). Ad aliud dicendum, quod, ſicut dicit Hieronymus, Dominus habuit loculos, non ad uſum ſuum, ſed magis ad uſum pauperum (c). Unde quando ſolvit didrachma, miſit Petrum ad mare Matth. decimo ſeptimo, ubi invenit pretium in ore piſcis; quia nolebat ea, quæ data erant pauperibus, in uſum ſuum convertere. Alia ratio, ut innoteſceret contra Hæreticos (d), quod liceret Eccleſiæ ſuæ decimas poſſidere (e).

Reſponſio. — *Parvam vim facit Dominus in divitiis Eccleſiarum, ſed magnam in theſauro animarum.* — *Hieronymus Comment. in Matth. L. 3. c. 17. in fine.* — *Matth. 17. 23. ac ſeqq.*

850. Item quæritur de hoc quod dicitur in litera: *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*. Si enim effundatur ſuper caput, quomodo in diem ſepulturæ poterat conſervari? Ad hoc reſpondetur tripliciter, uno modo litera exponitur ſic, *ut ſervet illud*, id eſt, partem ex illo; ſed iſtud non valet; quia non unxit corpus Domini Maria in die ſepulturæ. Ideo exponit Victor (f) *ſervet illud*, id eſt, devotionem circa illud, ſcilicet devotionem ungendi; quia voluit corpus Domini ungere, quamvis non unxerit (g). Alio modo ſic, ut fiat vis in verbo *ſervandi*; ſervare dicitur contra perdere: unguentum autem, quod in terram effunditur, perditur; ſed quo mortuorum corpora condiuntur, perdi non dicitur, ſed ſervari. Modo voluit Dominus contra Judam dicere, quod non eſt facta perditio unguenti, ſed conſervatio in diem ſepulturæ præveniendo (h). Unde dicitur Marci quarto decimo: Prævenit corpus meum ungere in ſepulturam. Et ſic eſt intelligendum.

Quæſtio tertia de hoc quod dicitur: Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. Reſponſio triplex, quarum prima rejicitur. — *Victor.* — *Marc. 14. 8.*

VERSUS NONUS.

851. *Cognovit ergo turba multa &c.* Prædeterminata eſt conſpiratio, & conſpirationis corroboratio, tertio hic tangitur conſpirationis amplificatio. Prius enim cogitaverant Jeſum occidere, hic non ſolum Jeſum, ſed etiam Lazarum ſuſcitatum. Et ratio erat, quia multi propter eum credebant in Jeſum. Duo ergo hic notantur, ſcilicet credentium multitudo, & perverſitatis Judæorum amplificatio. Credentium multitudo facta eſt occaſione ſuſcitationis Lazari, propter quod dicitur: *Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic eſſet* (i), ſcilicet in Bethania: *Et venerunt, non propter Jeſum tantum, ſed ut Lazarum viderent, quem ſuſcitavit a mortuis.* Adhuc infirmi erant, quia eorum oculi non tantum delectabantur in aſpectu Auctoris, ſed potius operum; unde erant de illis, de quibus dicitur ſupra ſecundo: Multi crediderunt in nomine ejus, viden-

Conſpirationis amplificatio. — *Credentium multitudo.* — *Jo. 2. 23.*

de verbor. ſignificat. in 6. ubi declarat paupertatem Fratribus Minoribus mandatam a S. P. Franciſco, qui ad inſtar Chriſti Domini ſummam paupertatem, & auditatem rerum omnium adamavit. Vid. quoque ipſummet Interpretem noſtrum in Apolog. Pauperum, Reſponſ. tert. cap. 2. de *perfectione paupertatis extremæ* differentem.

(a) Hujus aſſertionis ratio videri poteſt apud ipſummet S. Bona. in Apolog. pauper. tert. reſponſ. partic. 2. Art. 1.

(b) Ita Expoſit. in cap. 22. S. Lucæ.

(c) Sic in Opuſculo de paupertate Chriſti contra Magiſtrum Guilelmum una cum eodem Hieronymo ad 2. ubi itidem noſter Interpres, ceu verus Frater Minor, ſtat pro Chriſti *altiſſima paupertate*, quam paulo ſupra *extremam* agnovit. Videſis eumdem quoque in Expoſit. Reg. Fratr. Minor c. 4. &c.

(d) Arnaldi Brixienſis aſſeclas.

(e) Quippe ait in cit. Apol. pauper. reſponſ. partic. 1. Art. 2. *Domino debentur, & jure Divino deputantur Eccleſiæ.*

(f) Apud Gorran. heic *Victorinus*; ſed alibi *Victor*.

(g) Gloſſa interlinearis: *Ut ſi re non impleat, tamen devotione poſt meam mortem.*

(h) Ita quoque Sa inquiens „ *Servet illud*, „ quaſi dicat: Ut præveniat ſic tempus ſepul- „ turæ, quo id facere non poterit. Græc. *in* „ *diem ſepulturæ meæ ſervavit illud*, quaſi dicat: „ Fecit antevertens tempus ſepulturæ. “

(i) Vulg. *eſt*; ſed *eſſet* Cod. quoque noſter Bernardin. ac alius Biblioth. Epiſc. Trident. & Hugo Card.

videntes signa, (a) quæ faciebat. Unde miracula videre volebant, supra sexto: *Jo. 6. 2.* Sequebatur Jesum multitudo magna, quia videbat signa &c.

VERSUS DECIMUS.

852. *Cogitaverunt autem Principes sacerdotum*, tangitur hic secundum, scilicet *In Principibus Sacerdotum amplificatio perversitatis.* conspirationis & perversitatis amplificatio in actione, quia non solum in Dominum sæviebant, sed & in alios propter eum, unde dicitur: *Cogitaverunt autem Principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent*, non tantum Jesum. Isaiæ *Isa. 1. 15.* primo: Manus vestræ sanguine plenæ sunt, & ratio subditur:

VERSUS XI.

853. *Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum*, & ideo *Augustinus in Jo Evang. cap. 12. Tract. 50. n. 14. in fine.* interficere volebant. Augustinus: O stulta cogitatio, & cæca sævitia! Dominus, qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino potestatem? Si aliud videtur mortuus, aliud occisus: Ecce Dominus utrumque fecit, & Lazarum mortuum, & se ipsum suscitavit occisum. Viam salutis claudere volebant. Matth. vige- *Matth. 23. 13.* simo tertio: Vos non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

VERSUS XII.

854. *In crastinum autem &c.* Determinata est conspirationis amplificatio, determinatur hic quarto & ultimo ipsius *Malitiæ consummatio per obstinationem.* per obstinationem malitiæ consummatio. Et hæc obstinatio occasionem habuit ex honore Domino exhibito, propter quem in miram invidiam prosiliebant, & proceditur sic. Primo determinatur *Christi honorificatio.* Christi honorificatio: secundo honoris illius per Scripturam approbatio: tertio honorificandi ratio: quarto Pharisæorum *Descriptio ejus tripliciter. Quoad modum occurrendi.* malevolentissima obstinatio. Honor autem describitur tripliciter. Primo ad modum occurrendi, quia cum lætitia, propter quod dicitur: *In crastinum autem*, scilicet die Dominica (b), *turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia Jesus venit Jerosolymam*, occurrerunt ei cum lætitia, in cujus signum

VERSUS XIII.

855. *Acceperunt ramos palmarum, & processerunt ei obviam*, hunc morem habebant ex lege, unde dicitur secundi Esdræ octavo: Egredimini in montem, *2. Esdr. 8. 15.* & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum. Describitur etiam quo- *Quoad modum laudandi.* ad modum laudandi, propter quod dicitur: *Et clamabant: Hosanna*, sicut dicit Glossa: Vox ista est obsecrantis, *Glossa ordinar.* potius indicans affectum, quam aliud significans, sicut interjectiones (c), & *Hosanna vox hebræa idem valet, quod Salva obsecro.* tantum valet, quantum Salva obsecro (d): *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel*, in quo confitentur in ipso regiam dignitatem, non ab homine, sed a Deo, ideo dicunt: *Rex Israel in nomine Domini*, secundum illud Lucæ primo: Hic erit magnus, & Filius Al- *Luc. 1. 32.* tissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum. Describitur etiam quoad modum proce- *Quoad modum procedendi.* dendi, quia non procedebat per pedes, sed super asinum insidebat, propter quod dicitur:

VERSUS XIV.

856. *Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum.* Etsi verus Rex esset, & honorem regium sibi offerri permitteret; non tamen in multitudine equorum, sed super asinum venit. In quo significatur, ut dicit Augustinus, quod *Augustinus ibi Tract. 51. n. 4.* non ad exigendum tributum, vel ad armandum exercitum ferro, hostesque visibiliter debellandos: sed Rex Israel erat, qui (e) mentes regat, qui in æternum consulat, qui in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat. *Sicut scriptum est*, tangitur hic secundum, scilicet facti illius per Scrip- *Honoris illius per Scripturam approbatio.* turam approbatio, & hoc facit ostendendo

(a) Vide supra cap. 2. num. 140.
(b) Sic post Glossam interlin. Hugo Card. Auctor Exposit. in Jo. Evang. cap. 12. sub S. Bonav. nomine, quin & ipsemet S. Bonav. Serm. 1. Dom. in Ram. palmar. Adeundi in hanc rem Sa, Cornel. a Lap. &c.
(c) Pariter S. August. ibi Tract. 15. num. 2. dictaque Exposit. sub S. Bona. nomine.
(d) Ita quoque noster Interpres in Exposit. Missæ, Glossa interlin. ac Dionys. Carthus.
(e) Edit. Maur. *sed Rex Israel, quod &c.*

dendo istud in Scriptura fuisse prædictum; quia hoc robur dat veræ fidei. Propterea dicitur, quod sedit super asinum in honore regio; & ne putes hoc casu gestum, ideo dicitur: *Sicut scriptum est* Zachariæ nono. *Zach. 9. 9.*

VERSUS XV.

857. *Noli timere filia Sion*, id est, Ecclesia, minus dicit, & plus intelligit, id est, exulta. Zachar. nono: Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem (*a*). Et ratio exultationis redditur: *Ecce Rex tuus venit tibi* (*b*): Ecce regia dignitas. *Sedens super pullum asinæ* (*c*): Ecce mansuetudo & humilitas (*d*). Et in adventu talis est lætandum, quia dicitur Proverb. sexto decimo: In hilaritate vultus Regis vita: & clementia ejus, quasi imber serotinus. Et licet honor iste esset prædictus, tamen non est a discipulis Christi præcognitus, ut scias hoc non esse factum humana adinventione, sed Divina dispensatione, propterea subditur: *Zach. ibi.* *Prov. 16. 15.*

VERSUS XVI.

858. *Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum*, quando scilicet hunc honorem contulerunt: *Sed quando glorificatus est Jesus*, post resurrectionem & ascensionem, *tunc recordati sunt*, id est, adverterunt, *quia hæc erant scripta de eo: Et hæc fecerunt ei*. Post glorificationem cognoverunt, sed non ante; quia tunc, sicut dicitur Lucæ ultimo: Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. *Luc. 24. 45.*

VERSUS XVII.

859. *Testimonium ergo perhibebat &c.* Tangitur hic tertium, scilicet honoris exhibiti ratio, & hæc erat ipsa mirabilis Lazari suscitatio, quæ turbis constabat, propter quod dicitur: *Testimonium ergo perhibebat illi* (*e*) *turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento*, dicens: Lazare veni foras, *& suscitavit eum a mortuis*. Ista turba perhibebat testimonium ejus omnipotentiæ, turba scilicet simplicium, & etiam turba sapientium. Sapientium Act. decimo: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent. Simplicium Psal. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Propter quod signum & testimonium collatus est ei honor iste, ideo dicitur: *Honoris exhibiti ratio.* *Jo. 11. 43.* *Act. 10. 43.* *Ps. 8. 3.*

VERSUS XVIII.

860. *Propterea* (*f*) *obviam venit ei turba, quia audierunt fecisse hoc signum*. Turba simplex videns signa movebatur ad fidem & devotionem, propter quod dicitur Matth. nono: Videntes turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Sed Scribæ dicebant quod blasphemaret. *Matth. 9. 8.*

VERSUS XIX.

861. *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis &c.* Tangitur hic quartum, scilicet Pharisæorum ex invidia obstinatio, propterea dicebant inter se: *Videtis quia nihil proficimus* (*g*), scilicet quamdiu vivit. Secundæ ad Timoth. tertio: Et hi veritati resistunt, homines corrupti *Pharisæorum ex invidia obstinatio.* *2. ad Tim. 3. 8. ac seq.*

(*a*) Item Isaias habet 62. 11. *Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit*. Unde quidam Lib. MSS. ferunt: *Per Isaiam Prophetam*; alii: *Per Zachariam Prophetam*. Vaticinium certe ex utroque est.

(*b*) Vulg. absque *tibi*; sed *tibi* etiam Evangelior. Cod. noster Trident. ac Cod. Mm. apud Blanchin. 8. Tho. Hugo Card. Lyran. nec non cit. cap. 9. Zachar. ver. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi*. Et *venit tibi* insuper habetur in ipsamet Vulg. Matth. 21. 5.

(*c*) Zachar. ibi: *Veniet tibi justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ*; sicque apud ipsummet S. Bona. Serm. 1. Dom. in Ram. Palmar.

(*d*) Ipsemet S. Bona. ibi, nec non in Ligno Vitæ Tit. *Jesus Rex orbis agnitus*.

(*e*) Deest *illi* in Vulg.

(*f*) Vulg. *&* *obviam*; sed *&* deest quoque in Codd. Vercellen. Veronens. ac Goth. Item in Evangeliar. nostro Trident. ubi tamen legitur: *Ideo occurrit illi turba, quoniam audierunt quod hoc fecisset signum*.

(*g*) Vulg. *Videtis quia nihil proficimus?* sed absque interrogatione etiam Cod. noster Bernardinian. ac alius Biblioth. Episc. Trident. Codexque Brixianus, nec non Hugo Card. Nic. Lyran. Edit. Biblior. Nurinbergen. 1478. Basileen. 1509. ac Colonien. 1527. Græca, Syrus, Arabicus habent apud Cornel. a Lap. *Videtis nos nihil proficere*. Evangeliar. autem Eccl. Trident. absque interrogatione sic habet: *Itaque Pharisæi dixerunt ad illos: Videtis quod nihil proficitis*.

rupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. Et post: *Ecce totus mundus post eum abit*, sive tota Judæa post eum vadit (*a*). In quo notatur quod jaculo invidiæ commoti sunt, unde dicitur Matth. vigesimo primo, quod videntes Scribæ & Pharisæi indignati sunt, quia ex invidia dolebant, ex superbia despiciebant, ex ipsa ira furebant; & ideo in malitia obstinati erant. Invidia Diaboli mors intravit (*b*) in orbem terrarum &c. Sapient. secundo. Et Ecclesiastici quarto decimo: Oculus malus ad mala, & non satiabitur pane, sed indigens, & in tristitia erit super mensam suam.

Matth. 21. 15. *Sap. 2. 24.* *Eccli 14. 10.*

Quæstio prima cur Christus, qui antea a facie Judæorum se absconderat, modo se manifeste offerat, & qui antea regium honorem fugerat, nunc ipsum suscipiat. *Jo. 11. 53. ac 6. 15.* Responsio. *Augustinus.* Deus pro congruitate non facit contraria, sed diversa.

862. Sed quæritur hic, quia videtur quod Dominus in operibus suis fuerit sibi contrarius; quia supra undecimo dicitur, quod Dominus abscondit se a facie Judæorum persequentium, hiç autem ita manifeste se offert. Item Dominus supra sexto fugit in montem, quando voluerunt eum facere Regem, hic suscipit honorem collatum sibi, tanquam Regi, & approbat. Resp. Dicendum, quod Dominus, sicut dicit Augustinus, non facit contraria, sed pro congruitate facit diversa; sicut prius vetus, & post novum edidit Testamentum. Propter quod dicendum, quod tempus passionis prius nondum advenerat, modo aderat; ideo prius se occultabat, quia tempus expectabat: modo cum adest opportunitas & tempus, se manifestat. Similiter ad secundum; quia ante passionem ignotus esse volebat, prope & post passionem vero glorificandus; ideo tunc honorem regium, & non ante suscepit. Alia ratio est, quia isti non fecerunt eum Regem, sed a Deo missum recognoscebant; sed illi eum Regem facere volebant. Tertia ratio est, quia Dominus statim quasi post hæc erat passurus, voluit honorari, ut ex hoc honore augeretur succedens ignominia passionis (*c*).

Quæstio altera, de aliis quæ videntur in speciem contraria. *Matth. 21. 2. ibi 7.* *Zach. 9. 9.* Responsio. Spiritus sanctus totius Scripturæ conditor. Evangelistæ facientes vim non in verborum similitudine, sed in intellectuum sinceritate.

863. Item quæritur de contrarietate, quia dicitur Matth. vigesimo primo, quod primo misit in castellum pro asino, deinde quod turba venit ei obviam. Item ibidem dicitur, quod sedit super asinam & pullum, hic autem dicitur, quod super asellum. Item hoc non est scriptum in Zacharia: Noli timere filia Sion, sed exulta & jubila filia &c. Resp. Dicendum ad hoc ultimum, quod quia Evangelistæ per Spiritum sanctum loquebantur, qui totam condidit Scripturam, & est Auctor; ideo non fecerunt vim in verborum similitudine, sed in intellectuum sinceritate: Et idem ipsum quod dixit ille per verbum exultandi, hoc ipsum dicit Evangelista per verbum non timendi (*d*). Quod vero objicitur de contrarietate, & præposteratione; dicendum est, quod Dominus sedit super asinam, & super pullum ejus (*e*). Et dicunt quidam hoc fuisse hoc modo, prius insedit pullo, & quia recalcitrabat, post sedit super asinam; sed hoc nihil est, quia non credo, quod pullus unquam Domino insidente recalcitraret. Immo intelligendum, quod Dominus propter figuram prius sedit super asinam, id est, super veterem synagogam, & post super pullum, id est, Gentilitatem indomitam (*f*): & prius sedit super asinam, quam turbæ occurrerent. Ideo Matthæus prius narrat, sed post cum turbæ occurrerunt, tunc sedit super asellum. Et ideo Joannes dicit, quod post adventum turbarum invenit Jesus asellum, & sedit super eum, non curans totum dicere, quia alius dixerat (*g*).

Supra 14.

VERSUS XX.

864. *Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo.* Prædeterminatum est unum præambulum ad Passionem, quod est Pharisæorum conspiratio, hic determinatur secun-

(*a*) Ita noster Interpres Comment. singul. in 1. vers. cap. 1. Apocal. num. 40. Hyperbolen esse in prædicto textu alii agnoscunt Interpretes. Vulg. *abiit*.

(*b*) Vide supra cap. 8. num. 622.

(*c*) Sic & in Exposit. jam edita sub S. Bonavent. nomine.

(*d*) Pariter Calmet Comm. Lit. in Matth. c. 21. 5. ait, quod locum Prophetæ Matthæus neque ex Septuaginta Interpretibus ad verbum, neque ex Hebræo penitus tradiderit; sed ad sensum.

(*e*) Sa in Matth. cap. 21. 5. *Apparet sedisse super utrumque vicissim*. Item apud cit. Calmet ibi sub ver. 1. nonnulli putant, *Jesum nunc asinæ, nunc pullo insedisse*.

(*f*) Idem Calmet ibi: *Asina Judæos, pullus Ethnicos significabant ex Patribus*. Inter hos S. August. heic Tract. 51. num. 5.

(*g*) Ita quoque in d. Exposit. ubi allegantur Chrysostomus, Augustinus, ac Magister in Historiis.

Gentilium illuminatio.

cundum, scilicet Gentilium illuminatio, quæ est fructus consequens passionem Christi valde utilis. Et quoniam in Christi passione facta est Gentilium illuminatio, & Judæorum excæcatio, ideo

Hæc pars in quatuor particulas distributa.

hæc pars quatuor habet particulas. In prima determinatur, vel ostenditur vocationis Gentium præfiguratio (*a*). In secunda vero Passionis prædicitur fructificatio, ibi: *Amen, amen dico vobis &c.* In tertia vero prædicti fructus expositio, ibi: *Turba ergo, quæ stabat &c.* In quarta describitur futura Judæorum excæcatio, ibi: *Hæc locutus est Jesus &c.* Insinuatur ergo primo Gentium futura vocatio in hoc, quod Dominum quærunt, & Dominus se offert benevolum, & describitur hoc ordine. Primo ponitur Gentilium sollicitudo. Secundo discipulorum intercessio. Tertio Magistri condescensio.

Gentilium sollicitudo.

865. Innuitur ergo Gentilium sollicitudo in hoc, quod videre Jesum cupiunt, & quærunt, propter quod dicitur: *Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo.* Ipsi adorabant in templo, quoniam & ipsi exaudiebantur. Tertii Reg. octavo in oratione Salomonis: Alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit, & oraverit in loco hoc, tu exaudies in cœlo &c. (*b*)

3. Reg. 8. 41. ac seqq.

VERSUS XXI.

866. *Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ,* supra primo: Erat autem Philippus a Bethsaida civitate Andreæ & Petri, tanquam ad magis notum, & desiderium expresserunt, unde *& rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre.* Nec mirum, si desiderabant videre, quia secundum illud Psalmi: Speciosus forma præ filiis hominum, & totus erat desiderabilis. Augustinus: Ecce volunt eum Judæi occidere, Gentiles videre. Propter hoc

Jo. 1. 44.

Ps. 44. 3. Cant. 5. 16.

Augustinus in Jo. Evang. c. 12. Tract. 51. n. 8.

Matth. vigesimo primo: Auferetur a vobis regnum, & dabitur Genti facienti fructus ejus. Matth. 21. 43.

VERSUS XXII.

867. *Venit Philippus,* tangitur hic secundum, scilicet discipulorum intercessio ad Gentilium petitionem; & ut Philippus facilius impetret, assumit socium, propter quod dicitur: *Venit Philippus, & dicit Andreæ,* tanquam majori, & tunc Andreas tanquam major (*c*) præit in nuntiatione, unde dicitur: *Andreas rursum, & Philippus dixerunt Jesu.* In quo innuitur, quod Prælati sunt medii inter simplices, & Dominum, qui desideria pauperum Domino offerunt. Deuter. quinto dixit Moyses: Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos. Ad Hebr. quinto: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his (*d*), quæ sunt ad Deum.

Discipulorum intercessio.

Deut. 5. 5.

Ad Heb. 5. 1.

VERSUS XXIII.

868. *Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora,* tangitur hic tertium, scilicet Domini condescensio (*e*), qua satisfacit Gentilium desiderio dicens, jam tempus venisse manifestandi se Gentibus, propter quod dicitur: *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis,* id est, Gentibus manifestetur, & per hoc ejus claritas & gloria cognoscatur. Hæc est hora Passionis, & redemptionis nostræ, quæ diu fuit expectata & desiderata. In hac Gentes vocantur, propter quod dicit Apostolus ad Rom. tertiodecimo: Hora est jam nos de somno surgere. Hæc est hora, de qua dictum est supra septimo: Nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus.

Domini condescensio.

Ad Rom. 13. 11.

Jo. 7. 30.

869. Sed quæritur, cum Gentiles sua idola adorarent, & deos suos haberent, unde est, quod ascendebant adorare in Jeru-

Quæstio prima unde est, quod Gentiles ascenderant adorare in Jerusalem.

(*a*) Sive *præsignatio*, ut dicitur infra num. 872.

(*b*) Sic decurtando textum brevitatis gratia. Porro prædictos *Gentiles* revera fuisse *Paganos* censent Theodor. Mops. Cyrill. Leont. Theophyl. Brugen. Menoch. Ligfoot. Seld. Salmas. Grot. quos sequitur Calmet. Alii apud ipsum fuisse putant *Proselytos*, sive Ethnicos ad Judaica sacra conversos, de quibus infra num. 869. Alii veros Judæos, sed Græcos genere, adeoque Hebræos alieni generis, qui *Hellenistæ* dicebantur, eo quod Græco sermone uterentur; cum in Judæa vulgaris lingua esset Hebraica, sive Syriaca.

(*c*) *Major*, quia primus omnium Jesum adierat, & ad eum Petrum fratrem suum adduxerat cap. 1. v. 40.

(*d*) Vulg. *in iis*; sed *in his* Hugo Card. Lyran. plurésque Biblior. antiquæ Editiones.

(*e*) Hac voce utitur etiam S. Bona. in Apolog. pauper. Respons. 2. pri. partic. Art. 1. ac alibi quoque.

Responsio. Jerusalem? Et dicendum, quod de Gentibus convertebantur ad ritum Judæorum, & hi dicebantur Proselyti (*a*): & Chrysostomus (*b*) dicit de istis, quod prope existentes erant, ut Proselyti fierent; ideo jam incipientes credere, veniebant solemnitatem videre, & in templo adorare (*c*).

Proselyti. *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 12. Hom. 65.*

Quæstio secunda quare Philippus eos non repulit ad se accedentes. *Matth. 10. 5. & 15. 24.*

870. Sed tunc quæritur, quare Philippus non repulit eos? & videtur, quod debuisset, quia ipse audierat a Domino Matth. decimo: In viam Gentium ne abieritis; & Matth. quinto decimo: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel; ergo videtur, quod contra Domini mandatum fecerit, quando ipsorum petitionem admisit. Resp. Dicendum, quod ex una parte Philippus viderat, quod ipse non tantum Judæos, sed etiam Gentiles curabat, videbatque, quod omnium salutem volebat; ex alia parte mandatum ejus considerabat, ideo caute egit: quia nec petitionem omnino repulit, nec prorsus admisit, & ideo Andream consuluit. Illi vero de Domini misericordia præsumentes dixerunt Jesu, quia se poterat, sicut volebat, ut Dominus, omnibus manifestare.

Responsio.

Quæstio tertia quare nunc magis, quam ante, Christus se Gentibus manifestat.

871. Item quæritur, quare nunc magis, quam ante (*d*) manifestat se Gentibus? Et dicendum, quod propter propinquitatem passionis, in qua erat salus Gentium. Alia ratio, quia jam Judæi per conspirationem mortis Christi repulerant gratiam Christi; & ideo post conspirationem eorum Dominus convertitur ad Gentes.

Responsio.

VERSUS XXIV.

872. *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit*: Postquam descripta est vocationis Gentium præsignatio, ponitur hic fructus Passionis prædictio & hoc quidem per hunc modum. Primo prædicitur Passionis fructificatio. Secundo vero, quia Passio non habet effectum nisi in imitatoribus Christi, ponitur imitationis exhortatio, ibi: *Qui amat animam suam &c.* Tertio vero, quia nulli imitantur, nisi qui a Domino vocantur, notatur pro eis facta oratio, ibi: *Nunc anima mea turbata est*. Quarto quia ipse impetrat omne quod petit, notatur exauditio, ibi: *Venit ergo vox &c.* Primo igitur tangitur Passionis fructificatio exemplo grani, propter quod dicitur: *Amen, amen dico vobis*, asserendo loquitur Gentilibus, qui eum quæsierant, ut ipsos in fide confirmet (*e*), *nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit:*

Passio non habet effectum nisi in imitatoribus Christi.

Passionis fructificatio.

VERSUS XXV.

873. *Ipsum solum manet*. Ad literam, non multiplicatur, nisi moriatur, primæ ad Cor. quinto decimo: Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, quia tunc producit messem. Sic intelligendum in Christo, qui est granum frumenti propter ejus puritatem & adipis multitudinem: propter quod optimus ex eo fit panis, sicut est caro Christi, quæ est panis vivus, qui de cœlo descendit supra sexto. De hoc dicitur in Psal. Adipe frumenti satiat te. Hoc granum cadens in terram per vilitatem, mortuum est per Passionis acerbitatem, ideo in Psal. dicitur: Omnes fluctus tuos induxisti super me. Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi. Hoc granum attulit multum fructum, quia multos filios adduxit in gloriam. Ad Hebr. secundo: Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios adduxerat in gloriam, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Isaiæ sexagesimo: Quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. *Qui amat animam suam*, hic tangitur secundum scilicet ad Passionem imitandam exhortatio, & exhortatur proponens commodum, & exemplum; propter commodum dicit: *Qui amat animam suam, perdet eam*, & animam vocat vitam corporalem (*f*), sicut Joan.

1. ad Cor. 15. 36. *Jo. 6. 51.* *Ps. 147. 14.* *Ps. 87. 8. ac seq.* *Ad Hebr. 2. 10.* *Isa. 60. 5.*

Ad Passionem imitandam exhortatio propter commodum.

(*a*) *Proselytos* quoque vocant Glossa interlin. Lyran. &c.

(*b*) Sic & Euthym.

(*c*) At secundum Calmet responderi potest, Gentiles multos, minime abdicata Deorum superstitione, potentiam Dei Hebræorum agnovisse, ac coluisse, cujus rei luculenta exempla ipse exhibet.

(*d*) Dixerat enim ante: *In viam gentium ne abieritis*, Matth. 10. 5.

(*e*) Tamquam *Proselytos*, de quibus supra num. 869.

(*f*) Sic & in 2. Dist. 19. Dub. 1. nec non in 3. Dist. 28. art. 1. q. 4. ad opp. & in resp. ad 1. Item Comment. in Apocal. cap. 12 sub ver. 11.

Jo. 13. 37. Joan. tertio decimo dixit Petrus: Animam meam ponam pro te; *& qui odit animam suam in hoc mundo*, dando scilicet eam pro Christo, *in vitam æternam*
Matth. 16. 25. *custodit eam*. Matth. sexto decimo: Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam suam propter me, invenit eam.
Augustinus in Jo. Evang. c. 12. Tract. 51. n. 10. Augustinus: Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Felices qui vitam oderunt custodiendo, ne perdant amando. Ad hoc
Et propter exemplum. idem hortatur per exemplum:

VERSUS XXVI.

874. *Si quis mihi ministrat, me sequatur*, sicut servus Dominum suum, alioquin non est verus servus; *sequatur*, scilicet per passionis vestigia, primæ
1. Pet. 2. 21. Petri secundo: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus; ut sicut imitatur in pœna, ita & in gloria, propter quod subditur: *Et ubi ego sum, ibi sit*
2. ad Tim. 2. 11. ac seq. *& minister meus* (a). Secundæ ad Timoth. secundo: Fidelis sermo: Si commortui sumus, & convivemus, si sustinemus (b), & conregnabimus; ideo fidelis, quia promissus a Domino. Apocal. tertio:
Apoc. 3. 21. Qui vicerit, dabo illi sedere mecum in throno meo. Ne aliquis dedignetur sibi ministrare, subdit honoris culmen: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*; quia ipse honorificavit me,
1. Reg. 2. 30. primi Reg. secundo: Quicumque honorificaverit me (c), glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Honorificabitur, inquam, quia de

servo faciet filium. Ad Rom. octavo: Ad Rom. 8. 16. ac seq.
Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Quod si filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

VERSUS XXVII.

875. *Nunc anima mea turbata est*. Tangitur hic tertium, scilicet pro vocandis Pro vocandis exoratio.
exoratio, & cum Dominus sit inter duo positus, quia caro refugiebat mortem, oportebat eum pro illa orare. Sed quia rursus propter salutem nostram venerat, præfert orationem pro nostra conversione orationi pro sua liberatione, pro qua orat primo, unde dicit: *Nunc anima mea turbata est*, scilicet timore mortis. Matth. vigesimo sexto: Cœpit contristari, & mœstus esse. *Et* Matth. 26. 37.
quid dicam? Quasi dicat, numquid pro ipsa petam, ut mortem evadam? petam quidem, ut infirmitatem (d) ostendam, propter quod dicit: *Pater, salvifica me ex hac hora*, scilicet passionis. Matth. vigesimo sexto: Pater, si possibile est, Matth. 26. 39.
transeat a me calix iste (e); sed non hoc petiit, ut exaudiretur, propterea subdit: *Sed propterea veni in horam hanc*, ut scilicet moriar, ideo de hoc nolo exaudiri (f), sed de hoc:

VERSUS XXVIII.

876. *Pater, clarifica nomen tuum*, & hoc est petere, ut nomen Dei notum fiat Gentibus per Passionem (g). Orat pro nobis, pro quibus etiam se offert (h). Unde ad Hebr. quinto de Christo dicitur:

(a) Vulg. *& ubi sum ego, illic & minister meus erit*; sed ut supra etiam infra cap. 17. num. 1138. nec non in Planctu de Pass. Dom. sive in Vite Myst. cap. 4. num. 18. *ibi* pro *illic* habet & Cod. Vercell. *Sit & minister meus*, pro *& minister meus erit*, habet quoque tert. Antiph. ad laudes Offic. unius Martyr. In Evangeliar. Eccl. nostræ Trident. sic: *Et ubi ego ero, ibi & minister meus*.

(b) Vid. supra cap. 11. num. 787.

(c) Vulg. *quicumque glorificaverit me*; sed *honorificaverit* Hugo Card. Edit. Biblior. antiquiores. Cod. noster Bernardin. A. V. 1. *honorificavit*.

(d) De hac *infirmitate* S. August. Tract. 52. in Jo. Evang. cap. 12. num. 3. *Hominis suscepit infirmitatem, ut doceat sic contristatum & conturbatum dicere: Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis Pater*. De eadem *infirmitate* ipsemet S. Bona. in Apolog. pauper. respons. 2. part. 1. Artic. 1.

(e) Hanc utramque orationem similem fuisse ajunt S. Augustinus, Beda, & Rupertus.

(f) Interpretationem hanc simpliciorem planioremque censet Cornel. a Lap.

(g) Ita Chrys. Cyrill. Theophyl. Euthym. &c.

(h) Hæc posterior oratio: *Pater, clarifica &c.* fuit a rationali voluntate profecta; prior autem: *Pater, salvifica &c.* tantum fuit naturalis desiderii declaratio. Hinc ita infert Natal. Alexan. Exposit. in hoc cap. 12. Joan. sensu literali ver. 27. 28. „ Voluntatis igitur naturalis mortem „ horrentis hæc verba sunt: *Pater, salvifica me* „ *ex hac hora*. Voluntatis vero deliberatæ ista „ sunt: *Sed propterea veni in hanc horam. Pa-* „ *ter, clarifica nomen tuum*: Nomen tuum morte „ mea glorificetur. Indicat se pro veritate „ mori, quod Dei gloriam appellat. Debebat „ enim post ejus mortem orbis terrarum ad „ Deum converti, in Dei cognitionem venire, „ & ipsum colere. “

Ad Heb. 5. 7. citur: In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum (*a*), qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. *Venit ergo vox de cœlo*, tangitur hic ultimum, scilicet exauditio, *Exauditio.* in cujus signum dicitur: *Venit ergo vox de cœlo, dicens* (*b*): *Et clarificavi*, scilicet per opera miraculosa, *& iterum clarificabo*, per opera mirabiliora, sicut sunt nostra redemptio, & Christi ad cœlos sublimatio. A Patre facta est clarificatio, unde ad Hebr. *Ad Heb. 5. 5.* quinto: Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Unde hæc vox *Matth. 3. 17.* Patri attribuitur, sicut Matth. tertio in Baptismo, & Matth. decimo septimo *Matth. 17. 5.* in Transfiguratione, & nunc (*c*). Unde vox Christo testimonium perhibuit in adventu sive in Incarnatione, in Passione, & in Resurrectione.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Qui amat animam suam perdet eam: 877. Sed quæritur de hoc quod dicitur: *Qui amat animam suam, perdet eam*. Sed omnes amant animam suam, quia dicitur ad Ephes. quinto: *Ad Ephes. 5. 29.* Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam sicut & Christus Ecclesiam; ergo multo minus animam odit. *Responsio.* Respondetur, quod anima dat intelligere vitam secundum triplicem *Vitæ differentia triplex.* differentiam. Et hæc uno modo dicitur anima vita carnalis, secundum quod dicitur, quod animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei; & *1. ad Cor. 2. 14.* hæc non est amanda, quia sic importat vitium. Unde Ecclesiastici decimo octavo: Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium *Eccli 18. 31.* inimicis tuis. Alio modo anima vita naturalis, secundum illud Joan. tertio decimo: Animam meam ponam pro te (*d*). *Jo. 13. 37.* Tertio modo vita spiritualis, secundum illud Psal. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. *Ps. 10. 6.* Modo dicitur de anima, secundum quod sonat in vitium. Sed hoc non solvit, quia Dominus hortatur ad mortem; ergo vult, quod homo det se morti, & ita habeat odio vitam naturalem. Quod si ita est, videntur mereri qui se interficiunt, ut Christo obediant. Sed hoc manifeste falsum, quia nulli licet interficere seipsum, *Nulli seipsum interficere licet.* sicut probatur primo de Civitate Dei. *Augustinus de Civitate Dei L. 1. c. 20. et seqq.* Resp. Dicendum, quod intelligit de vita naturæ. *Responsio.* Sed attendendum, quod non est absolute accipiendum amare, nec odire (*e*), sed in respectu, ut scilicet ille dicatur amare, qui magis eam diligit, quam Divinum præceptum implere; odire vero, qui magis velit implere præceptum, quam servare vitam. Unde non tenetur quis mori, vel se occidere, nec in mortem se præcipitare debet (*f*); sed ut dicit Augustinus: Si cogatur homo alterum eligere, mortem comminante persecutore, potius (*g*) eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere. *Augustinus in Jo. Evang. c. 12. Tract. 51. n. 10.*

Quæstio altera de hoc quod salvari petit in hora mortis. 878. Item quæritur de hoc quod petit salvari ex hora mortis. Ipse sciebat, quod Deus nolebat exaudire; ergo indiscrete petebat. Item hoc petiit, & non fuit exauditus; constat ergo quod non in omnibus est exauditus. Contrarium supra undecimo: Ego sciebam quod semper me audis. *Jo. 11. 42.* Si dicas, quod petitio ista fuit sensualitatis. Contra: Sensualitas non se convertit ad Deum Patrem; ergo si fuit, fuit rationis. Resp. Dicendum, *Responsio.* quod in Christo duplex fuit voluntas, scilicet rationis, & sensualitatis (*h*). Voluntas rationis semper conformis est Deo in volito, & propterea semper exauditur; sed voluntas sensualitatis in volito discordat a voluntate Dei, sed non in modo volen-

(*a*) Vide supra cap. 11. num. 816.

(*b*) *Dicens* abest a Vulg. sed præter Editiones antiquiores sacror. Biblior. habent Codd. Evangelior Vercellen. ac Trident. Bibliorumque noster Bernardinian. Cod. Goth. *& dixit ei*; sed *dicens* Nic. quoque Lyran. Apud autem Hug. Card. ubi omittitur *dicens*, notatur in margine: *Al. dicens. De consecrat. Dist. 3. c. fin.*

(*c*) Pariter heic S. Thomas.

(*d*) 3. Dist. 28. art. 1. q. 4. ad 1.

(*e*) Ibidem in concl. adseverat, quod absolute loquendo vel ipsa *corpora nostra diligenda sunt ex caritate*, siquidem *cum caritas sit pondus inclinans ad summum bonum, omne illud facit diligere, quod est beatum, vel beatificabile*, ut corpus *per quamdam redundantiam* ex anima beata.

(*f*) Perperam ergo locum hunc hæretici dicti *Circumcelliones* intelligebant, qui S. Augustino teste, mortem sibi consciscere licitum putabant, ut sic a Christo vitam æternam heic promissam consequerentur. Vid. Interpretem nostrum 3. Dist. 30. Art. 1. Q. 2. in concl.

(*g*) Edit. Maur. loco *potius* habet *ibi*.

(*h*) *Sensualitatis*, id est, affectionis sensitivæ. Pariter in Judice amicum suum mortis reum capitis condemnante, est voluntas affectionis sensitivæ, qua ipsum vellet, si fieri posset, a morte liberare: & voluntas rationis, qua nihilosecius ipsummet vult absolute ad normam legum atque justitiæ capite mutilatum.

lendi *(a)*: & ideo voluntas sensualitatis in Christo non est semper assecuta quod voluit, quia non evenit, nisi quod Deus voluit. Petitio ergo ista non fuit ex voluntate rationis procedens, sed sensualitatis *(b)*; & ideo non est exaudita *(c)*. Quod ergo objicitur, ad quid petebat? Dicendum, quod sicut Dominus aliqua præcipit non ad implendum, sed ad nos instruendum; sic aliquid petiit non ad impetrandum, sed ad nos instruendum *(d)*. Et nos instruxit in hac petitione, quod licet nobis voluntate sensualitatis aliquid proprium velle; & iterum quod ipsa subdenda est voluntati Divinæ: & iterum quod diffidere non debemus, si formidamus mortem. Quod objicitur, quod ratio petiit, dicendum, quod sermo ille formatus est secundum imperium rationis, & ratio proposuit petitionem. Et sicut Advocatus *(e)* aliquando non petit pro se, nec quia istud velit, sed pro alio, & quia alius vult; sic & ratio pro sensualitate petebat, nec tamen hoc volebat, immo potius mori pro salute nostra. *(f)*

VERSUS XXIX.

879. *Turba ergo, quæ stabat &c.* Postquam determinata est Passionis futuræ fructificatio, subjungitur hic tertium, scilicet illius explanatio, in qua proce- Explanatio fructificationis Passionis futuræ.
dit Evangelista hoc ordine. Primo innuitur turbæ admiratio. Secundo a Christo fit explanatio. Tertio turbarum dubitatio. Quarto dubitationis amotio. Tangitur ergo turbarum admiratio de auditu vocis illius, quia ne- Admiratio turbarum de auditu vocis illius de cœlo allatæ instar tonitrui.
sciebant unde esset, propter quod dicitur: *Turba ergo, quæ stabat, & audiebat (g)*, illam scilicet vocem, *dicebat tonitruum esse factum*, attendentes vocis magnitudinem, & sensibilitatem: & hi erant de Sadducæis, de quibus Matth. *Matth. 22. 23.*
vigesimo secundo; & Act. vigesimo tertio: Non dicunt esse Angelum, neque *Act. 23. 8.*
Spiritum. *Alii vero dicebant: Angelus* Sadducæi negantes Angelos,
ei locutus est, attendentes vocis articulationem, tamen ejus significatum non intelligebant. Isti erant de secta Pharisæorum, qui dicebant Angelos esse; Pharisæi admittentes.
unde Act. vigesimo tertio: Quid si Spiritus ei locutus est, aut Angelus? *Act. 23. 9.*

VERSUS XXX.

880. *Respondit Jesus, & dixit eis (h)*: tangitur hic secundum, scilicet illius vocis explanatio, quia ipsi nesciebant Explanatio vocis.
nec propter quid esset facta, nec quid significaret; ideo dicit quare facta est: *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos*, quia non ad instructionem meam, sed vestram; ideo dat vocis intellectum:

VERSUS XXXI.

881. *Nunc judicium est mundi*, scilicet in Passione: *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*, ut scilicet qui creditur esse princeps, quia a multis Gentibus adorabatur, sit potius velut Dæmon pessimus reputatus *(i)*. Lucæ undecimo: Cum fortis armatus custodit atrium *Luc. 11. 21. ac seq.*
suum, in pace sunt ea quæ possidet, si autem

(a) Hanc ipsissimam doctrinam videsis amplius declaratam apud nostrum Bonaventuram in 3. Dist. 17. art. 1. q. 3. in concl. & ad arg.

(b) Hoc videlicet modo, quasi dixerit: Horreo quidem naturaliter mortem, eamque reformidat sensus meus; absolute tamen nolim hocce desiderium meum impletum iri, cum ad hoc in mundum venerim, ut hanc mortis horam subeam, & calicem passionis hauriam. Sic voluntatem partis inferioris ratio ac voluntas superior sibi subjecit. Ita fere S. August. Beda, Rupert. & alii. Vid. supra num. 876. not. *a*.

(c) Exposit. in Psalter. Psalm. 108. „ Christus oravit pro se, & hoc cum affectu sensualitatis; & tunc non semper exauditus est, „ ut quando petiit, quod calix ab eo amoveretur. Cum affectu rationis, & tunc exauditus est, ut quando oravit: *Pater clarifica filium tuum &c.* “

(d) In 3. ibi Art. 2. Q 2. in concl. *Plus ad nostram instructionem, quam ad Divinam exauditionem.* Et infra: *Non petebat ut exaudiretur: sicut petiit calicem a se transferri, & suis crucifixoribus condonari: unum ex voluntate carnis ad ostensionem humanitatis assumptæ; alterum ex voluntate pietatis ad ostensionem benignitatis, & misericordiæ.*

(e) *Advocatus*, inquam, ejus, cui secundum leges moriendum est; talemque Advocatum admittit lex ipsa reo mortem infligens.

(f) Similiter S. Tho. in Joan. Evang. heic Lect. 5. sub not. *b*. quem adi, si uberiora cupias. Vide supra num. 875.

(g) Vulg. *audierat*; sed *audiebat* etiam Cod. noster Bernardin. ac Codd. Vercell. & Veron.

(h) *Eis* in Vulg. deest. Cod. Vercellen. *illis*.

(i) Non est ergo, ut inquit Natal. Alexand., hoc *judicium condemnationis, sed vindicationis generis humani a Diaboli potestate & tyrannide.*

autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet (*a*). Et ipse vicit mundum cum suo principe, unde Joan. sextodecimo: Confidite, ego vici mundum. Et modum ejiciendi principem dicit esse per Passionem, propter quod dicit:

Jo. 16. 33.

VERSUS XXXII.

882. *Et ego si exaltatus fuero a terra*, per Passionem crucis (*b*), *omnia traham ad meipsum*, per fidem & dilectionem (*c*). Cant. Canticor primo: Trahe me post te (*d*). Joan. vigesimo primo: Traxit Simon Petrus rete in terram, plenum magnis piscibus &c. Supra tertio: Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, & hoc exponit Evangelista:

Cant. 1. 3. Jo. 21. 11. Jo. 3. 14.

VERSUS XXXIII.

883. *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus*, quoniam morte crucis, quæ erat vilissima. Sapient. secundo: Morte turpissima condemnemus eum.

Sap. 2. 20.

VERSUS XXXIV.

884. *Respondit ei turba*, tangitur hic tertium, scilicet turbarum dubitatio quantum ad illos, qui in lege instructi erant; quia audierant Christum immortalem, & hic dicebat se esse Christum, & dicebat se moriturum, propter quod dicunt: *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum*. Sed ubi hoc in lege audierant, intelligendum, quod lex hic comprehendit Prophetas, omnemque Scripturam (*e*). Et dicitur Michææ quinto: Egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis &c. Daniel. septimo: Potestas ejus potestas æterna, & regnum ejus, quod non corrumpetur. Secundi Regum septimo: Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus, ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. *Et quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?* Hoc Christus modo non dixit sub hac forma, sed supra tertio: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis (*f*). Et supra octavo: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum &c. Modo vero dicit: *Et ego si exaltatus fuero a terra*. Non quærebant hoc, quod audiebant, sed quod prius conceperant.

Turbarum dubitatio. Mich. 5. 2. Dan. 7. 14. 2. Reg. 7. 12. ac seq. Jo. 3. 14. Jo. 8. 28.

VERSUS XXXV.

885. *Dixit ergo eis Jesus*, tangitur hic quartum, scilicet dubitationis illius amotio; & ostendit Dominus, quod illa dubitatio non veniebat de malo intellectu, sed de defectu intelligentiæ: quia Scriptura utrumque de Christo dicit, & quod æternus, & quod mortalis. Ideo dicit eis: *Adhuc modicum lumen in vobis est. Lumen in vobis est*, quia creditis Christum æternum; sed *modicum*, quia non creditis moriturum. Ideo hortatur, ut in fide proficiant, (*g*) dum tempus (*h*) habent; propter quod dicit: *Ambulate, dum lucem habetis*. Istud ambulare est per fidem ad Christum accedere,

Dubitationis amotio.

(*a*) Quæ quidem verba expendens noster Interpres Exposit. in hoc caput, atque in hunc textum, inquit: *Quia vicit ipsum* (scilicet Diabolum) *in Passione, ideo spoliatus* (idem Diabolus) *in Resurrectione &c.*

(*b*) 3. Dist. 20. art. 1. q. 5. in concl. ad prædictum textum.

(*c*) In eodem 3. ibi, ubi quoque allegatur *Hugo de arrha sponsa*.

(*d*) Supra Exposit. in Cant. Canticor. ad d. caput, & textum.

(*e*) Sic & Natal. Alexand.

(*f*) Ita apud Estium, vel secundum textum hunc, *quidam suspicantur fuisse phrasim apud Judæos, qua exaltari quis diceretur, qui suspenderetur in cruce*.

(*g*) Latini passim τὸ *modicum* referunt ad lumen. q. d. Adhuc modicum in vobis est intelligentiæ lumen, quo Christum cognoscitis in æternum mansurum. Ast ipsum moriturum quoque & resurrecturum non intelligitis. Pergite ergo in hac indaganda veritate proficere, donec innotescat vobis, quod quidem Christus sit moriturus, sed & resuscitaturus, atque in æternum regnaturus. Pariter S. August. Beda, Rupert. S. Bernard. Lyran. &c.

(*h*) Per *tempus* videtur alludere ad illam lectionem, qua τὸ *modicum* non refert ad lumen, sed ad tempus. Græca enim habent: *Adhuc ad modicum tempus lux vobiscum est*. Et Syrus, ac Arabicus: *Lumen est vobiscum tempore modico*. Simili modo Christus dixit supra c. 7. 33. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui misit me &c.* Hanc utramque expositionem habet Dionys. Carthus.

Ps. 33. 6. dere. Psal. Accedite ad eum, & illuminamini (a); & ratio subditur: *ut tenebræ vos non comprehendant*, id est, excæcatio infidelitatis, de quibus supra tertio: Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Et quia periculum est ab eis comprehendi, ideo dicit: *Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat*. Proverb. quarto: Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant. Et explanat, quid est quod dixerat: *Ambulate*, quod est credite, unde dicit:

Jo. 3. 19.

Prov. 4. 19.

VERSUS XXXVI.

886. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis*. Lucis filii sunt Dei filii; quia ipse est lux vera, & hoc fit per fidem, supra primo: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus. Optime satisfacit eis, quia ab illa dubitatione non poterant liberari, nisi accedendo ad eum per fidem, unde Augustinus: Ambulate, accedite, totum intelligite, & Christum moriturum, & in æternum victurum, & sanguinem effusurum, quo redimat, & ascensurum in sublimia, quo perducat. Hoc est: *Ambulate &c.*

Jo. 1. 9. Ibi 12.

Augustinus in Io. Evang. cap. 12. Tract. 52. n. 12. in fine.

887. Sed quæritur de hoc quod dicitur: *Nunc judicium est mundi*. Quia dictum est, quod non judicat quemquam, nec venit ad judicandum. Respondeo: Est judicium condemnationis, & discretionis. Hoc judicio discretionis judicatur mundus in Passione Christi, per quam discernuntur oves a lupis: priori judicio condemnationis non (b).

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Nunc judicium est mundi*. Responsio. Judicium duplex, condemnationis, & discretionis.

888. Sed quæritur de hoc quod dicitur, quod *princeps hujus mundi &c.*, quis est iste princeps? Si Diabolus, ergo videtur, quod mundus iste sensibilis pertineat ad dominium Diaboli, & tunc vera erit impietas Manichæorum. Resp. Dicendum, quod mundus hic dicuntur mundo dediti per amicitiam, & ambitionem. Horum princeps est Diabolus, non quoad naturam, sed quantum ad præexcellentiam in culpa; quia ipse est rex super omnes (c) filios superbiæ, Job quadragesimo primo (d).

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Princeps hujus mundi &c.* Manichæorum impietas de mundo sensibili sub Diaboli dominio. Responsio.

Job 41. 25.

889. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod *ejicietur foras*. Quia non videtur; adhuc enim dominatur in his, qui mundo dediti sunt, & fortius premit eos, quia gravius peccant. Resp. Dicendum, quod Diabolus dicitur ejici de mundo, non quin tentet, sed quod non intrinsecus regnet: nec dicitur ejici, quod omnino in nullo intrinsecus regnet; sed quod non in tot: nec ita potestative regnat, quia manum trahentem habet abscissam; propter hoc quod chyrographum, quod erat adversum nos, in Passione deletum est, & affixum cruci. Manus illius impellens est debilitata (e), nostra manus ad resistendum fortificata per fidem, primæ Petri ultimo: Cui resistite fortes in fide.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Ejicietur foras*. Responsio. Coloss. 2. 14. 1. Pet. 5. 9.

890. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod *omnia* trahet ad se. Quia non omnes, nec major pars, conversi sunt ad fidem, immo semper plures mali, quam boni. Resp. Dicendum, quod, sicut dicit Augustinus, qui tendunt ad non esse, non debent numerari, & tales sunt mali; unde per hoc quod est *omnia* non fit distributio nisi pro electis, qui erant Dei filii secundum electionem, & hos traxit ad se, & congregavit in unum (f). Vel omnia traham, id est, de omni gente, & regno, non tantum Judæos, sed etiam Gentiles, sine discretione Nationum (g).

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Omnia traham ad meipsum*. Responsio. Augustinus cit. Tract. 52. n. 11.

891. *Hæc locutus est Jesus, & abiit, & abscondit se ab eis*. Postquam descripta est futura Gentium vocatio, & Passionis futuræ prædictio, & expositio; hic quarto innuitur futura Judæorum excæcatio. Et proceditur in hujus rei declaratione hoc ordine. Primo enim in-

Judæorum futura excæcatio.

(a) Exposit. in Psal. d. Ps. 33. „ Primo vocat „ ad fidem, dicendo: *Accedite ad eum, & illuminamini*.

(b) Supra cap. 8. in fine q. 5.

(c) Vulg. *universos*; sed *omnes*, idem Interpres noster Comment. in Apocal. cap. 6. num. 399. & alibi quoque in eodem Comment. ac etiam S. Greg. Moral. Lib. 17. cap. 30. num. 46.

(d) Sic etiam contra Manichæum 2. Dist. 1. par. 1. art. 2. q. 2. ad 1. 2. & 3.

(e) Quia *nato Christo, virtutem suam pro magna parte amisit*. Comment. in Apocal. c. 17. sub ver. 8. Vide infra cap. 13. num. 921.

(f) 3. Dist. 22. art. 1. q. 5. in concl. ubi ait disertissime: *Omnia traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit: Omnia abstulit utique electa*. Sed & S. Greg. Lib. 7. Epist. 15. sic exponit: *Omnia scilicet electa*. Idque intelligi posse de omnibus prædestinatis cum S. Augustino censet Estius.

(g) Idem Estius ex eodem Aug. Videndus S. Leo magnus Serm. 57. de Passio. Dom. 8. Fer. 4. cap. 7.

innuitur ipsa excæcatio: secundo vero aliquorum electio: tertio vero electorum infirmorum fit confortatio: quarto vero ipsis excæcatis infertur comminatio. Excæcatio Judæorum innuitur in ipso facto Domini, quod abscondit se ab ipsis Judæis, qui ei contradicere cœperant, propter quod dicitur: *Hæc locutus est, & abiit, & abscondit se ab eis.* Augustinus: Non ab eis, qui cum ramis palmarum, & laudibus obviam ei venerant; sed ab his, qui videbant, & invidebant. Deuter. trigesimo secundo: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum, generatio enim perversa est, & infideles filii. Et ista absconsio corporalis signum erat absconsionis spiritualis (*a*), & hoc innuit litera sequens:

Augustinus ibi n. 14. — *Deut. 32. 20.*

VERSUS XXXVII.

892. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum; tanta signa fecisset*, sicut fuit signum de suscitatione Lazari; non tamen credebant, quia malitia eorum eos credere non sinebat. Sapient. secundo: Excæcavit eos (*b*) malitia eorum. Nec hoc casu gestum est, sed a Domino prævisum, & per prophetam Isaiam prædictum, propter quod dicitur:

Sap. 2. 21.

VERSUS XXXVIII.

893. *Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit*, quasi dicat, rarus, vel nullus, *auditui nostro?* id est, quod audivimus a Domino; vel ei, quod audit a nobis prophetantibus, quia fides ex auditu, ad Rom. decimo. *Et brachium Domini cui revelatum est?* Brachium Domini, ut dicit Augustinus, est Filius Patris (*c*). Sicut enim tuum brachium est, per quod operaris, ita Dei brachium dictum est Verbum, per quod operatus est mundum. Hoc brachium nec porrectum extenditur, nec collectum contrahitur (*d*). Nec solum fuit prævisum, sed etiam evenit justo Dei judicio, propter quod subditur:

Isa. 53. 1. — *Ad Rom. 10. 17.* — *Augustinus in Jo. Evang. c. 12. Tract. 53. n. 2. ac seq. Brachium Domini est Verbum Patris, per quod operatus est mundum.*

VERSUS XXXIX.

894. *Propterea non poterant credere*, id est, in eum; quia scilicet excæcati erant, & hoc dixit Isaias, ideo subditur: *Quia iterum dixit Isaias:*

VERSUS XL.

895. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum (e)*. Isaiæ sexto: Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude &c. Et ad Rom. primo: Tradidit illos Deus in reprobum sensum. *Ut non videant oculis, & non intelligant corde; &* intelligendo *convertantur, &* convertendo *sanem eos*. Jerem. tertio: Convertimini filii revertentes, & sanabo aversiones vestras. Et ne credant auctoritatem istam usurpatam, subditur:

Is. 6. 10. — *Ad Rom. 1. 28.* — *Jer. 3. 22.*

VERSUS XLI.

896. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo*. Isaiæ sexto, ubi dicitur, quod vidit Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & plena erat omnis terra majestate ejus (*f*).

Isa. 6. 1. ac 3.

VERSUS XLII.

897. *Verumtamen ex (g) principibus*, tangitur hic secundum, scilicet quorundam electio; ideo adversative dicitur, licet dictum sit, quod non crediderunt. *Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum*, ad Rom. undecimo: In hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Sed tamen non erant in fide perfecti, propter quod subditur: *Sed propter Pharisæos non confi-*

Quorumdam electio. — *Ad Rom. 11. 5.*

(*a*) Pariter Rupertus.

(*b*) Vide supra cap. 9. num. 704.

(*c*) Exposit. in cap. 1. S. Lucæ „ Ei dicitur „ hæc fecisse *in brachio*, id est in Filio. "

(*d*) Ita heic S. Augustinus, consentientibus Beda, Ruperto, Toleto, Jansenio, Maldonato, aliisque Interpretibus. Item S. Athanasio Lib. de communi essentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac S. Hieronymo in cit. Isa. cap. 53.

(*e*) Sic Isaiæ sensus potius citatur, quam verba, idque partim secundum Hebr. partim secundum LXX., ut notat Sa.

(*f*) De hac variante lectione vid. Comment. nostri Interpretis in Apocal. cap. 7. num. 515.

(*g*) Vulg. *&* ex; sed absque *&* Cod. quoque noster Bernardin. nec non Codd. Evangelior. Tridentin. Corbejen. Brixian. ac Forojulien. Item Hugo Card. Lyran. atque Biblior. Edit. Basileen. 1509.

confitebantur, *ut de* (*a*) *synagoga non ejicerentur*. Supra nono: Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur (*b*) Christum, extra synagogam fieret. Et hoc quidem timebant tanquam imperfecti, propter quod subdit rationem timoris: Jo. 9. 22.

VERSUS XLIII.

898. *Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei*; & stulte egerunt, secundum quod dicitur primi Machab. secundo: A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus, & vermis est: hodie extollitur, & cras non invenietur. Psal. Dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent &c. Et ad Galat. primo: An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (*c*). 1. Mach. 2. 62. ac seq. Ps. 52. 6. Ad Galat. 1. 10.

VERSUS XLIV.

899. *Jesus autem clamavit, & dixit*: Tangitur hic tertium, scilicet infirmorum in fide fortificatio, quæ fit affectuosa Christi exhortatione, qua sublevat mentes credentium ad dignitatem Divinitatis, propter quod dicit: *Qui credit in me, non credit in me*, secundum naturam visibilem, *sed in eum, qui misit me*: vel credendo non honorat me tantum, sed eum, qui misit me; in quo ostendit quod credere in se non est credere in hominem, sed in Deum, (*d*) & hoc manifestat; Infirmorum in fide fortificatio.

VERSUS XLV.

900. *Et qui videt me, videt eum, qui misit me*; ergo unum sunt in essentia mittens & missus, quia qui videt unum, videt & alium. Unde Joan. quarto decimo: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum (*e*). Et ratio est unitas essentiæ (*f*), quia ego in Patre, & Pater in me est; & ipse Filius est ratio videndi Patrem, sicut Verbum dicentem, sicut splendor lucem, (*g*) propter quod dicit: Jo. 14. 9. ac seq.

VERSUS XLVI.

901. *Ego lux veni in mundum, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat*, sed videat, & ipse etiam lux fiat. Ad Ephes. quinto: Fuistis (*h*) aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate; & hoc credendo in eum, de quo dicitur ad Hebr. primo: Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. Notandum autem Ad Ephes. 5. 8. Ad Heb. 1. 3.

(*a*) Vulg. *ut e*; sed *ut de* etiam idem Cod. Bernardin. atque Codd. Vercell. Veronen. Brixian. Forojulien. Hugo Card. Lyran. Bibliorumque antiquiores Editiones. Evangeliar. nostræ Ecclesiæ Trident. *ne de synagoga ejicerentur*.

(*b*) Vide supra cap. 9. num. 677.

(*c*) Heic verum esse sensum, dilexerunt magis glorificari ab hominibus, quam a Deo, exponit etiam Cornel. a Lap. post Augustin. Cyrill. Chrysost. Theophylact. Bedam, & alios. Supra cap. 5. ver. 44. *Gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis*. Et sic quoque Estius.

(*d*) Sic ad hunc textum S. Thomas, quem consule, si lubet.

(*e*) Vulg. absque *meum*; sed *meum* habet quoque Cod. noster Bernardin. 40. & 2. antiph. ad Laudes Offic. SS. Apostolor. Philip. & Jac.

(*f*) Ita SS. Augustin. Cyrill. &c.

(*g*) Infra num. 907. ad finem.

(*h*) Vulg. *eratis*; sed *fuistis* quoque S. Greg. in Evang. Lib. 2. Hom. 21. num 3.

Quod Christus venit —

Jo. 12. 46. —Ut Lux ad dirigendum, Joan. duodecimo: Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.

Luc. 9. 56. Jo. 12. 47. —Ut Salvifer ad liberandum, unde dictus est Jesus Lucæ nono: Non venit Filius hominis animas perdere, sed salvare. Et Joan. duodecimo: Non veni in mundum, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.

Luc. 11. 5. et seq. —Ut Amicus ad convescendum, Luc. undecimo: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus, id est, Christus (a), venit ad me de via.

Matth. 25. 6. et seq. —Ut Sponsus ad cohabitandum, Matth. vigesimo quinto dicitur Virginibus: Ecce Sponsus venit, exite obviam ei &c. Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.

Zach. 9. 9. —Ut Rex ad præsidendum, Zachar. nono: Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi.

Isa. 3. 14. —Ut Judex ad retribuendum, Isaiæ tertio: Dominus ad judicium veniet cum senioribus (b) populi sui, & principibus ejus (c).

VERSUS XLVII.

Contra non credentes facta comminatio.

902. *Et si quis audierit verba mea*, tangitur hic quartum, scilicet contra non credentes facta comminatio, & simul in comminatione ostendit suam benignitatem, & judicii severitatem, propterea dicitur: *Et si quis audierit verba mea, & non custodierit ea (d), ego non judico eum*, id est, non condemno, & hoc propter meam benignitatem: *Non enim veni in mundum, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum*. Supra tertio: Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Lucæ nono: Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Nec tamen fugient severitatem judicii (e), propter quod dicitur:

Jo. 3. 17.

Luc. 9. 56.

VERSUS XLVIII.

903. *Qui me spernit, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum*. Et quis est ille, qui judicat, ostendit: *Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die*. Matth. vigesimo quarto: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt; immo stabunt, sicut dicit Chrysostomus, in ordine accusationis redarguentia eos, & omnem abscindentia excusationem. Matthæi quinto: Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum illo in via (f), ne forte tradat te adversarius judici &c., intelligitur de sermone Christi (g). Et quod sermo suus habeat virtutem judicandi eos, manifestat, quia non est sermo humanus, sed Divinus, & verus, propterea dicit:

Matth. 24. 35.

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 13. Hom. 69.

Matth. 5. 25.

VER-

(a) *Secundum spiritualem intellectum, per amicum istum intelligitur Christus*, ait idem Interpres Exposit. in cap. 11. S. Luc.

(b) Vulg. *senibus*: sed *senioribus* ipsemet S. Bonavent. Comment. in Apocal. cap. 22. num. 1734. duo nostri Codd. Bernardin. S. Gregorius &c.

(c) Vide supra cap. 10. col. 842. not. *f*.

(d) Vulg. non habet *ea*; sed habet etiam Cod. Goth. apud Blanchin.

(e) Ita S. Augustinus.

(f) Vulg. *in via cum eo*; sed ut supra Cod. etiam Vercellen. & *cum illo* habent quoque Codd. Veronen. & Brixian.

(g) De *Christo judice*, cui traditur prævaricator Divinorum præceptorum, quæ sensualitati nostræ adversantur, d. textum interpretatur pariter Postillator nostri Cod. Bernard. 39.

VERSUS XLIX.

904. *Quia ego a* (a) *me ipso non sum locutus*, sicut vane gloriosus, de quo supra: Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; *sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar*. Et ideo ego loquor secundum mandatum ejus. *Jo. 7. 18.*

VERSUS L.

905. *Et scio quia mandatum ejus est vita æterna*. Unde Matth. decimo nono: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Deuter. trigesimo: Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas, ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum. Et ideo a mandato ejus non declino, propter quod dicit: *Quæ ergo loquor ego, sicut dixit mihi Pater, sic loquor*; quia ipse ut homo loquens (b) per omnia se Divino mandato & voluntati conformabat. Supra octavo: Quæ audivi a Patre, hæc loquor in mundo; & ideo ex hoc vult habere, quod sermo suus non est spernendus, sed accipiendus ut sermo Divinus, sicut de bonis dicitur primæ ad Thessal. secundo: Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. *Matth. 19. 17. Deut. 30. 19. ac seq. Jo. 8. 26. 1. ad Thess. 2. 13.*

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Non poterant credere &c.

906. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicitur, quod *non poterant credere, quia Isaias dixit: Excæcavit &c.* Videtur primo quod male dicat, quia si non poterant credere, ergo non erat eis imputandum in peccatum. Ad hoc respondet Chrysostomus: Non poterant, id est, non volebant. Sed istud non plene solvit; quia tunc facile esset omnia solvere. Quare non dixit Evangelista non volebant, cum ita bene haberet ad manum? Item esto quod iste esset sensus: non volebant credere; quia tamen Isaias dixit: Excæcavit oculos eorum, hinc videtur quod Deus sit caussa malæ voluntatis eorum. Resp. Dicendum, quod aliquid non posse dicitur dupliciter, aut quia nullo modo potest; aut quia cum magna difficultate potest: sicut dicitur, quod vir assuetus in malo non potest benefacere (c). Jerem. tertio decimo: Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietatem suam (d): Et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Secundum istam viam dicitur, quod vir excæcatus non potest credere; & hoc vult dicere Evangelista, quod non poterant credere, quia excæcati erant, sicut prædixerat Isaias (e). Non quod prædictio Isaiæ fuerit caussa, sed propria malitia, & Divinum judicium scilicet desertionis (f). Augustinus: Excæcat, & obdurat Deus, deserendo, & non adjuvando, quod occulto judicio fieri potest, non tamen injusto (g). Sicut ergo quod Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis Divinæ; ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ (h). *Responsio. Chrysostomus in Jo. Evang. c. 12. Hom. 67. Responsio Interpretis. Jer. 13. 23. Augustinus in Jo. Evang. c. 12. Tract. 53. n. 6. ac. 9.*

(a) Vulg. *ex*; sed *a* pariter Codd. Vercellen. ac Trident. Item *a me ipso* habet etiam Rupertus.

(b) Tametsi Augustinus, Ambrosius, & Beda, censeant Christum heic de se loqui, quatenus Deus est; simplicius tamen Cyril., Chrysostomus, Leontius, & Theophylactus, putant Christum heic loqui de se, quatenus ipse homo est. Vid. Cornel. a Lap.

(c) *Qui magnis præpeditur difficultatibus, ne agat, communiter profitetur se non posse*, heic ait etiam Gordonus. Item prædicta verba non significare *impossibilitatem absolutam*, sed *ex suppositione voluntatis habituatæ in pessimis*; respondet etiam Dionysius Carthus. cui D. Thomas præluxit. Ceterum dubitandum minime est de eo quod S. Augustinus adseverat Tract. 53. in Joan. Evang. heic num. 10. videlicet *quod qui tam superbe sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent sibi esse necessarium Divinum adjutorium ad bene vivendum, non possunt credere in Christum*.

(d) Vulg. *varietates suas*; sed *varietatem suam* etiam Cod. noster Bernardin. A. II. 21. nec non heic etiam Hugo Card.

(e) Estius: *Non poterant credere propter cæcitatem suam, quam prædixit Isaias*.

(f) 1. Dist. 40. art. 4. q. 2. in concl. & ad arg. Hinc Sa „ *Excæcavit*, scilicet ob eorum „ peccata. *Induravit*, scilicet non molliendo „ gratia, reliquit in duritia. *Ut non videant*; „ pro, atque ita factum, ut non videant. “

(g) Edit. Maur. *quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest*.

(h) Heic non piget exscribere monitum Natal. Alex. Exposit. in hoc ipsum Cap. & text.

Quæstio altera de hoc quod dicitur: *Qui credit in me, non credit in me.*

907. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Qui credit in me, non credit in me.* Videtur hic contradictio. Si tu dicas quod debet intelligi tantum, ut sit sensus, qui credit in me, non credit in me tantum, sed etiam in eum, qui misit me (*a*); secundum istam viam deberet similiter dicere, qui videt me, non videt me tantum, sed eum, qui misit me. Resp. Dicendum, quod fides distinguit articulos, & quando quis cogitat de uno articulo, non cogitat de alio; immo aliqui credunt unum, qui non credunt alium: Sed in visione, quia una est essentia, qui unam videt Personam, omnes videt (*b*). Ideo in visione unit, qui videt me, videt & Patrem; quia impossibile est unum videre sine alio (*c*): Sed in credulitate distinguit, & solitudinem excludit, qui credit in me, non in me solum credit, sed in me, & in eum, qui misit me (*d*). Aliter potest dici, quod est credere auctoritati (*e*), sed videre vel intelligere rationi (*f*). Quia ergo auctoritas & potentia est in Patre per appropriationem, ratione cujus est credere, ideo Filius credere appropriat Patri; & sic dictum est, quod Pater trahit ad Filium: Sed in videndo & revelando Filius ducit ad Patrem, ut Verbum & lumen (*g*); & ideo videre non sic appropriat Patri, quemadmodum credere, cum dicit: *Qui credit in me &c.*

Responsio.

Supra 6. 44.

CA-

Sen. Moral. 37. 38. 39. 40. „ Cum quæstiones hujusmodi in medium venerint: Quare ille Deo deserente excæcetur, ille Deo adjuvante illuminetur, non nobis judicium de judicio tanti Judicis usurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo: (Rom. 11. 33.) *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia Dei, & investigabiles viæ ejus.* Et (Psal. 35. 7.) *Judicia tua abyssus multa.* Terribile sed justum & adorandum judicium est, quo peccator in pœnam præcedentium peccatorum a Deo deseritur, durique ac cæci cordis desideriis traditur. Hoc velamen super corda peccatorum extendit superbia, tollit humilitas. Ingemiscentes de nostra ad bonum salutare agendum impotentia, quam ex primi hominis peccato ab origine contraximus, propriæ voluntatis peccatis roboravimus, imploremus gratiam Christi Jesu, qui dixit: (Joan. 15. 5.) *Sine me nihil potestis facere.* Audiamus Dominum, & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere possimus. Unde post plura concludit „ Hinc & illi *non poterant credere*, non quia in melius homines mutari non possent; sed quandiu talia sapiunt, non possunt credere. "

(*a*) Sic Arabicus apud Cornelium a Lap. Sa, Menochius, Tirinus, Gordonus &c.

(*b*) Joan. 14. 9. *Qui videt me, videt & Patrem; quia* (ibi 10.) *ego in Patre, & Pater in me est.* Sive ut loquitur S. Gregor. Nazianz. Orat. 49. *Quia unitate substantiæ, & majestate Divinitatis unum sunt.*

(*c*) Intellige de *visione Divinitatis per speciem*; de qua infra cap. 14. num. 981.

(*d*) Quippe ibi ait: *Nullus perfecte credit in Filium, quin etiam in Patrem.*

(*e*) Et quidem *non cuilibet, sed auctoritati Divinæ*, idem met Interpres noster 3. Dist. 23. art. 2. q. 2. ad 2.

(*f*) In Lib. 1. Sent. Procem. q. 2. ad 4. ex August. Lib. de utilitate credendi cap. 11. *Quod credimus, debetur auctoritati, & quod intelligimus, rationi*, ac alibi quoque.

(*g*) Supra num. 900. in fine.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

1. ANTE diem festum Paschæ, sciens Jesus quia
venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad
Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo,
in finem dilexit eos. 2. Et cœna facta,
cum diabolus jam misisset in cor ut traderet
eum Judas Simonis Iscariotæ. 3. Sciens quia
omnia dedit ei Pater in manus, & quia a Deo
exivit, & ad Deum vadit. 4. Surgit a cœna,
& ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum,
præcinxit se. 5. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare
pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.
6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu
mihi lavas pedes? 7. Respondit Jesus, & dixit ei: Quod ego facio,
tu nescis modo, scies autem postea. 8. Dicit ei Petrus: Non lavabis
mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non
habebis partem mecum. 9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum
pedes meos, sed & manus, & caput. 10 Dicit ei Jesus: Qui
lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et
vos mundi estis, sed non omnes. 11. Sciebat enim quisnam esset qui
traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes. 12. Postquam
ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cum recubuisset
iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? 13. Vos vocatis me Magister,
& Domine: & bene dicitis: sum etenim. 14. Si ergo ego lavi
pedes vestros, Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lavare
pedes. 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego
feci vobis, ita & vos faciatis. 16. Amen, amen dico vobis: Non est
servus major domino suo: neque apostolus major est eo, qui misit illum.
17. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. 18. Non de omnibus
vobis dico: Ego scio quos elegerim: sed ut adimpleatur Scriptura:
Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.
19. Amodo dico vobis, priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis
quia ego sum. 20. Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem
misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.
21. Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu: & protestatus est, &
dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.

22. As-

22. Aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret.
23 Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem
diligebat Jeſus. 24. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis
eſt, de quo dicit? 25. Itaque cum recubuiſſet ille ſupra pectus Jeſu,
dicit ei: Domine quis eſt? 26 Reſpondit Jeſus: Ille eſt, cui ego in-
tinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem, dedit Judæ Si-
monis Iſcariotæ. 27. Et poſt buccellam, introivit in eum ſatanas. Et
dixit ei Jeſus: Quod facis, fac citius. 28. Hoc autem nemo ſcivit
diſcumbentium ad quid dixerit ei. 29. Quidam enim putabant, quia
loculos habebat Judas, quod dixiſſet ei Jeſus: Eme ea, quæ opus ſunt
nobis ad diem feſtum: aut egenis ut aliquid daret. 30. Cum ergo
accepiſſet ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. 31. Cum ergo
exiſſet, dixit Jeſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis: & Deus cla-
rificatus eſt in eo. 32. Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clari-
ficabit eum in ſemetipſo: & continuo clarificabit eum. 33. Filioli,
adhuc modicum vobiſcum ſum: Quæretis me: & ſicut dixi Judæis:
Quo ego vado, vos non poteſtis venire: & vobis dico modo. 34.
Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos,
ut & vos diligatis invicem. 35. In hoc cognoſcent omnes quia diſci-
puli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. 36. Dicit ei Si-
mon Petrus: Domine, quo vadis? Reſpondit Jeſus: Quo ego vado,
non potes me modo ſequi: ſequeris autem poſtea. 37. Dicit ei Pe-
trus: Quare non te poſſum ſequi modo? animam meam pro te po-
nam. 38. Reſpondit ei Jeſus: Animam tuam pro me pones? Amen,
amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

EX-

EXPOSITIO,

VERSUS PRIMUS.

908.

ANte diem festum Pascha, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Determinata sunt duo præambula (a) ad Passionem, scilicet Judæorum conspiratio, & Passionis prædictio; in hac parte sequitur determinandum tertium, scilicet discipulorum confirmatio. Discipulos autem Dominus confirmat, & munit contra instantem tribulationem: primo humilitatis exemplo: secundo eruditionis & consolationis verbo, in principio quarti decimi cap. ibi: *Non turbetur cor vestrum*: Tertio vero orationis subsidio, in principio decimi septimi: *Hæc locutus est Jesus, & sublevatis &c.* Præsens igitur cap., in quo Dominus confortat discipulos suos exemplo, habet quatuor particulas (b) secundum quatuor, quæ ibi tanguntur. Primo enim proponit exemplum. In secunda particula hortatur ad imitandum ibi: *Postquam ergo lavit &c.* In tertia ostendit sive detegit Judæ perversitatem ad deviandum ibi: *Cum hæc dixisset, turbatus est spiritu*. In quarta vero ostendit discipulorum infirmitatem ad se per Passionem sequendum ibi: *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum*. Exemplum igitur, quod proponit imitandum, hoc ordine describitur: primo ostenditur temporis congruitas: secundo vero Christi humilitas: tertio Petri reverentia: quarto ipsius obedientia.

Post Judæorum conspirationem, & Passionis prædictionem, sequitur confirmatio discipulorum.

Divisio hujus cap. in quatuor particulas.

909. Temporis opportunitas ostenditur in hoc, quod jam tempus mortis instabat; propter hoc specialia signa dilectionis ostendere debebat (c), propterea dicitur: *Ante diem festum Pascha*, id est, ante primam diem Azymorum, cujus vespera prima erat quarta decima Luna ad vesperam, quando agnus immolabatur (d). *Sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*. Pascha transitus est; & ideo Dominus mori voluit in Paschate: quia suum mori transire fuit. Iste transitus significatus est per transitum maris rubri,

Temporis opportunitas. Christus instante mortis tempore specialia signa dilectionis ostendit.

Mors Christi transitus, sicut & Pascha.

(a) Hæc vox sæpius occurrit in Oper. & Opusc. S. Bona. ut jam notavimus supra cap. 11. num. 807.

(b) Divisiones in particulas legere quoque est in Speculo Disciplinæ, ac in Apologia pauperum secundum antiquiores Editiones. Item in Opusc. *de septem itiner. aternit.* sub nomine S. Bonav.

(c) Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Mald. & alii passim.

(d) Cornel. a Lap. sic magis declarat „ Quod Joannes ait, Christum id fecisse *ante diem festum Pascha*, intellige eum id fecisse die 14. ad vesperam, quæ præcedebat festum Paschæ, hoc est primum diem Azymorum, qui erat 15. dies, puta mane diei feriæ sextæ, sive diei Veneris, quo crucifixus est Christus. Pro quo nota, quod licet immolatio agni fieret die 14. ad vesperam, tamen festum primæ diei Azymorum proprie incipiebat postero mane diei 15. Atque hoc respectu ait Joannes, Christum celebrasse pascha ante diem festum Paschæ, quia celebravit die 14. ad vesperam, quæ erat pridie diei primæ Azymorum quæ incipiebat sequenti mane diei 15. Ceteri vero tres Evangelistæ, quia vesperam diei 14. qua immolabatur agnus paschalis, nectunt cum postero mane diei 15. quasi unum eumdemque diem festum. (festa enim ab Hebræis inchoabantur a vespera pridiana, & durabant ad vesperam postridianam, uti etiamnum fit in Vesperis Officii Ecclesiastici) hinc dicunt Christum celebrasse Pascha & Eucharistiam primo die Azymorum, id est, die 14 mensis ad vesperam, quia hæc erat inchoatio festi: vespera enim hæc erat confinium diei 14. & diei 15. finiebatur enim in ea dies 14. & incipiebat dies 15. quare ad utrumque diem pertinebat. Unde si eam accipias ut finem diei 14. censenda est ipsa esse ante diem 15., sive ante diem festum Paschæ, hoc est, ante primum diem Azymorum. Sin vero eamdem accipias, ut initium festi postridie celebrandi, sic ipsa pertinebat ad diem 15. vocabaturque dies 15. sive prima dies Azymorum, uti eam vocant tres ceteri Evangelistæ, sicut dixi Matth. 16. 17. “ Sed de hoc rursum infra num. 920.

bri, de quo primæ ad Cor. decimo:
1. ad Cor. 10. 1. Patres nostri omnes mare transierunt &c. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, id est, tunc præcipua signa dilectionis ostendit. Augustinus: Absit ut dilectionem morte finierit, qui non est morte finitus. Et non est iste finis consumens, sed consummans (*a*). Suos Dominus diligit Isaiæ quadragesimo nono: Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Sic tactum est tempus, tangitur & hora temporis:

Augustinus in Jo. Evang. c. 13. Tract. 55. n. 2. ac in Epist. ejus 1. c. 5. Tract. 10. n. 5.
Isa. 49. 25.

VERSUS SECUNDUS.

910. *Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor*, id est, suggessisset, *ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ*, quia tunc diffiniverat eum tradere, ex qua traditione Christus non est minoratus, sed sublimatus, unde & subdit:

VERSUS TERTIUS.

911. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, secundum illud Matth. ultimo:
Matth. 28. 18. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra; *& sciens quia a Deo exivit, & ad Deum vadit*, secundum illud Joan.
Jo. 16. 28. sexto decimo: Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem: hoc *sciens*, id est, mortem suam instare præcognoscens,

VERSUS QUARTUS.

912. *Surgit a cœna*, ut exemplum præbeat; quia jam temporis opportunitas aderat, sicut dictum est ministro
Act. 12. 7. Ecclesiæ Act. duodecimo: Surge velociter. *Et ponit vestimenta sua*, tangitur
Christi humilitas. hic secundum, scilicet Christi humilitas; quia deponit vestimenta, ut sit expeditus, sicut minister, ideo dicitur: *Et ponit vestimenta sua*. Sit etiam paratus ut minister, propterea dicitur: *Et cum accepisset linteum, præcinxit se*. Luc.
Luc. 12. 37. duodecimo: Amen dico vobis, quod præcinget se &c. Officium ministri exequitur, propterea dicitur:

VERSUS QUINTUS.

913. *Deinde misit (b) aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus*. Hoc est officium ministri, tale officium Dominus Majestatis assumpsit. Luc. vigesimo secundo: Ego autem in medio Luc. 22. 27.
vestrum sum, sicut qui ministrat. Filius autem hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam dare in redemptionem (*c*) pro multis, Matth. vigesimo. Et hoc humillimum ministerium lotio pedum.

Matth. 20. 28.

VERSUS SEXTUS.

914. *Venit ergo ad Simonem Petrum*:
Tangitur hic tertium, scilicet Petri reverentia, qua Domini obsequium refutabat, propter quod dicitur: *Venit ergo ad Simonem Petrum*, ut scilicet lavaret. *Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?* Quasi expavescendo dicit Petrus: *Tu mihi?* tu Dominus mihi servo? tu Magister mihi discipulo? tu omnipotens mihi misero? Chrysostomus: Manibus, quibus oculos aperuisti, leprosos mundasti, mortuos suscitasti, mihi lavas pedes? Quasi dicat, non audeo pati; & quia in reverentia excedebat, monet eum Dominus, ut desistat propter mysterium, (*a*) unde sequitur:

Petri reverentia.
Chrysostomus in Jo. Evang. c. 13. Hom. 69.

VERSUS SEPTIMUS.

915. *Respondit Jesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*, ideo oportet te sustinere usque in posterum. Sed Petrus admonitione non flectitur, unde

VERSUS OCTAVUS.

916. *Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum*. Et quia in sua sententia permanere decreverat, deferretur comminatione, ideo: *Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum*; *partem* dicit consortium Dei æternum, de quo in Psal. Dominus Ps. 15. 5.
pars

---

a Ibi cit. Tract. 10. ubi expendit illa verba Psal. 118. ver. 96. *Omnis consummationis vidi finem*.

(*b*) Vulg. *mittit*; sed *misit* etiam Cod. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. nec non Codd. Vercellen. & Veronen. Item Hugo Card. Lyran. antiquioresque Biblior. Editiones.

(*c*) Vulg. *redemptiónem* sine *in*; sed cum *in* etiam apud Lyran.

(*d*) De quo infra ver. 12. ait etiam Tirin.

pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi, & iterum: Portio mea in terra viventium. *Ibi 141. 6.*

VERSUS NONUS.

917. *Dicit ei Simon Petrus*, tangitur hic quartum, scilicet Petri obedientia, comminatione sibi facta. Unde supra dictus est *Petrus: Dicit ei Petrus*; sed in hac responsione dicitur *Simon Petrus*, id est, obediens *(a)*, & fervens, quia plus offert, quam Dominus præcipiat, unde dicit: *Domine, non tantum pedes meos*, sicut præcipis, lava; *sed & manus, & caput*. Unde Simon Petrus vere obediens dicere poterat illud Psalmi: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Sed quia superius in reverentia errabat, modo vero in obedientia excedebat, ideo Petrus supra est deterritus, sed modo est Simon instructus, propter hoc subdit:

Petri obedientia. *Simon, id est, obediens.* *Ps. 56. 8.*

VERSUS DECIMUS.

918. *Dicit ei Jesus: Qui lotus est*, illa scilicet lotione *(b)*, de qua dicitur Isai. primo: Lavamini, mundi estote, & Zachar. tertio decimo: Erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris. Jerem. quarto: Lava a malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias: ille, inquam, *non indiget, nisi ut pedes lavet*, id est, affectus *(c)*, de quibus Cantic. quinto: Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos *(d)*? Isti pedes magis indigent lavari, quam alia membra, propter hoc quod magis uniuntur sordibus. Thren. primo: Sordes ejus in pedibus ejus *(e)*, nec est recordata finis sui. *Sed* quando isti pedes lavantur, tunc *est mundus totus*. Ezechiel. trigesimo sexto: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. *Et vos mundi estis*, ideo non indigetis, nisi lotione pedum. Joan. quinto decimo: Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis; sed ne videatur discipuli facinus ignorare, subdit: *Sed non omnes*. Et rationem, quare hoc dixerat; dicit Evangelista:

Isa. 1. 16. *Zach. 13. 1.* *Jer. 4. 14.* *Cant. 5. 3.* *Threm. 1. 9.* *Ezech. 36. 25.* *Jo. 15. 3.*

S. Bonav. Tom. I. Supplem.

VERSUS XI.

919. *Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum: Propterea dixit: Non estis mundi omnes*. Ideo Evangelista ubi loquitur de proditore, ostendit quod Dominus sciebat, ne aliquis crederet, Christum tanquam hominem posse decipi. Supra sexto: Sciebat Jesus ab initio qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. *Jo. 6. 65.*

920. Quæritur hic de hoc quod dicitur, quod cœna ista fuit facta *ante diem festum Pascha*. Et ex hoc videtur, quod Dominus confecerit de fermentato. Sed in contrarium sunt alii Evangelistæ, qui dicunt Dominum comedisse secundum morem communem. Ad hoc respondent Græci, sicut dicitur in Glossa, quod Dominus prævenit, sicut hic dicitur ante diem Paschæ, & confecit de fermentato, & Joannes corrigit alios Evangelistas. Sed insipienter dicunt; quia absit quod alii Evangelistæ in aliquo sint mentiti, cum eodem spiritu loquerentur. Unde non dicitur hic dies Paschæ dies immolationis, sed primus inter dies Azymorum, in cujus sero præcedenti immolabatur agnus *(f)*.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Ante diem festum Pascha. *Matth. 26. 17. Mar. 14. 12. Luc. 22. 7.* *Responsio Græcorum refellitur.* *Glossa ordin.* *Interpretis responsio altera.*

921. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod *cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas*. Ergo videtur, quod diabolus sit malarum cogitationum immissor; & quod sic videtur, quia ipse est deus hujus sæculi, & dominatur in filios diffidentiæ, ad Ephes. secundo. Ergo sicut Deus electis, in quibus dominatur, immittit bonas cogitationes; sic & diabolus malas. Sed contra hoc est, quia si diabolus immittit; ergo velit nolit homo peccabit: ergo secundum hoc esset superior ipsa mente, quod est contra rationem, & Augustinum *(g)*. Resp. Dicendum, quod mittere in cor, sive immittere, dupliciter dicitur, proprie, & communiter: pro-

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas. *Ad Ephes. 2. 2.* *Augustinus L. 4. de Trinit. c. ult. ac L. 83. qq. q. 51. nec non L. 9. de Civit. Dei c. 11. & L. 11. c. 2.* *Responsio.*

S f f

(a) Exposit. in cap. 6. S. Lucæ.
(b) Hunc textum adducit pro lotione baptismi 4. Dist. 3. par. 1. art. 1. q. 1. in concl.
(c) Ita etiam S. August. & S. Bernard. Ser. in Cœna Domini.
(d) Supra Exposit. in Cant. Cantic. c. 5. v. 3. §. 218. sicque etiam Dionys. Carthus.
(e) Ita & Hugo Card.
(f) Sic & in 4. Dist. 11. par. 2. art. 2. q. 1. & Exposit. in cap. 22. S. Lucæ. Vide supra num. 909. Videsis quoque Differt. Calmet de noviss. Paschate D. N. J. C. in fine.
(g) 2. Dist. 8. par. 2. art. 1. q. 4. in Fundamen.

proprie immittere est virtualiter formare intus, & sic est solius Dei: communiter vero immittere est offerendo suggerere (*a*) per occasionem. Primo modo non convenit diabolo, secundo modo sic (*b*). Quod vero objicitur quod diabolus regnat, dicendum, quod non regnat propria virtute, sed per consensum pravæ voluntatis, quæ volens ei consentit, secundum illud Gregorii; Debilis est hostis contra resistentes, contra consentientes fortis. Ideo non dicitur proprie immittere, sed suggerere vel incendere (*c*).

Gregorius Moral. L. 5. c. 22. n. 43. Diabolus contra consentientes fortis, contra resistentes debilis.

Quæstio tertia de hoc quod solus Petrus Domino volenti ejus lavare pedes restitit.

922. Item quæritur de hoc quod solus Petrus Domino volenti lavare restitit, quomodo omnes nihil dixerunt? Et si omnes tacuerant, quomodo ipse volebat esse singularis? Si tu dicas, quod Dominus primo venit ad eum, & ipse primo restitit, & post alii sunt correcti, contraria est litera, quia dicitur: *Cœpit lavare, & tergere*, & post: *Venit ergo ad Simonem Petrum*. Respondet Chrysostomus, quod credit, quod prius lavit pedes Judæ, quia ille tanquam præsumptuosus primum locum anticipaverat, & post venit ad Petrum, & ille restitit; sed melius dicendum secundum Glossam, quod primo venit ad Petrum, & illud dictum est per anticipationem (*d*).

Responsio. *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 13. Hom. 69.*

Responsio alteri Interpretis. *Gl. interlin.*

VERSUS XII.

923. *Postquam ergo lavit pedes &c.* Postquam posuit exemplum, hortatur ad imitandum ipsum, & hoc quidem facit per hunc modum: primo ex consideratione dignitatis Magistri: secundo magnitudinis prœmii: tertio excellentiæ meriti. Hortatur ergo ex consideratione dignitatis Magistri; & quia ipse Magister & Dominus fecit, ideo debent & ipsi facere: & ideo, cum surrexerit ut minister, jam incipit docere ut Magister; ideoque & vestimenta resumens, audientiam petit, propter quod dicitur: *Postquam ergo lavit pedes eorum, (e) accepit vestimenta sua*, quæ scilicet deposuerat ut serviret, *& (f) cum recubuisset iterum (g) dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?* Fecit eos sollicitos ad attendendum, quia debet docere ut Magister; & est doctrina sua, ut ipsi eum imitentur, propterea dicit:

Imitatio exempli Christi Domini.

Ex consideratione dignitatis Magistri.

VERSUS XIII.

924. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis: Sum etenim.* Est enim Magister Matth. vigesimo tertio; Unus est Magister vester, scilicet Christus. Est etiam Dominus, unde David vocabat eum Dominum suum in Psalmo; Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.

Matth. 23. 8.

Ps. 109. 1.

VERSUS XIV.

925. *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister: Et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Ad Philipp. secundo: In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Et post: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens &c. Et ratio hujus subditur, quia hoc fecit ad se imitandum; fecit enim miracula, quæ non possumus imitari, quia non fecit in exemplum, sed in potentiæ indicium. Fecit opera humilia ad imitandum, sicut & hic (*h*).

Ad Philip. 2. 3. ac 5. & seqq.

VER-

(*a*) *Suggestionem* quoque vocat S. August. Tract. 55. in Jo. Evang. cap. 13. num. 4. Vid. infra num. 950.

(*b*) In eod. 2. ibi in concl.

(*c*) Ibi q. 5. in concl.

(*d*) *Quod dictum est ante, per anticipationem dictum est, unde sic legatur: Venit ergo ad Simonem Petrum, & cœpit lavare pedes discipulorum incipiens in Petro, ut dicit Augustinus*, ait quoque Hugo Card. Pariter etiam Dionys. Carthus.

(*e*) Vulg. *&*; sed sine *&* pariter Cod. noster Bernardin. nec non Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. Goth. apud Blanchin. nec non Editiones nostræ Bibliorum antiquiores.

(*f*) Vulg. absque *&*, quod tamen modo dicti Codd. habent, præfatæque Editiones, nec non Evangeliar. Eccl. nostræ Trident.

(*g*) Secundum Vulgat. ac Codd. Vercellen. Veronen. Forojulien. nostrum Bernardin. alium Biblioth. Episc. Trident. S. Tho. Hug. Card. Auctorem Exposit. sub S. Bona. nomine &c. heic fit interpunctio. In Evangeliar. autem Brixian. ac Trid. & apud Lyran. ac in Edit. Bibl. sac. Lugdun. 1568. &c., *iterum* conjungitur cum *dixit*.

(*h*) Exposit. in cap. 22. S. Luc. „ Ad dandum humilitatis exemplum: quod potissime „ fecit in cœna illa ultima, in qua lavit pedes „ discipulorum &c. „ Vide sis ejusdem D. Bonav. Serm. 1. Dom. 22. post Pentec.

VERSUS XV.

926. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Matth. undecimo: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Et quod in operibus humilitatis sit imitandus, ostendit tali ratione; quia non est servus major Domino suo: Ergo si Dominus non dedignatur humiliari, multo minus servus. Et hoc est quod dicit:

Matth. 11. 29.

VERSUS XVI.

927. *Amen, amen dico vobis*, tanquam verum & certum: *Non est servus major Domino suo, neque apostolus major est eo, qui misit illum.* Matth. decimo: Non est discipulus super Magistrum; & Joan. quinto decimo: Non est servus major Domino suo. Et ideo omnes servi Christi debent conservis servire *(a)*; ideo consuetudo est Papæ, ut scribat se servum servorum Dei. Unde Chrysostomus: Ubi sunt qui despiciunt conservos, ubi sunt qui honores expetunt? Proditoris pedes lavit Dominus, & sacrilegi & furis, tempore proditionis; & tu magna sapis, & in sublime erigeris?

Matth. 10. 24.

Jo. 15. 20.

Papa cur se scribit servum servorum Dei.

Chrysostomus ibi Hom. 70.

VERSUS XVII.

928. *Si hæc scitis*, hic secundo hortatur ad imitandum, consideratione magnitudinis præmii, quia qui hoc facit, beatus erit, propter quod dicit: *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea*, non si tantum scitis, immo etiam si facitis. Jacobi primo: Qui factor est operis, hic beatus in facto suo erit. Matth. quinto: Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Et post: Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Et quia promiserat eis beatitudinem, ne credatur eam proditori promisisse, subdit:

Consideratione magnitudinis præmii.

Jac. 1. 25.

Matth. 5. 19.

VERSUS XVIII.

929. *Non de omnibus vobis dico*, scilicet quod beati eritis, sed de electis, unde ait: *Ego scio quos elegerim.* Matth. vigesimo: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Secundæ ad Timoth. secundo: Novit *(b)* Dominus qui sunt ejus, unde quod dixi: Beati eritis; de aliquibus vestrum, & pluribus, est intelligendum. *Sed ut impleatur (c) Scriptura: Qui manducat mecum panem*, id est, socius commensalis, *levabit calcaneum suum contra me*; in Psalmo secundum aliam translationem *(d)*. Nos autem: Homo pacis meæ, in quo speravi: Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem *(e)*. Levare autem calcaneum, ut dicit Chrysostomus, est levare calcitrationem, dolum, & fraudem, & occultationem insidiarum. Et loquitur per similitudinem, sicut homo quando vult conculcare rem, levat calcaneum super eam; sic Judas conculcavit Christum. Et hoc dicebat de Juda, non eum accusando, sed discipulos instruendo, ne crederent eum traditum ut hominem purum, propterea subdit:

Matth. 20. 16.

2. ad Tim. 2. 19.

Ps. 40. 10.

Chrysostomus cit. Hom. 70.

VERSUS XIX.

930. *Amodo dico vobis, priusquam fiat: Ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum*, scilicet Deus, qui scio omnia, antequam fiant *(f)*. Ecclesiastici vigesimo tertio: Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita &c.

Eccli 23. 29.

(a) Calmet „ Vos me majores non estis: si „ igitur vestros ego lavi pedes, probri loco non „ erit, si par officium invicem exhibeatis. Hu- „ millima officia commendavit Christus, cum „ ipse primus ultro impleverit. Christiani „ hominis gloria est, ut humilis sit instar „ Magistri. “

(b) Vide supra Cap. 10. num. 708. nec non 743.

(c) Vulg. *adimpleatur*; sed *impleatur* etiam SS. Augustinus ac Thomas, Hugo Card. & Dionys. Carthus. sicque Codd. Veronen. Brixian. Forojulien. Goth. &c.

(d) Versio S. Hieronymi habet: *Levavit contra me plantam*, SS. Ambrosius & Augustinus secundum Græcos legunt *calcaneum*; *calcaneum* enim habet Psalterium Græco-Latinum apud Blanchinium. Quincuplum autem Psalterium Jac. Fabri Stapulen. habet *plantam*, & *calcaneum*, scilicet in eo Hebr. *plantam*, Conciliat. & Vet. *calcaneum*. Pro *levavit* autem habet *levabit*, nedum d. Psalter. Conciliat.; sed & Tertullianus apud Lorinum.

(e) Sic Exposit. in d. Psal. idem Interpres secundum Versionem Vulg. ac etiam Dionys. Carthus.

(f) Calmet: *Certo noveritis, me Deum esse, mentium & arcanarum cogitationum secreta scrutantem.*

VERSUS XX.

931. *Amen, amen dico vobis: Qui accipit*, hic tertio hortatur ad imitandum se, in honore servorum suorum, consideratione magnitudinis meriti; magnum enim meritum habet, qui Dominum honorat, & ipse Dominus honorem factum servo reputat suum: & ita magnum meritum habet, qui honorat Christi servum; propterea dicit: *Qui accipit si quem misero, me accipit*, id est, qui honorat missum, honorat me mittentem. Matth. vigesimo quinto: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis: *Qui autem accipit me, accipit eum, qui misit me*, id est, qui honorat Filium, honorat Patrem, qui misit eum. Matth. decimo dicitur simile: Qui vos recipit, me recipit: Et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Et ex hoc arguitur, quod sicut est magna transgressio Deum despicere, & magnum meritum ipsum honorare; sic etiam in servis Dei.

Consideratione magnitudinis meriti.

Matth. 25. 40.

Matth. 10. 40.

932. Sed quæritur hic primo, quare Dominus dedit discipulis magis exemplum humilitatis, quam alicujus alterius virtutis, cum sint aliæ virtutes excellentes? Dicendum, quod Dominus super omnia commendavit discipulis suis unitatem; & quia superbia recte frangit unitatem, quoniam inter superbos semper sunt jurgia, & discipuli contendebant, quis eorum videretur esse major; ideo ne per illam contentionem unitas Ecclesiæ rumperetur, dedit exemplum humilitatis, ut quilibet alteri subjiciatur. Alia ratio est, quia sicut damnatio ortum habuit a superbia *(a)*; ita salus ab humilitate *(b)*.

Quæstio prima quare Christus exemplum præcipue ostendit discipulis humilitatis. Responsio.

Superbia frangit unitatem.

Prov. 13. 10. Luc. 22. 24.

Damnatio ortum habuit a superbia, salus ab humilitate.

933. Sed quæritur de hoc quod dicitur: *Non de omnibus vobis dico: Ego scio quos elegerim*. Contra: Supra sexto dicitur: Nonne ego duodecim vos elegi? Si elegit duodecim, Judas erat electus, cujus contrarium dicit modo. Resp. Dicendum, quod est electio ad præsentem dignitatem; & sic Judas fuit electus, sicut eliguntur mali Episcopi & Prælati, non errore, sed mirabili dispensatione. Est electio ad æternam hæreditatem *(c)*; & hoc modo Judas non fuit electus, quia hæc pertinet ad finaliter bonos *(d)*.

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Non de omnibus vobis dico.*

Jo. 6. 71.

Responsio.

934. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Qui accipit si quem misero, me accipit*. Secundum hoc, qui honorat nuntium, honorat mittentem; ergo sicut honor imaginis refertur ad prototypum, sic nuntii ad Dominum; ergo si imaginem Christi debemus adorare latria, sic & nuntios Christi. Hoc ipsum videtur per literam, quia apponit pro simili quod qui honorat ipsum, honorat Patrem, qui misit eum; sed eodem honore honorandus est uterque. Resp. Dicendum, quod honorem referre ad aliquem est dupliciter, aut sicut ad objectum, aut sicut ad finem *(e)*. Dico ergo, quod honor imaginis refertur ad prototypum, sicut ad objectum; quia non honoratur lapis, sed Deus. Sed honor missi refertur ad mittentem, sicut ad motivum & finem. Et quia homo non honorat missum, nisi propter mittentem, & ex consequenti, non primo sicut ad objectum; & quia ex hoc Deus reputat se honoratum vel dehonoratum: ideo imago est honoranda latria *(f)*, sed nuntius dulia. Quod objicitur de simili, dicendum, quod non est omnino similiter; quia ibi est conformitas naturæ, hic autem gratiæ (g).

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Qui accipit si quem misero, me accipit.*

Responsio.

VER-

(a) Quod primum Luciferi peccatum fuerit superbia in 2. Dist. 5. Art. 1. Q. 1. in concl. Quodve peccatum mulieris itidem a superbia inchoaverit ibi Dist. 22. Art. 1. Q. 1. in concl. Et de primo peccato Adæ ibi Q. 2. in concl. *Hæc tria trahuntur ex verbis Augustini super Genesim ad literam, quæ adducit Magister in litera. Primo enim dicit, quod non est putandum quod homo deiiceretur; nisi præcessisset in eo quædam elatio comprimenda &c.*

(b) Ibi Q. 1. ad 1. ubi ait: *Etsi fides in conceptione filii Dei non modicum tenuerit locum, habuit tamen humilitatis usum præambulum, ratione cujus dicitur Virgo Deo placuisse, sicut ipse dixit: Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ*. Vid. Exposit. in cap. 1. S. Luc. nec non Opusc. De perfect. vit. ad Soror. cap. 2.

(c) Al. *solemnitatem*.

(d) Menochius „ *Ego scio quos elegerim &c.* „ aliquid subintelligendum est hoc pacto: Ego „ scio quos elegerim ad æternam beatitudinem; „ Judam ad beatitudinem non elegi, qui inter „ vos est quasi lupus inter oves, sed suo vitio „ efficiet miser ut impleatur Scriptura, quæ „ de proditore vaticinatur: *Qui manducat &c.* Similiter per verba illa: *Ego scio quos elegerim*, significari *ad vitam æternam præordinationem, seu prædestinationem*, ait quoque Dionys. Carthus.

(e) 3. Dist. 9. art. 1. q. 3. ad 1.

(f) Ibi q. 2. in concl.

(g) Sive non est eadem comparatio Patris mittentis ad Filium, quæ est Filii mittentis ad discipulos; ibi enim est conformitas ac unitas ejusdem naturæ Divinæ, hic autem sola conformitas gratiæ, id est, naturæ humanæ per Christi gratiam sanctificatæ.

VERSUS XXI.

935. *Cum hæc dixiſſet Jeſus, turbatus eſt ſpiritu, & proteſtatus eſt, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet.* Poſtquam exemplum propoſitum eſt, & inducti ſunt diſcipuli ad imitandum; hic incipit tertia pars capituli, in qua Dominus perverſitatem Judæ oſtendit ad deviandum, & hoc quidem facit hoc ordine. Primo fit in generali proditoris inſinuatio: ſecundo vero diſcipulorum hæſitans inquiſitio: tertio Domini ſecreta reſponſio: quarto vero proditoris acceleratio. Primo igitur fit in generali proditoris inſinuatio, & licet in generali, non tamen in dubio, ſed in certitudine. Et hoc manifeſtat Chriſti turbatio, propter quod dicitur: *Cum hæc dixiſſet Jeſus*, quæ ſcilicet ſpectabant ad diſcipulorum inſtructionem, *turbatus eſt ſpiritu*, id eſt, voluntarie (*a*); *& proteſtatus eſt, & dixit*, quia certiſſime aſſeruit: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet*, ille ſcilicet unus erat eum traditurus, de quo ſupra ſexto: Unus ex vobis diabolus eſt.

Tertia particula cap. de perverſitate Judæ.

Proditoris inſinuatio in generali.

Jo. 6. 71.

VERSUS XXII.

936. *Aſpiciebant ergo ad invicem*, tangitur hic ſecundum, ſcilicet diſcipulorum inquiſitio, & primo inceperunt dubitare, propter quod dicitur: *Aſpiciebant ergo ad invicem diſcipuli hæſitantes de quo diceret*; ideo ad invicem aſpiciebant, quia unus de altero dubitabat. Auguſtinus: Sic in eis erga Magiſtrum ſuum erat pia caritas, ut tamen inter eos humana alterum de altero ſtimularet infirmitas. Et quia dubitatio ducit in inquiſitionem, & inquiſitio in familiaritatem; ideo oſtenditur familiaritas Joannis, ut per ipſum inquiſitio fiat, ideo ait:

Diſcipulorum inquiſitio.

Auguſtinus in Jo. Evang. cap. 13. Tract. 61. n. 3.

VERSUS XXIII.

937. *Erat ergo unus ex diſcipulis ejus recumbens in ſinu Jeſu*, tanquam familiariſſimus inter alios, & hoc quidem propter amoris prærogativam, *quem diligebat Jeſus*. Iſte diſcipulus fuit Joannes, unde Chryſoſtomus: Intuere Joannis ingloriationem; non enim dicit nomen ſuum, ſed quem amabat Jeſus, ſicut Apoſtolus ſecundæ ad Cor. duodecimo: Scio hominem, non dixit: Scio Paulum (*b*). Hic ergo diſcipulus ſic familiaris idoneus erat inquiſitor, propter quod dicitur:

Chryſoſtomus in Jo. Evang. c. 13. Hom. 71.

2. ad Cor. 12. 2.

VERSUS XXIV.

938. *Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis eſt, de quo dicit?* Quaſi dicat, require ab eo. Petrus ſemper per ſe, & per alios ſollicitus erat quærere (*c*). Ad Petri petitionem inquirit diſcipulus ille:

VERSUS XXV.

939. *Itaque cum recubuiſſet ille ſupra pectus Jeſu*, ut dilectus & familiaris, & propinquus, quod eſt ſignum dilectionis, Cantic. ultimo: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? *dicit ei: Domine, quis eſt?* Supple ſcilicet qui te tradet? Supra pectus Jeſu recubuit, ut ſecretum audiret; quia in eo erant omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Unde Auguſtinus dicit de Joanne, quod fluenta Evangelii de ipſo Dominici pectoris fonte potavit (*d*).

Cant. 8. 5.

Coloſſ. 2. 3.

Auguſtinus, ſive incertus Auctor Præfat. in Evang. S. Jo.

VERSUS XXVI.

940. *Reſpondit ei Jeſus*: Tangitur hic tertium, ſcilicet Domini ſecreta (*e*) reſponſio, qua diſcipulo familiari ſatisfacit, propter quod non verbo nominatim dixit, ſed ipſi ſigno manifeſtavit (*f*); prop-

Domini ſecreta reſponſio.

(*a*) *Non involuntarie, ſed libere*, ait etiam Cornel. a Lap.

(*b*) Similiter S. Auguſtinus cit. Tract. 61. num. 4.

(*c*) *Quia ferventior erat, diligentius requirebat*, ait idem Interpres Expoſit. in cap. 22. S. Lucæ.

(*d*) Supra in Prol. n. 4.

(*e*) Sive *ſubmiſſa voce*, ut ait Menochius, & ante Menoch. Hugo Card.

(*f*) Ea tamen lege, ut nemini, Petro præcipue, diceret; *quia* (inquit Lyran.) *Petrus erat ita fervidus, quod ſtatim inſurrexiſſet in proditorem*. Similiterque ſecundum Auguſtinum Dionyſ. Carthuſ. nec non ipſemet Interpres noſter Serm. 1. in Cathed. S. Petri Apoſt.

propterea dicit: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero*; intinctio panis fictionem Judæ significat (a). *Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ*, & in hoc scivit Joannes, quis esset eum traditurus. Augustinus: Panis proditori traditus demonstratio est gratiæ, cui proditor fuit ingratus. Unde in Psal. De ingratitudine Judæ conqueritur: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos &c. (b)

Augustinus in Jo. Evang. c. 13. Tract. 61. n. 3.

Ps. 54. 13. & seq.

VERSUS XXVII.

941. *Et post buccellam*, tangitur hic quartum, scilicet proditoris acceleratio, quæ facta est per vehementem infestationem diaboli, quam habuit in Judam post ipsius buccellæ comestionem, propter quod dicitur: *Et post buccellam introivit in eum satanas*, ut efficacius eum possideret (c), & nequitiam conceptam citius consummaret. Unde in Psalm. Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet a dextris ejus (d). *Et* quia hoc non latebat Dominum, *dixit ei Jesus*: *Quod facis, fac citius*, prædictive dicit, & permissive, non imperative (e). Ne tamen videretur ejus nequitiam detexisse, ostendit Evangelista, quod hoc verbum omnes latuit, ideo dicit:

Proditoris acceleratio.

Ps. 108. 6.

VERSUS XXVIII.

942. *Hoc autem nemo scivit discumbentium, quid* (f) *ei dixerit*, nec etiam ipse Joannes, qui jam sciebat ejus nequitiam (g). Unde Chrysostomus: Benignæ mentis & mansuetæ non fuit malum de alio suspicari, immo e contrario in bonum interpretati sunt, unde dicitur:

Chrysostomus cit. Hom. 71.

VERSUS XXIX.

943. *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas*, tanquam dispensator, *quod dixisset ei Jesus*: *Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret*, quia maxime propter illos habebat loculos (b); in quo significatum est, quod de loculis Ecclesiæ licet Prælatis emere, *quæ opus*, id est, quæ necessaria sunt, & reliqua dare egenis, & ipsis specialiter datum est mandatum de alendis pauperibus (i). Unde Ecclesiastici vigesimo nono: Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. Et sicut diabolus suggerebat, & Christus prædixerat, acceleravit Judas, ideo dicitur:

Prælatis Ecclesiæ præcipue mandatum de alendis pauperibus.

Eccli 29. 12.

VERSUS XXX.

944. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo*, ut velociter impleret. Et tempus erat congruum facto, *erat autem nox*. Job vigesimo quarto: Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus; & supra tertio: Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.

Job. 24. 15.

Jo. 3. 20.

945. Sed quæritur hic primo de Domini perturbatione, quia dicitur: *Turbatus est spiritu*. Si in Christo omnia erant pacata, quia per arcam Noe significatur, in qua omnia pacata erant (k); quomodo spiritu turbatus est? Dicendum, quod illa turbatio nullam in Christo

Quæstio prima de hoc quod dicitur: Turbatus est spiritu.

Responsio.

(a) Sic Glossa ordinar. apud Lyran.

(b) Ita etiam Exposit. in cap. 22. S. Lucæ.

(c) Pariter Glossa interlin.

(d) Itidem Exposit. in Psalter. àd prædictum Psalmum noster Interpres *Judæ* mentionem facit.

(e) Similiter SS. August. Chrysost. Leo. Thom. nec non Hugo Card. Lyran. &c. atque inter recentiores Interpretes Sa, Cornel. a Lap. Menoch. &c.

(f) Vulg. *ad quid*, sed *ad* deest etiam in Cod. Goth. apud Blanchin. nec non in Evangelior. Codd. Corbejen. Vercellen. Veron. ac Trident.

(g) Sciebat quidem Joannes ex supradictis Christi verbis Judam fore proditorem; tamen nescire potuit, eum tam cito, scilicet eadem nocte, Christum proditurum; sed suo tempore. Quare fortasse non intellexit Christum dicentem: *Quod facis, fac citius*, de proditione sua loqui, mox futura; sed de emendis necessariis pro instante Paschatis tempore &c. Et huic interpretationi favet Chrysostomus & Cornel. a Lap. Forte tamen supra pro *nec etiam ipse Joannes &c.*, legendum *non tamen ipse Joannes*. Unde Tirinus: *Hoc autem Christi dictum quid sibi vellet, nemo scivit præter Joannem.* Et Calmet: *Hoc autem nemo scivit discumbentium, nisi fortasse Joannes, cui Christus in aurem insusurravit.*

(b) In Opusc. De paupert. Christi contra Magistr. Guilelmum.

(i) In Exposit. Reg. Fr. Minorum cap. 4.

(k) In 3. Dist. 17. Ar. 1. Q. 3. in concl. ait idemmet S. Bona. quod *in Christo fuerunt omnes motus rationales recti, & omnes motus sensualitatis pacati, juxta illud quod dicit Augustinus, signatum fuisse per animalia, quæ fuerunt in arca Noe quieta, & pacata.*

sto faciebat inordinationem, quoniam voluntati erat subjecta sensualitas, & voluntarie turbata; in cujus testimonium dicitur: *Turbatus est spiritu*, id est, voluntarie (*a*).

Quæstio secunda de quo sensualitas turbabatur.

946. Sed tunc quæritur, de quo turbatur sensualitas? Si de morte futura, tunc hoc nihil est; quia illa non ceciderat in sensum, cum esset futura: ergo nec cadebat in sensualitatem; ergo de hoc sensualitas non dolebat.

Responsio.

Dicendum, quod mortis imaginatio erat in vi sensibili interiori, non a sensu procedens, sed a rationis cognitione descendens (*b*). Cum enim aliqua præscimus, possumus imaginari, & per hoc, quod certum tenemus, perburbari. Et si objicias, quod est ordo præposterus, dicunt aliqui, quod nihil impediebat in Christo, in quo inferiores vires erant subjectæ superiori. Sed tamen non oportet dicere hoc; quia tunc esset ordo præposterus, si species intelligibilis descenderet in sensum, & fieret sensibilis; sed quando species sunt in imaginatione, & ratio aliquid cogitat, & facit sensitivam, illud idem imaginari, & exterreri, nulla est præposteratio (*c*).

Quæstio tertia quare non semper turbatus fuit, sicut & nunc. Responsio.

947. Sed tunc quæritur, cum Christus ab initio cognoverit mortem suam, sicut & nunc, quare non semper turbatus fuit, sicut & nunc? Dicendum ad hoc, quod cogitatio mortis non erat tota caussa, sed cogitatio mortis imminentis; unde magis abhorret natura periculum imminens, quam distans.

Natura magis abhorret periculum imminens, quam distans.

Nec adhuc istud est tota caussa, sed cogitatio mortis imminentis cum voluntate turbandi se (*d*); & hoc voluit nunc, ut ostenderet se verum esse hominem (*e*).

Quæstio quarta unde est, quod discipuli ausi fuerunt de crimine occulto inquirere?

948. Item quæritur de inquisitione discipulorum, unde est, quod ausi fuerunt discipuli quærere de crimine occulto? Videtur fuisse curiositas. Et etiam quæritur, cum Petrus esset audacior inter omnes, quare non per se quæsivit, sed per interpositam personam (*f*), scilicet Joannem? Unde quasi semper Petrus pro discipulis omnibus respondebat (*g*).

Responsio.

Ad hoc dicendum, quod non quærebant propter curiositatem sciendi culpam proximi; sed quia unusquisque, ut dicit Chrysostomus, de se timebat, & timore illo cruciabatur, volebant certificari.

Chrysostomus cit. Hom. 71.

Et quia sciebant, quia Dominus palam non diceret (*h*), nec ipsi volebant eum ita palam confundere; occulte quæsierunt, & occulte eis responsum est. Et ideo Petrus non est locutus, sed innuit illi, qui propinquus erat, & occulte poterat quærere; nam recumbebat super pectus Jesu, & secrete poterat quærere: non sic Petrus.

Quæstio quinta de Christi responsione, qua dixit: Cui intinctum panem porrexero.

949. Item quæritur de responsione Domini, qua dixit: *Cui intinctum panem porrexero*. Videtur, quod Dominus Judam prodiderit. Ad hoc dicit Chrysostomus, quod omnibus dedit panem intinctum; sed tunc quæritur, quod signum fuisset Joanni, quod ille esset, cui

Chrysostomus ibi.

(*a*) Supra cap. 11. num. 817. atque hoc ipso cap. num. 335.

(*b*) S. Tho. in Joan. Evang. hic Lect. 4. sub not. 4. „ Turbatio, quæ fuit in appetitu sensitivo, in Christo fuit ex judicio rationis. Unde supra XI. 33. dicit, quod *turbavit semetipsum*. In Christo enim omnia ex deliberatione rationis etiam in inferiori appetitu sensitivo proveniebant: Unde nec subiti motus sensualitatis in Christo fuerunt. “

(*c*) 3. Dist. 15. Dub. 4. in resp. idemmet noster Interpres „ Ad illud quod objicitur, quod timor mortis non potuit esse nisi in ratione: dicendum quod ratio prævidens mortem instantem fecit imaginationem mortis in parte sensuali: qua quidem facta, sensualitas mota fuit, & horrore mortis concussa. Et si tu dicas, quod hic non est ordo cognitionis, ut deveniatur a ratione ad sensualitatem; dicendum quod hoc verum est in nobis, in quibus est scientia per acquisitionem ab inferiori. In Christo autem aliter esse potuit, qui fuit plenus scientia, & in quo fuit obedientia perfecta virium inferiorum respectu superiorum. Præterea nos ipsi imaginari possumus quod volumus, quamvis non possimus quod volumus sentire exterius. Et ita timor in Christo de morte futura potuit esse in parte sensuali, ut merito secundum Hieronymum, & Magistrum possit, & debeat dici propassio. “ Vid. supra cap. 11. col. 887. ac seq. in not. *f*. ac *g*.

(*d*) Ibi, nec non art. 2. q. 2. in concl.

(*e*) S. Tho. loc. supra cit. „ Imminebat ei passio, & mors, quam naturaliter refugit natura humana; & cum eam sibi sentit imminere, tristatur de malo, & nocivo sibi præsente. Ut ergo ostenderet se veram naturam humanam habere, voluit turbationis affectum ex judicio rationis etiam quantum ad ipsam animam pati. Per quod excluditur error Apollinaris dicentis, in Christo non fuisse animam, sed Verbum loco animæ. “

(*f*) Phrasis Reg. Fratr. Minor. cap. 4. nec non ipsiusmet S. Bona. in ejusdem Exposit.

(*g*) Ipsemet D. Bonav. Ser. 1. in Cathed. S. Petr. Apost. *Ipse solus sæpe pro omnibus respondebat, nec expectabat quod alius loqueretur.*

(*h*) *Ut scilicet formam daret, quod non est occultum vitium facile publicandum*, Exposit. in cap. 22. S. Lucæ.

cui intinctum panem porrexisset? Item dicitur Matth. vigesimo sexto, quod cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? & post de Juda: Numquid ego sum, Rabbi? Et dicitur ibi, quod Dominus respondit: Tu dixisti. Ergo videtur, quod Dominus eum aperte manifestaverit, & quod non tantum signo, sed verbo. Resp. Dicendum, quod Dominus proditorem revelavit, sed non omnibus, immo aliquibus, sed occulte. Revelavit autem duplici ex caussa Joanni; tum quia compatiebatur ejus desolationi; tum etiam ut ipse esset testis, Christum præcognovisse certitudinaliter, non per conjecturas ipsum discipulum proditorem. Quod vero dicitur, quod non est peccator prodendus; intelligendum est, quod non est publicandus: sed tamen dici potest his, qui possunt prodesse, & nolunt obesse (*a*). Quod vero dicitur de Matthæo, dicendum, quod istud verbum Domini, ut dicit Augustinus de concordia Evangelistarum, nihil certum determinabat: Tu dixisti, quasi dicat, non ego dixi, sed tu. Vel potest esse, quod Dominus ita ei dixit, quod nullus alius intelligeret (*b*). Et hoc quidem, quod narrat Matthæus, sic dictum fuit. Et quia non erant Petrus & Joannes certificati (*c*), adhuc secreto petiit Joannes (*d*).

Matth. 26. 22. ac 25.

Responsio Interpretis.

Augustinus de consensu Evang. L. 3. n. 2.

950. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod *post buccellam introivit in eum satanas*. Videtur, quod Dominus non bene fecerit, quod buccellam dedit Judæ, per quam pejor esset effectus. Item quia ratione *post buccellam?* Et videtur falsum dicere, quia sicut dicit Augustinus, solus Deus intrat in animam, non ergo satanas (*e*). Item prius dixerat, quod diabolus misit in cor Judæ, quomodo ergo *post buccellam?* Respondeo, ad hæc sunt diversæ opiniones, quidam voluerunt dicere, quod panis ille intinctus fuit Corpus Christi, & hoc dicit Magister in Historiis (*f*), & ideo non datur nobis communicantibus panis intinctus. Et hoc videtur dicere Augustinus: Quid miraris, inquit, si datus est Judæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cum videas e contrario Paulo Apostolo datum Angelum diaboli, per quem perficeretur in Christo? Et ideo dicunt, quod tunc intravit satanas, quia indigne Corpus Christi suscipiens, judicium sibi manducavit, & bibit. Alii dicunt aliter, & melius, ut credo, & hoc dicit Glossa, quod panis ille intinctus non fuit Corpus Christi (*g*). Immo sicut dicit Augustinus de concordia Evangelistarum, jam Corpus Christi erat discipulis distributum, & Judas cum aliis sumpserat; sed alius panis fuit, & post illum satanas intravit, quia tot modis excitatus est pœnitere, & non pœnituit: ideo diabolus eum plenius possedit. Quod objicitur, quod Deus intrat in animam solus, verum est illabendo (*h*); sed diabolus suggerendo (*i*). Quod objicitur, quod prius suggesserat, dicendum, quod verum est; sed ex tunc eum amplius angustavit, & ad malitiam complendam acrius impulit.

Quæstio sexta de hoc quod de proditore dicitur: Post buccellam introivit in eum satanas.

Augustinus L. 3. Confess. c. 6. in fine

Responsio secundum diversas opiniones.

Petrus Comestor magister in Historiis in Hist. Evang. c. 551.

Augustinus in Jo. Evang. c. 13. Tract. 62. n. 1.

1. Cor. 11. 29.

Glossa ordinar.

Augustinus de consensu Evang. cit. L. 3. n. 4.

VERSUS XXXI.

951. *Cum ergo exisset &c.* Postquam ostensa est Judæ perversitas ad deviandum, ostenditur discipulorum infirmitas ad Dominum sequendum. Et hæc est quarta part. capituli, & hæc quidem hoc ordine. Primo enim prædicitur futura Christi passio: secundo discipulorum imperfectio: tertio imperfectorum eruditio: quarto reprimitur Petri præsumptio. Prædicitur ergo primo Christi futura passio, & per passionem clarificatio,

Quarta particula capituli de Christi Passione.

Prædicitur futura Christi Passio.

(*a*) *Quia non reputatur publicum, quod ex caritate Prælato detegitur propter periculum vitandum*, eadem Exposit. in cap. 22. S. Lucæ.

(*b*) Verba Aug. sunt in Edit. Maur. *Etiam hic non est expressum, utrum ipse esset. Potest enim adhuc intelligi, tamquam, non ego dixi: potuit etiam sic dici a Juda, & a Domino responderi, ut non omnes adverterent.*

(*c*) Si enim fuisset *Petrus certificatus* evenisset quod supra adnotavimus num. 940. in not. *f*.

(*d*) Supra num. 939. ac seqq.

(*e*) Sic ex August. 2. Dist. 4. par. 2. art. 1. q. 2. in Fundam. nec non ex eodem August. in Soliloq. cap. 1.

(*f*) Allegatus & alibi ad eodem S. Bonaventura, uti constat ex Prodromo col. 518.

(*g*) 4. Dist. 11. par. 2. Dub. 8. Unde notavit etiam Cornel. a Lap. „ Nonnulli opinati „ sunt hunc *panem intinctum* fuisse Eucharistiam; „ sed perperam: nec enim Christus *panem in-* „ *tinctum* consecravit, sed panem siccum, æque „ ac vinum purum & merum. “

(*h*) 1. Dist. 1. art. 3. q. 2. in concl. ac 2. Dist. 8. par. 2. art. 1. q. 2. in concl.

(*i*) In 2. ibi ad 4. Item August. de consen. Evang. L. 3. num. 4. *Quomodo enim intrat in cor, nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum?* Vid. supra num. 921.

tio, quæ accelerabatur, proditore accelerante, propter quod dicitur: *Cum ergo exiisset*, scilicet Judas, ut perficeret quod conceperat, *dixit Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis. Nunc* dixit propter passionem instantem (*a*), cujus merito erat sublimandus (*b*). Ad Phi-
Ad Philip. 2. 8. ac seq. lipp. secundo: Humiliavit semetipsum, propter quod & Deus illum exaltavit. *Et Deus clarificatus est in illo* (*c*), quia per Christum omnibus innotuit. Joan.
Jo. 17. 6. decimo septimo: Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.

VERSUS XXXII.

952. *Et* (*d*) *si Deus clarificatus est in eo*, in Passione per multam virtutis manifestationem; quia mors sua & Passio valde fuit in gloriam Dei, sicut dicitur
Jo. 21. 19. de Petro Joan. ultimo, significans qua morte clarificaturus esset Deum. *Et Deus clarificabit eum, in semetipso*, per gloriam Resurrectionis (*e*); *& continuo clarificabit eum*, quia non poterat ejus Resurrectio
Ps. 15. 10. differri. Unde in Psalmo: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et vult dicere, quod Christus erat cito glorificandus a Patre per Resurrectionem; quia ad claritatem Patris manifestandam ipse sustinere debebat Passionem. Unde infirmitas Christi hominis Deum clarificavit; & ideo potentia Dei Christum mortuum suscitavit & clarificavit.

VERSUS XXXIII.

953. *Filioli, adbuc modicum*, tangitur hic secundum, scilicet discipulorum ad sequendum Christum imperfectio; ideo vocat eos *filiolos*, id est, in fide infirmos, quia firma fides facit filios (*f*). Vel *filiolos* vocat præ amoris teneritudine (*g*), sicut dicit Priscianus (*b*), quod diminutiva aliquando præ familiaritate & amore dicuntur, ut Sergiolus. Et horum igitur imperfectionem manifestat, cum subdit: *Adbuc modicum vobiscum sum*, per corporalem præsentiam. *Quæretis me: & sicut dixi Judæis:* (supra septimo & octavo) *Quo ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modo*; quia Passionis arduitatem ferre non potestis. Ideo non poterant, quia virtutem ex alto non susceperant, ideo dicitur eis Lucæ ultimo: Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto; quia sine virtutis robore in prælio stare non est possibile (*i*).

Discipulorum ad sequendum Christum imperfectio. — *Priscianus.* — *Diminutiva præ familiaritate & amore dicuntur.* — *Jo. 7. 34. ac 8. 21.* — *Luc. 24. 49.* — *Sine virtutis robore in prælio stare non est possibile.*

VERSUS XXXIV.

954. *Mandatum novum do vobis*, tangitur hic tertium, scilicet discipulorum imperfectorum instructio. Et quia imperfecti erant, Dominus dat eis remedium dilectionis, ut mutuo se diligant, & sustentent, propterea dicit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*; ideo *novum*, quia semper debet esse recens in corde, quoniam semper debetur dilectio, & nunquam inveteratur. Unde ad Rom. tertio decimo: Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis (*k*). Et modus diligendi exprimitur: *Sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem*. Ipse autem sic dilexit, ut magis diligeret salutem nostram, quam vitam suam: sic unusquisque magis animam proximi, quam corpus suum. Primæ Joan. tertio: In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Et ratio movens ad dilectionem additur:

Discipulorum imperfectorum instructio. — *Mandatum dilectionis cur a Christo novum sit appellatum.* — *Ad Rom. 13. 8.* — *1. Jo. 3. 16.*

(*a*) *Præteritum pro futuro instanti & imminenti*, Cornel. a Lap.
(*b*) Ita Origen. Chrysost. Cyrill. Theophylact. Euthym. &c.
(*c*) Vulg. *in eo*; sed etiam Cod. Vercellen. *in illo*:
(*d*) Vulg. sine *&*, sed cum *&* Codd. quoque Vercell. Veronen. Brixian. ac Forojulien.
(*e*) De præfata glorificatione in Passione, & Resurrectione Origenes Hom. 6. in Exod. ac S. Hilar. Lib. 9. de Trin. num. 40. ac seqq. Lib. 10. num. 29. nec non Lib. 11. num. 42.
(*f*) Similiter S. Tho. in Jo. Evang. cap. 13. Lect. 7. a.
(*g*) Cornel. a Lap. *Nota hic teneritudinem affectus, & amoris Christi erga suos fideles & Apostolos; non enim ait filii, sed* filioli. *Rursum* filioli, *quia Apostoli adhuc parvuli erant in fide, & amore Christi.*
(*h*) Vel hic a Bonaventura allegatus, ut patet ex Prodromo col. 518.
(*i*) *Nam*, ut continuo subdit idem Cornel. a Lap., *ejus plenitudinem, & quasi virilem ætatem, acceperunt a Spiritu Sancto in Pentecoste.*
(*k*) Pariter Hugo Cardin.

VERSUS XXXV.

955. *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis*: Quia sicut dicit Augustinus, dilectio propria & specialis virtus est piorum atque sanctorum. Hæc est, quæ discernit filios regni a filiis perditionis (*a*). Ad Ephes. quarto; Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die (*b*) redemptionis. Hoc autem signaculum Spiritus est dilectio. Ad Rom. quinto; Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Augustinus L. 15. de Trin. c. 18.
Dilectionis virtus qualis, & quanta.
Ad Ephes. 4. 30.
Ad Rom. 5. 5.

VERSUS XXXVI.

956. *Dicit ei Simon Petrus*: Tangitur hic quartum, scilicet præsumptionis Petri repressio, qua se offerebat ad Dominum imitandum. Ideo quærit Petrus ab eo, ut se offerat: *Domine, quo vadis?* Et quia se offerre volebat, ostendit ei Dominus suam impotentiam, ne in verba temeritatis aut præsumptionis prorumpat: *Respondit Jesus: Quo ego vado, tu (c) non potes me sequi modo*, propter infirmitatem: *Sequeris autem postea*, confirmatus virtute ex alto. Sed Petrus admonitione non flectitur, ideo subditur:

Repressio præsumptionis Petri.

VERSUS XXXVII.

957. *Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam ponam pro te*, & hoc est perfectum sequi, Joan. quinto decimo: Majorem hac dilectionem nemo habet, quam (*d*) ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Si ergo hoc possum, bene possum te sequi. Et quia non destitit Petrus a præsumptione per admonitionem fragilitatis suæ, ideo nunc reprimitur per prædictionem prævaricationis futuræ; propter quod Dominus resumit verbum Petri, ut arguat:

Jo. 15. 13.

VERSUS XXXVIII.

958. *Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones?* Augustinus: "Præire potes, qui sequi non potes? Quid de te sentis? Quid te esse credis? audi quid sis: *Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges*. Augustinus; Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum: Timendo mortem carnis tuæ, dabis mortem animæ tuæ.

Augustinus in Jo. Evang. c. 13. Tract. 66. n. 1.
Augustinus ibi.

959. Quæritur de hoc, quod dicitur primo: *Nunc clarificatus est Filius hominis*. Quia in Passione, & proditione Judæ potius dicitur minoratus, quam clarificatus. Respondet Augustinus, quod hoc dicitur in signo, quia in egressu Judæ remanserunt tantum boni, & tunc signata est futura claritas, in qua tantum cum bonis erit Deus (*e*). Aliter potest dici, quod hoc dicitur secundum meritum; quia in Passione tantum meruit clarificari, quantum in se clarificavit Dominum.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Nunc clarificatus est Filius hominis.*
Responsio, *Augustinus in Jo. Evang. c. 13. Hom. 63. n. 2.*
Interpretis alia.

960. Sed quæritur de hoc quod dicitur; *Quo ego vado, vos non potestis venire*. Contra: Supra duodecimo dictum est: Qui mihi ministrat, me sequatur; ergo hortabatur eos ad impossibile. Item Petrus dicit primæ Canonicæ secundo: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus; ergo omnibus dabatur exemplum &c. Quomodo ergo dicit; *Vos non potestis venire?* Dicendum ad hoc, quod sicut posse credere dicitur dupliciter; uno modo, prout dicit possibilitatem imperfectam, & passivam, & sic est naturæ; alio modo, prout dicit potestatem perfectam, & activam, & sic gratiæ (*f*): sic & posse imitari Passionem. Quia posse imperfectum est in nobis (*g*); sed potestas completa est per virtutem Spiritus sancti, qua non- dum

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Quo ego vado, vos non potestis venire.*
Jo. 12. 26.
1. Petr. 2. 21.
Responsio.
Posse in bonum est in nobis imperfectum, sed potestas completa est per virtutem Spiritus sancti.

(*a*) 1. Dist. 17. par. 1. Dub. 6. in cujus resolutione laudatur idem S. Augustinus loc. cit.
(*b*) Vulg. *in diem*; sed *in die* etiam Comment. in Apocal. cap. 12. num. 819. ac Cod. Trid. 58.
(*c*) In Vulg. deest *tu*; sed habetur quoque in Cod. Gat. apud Blanchin. nec non in Evangeliar. Eccles. nostræ Trident.
(*d*) Vide infra suo loco num. 1031.
(*e*) Verba Augustini ibidem sunt „ *Nunc clarificatus est filius hominis*, posteaquam separato „ inde nequissimo, & secum remanentibus sanctis, significata est glorificatio ejus, quando „ separatis iniquis manebit in æternitate cum „ sanctis. "
(*f*) Supra cap. 1. num. 32.
(*g*) Non solum *ad aliquod bonum quantumcumque modicum, quod sit ordinatum ad salutem*; verum etiam ad faciendum *aliquod bonum morale*; namque liberum arbitrium absque Divinæ gratiæ adjutorio *licet possit in aliquod bonum morale, vix aut num-*

Objectio.

dum erant induti Apostoli (a). Sed contra hoc est, quia minima caritate potest quis resistere quantæcumque tentationi; ergo, etsi Apostoli minimam haberent, poterant.

Solutio. Necessitas gratiæ ad resistendum tentationibus.

Respondetur ad hoc secundum duplicem opinionem (b). Quidam dicunt, quod ex minima, non tamen manente minima, quia augetur; & secundum istos solvendo, dicendum, ut prius, quod non poterant per id, quod habebant (c). Secundum aliam vero opinionem respondeo: secundum minimam poterant, sed non faciliter, immo valde difficiliter, & ideo pauci resistunt (d).

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Mandatum novum do vobis &c.*

961. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*. Quare non præcipit eis de dilectione Dei, quod est primum & summum mandatum? Item quomodo dicit *novum*, quia ab initio datum fuit? Unde primæ Joan. secundo loquens de hoc mandato, dicit: Non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. (1. Jo. 2. 7.)

Responsio.

Resp. Dicendum ad primum, quod in dilectione proximi dilectio intelligitur Dei. Ad secundum dicendum, quod etsi istud mandatum fuerit in veteri Testamento datum, tamen in novo est innovatum (e), quantum ad modum (f); quia ibi amicos, hic inimicos; ibi amicis benefacere, hic pro inimicis orare mandatur: hoc importat quod subdit: *Sicut dilexi vos*.

Quæstio quarta de hoc quod Christus Petro dixit: *Donec ter me neges*.

962. Item quæritur de hoc quod Dominus dixit Petro: *Donec ter me neges*. Ex hoc videtur, quod revelaverit Petro lapsum suum, & quod coegerit Petrum desperare.

Responsio. Prædicere & revelare quantum differt.

Resp. Dicendum, quod differt prædicere, & revelare. Deus hic nulli revelat, sed tamen bene prædicit; quia quod revelatur, certitudinaliter scitur: quod vero prædicitur, non; quia aliquando creditur ex comminatione dictum, aliquando vero sub conditione. Unde & Petrus sub conditione intellexit: Si non caveris tibi; & ideo non desperavit.

---

numquam tamen faceret nisi malum propter peccati originalis corruptionem, auctore eodem S. Bona. 2. Dist. 28. Art. 2. Q. 3. in concl. versus finem.

(a) Similiter S. Tho. ad d. textum ait: *Modo non potestis me sequi, quia non estis perfecti in caritate, ut velitis mori pro me.*

(b) Idem S. Bona. 3. Dist. 30. Art. 1. Q. 1. in concl. ubi de hac *duplici opinione*.

(c) Ibi „ Quantulacumque caritas potest resistere quantæcumque tentationi; quia Deus „ hominem habentem caritatem numquam deserit, nisi ille voluntarie ab eo recedat: quin „ potius secundum quod augetur tentationis „ bellum, operatur Deus caritatis augmentum. „ Unde quantumcumque sit modica caritas in „ homine, numquam potest invitus ab adversario deiici: quia secundum quod crescit bellum, crescit adjutorium, si tamen homo faciat quod in se est. " Ubi indicat quidem *vires liberi arbitrii*, sed ut ipsemet inibi quoque declarat, *vires liberi arbitrii adjuti gratia*, & *caritati cooperantis*. Hinc minime secum pugnantes has censet propositiones: *Possibile est, quod ex parva caritate in principio tentationis, & magna in fine, resistatur magnæ tentationi: Possibile est, quod ex parva caritate in principio, & in fine, non resistatur magnæ tentationi.*

(d) Idemmet ibi „ Si loquamur de gratia per „ comparationem ad libertatem voluntatis: sic „ cum ipsa voluntas de se sit libera ad consentiendum, & per gratiam sit liberata a servitute peccati, & cogi non possit, potest quantæcumque tentationi resistere. Si autem loquamur per comparationem ad vitium difficultatis, & pronitatis; sic non potest resistere impulsui tentationis fortis, nisi caritas „ adeo fortis sit, quod suo vigore contra „ pronitatem refrenet a malo, & contra difficultatem accendat ad bonum. Liberum enim „ arbitrium ex una parte adjutum adjutorio „ gratiæ, ex alia parte corruptum vitio concupiscentiæ, quando excitatur in ipso per tentationem impetus concupiscentiæ, secundum „ quod magis & magis fortiter excitatur, per „ hoc indiget majori repressione &c. "

(e) Jansenius Gandaven. *novum* inquit, hoc est, a Christo *renovatum*, eo quod in mentibus hominum foret antiquatum.

(f) *Novum secundum modum* etiam Menoch.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

1. NON turbetur cor vestrum. Creditis in Deum,
& in me credite. 2. In domo Patris mei
mansiones multæ sunt: si quo minus dixissem
vobis: Quia vado parare vobis locum. 3. Et
si abiero, & præparavero vobis locum: iterum
venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi
sum ego, & vos sitis. 4. Et quo ego vado,
scitis, & viam scitis. 5. Dicit ei Thomas:
Domine, nescimus quo vadis: & quomodo
possumus viam scire? 6. Dicit ei Jesus: Ego sum via, & veritas, &
vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. 7. Si cognovissetis me, &
Patrem meum utique cognovissetis: & amodo cognoscetis eum, & vi-
distis eum. 8. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem,
& sufficit nobis. 9. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum:
& non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem.
Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? 10. Non creditis, quia
ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, a
me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.
11. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? 12. Alio-
quin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit
in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet:
quia ego ad Patrem vado. 13. Et quodcumque petieritis Patrem in
nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. 14. Si quid
petieritis me in nomine meo, hoc faciam. 15. Si diligitis me, man-
data mea servate. 16. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum
dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, 17. Spiritum veritatis,
quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum:
vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.
18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. 19. Adhuc modi-
cum: & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me: quia
ego vivo, & vos vivetis. 20. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum
in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. 21. Qui habet man-
data mea, & servat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit
me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei
meipsum. 22. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid fa-

ctum

ctum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?
23. Respondit Jesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum
servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansio-
nem apud eum faciemus: 24. Qui non diligit me, sermones meos
non servat. Et sermonem, quem audistis, non est meus: sed ejus,
qui misit me, Patris. 25. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.
26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine
meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque
dixero vobis. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non
quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum,
neque formidet. 28. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio
ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem:
quia Pater major me est. 29. Et nunc dixi vobis prius quam fiat:
ut cum factum fuerit, credatis. 30. Jam non multa loquar vobiscum:
venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.
31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum
dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

Augustinus cit. Tract. 68. n. 2. facta sit, sicut dicit Augustinus. Ideo dixi, quod mansiones sunt in domo Patris jam paratæ per prædestinationem æternam; sed adhuc sunt parandæ quantum ad ejus executionem (a) per meritum fidei ex caritate operantis, quæ maxime meritum habet in absentia, ideo subdit:

VERSUS TERTIUS.

965. *Et si abiero, & præparavero vobis locum*, per fidem scilicet vestram in mei absentia, unde Augustinus: Eat Dominus Jesus, & paret locum, eat ne videatur, lateat ut credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur. Creditus desideratur, ut desideratus habeatur. Desiderium dilectionis, præparatio est mansionis. Cum sic præparavero in absentia, *iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum*, per gloriam scilicet, *ut ubi sum ego; & vos sitis*. Supra duodecimo: Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, ibi sit & minister meus (b). Hortatur ergo eos ad fidem in absentia, quia ideo se absentat, ut fides meritum habeat. Sic legit Augustinus & Glossa.

(Augustinus ibi n. 3. — Jo. 12, 26. — Augustinus ibi Tract. 69 n. 2. Glossa ordinar.)

966. Potest tamen exponi totum in una significatione hujus verbi *parare*, ut sit sensus: *Non turbetur cor vestrum, sed credite in me*; quia *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, in quibus requiescetis una mecum: ad quas ego viam præparo (c), ideo non debetis dolere. Sed tunc deberetis, *si quo minus dixissem vobis*, id est, si non *dixissem vobis* (d). *Quia vado parare vobis locum*. Sed hoc dixi, & dico, unde: *Et si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos &c.* Quocumque tamen modo legatur, fit exhortatio ad fidem.

VERSUS QUARTUS.

967. *Et quo ego vado, scitis*, tangitur hic secundum, scilicet via recessus. Et ne videretur eis dicere aliquod novum de suo recessu, dicit quod ipsi sciebant & viam, & terminum, ideo dicit: *Et quo ego vado, scitis, & viam scitis*. Sed quidam ex eis non plene intelligebant, ideo quærunt, scilicet Thomas & Philippus, unde Via recessus.

VERSUS QUINTUS.

968. *Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis: Et quomodo possumus viam scire?* Thomas dubius tarde intelligebat, & hoc ad nostrum profectum; quia sicut negatio Petri profuit ad tollendam præsumptionem, sic nescientia Thomæ ad fidei robur, & instructionem. Ideo certificat eum Dominus de via & termino.

VERSUS SEXTUS.

969. *Dicit ei Jesus: Ego sum via, veritas (e), & vita. Via* quoad ingressum, *veritas* quoad progressum, *& vita* quoad terminum. *Via, veritas*, intellectum, *vita* respicit affectum. *Ego sum via* quærentibus, *veritas* invenientibus, *vita* sine morte permanentibus (f). *Ego sum via* non errans, Psal. Errare fecit eos in invio, & non in via. Ego sum *veritas*

(Quod Christus est via, veritas, & vita. — Ps. 106. 40.)

(a) Ita quoque S. Tho. secundum eumdem S. August. qui de hujusmodi mansionibus ait: *Quas præparavit prædestinando, præparat operando. Jam ergo sunt in prædestinatione &c.* Ubi hoc dat exemplum ex Apost. Eph. 1. 4. ac Rom. 8. 30. „ *Elegit nos ante mundi constitutionem*, prædesti- „ nando utique, non vocando. *Quos autem* „ *prædestinavit, illos & vocavit*: elegit prædesti- „ nando ante mundi constitutionem, elegit vo- „ cando ante mundi consummationem. Sic & „ mansiones præparavit, & præparat &c." Vide sis Cornel. a Lap. qui hanc quæstionem proponens: *Si Apostolis jam parata erant mansiones, quomodo ergo Christus vadit parare eis locum?* ipsam vel ex eodem Augustino resolvit.

(b) Vide supra cap. 12. num. 874.

(c) Tum clausum cœlum per ascensionem aperiendo; tum pretium mansionum cœlestium in cruce per mortem solvendo.

(d) Hugo Card. „ *Si quo minus dixissem vobis*, id est, si non *dixissem vobis &c.*

(e) Vulg. *& veritas*; sed absque *&* pariter S. Gregorius, Atto Vercellen. Episc. S. Bernardus, S. Thomas, Lyran. Dionys. Carthus. &c. Item inter Opuscula sub S. Bona. nomine illud de septem itiner. ætern. Partic. 7. Dist. 7. ac ipsemet S. Bona. in 2. Dist. 44. Art. 3. Q. 2. ad fin. Comment. in Apocal. cap. 1. num. 49. & cap. 2. num. 176. nec non Serm. 1. Dom. 22. post Pentec. Accedit Cod. Goth. apud Blanch.

(f) Cit. Serm. 1. Dom. 22. post Pentec. „ Est „ Christus *via*, quam vis ire per exemplum „ vitæ: *veritas*, quam vis invenire per documentum doctrinæ: *& vita*, in qua vis ma- „ nere per præmium gloriæ. Et ita exponit „ B. Augustinus, qui super hunc locum ita di- „ cit: Christus est *via* ad gradiendum; *veritas* „ ad inveniendum; *& vita* ad permanendum.

Ps. 144. 13. *ritas* non fallens, Psal. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. *Vita* inde-
Luc. 10. 42. ficiens, Luc. decimo: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Ego sum via* ducens, Proverb. quar-
Prov. 4. 11. ac seq. to: Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum. Ego sum *veritas* lucens, Ma-
Malach. 4. 2. lach. ultimo: Vobis autem, qui timetis Dominum, orietur Sol justitiæ (*a*). *Vi-*
Jo. 10. 9. *ta* pascens, supra decimo: Per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. *Ego sum via* in exemplo, supra tertio
Jo. 13. 15. decimo: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Ego sum *veritas* in promisso,
Ps. 88. 35. Psal. Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Ego sum *vita* in
Ad Rom. 6. 23. præmio (*b*), ad Rom. sexto: Stipendia peccati mors: Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro. Et quod sit via, ostendit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*, & per me utique venit.

VERSUS SEPTIMUS.

970. *Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis*, quia sicut dicitur su-
Jo. 10. 30. pra decimo: Ego & Pater unum su-
Matth. 11. 27. mus. Matth. undecimo: Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. *Et amodo cognoscetis eum, & vidistis eum; cognoscetis eum*, scilicet plenius in adventu Spiritus sancti (*c*), Joan.
Jo. 16. 13. sexto decimo: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Verificabitur in vobis illud Jerem. trigesimo primo: Dabo legem Jer. 31. 33.
meam in visceribus eorum, & in cordibus (*d*) eorum scribam eam. *Et vidistis eum*, videlicet oculo fidei (*e*).

VERSUS OCTAVUS.

971. *Dicit ei Philippus:* Tangitur hic tertium, scilicet terminus Christi reces- Terminus Christi recessus.
sus, quem cupiebat Philippus videre, propter quod: *Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*; quasi dicat, nec ultra a te quærimus. Ipse enim est omnia in omnibus, pri- 1. ad Cor. 15. 28.
mæ ad Cor. quinto decimo. Non tantum ipse, sed etiam gratia sua, secundæ ad Cor. duodecimo: Sufficit tibi 2. ad Cor. 12. 9.
gratia mea. Et quia Philippus quærebat quod non oportebat, ideo erudit Dominus Philippum, quod ipse quærit quod jam scire debebat, unde

VERSUS NONUS.

972. *Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti (f) me?* Quasi dicat: cum de Patre quæris, de me quæris, quem nosse deberes, ideo dicit: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum* (*g*). *Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Videt me*, scilicet oculo fidei, secundum quod Abraham Genes. Gen. 18. 2.
decimo octavo dicitur, quod vidit tres & unum adoravit (*h*); & quod ita debeat credere, ostendit, quia unum sunt, propter quod dicit:

VER-

(*a*) Vulg. *& orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*; sed ut supra laud. S. Greg. in Ezech. Lib. 2. Hom. 1. num. 3. & Hom. 6. num. 20. ac in Evang. Lib. 2. Hom. 37 num 4.

(*b*) Sic S. Bernardus in Ascens. Dom. Serm. 2. num. 6. in fine. Item ipsemet D. Bonav. laud. Serm. 1. Dom. 22. post Pentec. „ Ego „ sum *via* in exemplo per honestatem vitæ; „ *veritas* in documento per claritatem sapien „ tiæ; *& vita* in præmio per æternitatem glo„ riæ. “

(*c*) *Multo luculentius cognoscetis, cum de Divinitate mea majus aliquid didiceritis, vosque Spiritus sanctus de cælo lapsus impleverit*, inquit Calmet.

(*d*) Supra cap. 6. num. 444.

(*e*) Infra num. 972. laudatusque Calmet: *Vidistis nimirum fidei lumine.*

(*f*) Vulg. in plurali *cognovistis*; sed & apud Franc. Luc. Brugen. *Unum Manuscriptum legit numero singulari cognovisti, cui præter Græca, & Syra, & Græcorum Commentaria, favet D. Augustini tractatio.* Item apud Cornel. a Lap. *Græca, Chrysost. & Cyrill. legunt, non cognovisti in singulari me.* Pariter Goth. apud Blanchin. habet in singulari *cognovisti*.

(*g*) Vide supra cap. 12. num. 900.

(*h*) Sic 3. Dist. 9. Art. 1. Q. 1. ab init. ad opp. Idque quia *tres Angeli ad repræsentationem Trinitatis ipsi Abrahæ apparuerunt*, inquit inibi ad 1. Item quod *Abraham tres vidit, & unum adoravit* Serm. sive Collat. 2. in Hexaem. Pariterque Card. Jo. Vitalis paucis post init. sui Speculi Moralis tot. sacr. Script. Prædicta tamen verba aliter a verbis Vulg. sonant. Vide supra cap. 9. num. 641.

VERSUS DECIMUS.

973. *Non credis (a) quia ego in Patre, & Pater in me est?* Tanquam unum (b), quasi dicat: hoc debes credere. Et hoc manifestat per opus: *Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse facit opera*, & ita si una est operatio, una est substantia (c). Supra quinto: Quæcumque Pater facit (d), hæc & Filius similiter facit. Et octavo: A meipso facio nihil. Jo. 5. 19. & 8. 28.

VERSUS XI.

974. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me (e)?* Simpliciter sine persuasione, sicut recta fides credit.

VERSUS XII.

975. *Alioquin propter opera ipsa credite.* Supra decimo: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Unde Augustinus: Si separati essemus, nequaquam inseparabiliter operari possemus. Et sic explicatum est quod dixerat se iturum, quia non ibat ad Patrem, ut ad aliquem extra se; sed Patri se æqualem credi facere volebat. Et hoc quidem discipuli jam sciebant, quia Deum verum esse credebant; & ita Patri æqualem per omnia, alioquin non esset verus Deus (f). *Amen, amen dico vobis, qui credit in me*, tangitur hic quartum, scilicet recessus Christi fructus vel utilitas in credentibus, propter quod dicit: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.* Matth. decimo septimo: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Et ratio hujus est Christi recessus a nobis, propterea subdit: *Quia ego ad Patrem vado*, ut scilicet appaream vultui Dei ad interpellandum pro vobis. Ideo primæ Joan. secundo: Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ideo dicit:

Jo. 10. 37. — *Augustinus in Jo. Evang. cap. 14. Tract. 71. n. 2.* — Recessus Christi fructus. — Matth. 17. 19. — 1. Jo. 2. 1.

VERSUS XIII.

976. *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Ideo dicit, quod petere debemus a Patre in nomine Filii, *ut* scilicet *honorificetur (g) Pater in Filio*, quia Filius propriam gloriam non quærit, sed Patris; propterea dictum est supra septimo: Qui quærit gloriam ejus, qui misit illum (h), hic verax est, & injustitia in eo (i) non est. Et ad majorem certitudinem, quia firmior fit promissio duplici affirmatione, ideo subinfertur: Jo. 7. 18.

VERSUS XIV.

977. *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*; & non iterat nomen Patris ut ostendat, quod, etiamsi petant ab ipso, obtineant, cum sit æqualis Patri. Primæ Joan. tertio: Si non reprehenderit nos cor nostrum, fiduciam habemus ad Deum: Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo (k). 1. Jo. 3. 21. ac seqq.

978. Sed quæritur primo de hoc quod Dominus dixit discipulis: *Quo ego vado, scitis, & viam scitis.* Quia Thomas statim quærit tanquam ignorans, & dixit se ignorare. Item Philippus quærit

Quæstio prima de hoc quod Christus discipulis dixit: *Quo ego vado, scitis, & viam scitis.*

(a) Vulg. in plurali *creditis*; sed in singulari *credis* Cod. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trid. nec non Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. Forojulien. ac Trid. Editiones Biblior. antiquiores. Item S. Aug. S. Tho. Hugo Card. Lyran. Dionys. Carth. &c. Sic quoque habet textus Græcus apud S. Joan. Chrysostomum. His adde quod notat Franciscus Lucas Brugensis in Lect. variet. ajens: „ Pro plurali *creditis* complura Manuscripta „ legunt singulare *credis*, adstipulantibus non „ solum Græcis, & Syriacis, atque Auctoribus, „ verum etiam. D. Augustino disertis ver- „ bis. “

(b) *Ratio* enim talis *circumincessionis est perfecta unitas essentiæ cum distinctione Personarum*, 1. Dist. 19. par. 1. art. 1. q. 4. in concl.

(c) *Una virtus ejus, & Patris*, 1. Dist. 32. Dub. 6. Lege S. Athan. Orat. con. Arian.

(d) Vide supra cap. 5. n. 329.

(e) Vulg. addit *est*, quo carent etiam Codd. Vercellen. Veron. ac Brixian.

(f) Infra num. 980. ac num. 1010. & supra num. 970.

(g) Vulg. *glorificetur*; sed *honorificetur* quoque Codd. Vercellen. Veronen ac Brixian. Et *magnificetur* Evangeliar. Eccl. Tridenr.

(h) Vide supra cap. 7. num. 510.

(i) Ibi.

(k) Recte sic Interpres noster contra nonnullos putantes heic idem prorsus dici, & confirmari, quod dixit ver. præced. Unde a Chrysostomo & Nonno versus hic prætermittitur. Sed legunt eum nedum Syrus & Arabicus, verum etiam SS. August. & Cyrill. nec non Theophyl. Euthym. &c.

rit de termino, scilicet de Patre, & in hoc ostendit se ignorare; ergo aut Dominus dixit falsum, aut ipsi quærebant quod sciebant. Respondetur ad hoc tripliciter. Primo modo, quod Dominus non de omnibus dicebat, sed de aliquibus (a). Sed hæc solutio non est conveniens, quia Dominus in præcedentibus excipiebat Judam: Non de omnibus dico. Aliter respondetur, quod sciebant & viam, & terminum, sed non sub illa ratione, sub qua loquebatur, ut cognosco Choriscum (b), sed non in quo modo est veniens; & ideo possum, Choriscum cognoscens, quærere, & dubitare de ipso sub ratione venientis hoc vel alio modo (c). Vel dicitur, quod sciebant, sed non advertebant (d): vel actualiter non considerabant (e); & ideo Philippus reprehensus fuit de inconsideratione.

Responsio triplex.

Choriscus.

979. Sed tunc quæritur de responsione Domini ad Thomam: *Ego sum via, veritas, & vita.* Quomodo idem ipse, qui vadit, est via? Quomodo etiam ipse est vita, & terminus? Hoc valde videtur inconveniens. Dicendum, quod ipse est qui vadit, & per quem itur, & ad quem pervenitur; & ita est veritas quæ vadit, via per quam itur, vita ad quam pervenitur (f). Et hoc propter pluralitatem naturarum; quia homo vadit, quia Deus terminat, quia mediator Dei & hominum facit viam.

Quæstio secunda de Christi ad Thomam responsio: *Ego sum via, veritas, & vita.*

Responsio.

980. Item quæritur de responsione, quam dat Philippo: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* Videtur ex hoc, quod Philippus nondum credidisset in Christum. Sed tunc quomodo dictum est supra ei, quod esset mundus, cum nullus sit mundus nisi per fidem? Si tu dicas, quod credebat; quomodo ergo, cum Patrem & Filium dicat esse unius essentiæ, quomodo, inquam, videre Patrem quærebat? Videtur quod contrarium fidei crediderit. Ad hoc dicendum, quod Philippus credebat in eum, & credebat æqualem Patri, & unum in substantia, in habitu hoc credebat. Sed quia tunc Filium de Patre distincte loqui audiebat, volebat eum & quærebat distincte videre, quod non quæsisset, si actu considerasset essentiæ unitatem. Ideo ex tali subreptione venialiter peccavit, & ideo reprehenditur a Domino (g).

Quæstio tertia de ejusdem Christi responsione, quod Philippo sic dedit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?*

Responsio.

981. Item quid est quod dicit: *Qui videt me, videt & Patrem meum?* Quia Filius visibilis factus est, sed Pater mansit invisibilis. Si tu dicas, quod loqui-

Quæstio quarta de hoc quod dicit: *Qui videt me, videt & Patrem meum.*

(a) Apud Hug. Card. sic „ Quidam erant, „ qui sciebant Patrem & Filium, & credebant „ distincte; & de his dicit Christus: *Quo ego* „ *vado scitis &c.* Alii nesciebant, ut Thomas „ forte, & Philippus. „

(b) De *Chorisco in foro, & theatro* ipsemet S. Bonav. 2. Dist. 3. par. 1. Art. 1. q. 3. in concl. Sed quid est *Choriscus*? Num qui dicitur *Choricanus*, aut *Choricista*, id est, Chori cantor, de quo in Catholico Fr. Joannis de Janua? An qui nuncupatur *Choragus*, sive dux Chori, aut cœtus, de quo vetus Epigramma de Augusto apud Sueton. in ejus vita cap. 70.? Nunquid *Choregus*, sive caput choreæ, de quo in Amalth Onom. Joseph. Laurent.; sive *Choreastes*, id est, *Saltator*, de quo in Glossar. Ducang.? Ab aliis edoceri malim, quam alios docere. Non enim *corytus*, al. *corythus*, *coritus*, *choricus*, *coristus*, id est, pharetra, vel leve missile in modum sagittarum, de qua voce Nonius Marcellus, nec non Erithræus in Indice Virgiliano.

(c) Sive rem sciebant, non vero modum. Audi Gordonum „ Scitis, inquit Christus, & „ Thomas respondet, se ceterosque nescire. „ Utrumque verum est: sciebant enim, & sæ„ pe audierant Christum ire ad Patrem, redire „ ad regnum, idque per exaltationem Crucis, „ & Christum esse viam ad Patrem; volebant „ tamen, quod non perfecte assequebantur, „ plenius scire, & intelligere modum, quo „ vel Christus veniret in possessionem regni, „ vel ipsi eum sequerentur. Erat enim de his „ rebus adhuc caliginosa cognitio &c. “

(d) *Verum est enim quod sciebant, tamen nesciebant se scire*, inquit etiam S. Tho. & ante ipsum S. August.

(e) Similiter S. Aug. Ribera, Tolet. Maldon. Cornel. a Lap. quorum postremus ait: *Sciebant habitu, nesciebant actu: sciebant obscure, & confuse, nesciebant distincte, & in particulari, quomodo scilicet Christus sit via, Pater vero sit meta & terminus via.* Item ante Cornel. a Lap. Dionys. Carthus. „ Utrumque verum fuit. Sciebant „ enim viam & terminum confuse, & incom„ plete, nesciebant autem determinate, & pro„ prie. Rursus, sciebant viam, & finem, seu „ terminum, materialiter, non formaliter. „ Sciebant enim ea per fidem quoad id quod „ sunt; non tamen sub propria eorum ratione „ formali, qua hujusmodi sunt. Sciebant sem„ pe; sed nesciebant se scire. Nam noverant „ Christum & Patrem eo modo quo dictum „ est; sed quomodo Christus esset via, & Pater „ terminus, ignoraverunt.

(f) Apud Hugon. Card. *Via per quam itur; & veritas & vita, ad quam pervenitur: ut veritas sit præmium rationalis, & vita affectionis.* Vide sis Interpretem nostrum Serm. 1. Dom. 22. post Pentec.

(g) Supra num. 978. in fine.

loquitur secundum Divinitatem, hoc nihil est; quia Deum nemo vidit unquam, nec Patrem, nec Filium: quia si Filium, tunc & Patrem. Resp. Dicendum, quod loquitur de visione Divinitatis, non humanitatis: Sed hoc est dupliciter, scilicet per fidem, sicut videmus nunc per speculum, & in ænigmate; & per speciem (*a*): Et loquitur hic de visione per fidem; quia nullus perfecte credit in Filium, quin etiam in Patrem.

Supra 1. 18.

Responsio.

1. Cor. 13. 12.

Quæstio quinta de hoc quod dicit: *Ego in Patre, & Pater in me.*

982. Item quæritur de hoc, quod dicit: *Ego in Patre, & Pater in me.* Contra: Tunc arguitur ex hoc, ergo Pater est in Patre. Quæritur etiam, quare non recipitur ista propositio: Pater est in Patre? Resp. Dicendum, quod hæc præpositio *in* aliquando importat distinctionem, aliquando non. Hic importat essentiæ unitatem, & ideo conceditur, quod Pater in Filio sit, & Filius in Patre (*b*). Sed non sequitur, quod Pater in Patre sit, immo est ibi fallacia accidentis, sicut hic: Ego sum similis tibi, & tu mihi, ergo ego sum similis mihi. Fallacia accidentis, quia similitudo importat simul convenientiam, & distinctionem (*c*).

Responsio.

Præpositio *in* aliquando importat distinctionem, aliquando non.

Quæstio sexta de hoc quod dicit: *Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet.*

983. Item quæritur de hoc quod dicit: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet.* Hoc falsum est; quia opera illa erant potentiæ infinitæ: Ergo nullus illa facit, nisi Deus. Item quid est quod dicitur: *Majora horum faciet?* Quia maximum est suscitare mortuum, & mortuum fœtidum, quomodo potest esse majus miraculum? Item si non est servus major Domino suo, non est conveniens, quod Deus majora opera faciat per servos Christi, quam per ipsum Filium. Resp. Dicendum, quod Dominus ad invocationem Apostolorum plura fecit miracula, quam per se ipsum fecerat. Quod autem dicitur, quod credens *faciet*; hoc dicitur, quia ad ipsius invocationem fit; vel quia ab hominibus ipse facere reputatur. Quod iterum dicitur, quod *majora*, dicendum, quod *majora*, non quantum ad factum, sed quantum ad modum (*d*); quia legitur Act. quinto, quod ad umbram Petri sanabantur infirmi (*e*). Item dicitur de Apostolis, quod ad præsentiam indumentorum suorum sanati & resuscitati sunt mortui (*f*); non tamen propter hoc servus major Domino, quia Apostoli non faciebant virtute sua, sed in nomine Christi: non ad gloriam suam, sed ad gloriam Christi &c. (*g*)

Responsio.

Act. 5. 15.

Act. 3. 6. ac 16.

Quæstio septima utrum id intelligendum de fide informi, aut formata caritate.

984. Iterum quæritur de hoc quod dicit: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet.* Quæritur: Utrum intelligat de fide informi, aut formata? Quod de informi videtur, quia dicitur primæ ad Cor. tertio decimo: Si habuero fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam &c. ergo per fidem informem sine caritate fiunt. Item hoc videtur, quia multi mali fecerunt miracula, sicut dicitur Matth. septimo. Sed contra hoc est, quia peccator indignus est pane, quo vescitur (*h*); ergo si habens fidem informem est in peccato, nullo modo meretur exaudiri. Resp. Dicendum, quod est exaudiri de congruo, & de condigno (*i*); habens fidem informem (*k*) exauditur frequenter

1. *ad Cor.* 13. 2.

Matth. 7. 22.

Peccator indignus est pane, quo vescitur.

Responsio.

(*a*) Alludit ad illud Apostoli 2. Cor. 5. v. 7. *Per fidem ambulamus, & non per speciem.*

(*b*) 2. Dist. 13. Dub. 4. „ Hæc præpositio *in* „ potest importare caussalitatem, & potest im„ portare identitatem. Caussalitatem, ut cum „ dicitur: *Omnia sunt in Deo.* Identitatem, ut „ cum dicitur: *Pater est in Filio.* „

(*c*) 1. Dist. 31. par. 1. art. 1. q. 2. in concl.

(*d*) Itidem Dionys. Carthus. ex S. August.

(*e*) Sic SS. August. & Chrysost. Auctor Exposit. in Jo. sub S. Bona. nomine, idem Carthus. &c. Sed præstat audire S. Bernardum in Ascensione Dom. Serm. 3. num. nunc 5. ubi sic fatur. „ Certe spiritum duplicem dicere pos„ sumus illud, quod Salvator ad discipulos „ ait: *Qui credit in me, opera quæ ego facio,* „ *& ipse faciet, & majora horum faciet.* Nonne „ majora Christo, per Christum tamen, fecit „ Petrus, de quo legitur, quia *in plateis pone„ bantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro sal„ tem umbra illius obumbraret quemquam illorum,* „ *& liberarentur ab infirmitatibus suis?* Nus„ quam enim Dominus umbra sua invenitur „ infirmitates sanasse. “

(*f*) Quod *aliqui discipulorum plures suscitaverint*, refertur pariter apud laud. Carthus.

(*g*) Sic indicatur alia S. August. responsio, quoad majorem fructum prædicationis Apostolorum, sive quad majora mirabilia spiritualia, de quibus paulo infra in respons. ad Quæst. octavam. Unde Sa „ *Majora*, scilicet mundi conversionem. „

(*h*) Pariter ipsemet D. Bona. in 2. Dist. 27. Art. 2. Q. 2. in concl. *Inimicus Dei* (qualis certe peccator est, lethalis criminis reus) *est indignus pane, quo vescitur.*

(*i*) De *merito condigni, & merito congrui*, 1. Dist. 41. art. 1. q. 1. in concl. Par. 2. Breviloq. cap. 2. ac alibi passim.

(*k*) De *fide informi* par. 3. Centiloq. sect. 37. Exposit. in Ecclesiasten cap. 9. 3. Dist. 23. art. 2. q. 2. &c. Quod autem ad id exigatur *fides*

ter, & meretur exaudiri tantum de congruo, quantum ad ea, de quibus habet fidem, quod Dominus exaudiat eum.

Quæstio octava de miraculorum paucitate, unde oriatur.

985. Sed tunc quæritur, si habentes fidem faciunt miracula, & hodie pauci aut nulli faciunt miracula; ergo pauci vel nulli habent fidem. In hujus attestationem adducitur quod dicitur Matth. vigesimo primo: Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, & si dixeritis monti huic: tolle & jacta te in mare, fiet. Sed quis est, qui posset facere? Resp. Dicendum, secundum Gregorium, & Augustinum, quod duplicia sunt opera mirabilia, quædam sensibilia, quædam spiritualia: Sensibilia ut suscitare mortuos, & hujusmodi quæ sunt necessaria ad astruendam fidem simplicium; sed spiritualia sunt suscitatio a morte spirituali per Sacramenta. Prima cessaverunt, quia fides nunc est multiplicata. Secunda semper manent propter nostram salutem. Unde intelligendum, quod Dominus loquebatur eis vel de mirabilibus spiritualibus; vel loquebatur pro tempore Ecclesiæ primitivæ, in quo Gentiles & idiotæ informandi erant ad fidem. Nihilominus tamen modo fiunt (a), sed Dominus arctavit manum, quia non est sic opus.

Matth. 21. 21.

Responsio. *Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 29. n. 4. Augustinus in Jo. Evang. c. 14. Tract. 72. n. 3.*

VERSUS XV.

Post hortationem ad fidem sequitur hujus cap. pars secunda, sc. hortatio ad bona opera.

986. *Si diligitis me, mandata mea servate*. Supra hortatus est Dominus ad fidem, in hac secunda parte, quia fides sine operibus mortua est, hortatur ad mandatorum observationem, & hoc quidem facit hoc ordine. Primo hortatur promittendo auxilium; secundo promittendo solatium: tertio prœmium: quarto exprimit, quod sit horum meritum. Primo ergo hortatur ad observantiam mandatorum, & quia constat mandata servari ex timore, ut in lege, & hoc non quærit: constat etiam servari amore, & hoc quærit (b), ideo dicit: *Si diligitis me; mandata mea servate*, scilicet amore mei. Secunda Joan. Hæc est caritas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Talibus promittit auxilium, propter quod dicit: *2. Jo. 6.*

Jac. 2. 20.
Ad hæc promittit auxilium.

VERSUS XVI.

987. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Paraclitus* dicitur consolator, vel advocatus (c); *alium* dicit, in quo innuit se consolatorem & advocatum. Primæ Joan. secundo: Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum (d). Alium advocatum promittit eis æternum, quia ipse consolator in præsentia corporali non fuerat, nisi ad tempus. *Ut maneat vobiscum in æternum*, non sicut in Saul, de quo primi Reg. sexto decimo: Spiritus Domini recessit a Saul. Et quis sit iste advocatus, subdit:

Paraclitus, id est, consolator, vel advocatus.
1. Jo. 2. 1.
1. Reg. 16. 14.

VERSUS XVII.

988. *Spiritum veritatis*, qui a Patre procedit, dabit scilicet alium Paraclitum *Spiritum veritatis &c.* Hunc Spiritum describit, quantum ad effectum, unde vocat *Spiritum veritatis*, quia docet vera, sicut spiritus erroris falsa. Joan. sextodecimo: Cum venerit, ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem (e). Describit etiam quantum ad hospitium, quia non in infidelibus, sed fidelibus; non in animalibus hominibus, sed spiritualibus, propter quod subdit: *Quem mundus non potest accipere*; & ratio est, quia cœcus est per infidelitatem: *quia non videt eum* cognitione aperta; *nec scit eum* quacumque intelligentia. Sapient. primo: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Et primæ ad Cor. secundo: Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vo-*

Jo. 16. 13.
Sap. 1. 5.
1. ad Cor. 2. 14.

---

saltem *informis*, patet; quia eodem auctore Ser. sive Collat. 9. in Hexaem. *Nunquam auditum est, quod hæreticus vel ante, vel post mortem, faceret miracula*.

(a) Id probant Legendæ S. Franc. ac S. Claræ ab ipso conscriptæ, in quibus non pauca cum in vita, tum post mortem, ab illis patrata miracula referuntur; ipsaque Oratio Octaviani de Martinis, in qua plura ipsiusmet S. Bonaventuræ miracula recensentur.

(b) In 3. Dist. 40. Art. 1. Q. 1. per totam, ac Breviloq. Par. 5. cap. 9.

(c) *Græca locutione Paraclitus, Latina advocatus dicitur, vel consolator*, ait S. Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 30. n. 3. Vid. infra num. 998.

(d) Ita ex S. Augustino Cornel. a Lap.

(e) Sic *planissime* apud eundem Cornel. a Lap. Vid. quoque Interpretem nostrum Exposit. in cap. 7. Sap. ubi loquitur de multis effectibus, quos caussat in nobis Spiritus sanctus.

Apoc. 2. 17. *in vobis erit*. Apocalyp. secundo: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen scriptum, quod nemo novit (a), nisi qui accipit. De hac notitia Sapient. Sap. 15. 3. quinto decimo: Nosse te consummata justitia est, & scire justitiam & virtutem tuam radix est immortalitatis. Et notandum, quod dicit: *Apud vos manebit, & in vobis erit*, significans duplicem gratiam Spiritus sancti, prævenientem, & subsequentem (b). Psal. Misericordia ejus præveniet me; ac alio Ps. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

Spiritus sancti gratia, præveniens, & subsequens.

Ps. 58. 11. Ps. 22. 6.

VERSUS XVIII.

989. *Non relinquam vos orphanos*: Hic secundo discipulis mandata observantibus promittit solatium de sua visitatione, propter quod dicit: *Non relinquam vos orphanos*; id est, desolatos: *Veniam ad vos*, visitando scilicet. Marci ultimo dixit Angelus: Præcedet (c) vos in Galilæam: Ibi eum videbitis (d), sicut dixit vobis. Et sicut Spiritus sanctus non mittitur nisi ad bonos, sic & Christi visitatio tantum bonis, propterea subdit:

Promittit solatium.

Mar. 16. 7.

VERSUS XIX.

990. *Adbuc modicum*: *Et mundus me jam non videt*, quia post Passionem non apparuit mundanis, sed Apostolis. Act. decimo: Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis. *Vos autem videbitis (e) me*: *Quia ego vivo* per vitam gloriæ, *& vos vivetis* per vitam gratiæ, quæ inchoatur in fide, de qua Habacuc secundo: Justus autem meus (f) ex (g) fide (h) vivit (i). Et quod hanc vitam fidei perfectæ tunc habeant, monstrat:

Act. 10. 40. ac seq.

Habac. 2. 4.

VERSUS XX.

991. *In illa die vos cognoscetis*: *Quia ego* (k) *in Patre meo*, in quo notatur Personarum distinctio, & unitas essentiæ, quod spectat ad fidem Trinitatis; *& vos in me, & ego in vobis* per gratiam, & hoc spectat ad fidem redemptionis. *Vos*, inquam, *in me*, sicut palmites in vite. Joan. quinto decimo: Ego sum vitis, & (l) vos palmites, manete in me, & ego in vobis. Item sicut inhabitator in habitaculo; nam templum Dei sanctum est, quod estis vos, primæ ad Cor. tertio.

Jo. 15. 5. ac 4.

1. ad Cor. 3. 17.

VERSUS XXI.

992. *Qui habet mandata mea*, tangitur hic tertium, scilicet quia observantibus mandata promittitur præmium; & ratio hujus est, quia talis qui servat mandata, diligitur a Deo, & ideo beatificatur, & glorificatur, propter quod dicit: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me*; quia sicut dicit Gregorius: Probatio dilectionis exhibitio est operis (m). Unde in Psalmo: Justitia illius in filios filiorum his, qui servant testamentum ejus, & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Qui sic servat, ille quidem diligit vere, non verbo tantum, sicut illi, de qui-

Promittit præmium.

Gregorius in Evang. l. 2. Hom. 30 n. 1.

Ps. 102. 18.

(a) Vulg. *nemo scit*; sed *nemo novit* Comment. in Apocal. ad d. cap. & text.

(b) De hac utraque in 2. Dist. 27. Dub. 1. Centiloq. Par. 3. Sect. 35. &c. Quodque hoc faciat effectus gratiæ gratum facientis tradit Breviloq. Par. 1. cap. 5.

(c) Vulg. *præcedit*; sed *præcedet* etiam multi Latini Codd. apud Marianam. Apud me autem Hugo Card. Lyran. Dionys. Carthus. antiquioresque Biblior. Editiones, nec non Cod. Biblior. Biblioth. Episc. Trident. &c.

(d) Quando & quomodo Christus post Resurrectionem visus fuerit in Galilæa, vide sis Jansenium, & Baronium. Quodve textus hic Joannis indicet apparitiones, quibus post Resurrectionem suam Apostolos solatus est, & exhilaravit, censent etiam S. Augustinus & Euthymius.

(e) Vulg. *videtis*; sed Syrus, S. August. Chrysost. Theophyl. Euthym. Toletus legunt *videbitis*. Item *videbitis* Cod. noster Bernardin. 40. uti quoque Codd. Evangelior. Vercellen. Veronen. Brixian. Trident. &c.

(f) *Meus* in Vulg. deest; sed habetur ad Hebr. 10. ver. 38.

(g) Vulg. *in*; sed *ex* etiam Cod. noster Bernard. 21. & ad Rom. 1. ver. 17. ad Gal. 3. ver. 11. Et ad Hebr. ibi.

(h) Vulg. *sua*; sed *sua* deest in dictis S. Pauli Epistolis.

(i) Vide supra cap. 4. num. 227.

(k) Vulg. *ego sum*; sed *sum*, deest quoque in tex. Gr. nec non in dd. Codd. Vercellen. Veron. Brix. atque Goth. apud Blanchin. nec non in d. Evangeliar. Trident.

(l) Vide infra suo loco.

(m) Pariter Serm. 3. Domin. in Passione, ac etiam alibi.

1. Jo. 3. 18. quibus dicitur primæ Joan. tertio: Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo*; & etiam a me: *Et ego diligam eum*. Proverb. octavo:
Prov. 8. 17. Ego diligentes me diligo; & dilectionem ostendam in prœmio, unde dicit: *Et manifestabo ei meipsum*. Et hoc est
Ps. 90. 16. prœmium, unde in Psalmo: Ostendam
Glossa interlin. illi salutare meum. Glossa: Hæc visio erit fidei merces (a). Joan. decimo sep-
Jo. 17. 3. timo: Hæc est vita æterna: Ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum (b).

VERSUS XXII.

993. *Dicit ei Judas*, hic quarto loco
Exprimit meritum. exprimitur meritum esse in mandatorum observatione; quia enim dixerat, quod manifestare se debebat Apostolis, & non mundo, cœpit dubitare discipulus, propter quid diceret. Propter quod sequitur: *Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est*, id est, quæ caussa est hujus (c), *quia teipsum manifestaturus es nobis, & non mundo?* Et respondet ei Dominus, quod meritum est in caussa; quia illi mandata non observant, in quibus est meritum videndi, propter quod dicitur:

VERSUS XXIII.

994. *Respondit Jesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*
Luc. 6. 46. Luc. sexto: Quid vocatis me, Domine, Domine: & non facitis (d) quæ di-
Amor Dei non est otiosus. co, id est, præcipio vobis? Amor Dei non est otiosus, operatur enim magna, si est; si autem operari renuit, amor non est (e). Et ex hac observatione meretur Domini manifestationem, unde *& Pater meus diliget eum*; & ex hac dilectione sequitur manifestatio, ideo dicitur: *Et ad eum veniemus*. Et si venit Dominus, nullum bonum deest. Sa- Dominus ubi est, nullum bonum deest.
pient. septimo: Venerunt mihi omnia Sap. 7. 11.
bona pariter cum illa. *Et mansionem apud eum faciemus*, & hoc merito observantiæ mandatorum (f), unde Gregorius: Qui Deum vere diligit, & qui man- Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 30. n. 2.
data ejus perfecte custodit, in ejus corde Dominus & venit, & mansionem facit; quia sic eum Divinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore tentationis tempore non recedat. Et ideo, supple, manifestabor vobis, quia mandata mea servatis, eo quod me diligitis; & ideo meremini.

VERSUS XXIV.

995. *Qui non diligit me, sermones meos non servat*, & ideo talis non meretur me videre. Talis est mundus, & mundani. Joan. quinto decimo: Si mun- Jo. 15. 18.
dus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit; & ideo mandata ejus non servat, & ideo se non manifestat mundo. Et ne repútes, quod sermones suos proprios dixerit, & non Patris, subdit: *Et sermonem quem audistis, non est meus*, id est, sermo (g); antiptosis est, Antiptosis est casus unius pro alio positio.
in qua ponitur casus pro casu (h): *Sed ejus, qui misit me, Patris*. Supra duodecimo: Ex meipso non sum locutus; Jo. 12. 49.
sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.

996. Sed quæritur hic primo de hoc Quæstio prima de hoc quod dicitur: Si diligitis me, mandata mea servate, & post: Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.
quod dicitur: *Si diligitis me, mandata mea servate*. Et post: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*. Ergo videtur, quod possent diligere, & mandata servare, antequam daretur eis Spiritus sanctus; aut si habebant, quare dabit, & quomodo? Resp. Dicendum, Responsio.
quod Spiritum sanctum habebant ad diligendum, & mandata servandum; sed eis promittebatur a Domino ad ampliores effectus, & majus munus (i). Unde Augu-

(a) Sic & S. Augustinus heic Tract. 75. num. 5.

(b) Vide suo loco.

(c) Cornel. a Lap. *Est hebraismus, id est, quid caussa est?* Vel *quæ caussa est?*

(d) Scilicet *omissione boni operis; ostensio enim reverentia in ore fallax est, nisi adsit pariter exhibitio obedientiæ in opere*, idem inquit Interpres Exposit. in cit. cap. & text. S. Luc.

(e) Sic ex Bernardo inter editos S. Bonaventuræ Sermones de Sanctis Ser. 1. de S. Jacobo, nec non Ser. 1. de B. V. M. ac Ser. 1. de Angelis ex Gregorio Hom. 30. in Evang. Exposit. autem in cap. 13. S. Lucæ pariter quidem citatur Gregorius Hom. 30. in Evang. sed additur etiam Bernardus in Ser. 26. super Cant. Item Lib. 2. Phar. cap. 25. ex Greg. cit. Hom. 30. non longe a prin.

(f) Sive *propter observationem mei sermonis*, & per *boni operis multiplicationem, & consummationem* Serm. 3. Dom. in Passione.

(g) Ita heic quoque Cornel. a Lap.

(h) Cassiodor. De Schemat. & Trop. *Antiptosis est, quando casus pro casu ponitur*.

(i) Sive *in plenitudine, & ad robur*, 4. Dist. 7. art. 1. q. 1. in concl.

Auguſtinus in Jo. Evang. c. 14. Tract. 74. n. 2.

Auguſtinus: Reſtat, ut intelligamus Spiritum ſanctum habere qui diligit, & habendo mereri, ut plus habeat, & plus habendo plus diligat.

Quæſtio ſecunda de hoc quod dicitur: *Ego rogabo Patrem.* *Auguſtinus de nat. & grat. c. 18. n. 20.*

997. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Ego rogabo Patrem.* Auguſtinus dicit de natura & gratia, quod nullus orat pro eo, quod poteſt per ſe facere (*a*); ergo ſi Filius orat pro datione Spiritus ſancti, Filius non poteſt dare Spiritum ſanctum.

Reſponſio.

Reſpondeo ad hoc, quod eo modo rogat, quomodo meretur, & hoc ſecundum humanam naturam, ſecundum quam paſſus, & ſublimatus ſua paſſione; & oratione meruit nobis Spiritus ſancti donationem, & ſecundum illam naturam non poterat dare, ſed impetrare (*b*).

Quæſtio tertia de hoc quod dicitur: *Alium Paraclitum dabit vobis.*

998. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Alium Paraclitum dabit vobis.* Si enim Paraclitus dicitur advocatus, & advocatus eſt mediator, Spiritus vero ſanctus non poteſt eſſe mediator; ergo nec Paraclitus, nec advocatus.

Reſponſio.

Reſp. Dicendum, quod Spiritus ſanctus dicitur Paraclitus in duplici ſignificatione, & quia conſolator eſt ſpe veniæ (*c*), unde datus eſt nobis in pignus hæreditatis æternæ; & etiam quia advocatus eſt. Sed advocatus dicitur dupliciter, aut quantum ad perſonam, aut quantum ad officium.

Filius eſt advocatus in ratione mediatoris.

Filius eſt advocatus quantum ad perſonam advocati, quia eſt mediator; ſed Spiritus ſanctus quantum ad officium.

Triplex advocati munus in Spiritu ſancto.

Triplex autem eſt advocati officium, ſcilicet *Poſtulare*; & hoc habet Spiritus ſanctus, ad Rom. octavo: Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis, id eſt, nos ad poſtulandum inflammat gemitibus inenarrabilibus (*d*). *Ad Rom. 8. 26.* *Reſpondere*; & hoc facit Spiritus ſanctus, Matth. decimo: Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Matth. 10. 26. ac ſeq.* Tertium eſt adverſam partem *arguere*, & hoc facit Spiritus ſanctus. Joan. ſexto decimo: Cum venerit ille, arguet mundum de peccato &c. (*e*). *Jo. 16. 8.*

Quæſtio quarta de hoc quod dicitur, quod Mundus non cognoſcit Spiritum ſanctum &c.

999. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod mundus non cognoſcit Spiritum ſanctum, vos autem cognoſcetis: quia in vobis erit. Sed objicitur, quia Spiritus ſanctus eſt in omnibus tam bonis, quam malis, cum ſit Deus; ergo omnes cognoſcunt. Si tu dicas, quod non loquitur de eſſe per præſentiam, ſed per gratiam, iſtud eſt falſum; quia nemo ſcit (*f*), utrum amore, an odio dignus ſit: Ergo nemo ſcit, utrum habeat Spiritum ſanctum, quantum ad effectum gratiæ. *Eccli 9. 1.*

Reſponſio.

Reſp. Dicendum, quod hic loquitur de cognitione Spiritus ſancti in ſuo effectu manifeſto (*g*); unde loquitur de eſſe ejus in nobis, non per eſſentiam, ſed per effectum, & ideo patet reſponſio ad primum.

Duplex Spiritus ſancti effectus.

Quoad ſecundum notandum, quod duplex eſt effectus Spiritus ſancti, quidam qui eſt in nobis, & nos reſpicit, ſicut amare, credere, & timere; & hos ſumus certi nos habere, cum habemus. Quidam qui reſpicit aliquid ſupra nos, ſcilicet gratificare, quod eſt gratum Deo facere; & quantum ad hunc effectum non eſt nobis notus, niſi per ſpecialem revelationem: poteſt tamen eſſe notus probabiliter, licet non certitudinaliter &c. (*h*) ut ſupra (*i*).

1000.

(*a*) *Quid ſtultius*, inibi ait S. Aug., *quam orare, ut facias, quod in poteſtate habes?*

(*b*) Sic etiam in Expoſit. jam edita ſub S. Bonav. nomine reſpondetur ſecundum Auguſtinum: *quod ipſe Filius fuit precator opportunus, qui tamen cum Patre erat exauditor æternus. Unde ergo homo & minor Patre, rogabat Patrem, cui erat æqualis.*

(*c*) In Prol. Lament. Jer. Proph. poſt initium ex Greg. Hom. 30. in Evang. itidem ait: *Paraclitus, id eſt, conſolator dicitur, quia dum ſpem veniæ parat, mentem a triſtitia levat.* Hinc Paraclitum interpretantur *conſolatorem* Theophylactus, & Euthymius. Item S. Auguſtinus Lib. 1. de Sermone Domini in monte. Inſuper S. Lucas Act. 9. 31. *Eccleſia habebat pacem, & conſolatione ſancti Spiritus replebatur.* Nec non ipſamet Eccleſia: *Conſolator optime; in fletu ſolatium; de ejus ſemper conſolatione gaudere.*

(*d*) Ita S. Gregor. in Evang. Lib. 2. Hom. 30. num. 3. Vid. infra cap. 16. num. 1091.

(*e*) Ita fere in Expoſit. jam edita ſub S. Bonavent. nomine.

(*f*) Sic Lib. 1. Sent. in Prol. Mag. Dub. 4.; ſed Vulg. *neſcit homo.*

(*g*) In die ſcilicet Pentecoſtes ſuper Apoſtolos, quando *factus eſt repente de cælo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes; & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum; & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto &c.* Act. 2. 2. ac ſeqq. De hoc *effectu ſenſibili cum expreſſa ſignificatione* Breviloq. Par. 1. cap. 5.

(*h*) Eodem Lib. 1. Sent. ibi. Præfata etiam reſponſio concordat cum iis, quæ ad eamdem quæſtionem ſolvendam tradit ipſemet Interpres ſuper Eccleſiaſten in idem caput, eumdemque textum. (*i*) Num. 988.

Quæstio quinta de hoc quod dicitur, quod Pater veniet.

1000. Item quæritur de hoc quod dicitur de Patre, quod Pater veniet, unde: *Ad eum veniemus*; propter quid potius dicit hoc de se, & Patre, quam de Spiritu sancto. Et videtur, quod non debeat de Patre dici, quia Pater mittit Filium. Quod si Pater simul veniret cum Filio, qua ratione mitteret Filium, eadem ratione & seipsum. Item quomodo venit, qui ubique est, & creaturam non assumit? Resp. Dicendum, quod venire Dei ad nos, sicut dicit Augustinus, intelligitur secundum effectum, non per essentiam, unde Augustinus: Veniunt ad nos, dum venimus ad eos: Veniunt subveniendo, venimus obediendo: Veniunt illuminando, venimus intuendo: Veniunt implendo, venimus capiendo. Quoniam ergo opera Trinitatis sunt indivisa (*a*), ideo quando venit Spiritus sanctus, secundum veritatem venit Pater & Filius (*b*): tamen secundum appropriationem attribuitur Patri alteram Personarum mittere. Mittere vero, præter hoc quod dicit effectum, importat personalem distinctionem per auctoritatem & subauctoritatem (*c*): & ideo etsi Pater veniat cum Filio, non tamen mittit se cum Filio. De Spiritu sancto non facit mentionem, quia supra dixerat (*d*).

Responsio. *Augustinus in Jo. Evang. Tract. 67. n. 4.*

VERSUS XXV.

1001. *Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.* Hæc est tertia pars capituli, in qua, jam facta exhortatione, prædicit recessus sui accelerationem, ut cum factum fuerit, credant. Et ne de hoc dolentur, non statim proponitur; sed præmittitur consolatio, & subjungitur acceleratio ibi: *Et nunc dixi vobis &c.* Et consolationem eis præbet multipliciter. Primo ex Spiritus sancti expectatione: secundo ex pacis donatione: tertio ex visitationis promissione: quarto ex suæ exaltationis congratulatione. Primo ergo ponit consolationem ex Spiritus sancti expectatione, propter quod dicitur: *Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.* Lucæ ultimo: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum; nec debetis turbari, si non intelligitis, quia intelligetis in adventu Spiritus sancti, unde *Luc. 24. 44.*

Tertia capituli pars, in qua, post jam factam exhortationem, prædicit sui recessus accelerationem.

VERSUS XXVI.

1002. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, id est, in fide nominis mei, quia nonnisi credentibus in Christum (*e*) datus est. Joan. septimo: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Jo. 7. 38.* Act. quarto: Nec enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *Act. 4. 12.* *Ille*, inquam Spiritus, *docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Sapient. septimo: Omnium artifex docuit me Sapientia; est enim in illa Spiritus intelligentiæ sanctus &c. *Sap. 7. 21. ac seq.*

VERSUS XXVII.

1003. *Pacem relinquo vobis*, secundo consolatur ex pacis datione, seu donatione, in qua magna est consolatio, propter quod dicit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, ingeminat pacem, ut innuat pacem gratiæ, & pacem gloriæ (*f*), unde Augustinus: Pacem suam nobis relinquit, in qua manentes hostem vincimus, pacem suam dabit nobis, quando sine hoste regnabimus. Isa. vigesimo septimo: Faciet mihi Dominus pacem, pacem faciet mihi. *Isa. 27. 5.* Hanc dat observantibus mandata, Isa. quadragesimo octavo: Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua. *Isa. 48. 18.* Exponit autem quod dicit *meam*; quia discretive dictum est *meam* (*g*), sci-

Consolatio ex pacis datione, sive donatione.

Augustinus in Jo Evang. c. 14. Tract. 77. n. 4.

(*a*) Breviloq. par. 1. c. 5. ac par. 4. c. 2. &c.

(*b*) Soliloq. c. 1. ubi idem textus adducitur, & exponitur „ Nihil potest domum mentis tuæ „ inhabitare, nihil potest in ea mansionem facere, nisi simplicitas & puritas Trinitatis „ æternæ. Ecce quid dicit Sponsus tuus: *Ego*, „ inquit, *& Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Et alibi in Evangelio: *Zachae festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Illabi enim menti illi soli possibile est, qui eam creavit. Ipse „ enim est, qui intimior intimo tuo ei se perhibet, ut dicit Augustinus. Vid. ipsum L. 3. „ Conf. c. 6. In hanc rem consule quoque eumdem in Jo. cap. 16. Tract. 94. num. 5.

(*c*) Eodem Breviloq. par. 1. cap. 5. in fine, ac 1. Dist. 15. par. 1. art. 1. q. 4. in concl.

(*d*) Supra ver. 16. ac seq. & paulo infra ver 26.

(*e*) Et quidem *in Christi fide perfectis*, Didymus Lib. de Spir. sanc.

(*f*) Sic & Dionys. Carthus.

(*g*) Arabicus; *pacem meam propriam*, id est, quæ ita mea est, ut mihi sit propria.

scilicet non mundi, & ideo subjungit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*; quia mundus dat carnaliter, ego do spiritualiter: mundus dat temporaliter, ego autem æternaliter: mundus exterius, ego vero interius. (*a*) Propterea scribitur ad Philipp. ultimo: Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu. (*b*) Pax mundi custodit corpora & possessiones, de qua Matth. decimo: Non veni pacem mittere, sed gladium. *Non turbetur cor vestrum*, hic jam tertio consolatur eos ex visitationis promissione, quam etiam supra promiserat, propter quod dicit: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*, & ecce ratio:

Pax Christi opposita ei, quam mundus dat.

Ad Phil. 4. 7.

Matth. 10. 34.

Consolatio ex visitationis promissione.

VERSUS XXVIII.

1004. *Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos.* Supra eodem: Et si abiero &c. Joan. sexto decimo: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. *Si diligeretis me*, hic jam quarto consolatur ex suæ exaltationis congratulatione; debent enim ejus exaltationi congratulari, si eum diligunt, propter quod dicit: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem;* quia in hoc itinere est mea exaltatio, unde subdit: *Quia Pater major me est*, & ita cum vado sedere ad dexteram Patris, ego exaltor, de qua exaltatione ad Hebr. primo: Sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Et de hac exaltatione caritas congaudet, unde ad Rom. duodecimo: Gaudere cum gaudentibus &c.

Jo. 14. 3.

Jo. 16. 22.

Consolatio ex suæ exaltationis congratulatione.

Ad Heb. 1. 3. ac seqq.

Ad Rom. 12. 15.

VERSUS XXIX.

1005. *Et nunc dixi vobis*, postquam præmissa est eorum consolatio, subjungitur hic recessus acceleratio. Et primo notatur ratio prædicendi: secundo ratio accelerandi: tertio signum accelerationis. Notatur ergo primo ratio, quare prædicit, scilicet ad fidei robur; propter quod dicit: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis* (*c*). Quia istud firmavit fidem eorum, quia viderunt ita evenire, sicut prædixerat. Si enim non prædixisset, dubitassent, utrum hoc voluntarie pertulisset. Unde post Resurrectionem hæc ad memoriam reducebat. Luc. ultimo: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam oportet impleri quæ scripta sunt in lege Moysi, Prophetis, & Psalmis de me. Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati &c.

De acceleratione recessus.

Ratio prædicendi.

Luc. 24. 44. ac 46.

VERSUS XXX.

1006. *Jam non multa* tangitur hic secundum, scilicet accelerandi ratio, & est diaboli infestatio, & Divina voluntas. Propter infestationem diaboli, qui armabat suos satellites ad comprehendum Christum, dicit: *Jam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi hujus*, id est, diabolus accelerat. Diabolus veniebat in suis satellitibus; sed tamen hoc non cogit: *Quia & in me non habet quidquam*, scilicet quod exigat, nec quod reprehendat (*d*); quia non habebat in Christo peccatum, & ipse principatur in peccatoribus (*e*). Unde Job quadragesimo primo: Ipse est rex super omnes (*f*) filios superbiæ, unde est princeps tenebrarum. Ad Ephes. sexto: Adversus mundi rectores tenebrarum harum, & in Christo nulla tenebra (*g*); quia ipse erat lux hominum, quæ in tenebris lucet (*h*), & lux vera, quæ

Ratio accelerandi.

Job 41. 25.

Ad Ephes. 6. 12.

Jo. 1. 4. 5. ac 9.

(*a*) De hujusmodi pace idemmet Interpres noster Exposit. in cap. 2. ac 8. S. Lucæ.

(*b*) Ita Jansenius & Toletus.

(*c*) *Scilicet perfectius*, inquit Sa. Vide infra num. 1010.

(*d*) S. Greg. in Evang. Lib. 2. Hom. 39. num. 8.

(*e*) Sive in *mundane & sæculariter conversantibus*, 2. Dist. 1. par. 1. art. 2. q. 1. ad 1. 2. & 3. exponendo eumdem textum, aut quibus *passiones dominantur* Serm. sive Collat. 22. in Hexaem., ubi idem textus adducitur, declaraturque.

(*f*) Vulg. *universos*, sed *omnes* S. Greg. Moral. Lib. 17. cap. 30. num 46.

(*g*) Sic passim apud S. Bonaventuram *tenebra* in singulari accipitur.

(*h*) Hinc idemmet Interpres noster Exposit. in cap. 7. Sapient. in fine „ *Sapientiam*, quæ est „ lux spiritualis, *non vincit malitia*, quæ est te„ nebra spiritualis, secundum Damascenum. „ Unde lux in tenebris lucet.“ Et de Eccl. Hier. Par. 1. c. 1. *Ubi Christus est, tenebra esse non potest.*

quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed alia ratio, ſcilicet Divina voluntas, magis trahebat, ideo dicit:

VERSUS XXXI.

1007. *Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem*, ideo morior ad ejus imperium: *Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*. De hoc mandato ſupra decimo: Hoc mandatum accepi a Patre meo. Hoc mandatum dedit ei Deus Pater, non quia ipſe meruiſſet, ſed pro noſtra ſalute, unde ſecundæ ad Cor. quinto: Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit Deus Pater (*a*), id eſt, hoſtiam pro peccato, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo. Hoc autem fecit pro noſtra dilectione ſupra tertio: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. *Surgite, eamus*, tangitur hic tertium, ſcilicet ſignum accelerationis (*b*) receſſus, quod eſt in hoc, quod diſcipulos ſuos monet inde diſcedere, propter quod dicit: *Surgite, eamus hinc*, in quo oſtendit ſe voluntarie pati. Simile dicitur Matth. vigeſimo ſexto: Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.

Jo. 10. 18. — *2. ad Cor. 5. 21.* — *Jo. 3. 16.* — Signum accelerationi receſſus. — *Matth. 26. 46.*

1008. Sed poteſt hic quæri primo de hoc quod dicitur, quod Spiritus ſanctus ſuggeret omnia, quæ Filius dixerat. Suggerere enim eſt inferioris (*c*). Ad hoc reſpondet Gregorius, quod Spiritus ſanctus ſuggerere dicitur, non quod nobis ſcientiam ab imo inſerat; ſed ab occulto.

Quæſtio prima de hoc quod dicitur: quod Spiritus ſanctus ſuggeret omnia, quæ Filius dixerat. Reſponſio. *Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 30. n. 3.*

1099. Item quæritur de hoc quod Chriſtus dicit: *Gauderetis utique, quia vado ad Patrem: Quia Pater major me eſt.* Ex hoc arguit Arius, quod Filius eſt minor Patre. Si tu dicas, hoc eſſe dictum ſecundum humanam naturam, tunc pari ratione deberet dicere, quod ego major meipſo ſum. Item Hilarius dicit, quod Pater eſt major Filio ſecundum Divinam naturam, & tunc arguitur a relativis, quod Filius eſt minor Patre, ergo non æqualis. Reſponſio ad hoc eſt per regulam Auguſtini in Libro primo de Trinitate, quia omnia, quæ dicuntur de Filio æqualitatem oſtendentia, referuntur ad Divinam naturam; quæ vero inæqualitatem, ad humanam; & ſic in propoſito intelligendum. Unde Auguſtinus: Humanæ naturæ congratulandum eſt, eo quod ſic aſſumpta eſt a Verbo unigenito, ut immortalis conſtitueretur in cœlo, atque ita fieret terra ſublimis, ut incorruptibilis pulvis ſederet ad dexteram Patris. Unde ſecundum determinationem concedendum eſt, quod Filius ſecundum quod Deus eſt major ſeipſo ſecundum quod homo (*d*). Quod vero objicitur de Hilario, dicendum, quod Hilarius accipit hic, quod *eſt major*, non ſecundum quod dicit exceſſum magnitudinis potentiæ vel virtutis; ſed ſecundum quod dicit auctoritatem. Et quia Pater habet auctoritatem reſpectu Filii, ſicut principium (*e*); ideo dicit, quod major eſt Filio (*f*). Ta-

Quæſtio ſecunda de hoc quod Chriſtus dicit: *Gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* — Objectio Arii. — *Hilarius de Trin. c. 7. n. 14.* — Reſponſio. — *Auguſtinus de Trinit. L. 1. c. 7. n. 14.* — *Idem in Jo. Evang. c. 14. Tract. 78. n. 3.* — *Hilarius ibi, nec non Tract. in Pſal 138. n. 17.*

(*a*) Deeſt in Vulg. *Deus Pater*; ſed habetur etiam in Cod. noſtro Bernard. 40. *Deus Pater* habetur quoque in Gloſſa interlin. apud Lyran.

(*b*) Non tamen tantæ, ut nulla interjecta mora e domo abierit verſus hortum Gethſemani: ſed ſurrexit, ſeque ad diſcedendum accinxerit, ac etiam diſcedere incæperit, locuſque fuerit iis dicendis, quæ a S. Joanne referuntur a ſeq. cap. 15. uſque ad cap. 18. v. 1. ſæpe enim & nos dicimus: *Eamus hinc*, & tamen non ſtatim imus, ſed aliquantulum immoramur. Hic mos eſt præſertim amantium, dum ſibi mutuo valedicunt, ac ægre ab ſe avelluntur, abruptum reſumentes, protrahenteſque ſermonem. Quapropter Ovidius a ſuis exilii cauſſa diſceſſurus de ſe valedicente ſic canit Lib. 1. Triſtium Eleg. 3. „

„ Ter limen tetigi, ter ſum revocatus, & ipſe
„ Indulgens animo, pes mihi tardus erat.
„ Sæpe vale dicto, rurſus ſum multa locutus,
„ Et quaſi diſcedens oſcula ſumma dedi. "

Ita ſentiunt Janſen. Maldonat. Cornel. a Lap. Menoch. & alii. Quod ſi Interpres noſter intellexerit *accelerationem* tantam, ut mox ſurrexerit ex menſa, domoque exierit, fateamur neceſſe eſt, ipſum cum Cyrillo, Auguſtino, & Beda, cenſuiſſe, relata tribus ſeqq. capitulis Jeſum dixiſſe, cum e domo, in quo cænaverat, ad hortum pergeret olivarum, uti etiam autumat Toletus, & ex recentioribus Calmet.

(*c*) *Cum ſuggerere ſoleat eſſe minoris*, inquit S. Gregorius.

(*d*) Ita nedum S. Auguſt. ſed & SS. Athanaſ. Baſil, Gregor. Nazianz. &c. nec non inter recentiores Interpretes Cornel. a Lap. Menoch. Calmet &c.

(*e*) Ipſemet Interpres 1. Diſt. 9. Dub. 14. & Diſt. 20. art. 1. q. 2. ad 4. nec non Diſt. 25. Dub. 4. Unde Sa „ Quidam *majorem* intelligunt, id eſt, principium Filii &c.

(*f*) Damaſcen. Lib. 1. de Fide Orthodo. cap. 9. *Pater major eſt, non natura, non dignitate; ſed tantum origine*. Nec aliud voluit S. Hilarius. Vid.

Tamen minor non dicitur Filius (a); quia est nomen importans imperfectionem.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.*

1010. Item quæritur de hoc quod dicit: *Nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.* Ergo videtur adhuc, quod Apostoli non haberent fidem; quia ideo prædicebat eis, ut crederent. Item fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Si ergo prædixit eis, ex quo viderunt evenire, quod dixerat, experiebantur esse verum; ergo erant vacui a merito fidei. Resp. Dicendum, quod Apostoli habebant fidem, sed tamen non plene explicitam, nec etiam perfecte firmam (b), ut patet, quia nullo modo volebant credere Resurrectionem (c). Dicendum est ergo, quod Dominus prædicebat eis Passionem suam, ut jam illam crederent, de qua nihil prius sciebant. Dicebat etiam ad robur fidei, ut videntes Passionem, & vacillantes, rememorarentur, quod volens, & ut Dominus passus est. Unde aliud videbant, & aliud credebant; quia videbant quod homo passus fuerat, & credebant quod volens pati ut Dominus animam suam posuerat. Et hujus signum fuit sua prædictio: sed non fuit cogens ratio, quæ auferret meritum (d).

Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 26. n. 1.

Responsio.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur, quod diabolus non habebat in Christum jurisdictionem aliquam.

1011. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod diabolus non habebat in Christum jurisdictionem aliquam. Ergo videtur, quod Dominus injuste fecerit, quod permisit eum a diabolo opprimi. Item dicit, quod hoc facit propter mandatum Patris; ergo si debebat obedire, moriebatur ex debito, non ex mera libertate. Resp. Dicendum, quod aliquem nolentem puniri pro culpa sua, hoc est iræ & perversitatis; aliquem volentem puniri pro culpa sua, hoc est justitiæ & veritatis; aliquem volentem puniri pro culpa aliena, hoc misericordiæ, dispensationis, & dignationis. Quia ergo Christus punitus est, & volens punitus pro nostra salute (e); placuit enim ponere in eo iniquitates (f) omnium nostrum, & pro nostris sceleribus ipsum puniri, & oblatus est, quia ipse voluit: & ideo nulla injustitia ex parte Dei facta fuit; sed ex parte diaboli. Et ideo quia injuste usurpavit dominium supra Christum, hoc ipso amisit juste dominium, quod habebat in membris Christi. Ad illud, quod objicitur, quod debuit mori, dicendum, quod est debitum meriti, & debitum præcepti. Peccator debet mori, quia meruit; sed Christus, quia Pater ei præcepit (g). Hoc autem debitum non repugnat libertati, quando fit ex amore; & sic fecit Christus, & ideo dicit: *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem.*

Quod diabolus non habebat in Christum jurisdictionem aliquam.

Responsio.

Isa. 53. 6. ac seq.

Vid. S. Tho. in Joan. Evang. cap. 18. Lect. 8. sub not. *a*.

(a) Secundum Divinam naturam, sed secundum humanam, Hilarius cit. L. 9. de Trin. num. 51. nec non in Opere Historico Fragmen. 11. num. 3.

(b) Supra num. 1005.

(c) Exposit. in cap. 24. S. Lucæ.

(d) Quod meritum fidei stare possit cum ratione probabili, docet Interpres 3. Dist. 24. art. 2. q. 2. in concl.

(e) 3. Dist. 16. art. 1. q. 3. in concl.

(f) Vulg. *iniquitatem*; sed in plurali *iniquitates* Cod. Goth. apud Blanchin. Item Cod. noster Bernardin. 21. Chald. *remissionem iniquitatum*.

(g) *Non quia Pater coegerit eum invitum, sed quia suscepit voluntarium, & devotum*, eodem 3. Dist. 20. art. 1. q. 5. ad 1.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

1. EGO sum vitis vera; & Pater meus agricola
est. 2. Omnem palmitem in me non feren-
tem fructum, tollet eum; & omnem, qui
fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus
afferat. 3. Jam vos mundi estis propter ser-
monem, quem locutus sum vobis. 4. Ma-
nete in me; & ego in vobis. Sicut palmes
non potest ferre fructum a semetipso, nisi
manserit in vite; sic nec vos, nisi in me man-
seritis. 5. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in
eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere. 6. Si
quis in me non manserit; mittetur foras sicut palmes, & arescet, &
colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. 7. Si manseritis in
me, & verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis petetis,
& fiet vobis. 8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plu-
rimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit me Pa-
ter, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. 10. Si præcepta
mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei
præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione. 11. Hæc locutus sum
vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum implea-
tur. 12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut
dilexi vos. 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam
suam ponat quis pro amicis suis. 14. Vos amici mei estis, si feceri-
tis quæ ego præcipio vobis. 15. Jam non dicam vos servos: quia
servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia
omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. 16. Non
vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis; & fructum
afferatis: & fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem
in nomine meo, det vobis. 17. Hæc mando vobis, ut diligatis in-
vicem. 18. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio
habuit. 19. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret:
quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propte-
rea odit vos mundus. 20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi

vobis

vobis: Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: Si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt. 21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. 22. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 23 Qui me odit: & Patrem meum odit. 24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. 25. Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis. 26. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, quia a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: 27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

1012.

EGO *sum vitis vera: Et Pater meus agricola est.* In præcedenti capitulo hortatus est Dominus discipulos suos ad fidei constantiam, in hoc hortatur eos ad dilectionem probatam, & veram. Et quoniam vera dilectio primo diligit Deum, deinde amicum in Deo, & inimicum diligit & tolerat propter Deum; ideo primo hortatur discipulos ad dilectionem Dei: secundo ad dilectionem amicorum, ibi: *Hoc est præceptum meum ut diligatis &c.* tertio ad dilectionem & tolerantiam inimicorum, ibi: *Si mundus vos odit: Scitote &c.* Hortatur eos primo ad dilectionem Dei, & quia qui manet in caritate, in Deo manet, hortatur ad manendum in se, & hoc quidem facit hoc ordine. Primo describitur mansionis locus: secundo fructus: tertio modus: quarto effectus.

Hortatio ad dilectionem Dei.

1. Jo. 4. 16.

Descriptio quadruplex.

1013. Mansionis igitur locus exprimitur primo ipse Christus, in quo per caritatis vinculum manere debent Fideles, sicut palmes mundus manet in vite, propterea dicit: *Ego sum vitis vera*, ideo *vera*, quia vinum verum producit, de quo Genesis ultimo (a): Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam (b). Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum (c). Hæc vitis non est inculta, ideo dicit: *Et Pater meus agricola est*, non tantum qui exterius colat, sed qui interius augeat. Primæ ad Cor. tertio: Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Et paulo post: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Ideo Pater dicitur verus agricola, quia opus ejus exercet, unde dicit:

Mansionis locus ipse Christus.

Gen. 49. 11.

1. ad Cor. 3. 6. & 9.

VER-

(a) Nunc penultimo; sed ultimum cap. est quoque in Cod. nostro Bernard. A. V. 1. nec non in alio nostro Bernard. A. II. 21. sed & *ultimo* dicitur etiam in Præfat. Exposit. in Cant. §. 4.

(b) In ead. Præfat. in Cant. ibi usurpatum audivimus hunc textum, ad significandum caritatis vinculum, quo Ecclesia, sive Fideles, uniuntur Christo, qui vera vitis est. Et per eum significari bonos & electos, habetur apud ipsummet Interpretem nostrum Exposit. in cap. 1. Lament. Jerem. Proph.

(c) Alludere heic Christum ad prædictum Genesis textum, monet etiam Cornel. a Lap.

VERSUS SECUNDUS.

1014. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Matth. tertio: [*Matth. 3. 10.*] Securis ad radicem arboris posita est: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat; purgabit* per pœnitentiam *(a)*, unde primæ [*1. Jo. 1. 9.*] Joan. primo: Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est *(b)*, qui remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Purgat etiam per patientiam, unde in Psalmo: [*Ps. 65. 10. ac seq.*] Quoniam probasti nos Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum &c. *(c)* In hac igitur vite optime locantur rami mundi; ideo Apostolos jam mundos hortatur, ut in se maneant, propter quod dicit:

VERSUS TERTIUS.

1015. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Iste fuit sermo fidei, qui purificat credentes. [*Act. 15. 9.*] Act. quinto decimo: Fide purificans corda eorum. Quia ergo mundi estis,

VERSUS QUARTUS.

1016. *Manete in me*, ut in vite, *& ego in vobis*, ut in templo. De hoc [*1. Jo. 4. 16.*] primæ Joan. quarto: Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. Ideo mutua est mansio, quia mutua [*Jo. 14. 21. 23.*] dilectio. Supra quarto decimo: Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Sicut palmes &c.* tetigit mansionis locum, tangit [*Mansionis fructus in vite.*] hic secundo mansionis fructum, quem habet palmes, non sine vite, sed in vite; ideo monstrat, quod fructus in palmite originem habet a vite: primo in opposito, scilicet per separationem: secundo in proposito per mansionem, propter quod dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: Sic & (d) vos, nisi in me manseritis.* Et ideo si volunt fructificare, necesse est, quod maneant in eo, unde fructus habet originem. Ad Ephes. primo: Ipsum dedit caput super *(e)* om- [*Ad Ephes. 1. 22. ac seq.*] nem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. Joan. primo: De ple- [*Jo. 1. 16.*] nitudine ejus nos omnes accepimus *(f)* gratiam pro gratia. Ideo vos non potestis fructificare, nisi manseritis in me, *(g)* sed in me potestis, quia

VERSUS QUINTUS.

1017. *Ego sum vitis, & (h) vos palmites:* Et ideo *qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Et ideo manete in me, tanquam in fructus origine: *Quia sine me nihil potestis facere.* Isa. vigesimo sexto: Omnia opera no- [*Isa. 26. 12.*] stra in nobis *(i)* operatus es Domine *(k)*. Et quod nihil possint sine ipso, ostendit per similitudinem:

VER-

(a) Ita quoque Dionys. Carthus.

(b) Sic duo nostri Bernardin. Codd. ac tertius Biblioth. Episc. Trident. Vulg. *fidelis est, & justus*.

(c) De hac purgatione per patientiam tribulationum nos ab amore mundi avocantium, atque ad Deum confugere compellentium, Chrysost. Cyrill. Theoph. Euthym. Pacian. Epist 3. contra Novatian. Greg. Magn. Regist. Lib. 7. cap. 32. &c.

(d) Vulg. *sic nec*; sed *sic &* Codd. Vercellen. & Veronen.

(e) Vulg. *supra*; sed *super* Hugo Card. Lyran. ac Biblior. Edit. Basileen. 1509. ac Colonien. 1527.

(f) Vide supra cap. 1. num. 37.

(g) Secundum textum prædictum Concil. Trid. Sess. 6. cap. 16. definit, quod „ Christus Jesus „ tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona „ eorum opera semper antecedit, comitatur, & „ subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo „ grata & meritoria esse possent. “

(h) *Et* in Vulg. deest; sed habet etiam Cod. Brixian.

(i) Vulg. *nobis*; sed *in nobis* quoque Interpres noster in 2. Dist. 28. Art. 2. Q. 3. in concl. Glossa interlin. *nobis vel in nobis*. Item *in nobis* Cod. Biblioth. Episc. Trident.

(k) Tametsi hunc utrumque textum intelligat in 2. ibi *de gratuita Dei influentia, per quam cætera conservat, & adjuvat, ut compleant operationes suas*; nihilo tamen minus Ser. sive Collat. in 2. Hexaem. agnoscit, profiteturque significari; quod *nihil possumus facere sine gratia*, eaque *Spiritus sancti*, quam nobis *Christus* promeruit. Vid. etiam quaod d. Isaiæ textum ejus Opusc. De quinque Festivitatibus pueri Jesu prope fin. solemnit. 5. Unde Concilium African. Can. 80. *Non ait: Sine me difficilius potestis facere; sed:*

Sine

VERSUS SEXTUS.

1018. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes*, scilicet a vite separatus. Extra vineam projicitur per separationem ab unitate Ecclesiæ (a).
Apoc. 22. 15. Apocal. ultimo: Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ &c. Et non faciet fructum, unde *& arescet*, per amissionem humoris gratiæ; *& colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*, quia ardebit per inflictionem pœnæ. Unde quatuor mala consequuntur. Primo quod
Matth. 15. 13. projicitur, Matth. quinto decimo: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur: Secundo arescet, Matth. vigesimo primo dixit Dominus ficulneæ, in qua non in-
Matth. 21. 19. venit nisi folia: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta continuo est ficulnea; & Psalm.
Ps. 21. 16. Aruit tanquam testa virtus mea. Tertio colligitur per ministerium Angeli-
Matth. 13. 41. cum, unde Matth. tertio decimo: Colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem. Quarto igni comburitur, Ezechiel. quinto de-
Ezech. 15. 2. ac 4. cimo: Fili hominis, quid fiet de ligno vitis? Et sequitur: Ecce igni datum est in escam. Sic ostendit se esse fructus originem per oppositum mansionis. Hic nunc ostendit per ipsam in vite mansionem, quæ fructus dat & respectu sui, & respectu proximi. Respectu sui:

VERSUS SEPTIMUS.

1019. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint* (non sicut illi,
Luc. 8. 13. de quibus Luc. octavo: Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt; sed sicut illi, de quibus in Psal.
Ps. 102. 18. Qui servant testamentum ejus, & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea:) *Quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis*. Supra nono: Si quis Jo. 9. 31.
Dei cultor est, & voluntatem Dei facit, hunc exaudit. Non solum est fructus respectu sui, sed etiam proximi convertendi ad Dei gloriam, ideo subdit:

VERSUS OCTAVUS.

1020. *In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis* (ut scilicet homines convertantur vestro verbo, & exemplo. Matth. quinto: Sic luceat Matt. 5. 16.
lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est) *& ex hoc efficiamini mei discipuli*, id est, imitatores mei (b), qui plurimum fructum attuli per meam mortem, sicut supra
duodecimo: Nisi granum frumenti ca- Jo. 12. 24. ac seq.
dens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Sic & Apostoli, unde Ecclesia cantat de eis, quod plantaverunt Ecclesiam sanguine
suo (c); ad Coloss. primo: Adimpleo Ad Coloss. 1. 24.
ea, quæ desunt passionum Christi.

VERSUS NONUS.

1021. *Sicut dilexit me Pater*, hic tertio tangitur manendi modus, qui est Manendi modus per dilectionem.
per dilectionem, ad quam nos debet invitare, quod ipse prior nos dilexit, propterea dicit: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*. Et ideo *manete in di-
lectione mea*. Primæ Joan. quarto: Nos 1. Jo. 4. 19.
ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Et quia vera dilectio per opus manifestatur, subjungitur:

VERSUS DECIMUS.

1022. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut ego præcepta Patris mei servavi, & maneo in ejus dile-
ctione*. Supra quarto decimo. Ut co- Jo. 14. 31.
gnos-

Sine me nihil potestis facere. Et Concil. Arausican. 2. can. 7. „ Qui dixerit nos posse bonum „ aliquod, quod ad salutem pertineat vitæ „ æternæ, per naturæ vigorem cogitare aut „ eligere, aut Evangelii prædicationi credere, „ absque illuminatione & inspiratione Spiritus „ cti, qui dat omnibus suavitatem in consen„ tiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur „ spiritu, non intelligens vocem Dei in Evan„ gelio dicentis: *Sine me nihil potestis facere*." Et „ Can. 9. „ Divini est muneris, cum & recte „ cogitamus, & pedes nostros a falsitate & inju„ stitia continemus; quoties enim bona agimus, „ Deus in nobis, atque nobiscum, ut opere„ mur, operatur." Ita ibi ex S. August.

(a) Sive *extra societatem Sanctorum*, Comm. in Apocal. ibi.

(b) *Efficiamini, scilicet imitatione*, exponit quoque Sa; *efficiamini mei discipuli, hoc est, mei imitatores*, Cornel. a Lap.

(c) In 1. Respons. Lect. Noct. 3. Comm. Apostolor.

gnoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Sic & nos debemus facere, primæ Joan. secundo: Qui dicit se in illo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Deuter. decimo: Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiasque mandata Domini, & cœremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi?

1. Jo. 2. 6.

Deut. 10. 12. & seq.

VERSUS XI.

Mansionis effectus gaudium in præsenti, & in futuro.

Gaudium purum in Domino, non in mundo.

1023. *Hæc locutus sum vobis*, hic tangitur quartum, scilicet mansionis effectus, & effectus est gaudium in præsenti, & gaudium in futuro (*a*). Propter gaudium in præsenti dicit: *Ut gaudium meum in vobis sit*, hoc est gaudium purum, quo homo gaudet in Domino, non in mundo (*b*), de quo ad Philipp. ultimo: Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. Propter gaudium in futuro dicit: *Et gaudium vestrum impleatur*, de quo Joan. sexto decimo: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Gaudium vero nostrum impletur a gaudio Domini, de quo Matth. vigesimo quinto: Intra in gaudium Domini tui.

Ad Philip. 4. 4.

Jo. 16. 28.

Matth. 25. 21.

Quæstio prima de hoc quod dicit: Ego sum vitis vera. Augustinus in Jo. Evang. c. 15. Hom. 80. n. 1.

1024. Sed quæritur hic de hoc quod dicit: *Ego sum vitis vera*. Objicit Augustinus: Si vitis de Christo dicitur, sicut dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & ista dicuntur non per proprietatem, sed per similitudinem, & illa dicuntur vera, quæ dicuntur per proprietatem; non videtur, quod debeat dicere: *Ego sum vitis vera*, sed similitudinaria. Et respondet Augustinus, quod addens *vera*, ab illa se utique discernit, cui dictum est: Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena? Jerem. secundo: Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena? Unde non dicitur *vera*, quia non per similitudinem; sed *vera*, quia non aliena. Potest tamen dici, quod sicut vinum verum est, quod habet operationem vini; sic vitis vera, quæ habet operationem vitis. Vitis igitur ad literam tunc est vera, quando vinum producit, non vera, quæ non fructificat. Sic & Christus, quia verum habet actum vitis, vera vitis est. Sed Synagoga non, de qua Isa. quinto: Expectavit, ut faceret uvas, fecit autem spinas (*c*).

Responsio. Augustinus ibi.

Jer. 2. 21.

Isa. 5. 2.

Quæstio secunda quare Christus magis se comparat grano frumenti inter grana, & ligno vitis inter ligna. Responsio.

1025. Sed tunc restat quæstio, quare Dominus magis grano frumenti se comparat inter grana, & ligno vitis inter ligna? Respondeo, hoc est propter corpus verum, & mysticum. Verum corpus Christi verus cibus est, & verus sanguis est verus potus. Quia igitur ex granis frumenti fit panis optime reficiens, & ex vite vinum optime potans, ideo comparavit se viti, & grano. Et inde est, quod in his duabus speciebus Sacramentum Altaris conficitur (*d*). Alia ratio est propter corpus mysticum, quia sicut ex purissimis granis frumenti & acinis uvæ conficitur panis & vinum; sic ex puris fidelibus corpus Christi mysticum (*e*).

Quæstio tertia secundum quam naturam Christus sit vitis.

Augustinus ibi. Responsio.

1026. Item quæritur, secundum quam naturam Christus sit vitis, utrum secundum divinam, an secundum humanam? Quod secundum humanam, dicit Augustinus (*f*): Unius naturæ sunt vitis & palmites, propter quod cum esset Deus, cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus & nos homines palmites esse possemus. Sed contra hoc est, quia secundum quod vitis, influit in palmites humorem; ergo si humorem gratiæ non influit nisi solus Deus, & secundum quod Deus, ergo est vitis secundum divinam naturam. Item in hac vite omnes sancti ab Abel usque ad ultimum justum manserunt, & processerunt; sed Christus secundum humanam

---

(*a*) De utroque hoc implendo gaudio *tum in hac vita, tum magis in futura*, etiam d. Cornel.

(*b*) S. Bernardus Epist. 114. num. 1. *Revera illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur &c.*

(*c*) Vulg. *& fecit labruscas;* sed secundum LXX. *spinas*. Item *spinas* legit ipsemet noster Interpres in Planctu de Pass. Dom. sive in Vite Myst. Cap. 5. num 24. de qua Vol. 3. ubi sicut fuse de illa pertractat. ita heic parce.

(*d*) 4. Dist. 11. Par. 2. art. 1. q. 4. in concl.

(*e*) Breviloq. par. 6. cap. 9.

(*f*) Id ipsum censent SS. Athanas. Basil. & Ambros. & alii. Sed præstat audire S. Hilarium Lib. 9. de Trinit. ita dicentem „ Idcirco Christus carnem assumpsit, ut illi quasi viti nos „ homines carnei, quasi palmites inseri possemus. “

nam naturam secutus est Abel, ergo non fuerunt in eo palmites secundum illam naturam.

Responsio.

Respondeo: Intelligendum est, quod quædam dicuntur de Christo secundum naturam divinam pure, ita quod nihilominus dicantur de eo abstracta humana, sicut esse æternum & impassibilem. Quædam secundum humanam pure, sicut esse mortalem & passibilem. Quædam secundum humanam, prout unita divinæ, vel e contrario, ut esse mediatorem. Nam si tantum est Deus, jam non est mediator; & si tantum homo, etiam non est mediator: Sed si Deus & homo, jam potest esse mediator (a). Et secundum hoc est vitis, & caput Ecclesiæ secundum quod mediator. Ideo quod dicitur vitis, hoc non est secundum humanam naturam pure; sed secundum quod conjuncta est Divinæ in unitate hypostasis (b). Et propter unitatem hypostasis Christus est objectum fidei secundum utramque naturam; unde credimus in Christum Deum & hominem. Et quia sine hac fide implicita vel explicita nullus fuit salvus (c), humor gratiæ ab hac vite in omnes Sanctos redundavit. Et sic patet quomodo Christus fuerit vitis & caput respectu præcedentium & sequentium; unde Matth. vigesimo primo: Turbæ quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna Filio David.

Matth. 21. 9.

Christus per botrum designatus.

Unde optime signatus est Christus per botrum, qui allatus est de terra promissionis, Numer. tertio decimo, quem afferebant in humeris, & qui præibant, portabant, sed non videbant; sequentes portabant, & videbant.

Num. 13. 24.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Vos mundi estis &c. Augustinus ibi n. 3.*

1027. Item quærit Augustinus de hoc quod dicit: *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Quia sermo est exterius, munditia interius. Quomodo ergo potest exterior sermo interius mundare? Resp. Dicendum, quod hoc vel est propter fidem, vel propter fidei sacramentum. Propter fidem; quia fides ex auditu, quæ cor purificat. Propter fidei sacramentum, quod est baptismus. Unde Augustinus: In aqua verbum mundat, detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua (d)? accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Istud autem verbum fidei, & sacramenti, etsi sit exterius, tamen mundat, ut dicit Augustinus; non quia tantum dicitur, sed etiam quia creditur (e). Ad Rom. decimo: Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus excitavit (f) illum a mortuis, salvus eris.

Responsio. *Rom. 10. 17. Augustinus ibi. Ad Rom. 10. 9.*

Quæstio quinta de hoc quod dicit, quod *Pater tollet omnem palmitem non ferentem fructum.*

1028. Quæritur de hoc quod dicit, quod *Pater tollet omnem palmitem non ferentem fructum*. Aut tollet de vite, aut tollet de vita. De vite non, quia nullum Pater a Filio suo separat. Aut si tollit, quomodo tollit de vite? Quia qui non operatur bonum, hoc ipso separatus est a vite Christo; quia gratiam non habet, immo perdit. Si de vita, istud falsum est, quia plus vivunt mali, quam boni, ut videmus. Item bonos etiam tollit de vita corporali sicut malos.

Responsio.

Resp. Dicendum, quod palmites a Christo trahunt non vitam naturæ, sed vitam gratiæ, & vitam gloriæ (g). Dicitur auferri vel separari palmes ab hac vite non per mortem naturæ, sed per mortem culpæ, vel damnationis extremæ.

Palmites infructuosi a vite separantur merito suæ culpæ, & judicio Divinæ justitiæ.

Apocal. 3. 16.

Unde palmites infructuosi, & qui in vacuum gratiam Dei recipiunt, a vite separantur merito suæ culpæ, & judicio divinæ justitiæ. Unde Apocal. tertio: Quia tepidus (h) es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo; quia justo judicio gratiam non apponit eis

(a) Sic etiam in 3. Dist. 19. art. 2. q. 2. ubi quidem in concl. adseverat, quod *Christus est mediator secundum humanam naturam*, sed ad 1. *in quantum est unita Divinæ*.

(b) Ipsissimo quoque modo respondet in eodem 3. Dist. 13. art. 2. q. 1. in concl. agens de Christo ceu *capite*, & *vite*, ubi itidem verba Augustini allegat, quæ paulo supra hoc ipso n. 1026. ab eodem Interprete allata sunt. Hinc ait idemmet August. Tract. 81. n. 3. *Quamvis Christus vitis non esset, nisi homo esset; tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset*. Et hoc eodem sensu intelligendus videtur Cyrillus Lib. 10. cap. 13. inquiens, Christum ▪e vitem ratione Divinitatis.

(c) Ita disertissime in eodem 3. Dist. 25. Art. 1. Q. 2. in concl.

(d) Ex eodem S. Aug. 4. Dist. 3. Par. 1. Art. 1. Q. 2. in Fundam.

(e) Ibi ad 2. *Intelligendum est cum præcisione, non quia dicitur tantum, sed etiam quia creditur*.

(f) Vulg. *suscitavit*; sed *excitavit* unus ex nostris Codd. Bernardin. ac alter Biblioth. Episc. Trident. Hugo Card. *excitavit*, *al. suscitavit*.

(g) De *vita naturæ*, *vita gratiæ*, & *vita gloriæ* Exposit. in Psal. 21.

(h) Loquitur de *tepido*, *qui bona inchoat*, *sed non consummat*, vel qui est *exterius bonus*, *interius malus*, Comment. in Apocal. ibi.

eis Deus. Judicio damnationis extremæ tollentur, & in ignem mittentur, quando tempus merendi præcluditur, unde dicit: *Tollet*, non quia statim auferat, cum locum pœnitendi tribuat.

Quæstio sexta de hoc quod dicit: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.*

1029. Item quæritur de hoc quod dicit: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*. Contra hoc est, quia dilectio Patris est naturalis, dilectio Filii ad nos est pure gratuita; ergo non videtur similitudo. Quæritur ergo pro quanto dicit: *Sicut dilexit me Pater?* Resp. Dicendum, quod, sicut dicit Richardus de sancto Victore, in Divinis est amor pure gratuitus, debitus, & ex utroque permixtus. Amor Patris ad Filium est pure gratuitus, quia Pater dat Filio, & nihil recipit. Amor vero Filii est ex utroque permixtus; ad Patrem enim est debitus, quia recipit; ad Spiritum sanctum gratuitus, quia dat. Quoniam igitur Filius dilexit nos gratuite pure, ideo amorem, quo diligit nos, comparat amori Patris ad se (*a*).

Responsio.

Richardus de sancto Victore L. 5. de Trin. c. 19. ac 20.

VERSUS XII.

1030. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Postquam hortatus est Dominus ad dilectionem Dei, hic secundo hortatur ad dilectionem fratris & amici, & hoc quidem facit per hunc modum. Primo ad dilectionem fraternam astringit intuitu obedientiæ: secundo intuitu divinæ amicitiæ: tertio intuitu remunerationis æternæ. Astringit primo præcepto obedientiæ, innuens, hoc esse omnino in voluntate sua tanquam præcipuum, propter quod dicit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*, unde supra tertio decimo: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Et modus subjungitur: *Sicut dilexi vos*, non verbo, vel lingua, sed opere & veritate, sicut ego vos. Et quod ipse opere dilexerit eos, monstrat:

Hortatio ad dilectionem fratris, vel amici.

Ex præcepto obedientiæ.

Jo. 13. 34.

1. Jo. 3. 18.

VERSUS XIII.

1031. *Majorem*, inquit, *hac dilectionem nemo habet, quam* (*b*) *ut animam suam ponat quis* (*c*) *pro amicis suis*. Quasi dicat, nihil plus potest facere, quam vitam dare, quæ omnibus carior est. Ad Ephes. quinto: Christus dilexit nos, & *Ad Eph. 5. 2.* tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. Et hæc fuit vehementissima dilectio, non solum in Christo, qui tradidit se & animam suam, sed in Patre; unde ad Rom. octavo: Qui etiam proprio Filio non pepercit, *Ad Rom. 8. 32.* sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Unde notandum, quod magna est dilectio, qua mater diligit *Quanta Christi erga nos dilectio.* filium, super hanc dilexit nos Christus. Isa. quadragesimo nono: Numquid obli- *Isa. 49. 5.* visci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Major, qua uxor virum, & super hanc Christus. Jerem. tertio: Vul- *Jer. 3. 1.* go dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: numquid revertetur ad eum ultra? numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Maxima animæ ad corpus, & super hanc dilexit nos. Jerem. duodecimo: Reliqui do- *Jer. 12. 7.* mum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manus (*d*) inimicorum ejus. Et ideo verum illud Cantic. ultimo: Fortis est ut *Cant. 8. 6.* mors dilectio &c. (*e*).

VERSUS XIV.

1032. *Vos amici mei estis*, hic secundo hortatur ad dilectionem mutuam intui-

---

(*a*) Sic 1. Dist. 6. art. 1. q. 1. ubi itidem laudatur Richardus, qui etiam in rem eandem laudatur ibi Dist. 10. art. 1. q. 3. ad opp. 4.

(*b*) *Quam* in Vulg. non est; sed etiam Cod. noster Bernard. 40. habet, pariterque nostræ antiquiores Biblior. Editiones. Item S. Tho. Hugo Card. Lyran. &c. Ut nihil tamen dissimulem, adducit d. textum sine *quam*, nedum in 1. Dist. 17. Par. 1. Dub. 7. sed etiam in 3. Dist. 30. Art. 1. Q. 2. in Fundam. Sic alii SS. PP. non semper eamdem servant Scripturæ lectionem.

(*c*) Absque *quis* d. Vulg. ac in 1. ibi; sed cum *quis* in 3. ibi, nec non Syrus, & d. Codex noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. ac Antiphona 2. ad laud. Comm. Apostol. Item S. Tho. &c.

(*d*) Vulg. *in manu*; sed *in manus* unus quoque ex Codd. nostris Bernardin. nec non alter Biblioth. Episc. Trident. Item Hugo Card. Lyran. Bibliorumque Editiones Basileen. 1509. ac Colonien. 1527.

(*e*) Eodem sensu supra Postilla sive Exposit. in Cant. Canticor. ad idem caput, eumdemque textum.

Intuitu Divinæ amicitiæ.

intuitu divinæ amicitiæ; unde offert amicitiam suam his, qui servant præcepta sua, ut juxta Domini præceptum invicem diligant, propter quod dicit: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*. Magnum quid promittit, cum amicitiam promittit. Augustinus: Magna est dignatio, ut Dominus quos novit servos suos, dignetur dicere amicos suos. Cum sit amicus nomen paritatis; est enim amicitia divinarum humanarumque rerum pari cum voluntate consensio (*a*). Si enim sapientia amicos Dei constituit, Sapient. septimo: In animas sanctas se transfert, & amicos Dei constituit; quanto magis dilectio? Hæc dilectio probatur in opere, ideo dicit: *Vos amici estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*, ex amore, amici, non ex timore, ut servi; quia non estis vocati in servitutem, propter quod dicit:

Augustinus in Jo. Evang. c. 15. Tract. 85. n. 1.

Amicus nomen paritatis, & amicitia Divinarum humanarumque rerum pari cum voluntate consensio.

Sap. 7. 27.

VERSUS XV.

1033. *Jam non dicam vos servos*, licet prius fueritis. Ad Rom. octavo: Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater. Et per signum hoc ostendit: *Quia servus nescit quid faciat Dominus ejus*; vos autem non sic, ideo dicit: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ-*

Ad Rom. 8. 15.

cumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Hoc signum magnæ amicitiæ (*b*) revelatio secretorum (*c*). Ad Ephes. primo; Notum fecit nobis sacramentum voluntatis suæ. Lucæ octavo: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei &c.

Ad Ephes. 1. 9.

Luc. 8, 10.

VERSUS XVI.

1034. *Non vos me elegistis*, hic tertio hortatur ad dilectionem intuitu remunerationis æternæ, ad quam per prædestinationem æternam vocati erant, non per se venerant, propterea dicit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Ad Ephes. primo: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in caritate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ (*d*). Et ad quid elegerit subdit: *Et posui vos, ut eatis, & fructum afferatis* in aliorum conversionem, quod fit per prædicationem verbi Dei (*e*), quod est tanquam semen, quod fructum affert, quando recipitur in terram bonam. Unde Luc. octavo: Quod vero in terram bonam, hi sunt, qui corde bono & optimo audiunt verbum, & fructum afferunt in patientia. Primæ Petri primo: Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum.

Intuitu remunerationis æternæ.

Ad Ephes. 1. 4. ac seq.

Luc. 8. 15.

1. Pet. 1. 23.

(*a*) Inter Sermones S. Bonav. de Sanctis Ser. 1. de S. Bartholomæo ex Tullio & Augustino. Item 1. Dist. 48. art. 2. q. 2. ex eodem Tullio; nec non Centiloq. par. 3. sect. 44. ac Ser. hactenus inedito in Festo S. Joannis Ap. & Evang. ex Tullio & Valerio Maximo, de quo Sermone Vol. 3.

(*b*) Ejus, inquam, *qua facit Deo hominem probatum, & familiarem*, 2. Dist. 29. art. 2. q. 1. ad 5.

(*c*) In præfato Sermone inedito, nec non Comment. in Apocal. c. 1. sub. v. 9. atque Opusc. de laude Mellifl. nom. D. N. J. C. num. 68. eod. Vol. 3.

(*d*) Heic loqui Apostolum de electione secundum prædestinationem æternam, observat idem noster Interpres Exposit. in cap. 4. Sap. ubi notat, *quod Sancti dicuntur per præsentem justitiam, Electi per æternam prædestinationem, secundum illud: ELEGIT NOS IN IPSO &c.* Quæ Apostoli verba expendens S. August. De prædest. Sanctor. cap. 17. num. 34. ait. „ Electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua „ Deus sua futura facta præscivit; electi sunt „ autem de mundo ea vocatione, qua Deus, „ quod prædestinavit, implevit. Quos enim „ prædestinavit, & vocavit, illa scilicet vocatione secundum propositum. Non ergo alios, „ sed quos prædestinavit, vocavit; nec alios, „ sed quos ita vocavit, justificavit; nec alios, „ sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, „ ipsos & glorificavit, illo utique fine, qui non „ habet finem. “ Ex quibus palam est vel S. Augustinum sentire, Dominum cum dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, locutum esse non tantum de electione ad gratiam, sed etiam ad gloriam tanquam de ultima ceterorum caussa finali.

(*e*) Per hæc licet indicari videatur electio ad Apostolatum; & Apostoli, antequam ad hoc munus assumerentur, aliquid habuerint boni meriti, etiam in ordine ad Apostolatum: *totum* tamen *hoc meritum fuisse ex grati aeligentis*, monet Estius tam heic, quam 1. Dist. 41. §. 3. Unde S. August. De prædest. Sanctor. cap. 18. *Elegit nos, non quia futuri eramus Sancti, sed ut essemus Sancti*; & cap. 19. ab init. *Non quia credidimus, sed ut credamus, elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur, falsumve sit, quod absit, non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Item Tract. 87. in Joan. num. 1. *Nos elegit non habentes fructum, quia non eum nos elegeramus, & posuit nos ut fructum afferamus &c.* Vid. Mastr. in 1. Sent. Disp. 5. de Div. Præd. & Reprob. Q. 2. Ar. 2. n. 70. Sed de hoc iterum infra n. 1041.

num. *Et fructus vester maneat*, ad vestram salutem & consolationem per divinam remunerationem; & subjungitur remuneratio: *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo*, id est, quod sit ad vestram salutem, *det vobis*. Hoc autem, quod est petendum, est vestra salus. Unde Matth. sexto: Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Sic petebat illa sancta anima in Psalmo: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Et intuitu hujus remunerationis debent mandatum Christi servare (*a*), ideo istud iterat:

Matth. 6. 33. *Ps. 26. 4.* *De servando Christi mandato intuitu mercedis æternæ.*

VERSUS XVII.

1035. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. Mandatum dilectionis dicitur quasi manu datum, quia exemplo suo dedit. Ideo supra tertio decimo: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Et primæ ad Thessalon. quarto: De caritate fraternitatis non habemus necesse scribere vobis: Ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem:

Mandatum dilectionis quasi manu datum. *Jo. 13. 34.* *1. ad Thess. 4. 9.*

1036. Sed quærit Gregorius primo de hoc, quod dicit: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*. Cum cuncta divina eloquia dominicis sint plena præceptis, quid est quod de dilectione singulariter dicit: *Hoc est præceptum meum?* Et respondet, quod divina præcepta multa sunt, & unum. Multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis. Et dilectionem radicem dicit, quia non habet viriditatem ramusculus (*b*) boni operis, nisi manserit in radice dilectionis. Quia ergo mandata ad præceptum dilectionis referuntur, in quo omnia uniuntur, & implentur; inde est quod dicit: *Hoc est præceptum meum* singulariter.

Quæstio prima de hoc quod dicit: Hoc est præceptum meum &c. *Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 27. n. 1.* *Responsio.*

1037. Item quæritur de hoc quod dicit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Contra: Ex parva caritate alius facit, alius ex majori potest mori pro amico; quid est ergo quod dicit *majorem?* Item in patria erit multo major caritas, quam sit in via; quid est ergo quod dicit *majorem caritatem &c.?* Respondeo, quod hoc non dicitur quantum ad habitum caritatis, vel actum ejus præcipuum; sed quantum ad signum vel effectum, quia hoc est præcipuum signum dilectionis (*c*).

Quæstio secunda de hoc quod dicit: Majorem hac dilectionem nemo habet &c. *Responsio.*

1038. Sed tunc objicitur, quia majus est pro inimico mori, quam pro amico: ergo adhuc non est maximum signum dilectionis mori pro amico; unde arguit Apostolus, ad Rom. quinto, per locum a minori (*d*). Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Ad hoc respondet Gregorius, quod hoc nomen *amicis* non tantum supponit pro his, qui Dominum diligebant, sed etiam pro inimicis, quia amici Domini erant; quoniam Dominus eos amabat, dum pro-

Objectio. *Ad Rom. 5. 10.* *Solutio.* *Gregorius cit.*

(*a*) In 1. Dist. 1. Art. 1. Q. 3. *an solo bono creato utendum sit*, affirmative concludit. Et ad 1. sibi objiciens, *quod contingit recte servire Deo intuitu mercedis*, respondet „ Quod illa merces, „ aut est ipse, sicut Dominus dixit ad Abra- „ ham: Ego merces tua, & sic intuens merce- „ dem non utitur Deo, quia non refert ad „ aliud. Aut merces illa est aliud, & tunc „ potest illam intueri, aut ut caussam moven- „ tem, & sic est malus mercenarius, & sic „ utitur (*supple bono increato, quo uti est abuti, quove non utendum, sed fruendum est, sive non ad aliud referendum*) aut ut rationem indu- „ centem (*scilicet ad bonum increatum*) & sic „ est bonus, & hoc modo non utitur. " Tum in 2. Dist. 38. Art. 1. Q. 3. ad 2. „ Malus „ mercenarius statuit sibi finem creatum tam- „ quam principalem: bonus vero mercenarius „ statuit sibi finem creatum tamquam finem „ sub fine. Non enim amat Deum propter „ fruitionem, sed fruitionem propter Deum. " Item in 3. Dist. 27. Art. 2. Q. 2. in concl. „ Satis probabiliter videtur, quod motus caritatis secundum aliquod genus mercimoniæ „ possit esse mercenarius, scilicet secundum „ quod constituit mercedem suam circa bonum „ increatum, ad quod tendit sicut ad finale „ præmium, & desiderat tamquam omne bo- „ num. " Hinc Concil. Trid. Sess. 6. cap. 11. illos maxime commendat, qui *mercedem intuentur æternam cum hoc, ut in primis glorificetur Deus. Cum scriptum sit: Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem. Et de Mose dicat Apostolus, quod respiciebat in remunerationem*. Quæ quidem ita sunt intelligenda, ut ceu finis ultimus *in primis glorificetur Deus*. Secundum ergo doctrinam præfatam accipiendum est quod supra dixit: *Intuitu remunerationis debent mandatum Christi servare*. Vid. infra num. 1039.

(*b*) Edit. Maur. *ramus*.

(*c*) 1. Dist. 17. par. 1. Dub. 7. *Quod dicit Dominus, quod illud est summa caritatis, hoc dicit quantum ad signum & exteriorem ostensionem &c.*

(*d*) Ita argumentari *a minori*, vel alibi passim D. Bonav. familiare.

pro eis animam ſuam ponebat (a). Vel intelligendum, quod Dominus loquebatur de dilectione amicorum; & quantum ad illam dilectionem, nullum majus ſignum, quam mori pro amico (b). Similiter quantum ad dilectionem inimicorum veram, nullum majus ſignum, quam mori pro inimico. Unde non notatur hic exceſſus ſimpliciter, ſed in genere.

Quæſtio tertia de hoc quod dicit: *Jam non dicam vos ſervos.*

Matth. 25. 21.

1039. Item quæritur de hoc quod dicit: *Jam non dicam vos ſervos*. Contra: Matth. vigeſimo quinto: Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui, vocat beatificandos ſervos. Quid eſt ergo quod dicit: *Jam non dicam vos ſervos?* Item ſupra tertio decimo dixit ſe Dominum eorum; ergo a relativis & illos dixit ſervos. Reſp. Dicendum, quod *ſervus* dicitur dupliciter, uno modo prout dicit obedientiam & ſubjectionem; & ſic ſervus non diſtinguitur contra amicum: ſicque omnes amici Dei ſunt ſervi ejus. Alio modo ſervus dicitur ſerviliter timens; & talis, qui ſolo timore ſervit, amicus non eſt. Et de tali hic loquitur, quia nolebat, quod mandata ejus implerentur ſerviliter, ſed potius amicabiliter (c).

Reſponſio.

Servus dupliciter dicitur.

Dei mandata implenda non ſerviliter, ſed amicabiliter.

Quæſtio quarta de hoc quod dicit: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

1040. Item quæritur de hoc quod dicit: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Contra: Audivit Filius a Patre infinita, ergo nota fecit infinita. Reſpondent, quod non loquitur de his, quæ audivit ſecundum quod Deus, ſed ſecundum quod homo. Objicitur tunc, quia diem judicii Chriſtus homo novit, tamen diſcipulis revelare noluit. Propter hoc reſpondent ultra, quod omnia pertinentia ad ſalutem eis revelaverit (d). Contra: Joan. ſexto decimo: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo; & conſtat quod ad eorum ſalutem: ergo &c. Reſpondet Auguſtinus: Omnia nota fecit, id eſt, diſpoſuit nota facere (e); ſic enim frequenter loquitur Scriptura, ponens præteritum pro futuro in ſignum certitudinis (f): Vel omnia neceſſaria ad ſalutem (g), ſecundum quod capere poterant, & ſic patent omnia.

Reſponſio.

Objectio.

Solutio.

Jo. 16. 12.

Objectio altera

Solutio.

Auguſtinus in Jo. Evang. cap. 15. *Tract.* 46. *n.* 1.

Quæſtio quinta de hoc quod dicit: *Non vos me elegiſtis.*

Deut. 26. 17.

1041. Item quæritur de hoc quod dicit: *Non vos me elegiſtis*. Contra: Deuter. vigeſimo ſexto: Dominum elegiſti hodie, ut ſit tibi Deus. Item ſi meritum liberi arbitrii conſiſtit in electione, quomodo merebantur, ſi ipſum non elegerant? Reſpondeo, quod hoc intelligendum eſt, quia non primo nos eligimus Dominum, ſed ſecundo; quia ipſe primo elegit prædeſtinando (h), & poſtmo-

Reſponſio.

Prædeſtinatio gratuita.

(a) Eſtius quoque ſic reſpondet „ Amicos „ vocat, non eos qui diligunt, ſed qui diliguntur, etiamſi ſint inimici. Unde & Judam „ amicum vocat Dominus dicens: *Amice ad* „ *quid veniſti?* Amicum vocat, quia multa „ amoris ſigna ei exhibuit. „ Id ipſum quoque confirmat Cornelius a Lap. qui cenſet ita *pleniſſime* reſponderi.

(b) Idem etiam Cornel. animadvertit quod „ Ribera, & Toletus genuine reſpondent, non „ conferri hic amicos cum inimicis, ſed actus „ amicitiæ inter ſe. q. d. Inter omnes actus & „ officia amicitiæ, nullus major eſt illo, quo „ quis vitam ponit pro amico ſuo, quod ego „ facturus ſum pro vobis, qui amici mei „ eſtis &c.

(c) De *timore amicabili* 3. Diſt. 34. par. 2. Dub. 3. ubi per totam illam par. 2. de *timore ſervili*. Præfatæ reſponſioni favet S. Auguſt. cui etiam Dionyſ. Carthuſ. adhæret.

(d) Hunc textum intelligendum *de neceſſariis ad ſalutem* etiam noſter Interpres tradit 4. Diſt. 48. art. 1. q. 4. ad 2.

(e) Pariter Beda, Maldonatus &c.

(f) De hoc alibi quoque idemmet D. Bona.

(g) Secundum S. Jo. Chryſ. dum Chriſtus ſuis Apoſtolis omnia audita a Patre ſuo, nota feciſſe dicit, de ſolis ad ipſorum ſalutem pertinentibus loquitur. Dum autem cap. 16. ſe adhuc habere declarat multa eis dicenda, de aliis ad totius Eccleſiæ regimen ſpectantibus loqui dicendus eſt, puta de abolitione legalium obſervationum, rituum Eccleſiaſticorum inſtitutione &c. de quibus Jo. cap. 14. 26. *Ille vos docebit omnia*.

(h) Similiter per electionem heic intelligunt *Prædeſtinationem* Auguſtinus, Proſper, Beda, S. Tho. ac ipſemet noſter Interpres eundem textum allegans ſimiliterque exponens Ser. 2. in conver. S. Pauli, aliique antiquiores Interpretes. Audi Lyranum ſic loquentem „ *Non* „ *vos me elegiſtis &c.* Duplex eſt enim electio „ fidelium. Una æterna, quæ eſt idem quod „ prædeſtinatio Divina; & hæc electio Apoſto„ lorum, & aliorum fidelium eſt a ſolo Deo „ ex mera liberalitate. Alia eſt temporalis, „ ſcilicet vocatio ad fidem, & gratiam, & „ Apoſtolatum, & hujuſmodi; & iſta vocatio „ eſt effectus primæ ſecundum illud ad Rom. „ VIII. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit.* Et „ ſic Apoſtoli electi ſunt a Chriſto tempore gra„ tiæ. “ Audi & Dionyſ. Carthuſ. „ Sive in„ telligatur hoc de electione æterna, quæ eſt „ prædeſtinatio, qua Chriſtus ſecundum natu„ ram Divinam quoſdam ab æterno elegit; „ ſive de electione temporali, qua Chriſtus in „ mun-

postmodum eligit ex aliis vocando, sed nos deinde eligimus vocationi libere consentiendo (*a*).

VERSUS XVIII.

2042. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit*. Hæc est quarta pars capituli, in qua Dominus hortatur ad tolerantiam inimicorum persequentium, & hoc quidem facit per hunc modum. Primo prædicit mundi inimicitiam: secundo vero ex hoc procedentem injuriam: tertio vero ostendit persequentium seu odientium malitiam: quarto vero suam innocentiam: quinto vero discipulos armat ad patientiam. Primo ergo prædicit mundi inimicitiam, quæ futura erat contra membra, ad exemplum capitis; fuerat enim odium mundi respectu capitis, quod est Christus, propter quod dicit: *Si mundus vos odit, scitote*, id est, considerate, *quia me priorem vobis odio habuit*. Rationem hujus odii assignavit Dominus supra capitulo tertio: Omnis qui male agit, odit lucem, & supra septimo: Me odit mundus, quoniam testimonium illi perhibeo, quod opera ejus mala sunt. Propter hanc eamdem rationem ostendit odium membrorum; unde rationem hujus odii reddit, quia ipsi disconveniebant cum mundo, propter quod dicit:

Quarta cap. pars de tolerantia inimicorum persequentium.

Prædictio mundanæ inimicitiæ.

Jo. 3. 20. & 7. 7.

VERSUS XIX.

1043. *Si de mundo fuissetis*, id est, in mundo mansissetis per pravam consuetudinem, *mundus quod suum erat diligeret*. Unde supra septimo dicitur mundanis: Non potest vos odisse mundus. Jo. 7. 7.
Quia vero de mundo non estis, id est, mundanæ conversationis (*b*), *sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Istud odium significatum fuit Gen. vigesimo septimo in odio Esau, ubi dicitur: Oderat Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei Pater. Esau mundanos & reprobos significat, sed Jacob electos (*c*).

Gen. 27. 41.

Esau typus reproborum, Jacob electorum.

VERSUS XX.

1044. *Mementote sermonis*, hic tangitur secundum, scilicet injuria, eodem modo, quo inimicitia, scilicet capitis primo, & membrorum propter caput, & ad exemplum capitis, propter quod dicit: *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major Domino suo*. Lucæ sexto: Non est discipulus super magistrum. Et supra tertio decimo: Amen amen dico vobis: Non est servus major Domino suo: Neque apostolus major est eo, qui misit illum; & ideo arguit: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Et istud est consequens, ut si odiunt (*d*) & persequuntur caput, quod

Prædictio injuriæ.

Luc. 6. 40.

Jo. 13. 16.

„ mundo conversans, quosdam ad gratiam & „ apostolatum vocavit; verum est, quod ipse „ nos elegit antequam eum elegimus, sicut & „ nos dilexit antequam eum dileximus. Elegit „ ergo Apostolos, cæterosque salvandos, id est, „ ex sua liberalitate præ ceteris ordinavit eos „ ad vitam æternam, & de gratia ad hoc ne„ cessaria ipsis providit, quosdam quoque ex „ multitudine discipulorum suorum elegit in „ Apostolos &c. " Heic autem sermonem esse de prædestinatione etiam ad gloriam evincunt ille verba Apostoli ad Eph. 1. ver. 3. *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, ac illa ibi ver. 5. *Prædestinavit secundum propositum voluntatis suæ*, cum electio *secundum propositum* propria sit prædestinatorum ad gloriam secundum Pauli, & Augustini phrasim. Vid. supra num. 1034.

(*a*) *Libere*; inquam; quia Deus statuit prædestinatos ita salvari, ut vitam æternam libere promereantur, sicque ad ipsam perveniant. Pro concilianda autem hujusmodi Divina prædestinatione cum libertate humana, consulantur graviores Theologi, de hoc data opera pertractantes; illi præsertim, quibus tanto in pretio est circa id S. Augustini doctrina, ut ejus malint, quam suæ, adhærere sententiæ; a cujus quoque vestigiis recedere hac in re ego quoque nefas duxerim, dum Interpres noster Seraphicus ejus se passim quam devotissimum asseclam palam ostendit. Quodque vel in prædestinationis mysterio, de quo nunc loquimur, non aliter ac Augustinus senserit, videri potest apud Mastrium in 1. Sentent. Disputat. 5. de Div. Prædest. & Reprobat. Q. 2. Art. 1. sub num. 63. & Art. 4. sub num. 101. ac seq.

(*b*) 2. Dist. 1. par. 1. art. 2. q. 1. ad 1. 2. & 3. Ubi de eo, quod dicitur: *Regnum Christi non est de hoc mundo*, similiter ait, quod *intelligitur de mundana conversatione, quia ipse non regnat in malis, sed in bonis, quorum conversatio est in cælis*.

(*c*) 1. Dist. 41. Dub. 1. ac art. 1. q. 1. Item Exposit. in Psalter. Psal. 30. Vid. Mastrium ibi Art. 2. num. 76. ubi secundum *Aug. & omnes Patres Græcos, & Latinos, omnesque Expositores*, probat quod, *in Jacob omnes prædestinati præfigurantur, in Esau autem omnes reprobi*.

(*d*) *Odiunt*, sicut Eccli 19. 9. *Defendens peccatum odiet te*. Et ibi 27. 27. *Dominus odiet illum*. Et Apocal. 17. 16. *Hi odient fornicariam*. In Amalth. Onomast. Josephi Laurent. " Odio, is, odio habeo. *Odiare*. Antiq. „ Et ita S. Tho. & alii Scholastici.

quod etiam membra. Unde Augustinus: Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite. *Augustinus in Jo. Evang. Tract. 87. n. 2.* De persecutione capitis habetur in Psalmo (a): Persecuti sunt (b) hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare, sive morti tradiderunt (c). *Ps. 108. 17.* Non solum persequentur in facto, sed contemnent in corde: *Si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt*, id est, sicut sermonem meum contempserunt, ita & vestrum (d). Luc. decimo: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. *Luc. 10. 16.* Vel *servaverunt*, id est, observaverunt ad calumniandum. Matth. vigesimo secundo: Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut Jesum caperent in sermone; *Matth. 22. 15.* & in Psalmo: Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis. *Ps. 36. 12.* Et etiam persequuntur mundani caput, & membra (e); non persequuntur caput propter membra, sed e contrario. Unde dicit.

VERSUS XXI.

1045. *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum*, scilicet delendum, pro quo beati estis. Unde Matth. quinto: Beati estis, cum vos persecuti fuerint homines (f), & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. *Matth. 5. 11.* Ratio hujus est cæcitas infidelitatis, unde *quia nesciunt eum, qui misit me*. Supra octavo: Neque me scitis, neque Patrem meum scitis (g). *Jo. 8. 19.* Et Joan. decimo septimo: Pater juste, mundus te non cognovit. *Jo. 17. 25.*

VERSUS XXII.

1046. *Si non venissem*, hic jam tertio ostenditur odientium & persequentium malitia. Ostendit ergo eorum malitiam inexcusabilem tum per ea, quæ audierunt; tum per ea, quæ viderunt. *Ostensio malitiæ persequentium.* Per ea, quæ audierunt, unde dicit: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem* (h), verba scilicet fidei & eruditionis, *peccatum non haberent*, supple ita grave & inexcusabile; *Ignorantia non excusat a toto, sed a tanto.* quia Lucæ duodecimo: Servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non se (i) præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: *Luc. 12. 47. ac seq.* Qui autem non cognovit, vapulabit paucis. Et ideo si non audissent, excusabiles essent aliquo modo per ignorantiam (k): *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*; quia non ex ignorantia non credunt, sed ex odio, quod odium redundat in Patrem, propter quod dicit:

VERSUS XXIII.

1047. *Qui me odit, & Patrem meum odit*. Superbia sua elevati secundum illud Psalmi: Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. *Ps. 73. 23.* Quia ergo ex malitia audire recusaverunt, ideo inexcusabiles fuerunt. Matth. duodecimo: Regina Austri surget in judicio cum generatione hac (l), & condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. *Matth. 12. 42.* Ad Rom. secundo: Inexscusabilis es, o homo omnis, qui judicas; in quo enim alterum judi- *Ad Rom. 2. 1.*

(a) Psalmum hunc Sanctus Doctor Exposit. in Psalterium itidem interpretatur de *persequentibus Christum*.

(b) Vulg. *persecutus est*; sed *persecuti sunt* etiam Psalter. Græco-Lat. apud Blanchin.

(c) Idem Psalter. apud eundem. In Quincup. autem Psalter. Jacobi Fabri Stapulen. ubi Romanum habet: *persecutus est mortificare*, subdit itidem in singulari: *morti tradidit*. Sicque etiam Cassiodorus. Quod ipsum monet quoque Lorinus inquiens „ In Romano Psalterio, apudque „ Cassiodorum, *morti tradidit*. Nempe persequuti sunt eousque, ut interficerent, Judas „ prodendo, & manibus tradendo satellitum; „ Judæi magnis clamoribus instando, ut crucifigeretur. Sic alibi sumitur *mortificare* pro eo, „ quod est *occidere*. “

(d) Sic Cornelius a Lapide, Sa, & alii.

(e) De *modo persequentibus eum* (scilicet Christum, qui caput est) *in membris*, prædicta Exposit. in Psal. 108.

(f) Vulg. sine *homines*; sed *homines* itidem habent Cod. Goth. apud Blanchin. & Cod. noster Bernardin. Hugo Card. Lyran. antiquæ Biblior. Editiones &c.

(g) Vide supra cap. 8. num. 586.

(h) Vulg. *& locutus fuissem eis*, sed ut supra Cod. etiam noster Bernardin. Unde & Tirinus habet *non fuissem eis locutus*. Sa vero notat positum *fuissem*, pro, *non fuissem*.

(i) Vulg. sine *se*, sed habet *se* ipsemet Interpres noster Exposit. in Cap. 12. S. Luc. Item Cod. Goth. apud Blanchin. nosterque Bernardin. Hugo Card. Lyran. pluresque Biblior. antiquæ Editiones.

(k) *Quod ignorantia aliquo modo excuset peccatum*, sin minus *a toto*, saltem *a tanto*, idem Sanctus Interpres 2. Dist. 22. art. 2. q. 3. in concl. Et Centiloq. Par. 1. Sect. 7. ac 25.

(l) Vulg. *ista*; sed *hac* etiam Cod. Corbejen. apud Blanchin.

judicas, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ judicas. Inexcusabiles etiam sunt Judæi propter ea, quæ viderunt, ideo dicit:

VERSUS XXIV.

1048. *Si non fecissem in eis opera, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, scilicet non credendo, ita magnum (a);
Jo. 5. 36. quia sicut supra quinto: Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum;* & ideo scienter, & ex malitia recusant credere, & persequuntur, propterea inexcusabiles sunt. Matth. un-
Matth. 11. 21. ac seq. decimo: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: Quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent (b) virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro, & Sydoni remissius erit in die judicii, quam vobis. Et hæc Judæorum malignitas in Scriptura expressa est, propterea dicit:

VERSUS XXV.

1049. *Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est*, sumitur large lex prout comprehendit Psalmos: *Quia odio habuerunt me gratis;* in Psalmo enim scri-
Ps. 34. 19. bitur triges. quarto: Qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis. Et in alio Psalmo cen-
Ps. 119. 6. tesimo decimo nono: Dum (c) loquebar illis, impugnabant me gratis. Istud odium præsignatum fuit Genes. trigesimo septimo; ubi dicitur, quod
Gen. 37. 4. fratres Joseph oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.

VERSUS XXVI.

1050. *Cum autem venerit*, hic quarto suam insinuat innocentiam astruendam Insinuatio Christi innocentiæ.
testimonio Spiritus sancti, & Apostolorum, propter quod dicit: *Cum autem venerit*, quasi diceret: Ipsi me persecuti sunt tanquam virum nequam & morte dignum, *cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre spiritum veritatis, qui a Patre procedit (d), ille testimonium perhibebit de me*. Act. quinto:
Spiritus sanctus testis est, quem dedit Act. 5. 32.
Deus omnibus obedientibus sibi; & perhibendo de mea innocentia testimonium, arguet mundum de malitia. Joan.
sexto decimo: Cum venerit ille, arguet Jo. 16. 8.
mundum de peccato, quia non credit. Et non solum ille testimonium mihi perhibebit, sed & vos illo confirmati, unde

VERSUS XXVII.

1051. *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis*. Act. primo, Act. 1. 21. ac 22.
Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Hoc testimonium non dederunt Apostoli ante Spiritus sancti adventum, sed post. Un-
de Petrus, qui ad vocem ancillæ Chri- Jo. 18. 17.
stum negavit, tamen cum magna auctoritate Principi Sacerdotum post missionem Spiritus sancti respondit Act.
quinto: Obedire oportet magis Deo, Act. 5. 29.
quam hominibus.

CA-

(a) Sic S. August. heic Tract. 89. num. 1. Item Hugo Card. Dionys. Carthus. &c. Vid. seq. cap. num. 1057.

(b) Vulg. *essent*; sed *fuissent* etiam Cod. Brixian. nosterque Bernardin. 39.

(c) Vulg. *cum*; sed *dum* etiam, Psalter. Rom. in Quincupl. Psalter. Jac. Fab. Stapulen.

(d) Ex hoc ipsomet textu rite argui non tantum processionem Spiritus sancti a Patre, sed etiam contra Græcos a Filio, discimus a S. Hilar. Lib. 8. de Trinit. c. 2. nec non a PP. Latinis æque ac Græcis laudatis in Concil. Florent. Sess. 18. ac 25. Vid. Bessarionem Card. in Orat. pro unione cap. 7. atque ipsummet S. Bonaventuram 1. Dist 11. art. 1. q. 1. Sed de hoc amplius cap. mox seq.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

1. HÆC locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.
2. Abſque ſynagogis facient vos: Sed venit
hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur
obſequium ſe præſtare Deo: 3. Et hæc fa-
cient vobis, quia non noverunt Patrem, ne-
que me. 4. Sed hæc locutus ſum vobis: ut
cum venerit hora eorum reminiſcamini, quia
ego dixi vobis. 5. Hæc autem vobis ab ini-
tio non dixi, quia vobiſcum eram: & nunc
vado ad eum, qui miſit me; & nemo ex vobis interrogat me, quo
vadis? 6. Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor ve-
ſtrum. 7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego va-
dam: ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abie-
ro, mittam eum ad vos. 8. Et cum venerit ille, arguet mundum de
peccato, & de juſtitia, & de judicio: 9. De peccato quidem, quia
non crediderunt in me: 10. De juſtitia vero, quia ad Patrem vado,
& jam non videbitis me: 11. De judicio autem, quia princeps hujus
mundi jam judicatus eſt. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed
non poteſtis portare modo. 13. Cum autem venerit ille Spiritus ve-
ritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a ſemetipſo:
ſed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vo-
bis. 14. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit
vobis. 15. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea
dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. 16. Modicum, &
jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia va-
do ad Patrem. 17. Dixerunt ergo ex diſcipulis ejus ad invicem:
Quid eſt hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: &
iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? 18. Di-
cebant ergo: Quid eſt hoc, quod dicit, Modicum? neſcimus quid lo-
quitur. 19. Cognovit autem Jeſus, quia volebant eum interrogare,
& dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non
videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. 20. Amen, amen
dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit:
vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.
21. Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cum
autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium,

quia natus eſt homo in mundum. 22. Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis. 23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 24. Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. 25. Hæc in proverbiis locutus ſum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre annuntiabo vobis: 26. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: 27. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego a Deo exivi. 28. Exivi a Patre: & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. 29. Dicunt ei diſcipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis: 30. Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo exiſti. 31. Reſpondit eis Jeſus: Modo creditis? 32. Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. 33. Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.

EXPOSITIO,

VERSUS PRIMUS (a).

1052.

HÆC *locutus sum vobis, ut non scandalizemini*. Hic jam quinto discipulos suos armat ad patientiam, ut scilicet propter tribulationes non deficiant, sed sustineant, propterea dicit: *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini*, quia sicut dicit Gregorius: Minus feriunt jacula, quæ prævidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per providentiæ (*b*) clypeum munimur. Ideo præmunit eos de tribulatione futura.

Roboratio discipulorum ad patientiam.

Gregorius in Evang. Hom. 35. n. 1.

VERSUS SECUNDUS.

1053. *Absque Synagogis facient vos*. Act. octavo: Facta est persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Judææ, & Samariæ præter Apostolos. Et ratio hujus acerbæ persecutionis subjungitur: *Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*. Hora ista fuit tempus prædicationis Apostolorum, tunc occidendo eos arbitrabantur se benefacere, unde exemplum est in Paulo Act. nono: Accessit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus vitæ (*c*) viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Talis autem cogitatio ortum habet ab infidelitate, ideo dicit:

Act. 8. 1.

Act. 9. 2.

VERSUS TERTIUS.

1054. *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me*, id est, propter ignorantiam & incredulitatem. Exemplum est in Paulo primæ ad Timoth. primo: Qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans hoc feci in incredulitate. Igitur contra hæc mala armat discipulos prædicens eis, unde dicit:

1. ad Tim. 1. 13.

VERSUS QUARTUS.

1055. *Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora*, qua scilicet persequentur, *eorum* (*d*) *reminiscamini, quia ego dixi vobis*. Reminiscentia & memoria verborum Dei multum valet ad omnia mala perferenda. E contrario oblivio nocet, ideo Deuteron. octavo: Observa & cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus, atque judicia. Recordatio sermonum Dei hominem erigit, & dirigit, unde dicitur Matth. vigesimo sexto: Recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras flevit amare. Psal. Reminiscentur, & convertentur ad Dominum omnes (*e*) fines terræ.

Verborum Dei memoria multum valet ad omnia mala perferenda.

Deut. 8. 11.

Matth. 26. 57.

Ps. 21. 28.

1056. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicit: *Non noverunt me*, quæritur, utrum ipsi Pharisæi cognoverint Christum? Quod sic videtur, quia dicitur Matth. vigesimo primo in parabola de vinea: Illi cultores dixerunt: Hic est hæres, venite, occidamus eum. Item in litera dicitur: *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum*; ergo scienter ipsum oderant. Sed contra hoc est,

Quæstio prima de hoc quod dicit: Non noverunt me.

Matth. 21. 38.

Jo. 15. 24.

(*a*) Hic versus primus una cum aliis seqq. usque ad partem versus quinti, nempe: *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram*, non ad hoc cap. 16. sed ad 15. spectare videtur apud Interpretem nostrum, ut infra patebit etiam ex Dionys. Carthus.

(*b*) Edit. Maur. *præscientia*.

(*c*) Vulg. *viæ*; sed *vitæ* quoque Lyran. Item Glossa interlin. & ex ea Hugo Card. *vitæ qua vivebant discipuli Domini*. Cod. etiam noster Bernardin. habet *vitæ*, nec non *vitæ* Biblior. Edit. Nurnbergen. 1478. Cod. autem Biblioth. Episc. Trident. habet quidem in textu *viæ*; sed in marg. *Al. vitæ*. *Ita habet Glo.*

(*d*) Estius „ *Eorum* construendum est cum „ verbo *reminiscamini*, non cum nomine *hora*, „ ut plane liquet ex Græcis &c. "

(*e*) Vulg. *universi*; sed *omnes* etiam in Quincupl. Psalter. secundum Lat. translat. ex Hebr.

Act. 3. 17. est, quia Act. tertio: Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri; ergo principes per ignorantiam occiderunt Christum; ergo non cognoverunt. Item primæ ad Cor.
1. ad Cor. 2. 8. secundo: Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ergo non
Responsio. cognoverunt Christum. Resp. Dicendum, quod Christus & Deus erat, & Messias, seu promissus in lege. Dicendum ergo, quod Judæi mali cognoverunt, quod ipse erat Christus eis promissus, & verax, & innocens; sed quod esset Dei Filius non cognoverunt (*a*). Quia enim veritatem agnitam impugnaverunt, volentes ostendere ipsum non esse neque bonum, neque sanctum, ideo excæcati sunt, ut in eo Divinitatem non cognoscerent, in quo humanitatem odirent (*b*). Quod ergo dicitur quod aliquando cognoverunt, aliquando non; referenda est cognitio ad diversa cognita. Alii referunt ad diversa tempora, quod in principio cognoverunt; sed postmodum impugnando per malitiam sunt excæcati.

Quæstio secunda de hoc quod dicit: Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.

1057. Item quæritur de hoc quod dicit: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem* (*c*), *peccatum non haberent* (*d*). Ergo secundum istam rationem illi, qui non audiunt, & non credunt, non damnantur propter infidelitatem, quod manifeste falsum: quia nullus salvatur sine fide. Item secundum hoc Tyrii, & Sydonii, qui non crediderunt, non damnabuntur, quod manifeste falsum est
Responsio. per testimonium Evangelii. Resp. Dicendum, quod per excellentiam diversa genera peccatorum nomine peccati generaliter dantur intelligi; præcipue tamen
Peccatum in Spiritum sanctum. inter alia peccatum in Spiritum sanctum, quod est magnum peccatum (*e*) prætendens nullam excusationem (*f*). Nomine igitur peccati intelligitur hic peccatum in Spiritum sanctum, quod accrevit peccato infidelitatis; & hoc non habuissent Judæi, sed solum remansissent in infidelitate, si Dominus non per aperta signa manifestasset se eis.

Quæstio tertia de hoc quod dicit: Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit &c.

1058. Item quæritur de hoc quod dicit: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit &c.* Istud videtur falsum, quia majora & mirabiliora signa legimus in veteri Testamento. Legimus enim mare rubrum divisum, & Jordanem, homines quadraginta annis de cœlo pastos, mortuos suscitatos, & multa alia. Item ipse Dominus dicit:
Qui credit in me, majora horum faciet; ergo signum operum non erat certum signum, nec singulare, quod ipse *Supra 14. 12.*
esset Christus. Ad hæc Glossa respondet, quod non intelligitur de operibus miraculosis, sed de mirabilibus, ut quod mulier circumdedit virum, & quod ipse de virgine natus, & consimilia. Sed istud non solvit, quia hæc non erant eis nota, quia non sunt facta in eis, *Glossa ordinar.*
nec coram eis; propterea dicit aliter, vel quod hoc dicitur quantum ad operum multitudinem & diversitatem, quia nullus unquam tot miracula sanitatum, & tam varia & diversa fecerat, sicut Christus. Vel facienda est vis in hoc quod dicit: *Fecissem quæ nemo alius fecit*, quia non erat Deus, sed ad ejus invocationem facta sunt; Christus autem fecit tanquam ille, qui erat omnipotens (*g*). *Responsio.*

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.

1059. Item quæritur de hoc quod dicit (*h*): *Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Contra hoc est, quia nullius conscientia potest odisse Deum. Quomodo ergo oderunt Patrem? Item, sicut dicit Augustinus, nemo odit nisi quod novit (*i*); sed ipse Christus dicit, quod non noverunt Patrem, *Augustinus in Jo. Evang. c. 15. Tract. 87. n. 5.*

(*a*) Sic etiam Dion. Carth. & inter recentiores Interpretes Cornel. a Lap. Menoch. Calmet &c.

(*b*) Ita fere vel in Exposit. jam edita sub S. Bonav. nomine.

(*c*) Supra cap. 15. num. 1046.

(*d*) Quæstio hæc, ac seqq., postrema excepta, spectant ad cap. præcedens secundum quod nunc est in Vulg. Ceterum vel apud Dionys. Carthus. etiam postrema, de qua infra n. 1060. ad præcedens cap. 15. pertinet, ut innuebam supra ver. 1. not. *a*.

(*e*) S. Aug. in Jo. Evang. cap. 15. Tract. 89. num. 1. ac Tract. 91. num. 1.

(*f*) 2. Dist. 43. art. 2. q. 1. in concl. de eodem ipsemet S. Bona, inquit, quod *nullum habet colorem excusationis*.

(*g*) Hactenus ex cit. Glossa ad sensum tantum. Verba ejus videri possunt apud Lyran. Vide sis quoque S. August. in Joan. Evang. cap. 15. Tract. 91. num. 2. ac seq. nec non inter recentiores Calmet in idem Joan. cap. 15. ver. 24. ubi proponit, resolvitque quæstionem: *Qui verum sit, ea gessisse Christum prodigia, quæ nemo alius gesserit*.

(*h*) Supra cap. 15. ver. 24. num. 1048.

(*i*) August. ibi: *Quis potest odisse quem nescit?* Et post pauca: *Quomodo ergo nesciunt, & oderunt?*

trem, & nunc *(a)*, & in multis locis; ergo Deum non habebant odio. Respondetur ad hoc dupliciter. Primo ut distinguatur odium, quia est odium verum, quod est in affectus controversia *(b)* adversus aliquem, & sic nullus potest odisse Deum. Est odium interpretativum, quando aliquis ad modum odientis se habet; sic dicitur aliquis odire animam suam, quando facit contra salutem propriam. Sic etiam dicitur odisse Deum, quando voluntati ejus adversatur *(c)*. Aliter dicitur, quod Deum est considerare ut bonum summum, a quo omne bonum. Est considerare ipsum ut justum in suis operibus. Itaque nullus potest Deum odisse, nec odit in se; odit tamen secundum quod est justus. Quod ergo objicitur de Augustino, dicendum, quod Augustinus istud retractat *(d)*, ita tamen ut verbum istud verum sit, accipiendo odium, sicut expositum est *(e)*. Quod objicitur quod *non noverunt*, dicendum, quod est cognitio certitudinis & claritatis per speciem, & hac nullus Deum cognoscit, nisi sit comprehensor. Est cognitio certitudinis, sed ænigmatis; & hac nullus Deum cognoscit, nisi fidelis. Est cognitio existimationis; & hac infideles, & multi mali cognoscunt: & sic cognoverunt Patrem, & per consequens odire possunt.

Responsio duplex.

Augustinus in Jo. Evang. cit. c. 15. Tract. 90. n. 3.

Cognitio Dei triplex.

1060. Item quæritur de hoc quod dicit: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.* Ergo secundum hoc illi, qui occidebant Apostolos, bona intentione occidebant, ergo merebantur. Si tu dicas, quod non poterat bona intentione fieri, istud falsum est; quia mala in genere, quæ non sunt mala secundum se, bene fieri possunt; & tale est occidere. Resp. Dicendum, quod quædam sunt opera, quæ nullo modo possunt bene fieri, ut mentiri, sicut dicit Augustinus *(f)*, quia mox nominata conjuncta sunt malo, ut dicit Philosophus *(g)*. Quædam autem sunt, quæ statim possunt bene fieri, cum adest bona intentio, ut sunt bona in genere. Quædam, quæ non fiunt bene sola intentione, nisi adsit caussa, & ordo, & talia sunt occidere, & consimilia. Unde quantumcumque homo occidat alium pro Deo, nisi adsit ordo judicii, & caussa, nullo modo bene fit *(h)*. Tali modo fiebat in Apostolis; quia justa caussa, & inquisitio deerat.

Quæstio quinta de hoc quod dicit: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.*

Responsio.

Augustinus in L. de mendac. & contra mendac. passim.

Aristoteles 9. Metaphys. cont. 29. & 12. Metaphys. cont. 54.

VERSUS QUINTUS.

1061. *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me (i): Et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* Supra Dominus verbo eruditionis confirmavit discipulos in fide, & in dilectione: in hac parte intendit eos confirmare in spei expectatione, consolans eos multipliciter contra turbationem & desolationem de suo recessu. Et habet hæc pars tres partes secundum triplex genus consolationis. Prima consolatio est ex Spiritus sancti missione. Secunda vero ex Filii visitatione, & determinatur ibi: *Modicum, & non videbitis me.* Tertia est ex Patris exauditione ibi: *Amen amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem &c.* Et ut sic animam tota Trinitas

Confirmatio discipulorum in spei expectatione.

Divisio hujus partis in tres, secundum triplex genus consolationis.

(a) Supra hoc ipso cap. 16. ver. 3. n. 1054.

(b) Sive *in affectu contrario.*

(c) *Quia cum Deus præcipiat unum, homo malus facit contrarium, & ita Deo adversatur*, ut loquitur idem S. Bona. in 2. Dist. 35. art. 1. q. 3. in concl. ubi exponitur, *pro quanto quis dicatur Dei inimicus*. Similia prædictis videri quoque possunt Exposit. jam edita in Jo. Evang. sub S. Bona. nomine prope finem cap. 15.

(d) Non scilicet reprobando, sed rursum tractando, meliusque explicando. Rursum autem id tractat cit. Tract. 90. num. 1. inquiens: *Non itaque dissimulanda nascitur quæstio, quomodo possint odisse quod nesciunt &c.*

(e) Ita videlicet, sicut inibi n. 3. ait: *Nolunt sua facta damnari, & hoc habet veritas, ut talia facta damnentur: tantum igitur oderunt veritatem, quantum oderunt suas pœnas, quas talibus irrogat veritas.* Et Lib. 10. Confess. cap. 23. *Amant veritatem lucentem, oderunt veritatem redarguentem.*

(f) 3. Dist. 38. art. 1. q. 2. in concl. ex eodem Aug. ibi.

(g) Ipsemet D. Bona. in 2. Dist. 40. Art. 1. Q. 1. in Fundam. *Philosophus dicit, quod aliqua sunt; quæ mox nominata conjuncta sunt malo.* Ut vel hinc appareat non alium esse hujus Commentarii auctorem, quam D. Bona. *Talia*, inquit inibi, *dicunt Theologi esse mala secundum se*. Unde concludit: *Si igitur talibus actibus inseparabiliter adhæret malitia, videtur, quod hujusmodi actus non possint fieri boni ex intentione nostra.*

(h) In 2. ac. 3. ibi in concl.

(i) Ab his verbis: *Et nunc vado &c.* incipit apud Dionys. Carthus. *Expositio capituli decimi sexti.* Apud autem Interpretem nostrum incipere videtur ab illis: *Hæc autem.*

nitas consoletur. Prima consolatio est ad dandam intelligentiam: Secunda ad lætitiam: Tertia ad pacem & confidentiam. Prima respicit vim rationalem: secunda concupiscibilem: tertia vero irascibilem respicit. (*a*) Primo igitur consolatur eos de Spiritus sancti missione, & describitur hæc consolatio per hunc modum. Primo præmittitur discipulorum desolatio: secundo Spiritus sancti promissio: tertio missi officium: quarto missionis principium. Præmittit ergo primo discipulorum desolationem occasione sui recessus, cujus ratione etiam prædictas admonitiones fecerat, ideo dicit:

Prima consolatio de Spiritus sancti missione.

Discipulorum desolatio ratione sui recessus.

1062. *Hæc autem vobis ab initio non dixi*, scilicet quæ prædicta sunt de Spiritus sancti missione (*b*), & vestra persecutione (*c*), *quia vobiscum eram*, consolans vos mea præsentia, & ideo non dicebam vobis tristia, unde Matth. nono: Non possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus: *Et nunc vado ad eum, qui misit me*, scilicet ad Patrem, ideo vobis prædico. Et ex hoc recessu facti erant discipuli non diligentes in inquisitione, sed tristes, ideo dicit: *Et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* Audiebant, & non intelligebant, & quærere negligebant, & hoc erat præ tristitia.

Matth. 9. 15.

VERSUS SEXTUS.

1063. *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*, in quo significatur abundantia tristitiæ; quia solum considerabant absentiam, & non absentiæ fructum, contra quod dicitur primæ ad Thessalon. quarto: Non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Tales implentur tristitia, secundæ ad Cor. secundo: Consolemini, ne forte abundantiori absorbeatur tristitia qui ejusmodi est. Threnor. tertio: Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.

1. ad Thess. 4. 12.

2. ad Cor. 2. 7.

Thren. 3. 15.

VERSUS SEPTIMUS.

1064. *Sed ego veritatem dico vobis: Expedit &c.* Hic tangitur secundum, scilicet Spiritus sancti promissio, quæ impletur in suo recessu, ex qua debent consolari, ideo dicit: *Sed ego veritatem &c.* quasi dicat, ita tristamini, sed e contrario debetis consolari de recessu: *Expedit vobis ut ego vadam*; & ratio redditur: *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Et ratio hujus est, quia nisi fueritis desolati, non consolabimini. Matth. quinto: Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Bernardus: Delicata est Divina consolatio, non datur admittentibus alienam (*d*). *Si autem abiero, mittam eum ad vos*, quia subtracta consolatione visibili, dabitur vobis consolatio invisibilis. Isa. vigesimo octavo: Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. Et ratio hujus redditur ad Hebr. quinto: Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus enim est.

Spiritus sancti promissio.

Matth. 5. 5.

Bernardus, sive Gaufridus Abbas in Declamationibus ex Bernardi Sermonibus collectis Sect. 55. n. 66. ab init.

Isa. 28. 9.

Ad Hebr. 5. 13.

VERSUS OCTAVUS.

1065. *Et cum venerit ille*, tangitur hic tertium, scilicet Spiritus sancti officium, tum per comparationem ad mundanos, & hoc est arguere; tum per comparationem ad bonos, & hoc est docere. Officium igitur per comparationem ad malos exprimit, cum dicit: *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio*. Et ipse Salvator exponit:

Spiritus sancti officium.

VERSUS NONUS.

1066. *De peccato quidem: Quia non crediderunt in me*; & hoc est peccatum infidelitatis (*e*), de quo supra octavo: Moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

Jo. 8. 24.

VER-

(*a*) Similiter de *rationali, concupiscibili, irascibili*, vel alibi passim D. Bona.

(*b*) Sic S. Augustinus, quem de more sequitur Beda, nec non Rupertus, Dionys. Carthus. ac inter Recentiores Tirinus.

(*c*) Ita Chrysost. Theophylact. Euthym. Tolet. Ribera, Cornel. a Lap. Gordon. Natal. Alexand. Calmet &c. Sicque ex August. & Chrysost. etiam S. Tho.

(*d*) Sic ex S. Bernardo ibi idem S. Bonav. Serm. 1. in ordine 11. de SS. Evangelistis; nec non Serm. 1. in ordine 44. de Dedicatione Ecclesiæ. Edit. tamen Venet. 1549. To. 2. fol. 203. col. 2. ac Parif. 1719. Vol. 2. col. 322. sic habet: *Pretiosa divina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam.*

(*e*) Ita SS. Chrysostomus & Augustinus.

VERSUS DECIMUS.

1067. *De justitia vero, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me*, Glossa: Non de justitia, quam fecerint, sed quam nolunt imitari. Et hæc est justitia fidei (*a*), quæ credit quod non videt, ideo dicit: *Quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me*; quia fides est substantia sperandarum rerum argumentum non apparentium. Ad Hebr. undecimo. Et hæc est justitia, scilicet fidei, per quam justus salvatur. Ad Rom. tertio: Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.

Glossa interlin. & ordinar.

Ad Heb. 11. 1.

Ad Rom. 3. 28.

VERSUS XI.

1068. *De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est*. Supra duodecimo: Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.

Jo. 12. 31.

1069. Potest etiam aliter exponi: Arguere enim mundum, hoc est manifestare mundo, secundum illud ad Ephes. quinto: Omnia quæ arguuntur, a lumine manifestantur. Per adventum Spiritus sancti tria manifestata sunt mundo: peccatum, justitia, & judicium. Peccatum mundi: justitia Christi: judicium diaboli. Et ratio horum trium est, quia Christus Redemptor erat mundi, diabolus deceptor, & mundus detinebatur a diabolo propter peccatum infidelitatis. Ad Ephes. sexto: Adversus mundi rectores tenebrarum harum. Et de hoc peccato Spiritus sanctus arguit mundum, dum ostendit ei suam infidelitatem. Et huic concordat litera dicens: *De peccato, quia non crediderunt*. Christus vero mundum redemit sua justitia; quia enim justus fuit, & pati non meruit, patiendo pro mundo ipsum salvavit: in cujus justitiæ attestationem sublimatus est ad dexteram Patris. Et huic concordat litera: *De justitia*, scilicet mea, *quia ad Patrem vado* per sublimationem; & hoc merito justitiæ, ad Philipp. secundo: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen (*b*). Diabolus vero injuste mundum detinebat, & injuste contra Christum pugnavit; ideo judicatus est, quia amisit dominium in genus humanum. Et huic consonat sequens litera: *De judicio autem quia princeps hujus mundi jam judicatus est*, id est, in caussa Salvatoris reus factus est. Legatur ergo sic litera: *Arguet mundum de peccato*, scilicet suo, *quia non crediderunt &c.*: *De justitia*, scilicet mea, *quia ad Patrem vado*, in hujus testimonium: *De judicio*, scilicet diaboli, *quia princeps hujus mundi jam judicatus est* (*c*). Sic determinavit officium ejus ad mundanos. Deinde subjungit officium suum ad discipulos; & hoc est docere, quia non plene potuerunt doceri in præsentia Christi, ideo dicit:

Ad Ephes. 5. 13.

Per Spiritus sancti adventum tria mundo manifestata, peccatum mundi, justitia Christi, judicium diaboli.

Ad Ephes. 6. 12.

Ad Philipp. 2. 8. ac seq.

VERSUS XII.

1070. *Adhuc habeo multa vobis dicere: sed non potestis portare modo*, & ratio hujus erat, quia adhuc carnales erant. Unde primæ ad Cor. tertio: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. Sed ista carnalitas amovenda erat per adventum Spiritus sancti, ideo subdit:

1. ad Cor. 3. 1. ac seq.

VERSUS XIII.

1071. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Unde primæ Joan. secundo: Non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus. Et quod doceat veritatem, ostendit per hoc, quod non a se, sed ab alio, propterea dicit: *Non enim loquitur*

1. Jo. 2. 27.

(*a*) Tirinus „ *De justitia*: convincet enim, neminem justum esse posse vera justitia (id est, ea quæ apud Deum justos facit) nisi per fidem, & cultum Christi. “ Ita velut falsa rejicitur; tam justitia Judæorum in cæremoniis legis, corporeisque lustrationibus, quam Gentilium in morali honestate quæsita, Christi fide neglecta omnis justitiæ fontis, ait etiam ex Cyrillo Cornel. a Lapide.

(*b*) S. August. de Verb. Dom. Serm. 61. *Justitia est, quod ad Patrem vadit, secundum illud Apostoli: Propter quod & Deus exaltavit illum &c.*

(*c*) *Judicatus dicitur, quia potestas ei aliquo modo subtracta &c.*, 4. Dist. 47. art. 1. q. 4. ad 1. & 2.

tur (*a*) *a semetipso* (*b*), sicut diabolus, qui mendax est, & pater ejus. Supra
Jo. 8. 41. octavo: Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. *Sed quæcumque audiet, loquetur*, & ideo vera loquitur. Supra
Jo. 8. 26. octavo: Qui misit me, verax est, & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. Nec tantum docebit veritatem de præteritis, sed etiam de futuris, unde: *Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis*. Unde primæ ad Timoth.
1. ad Tim. 4. 1. quarto: Spiritus manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.

VERSUS XIV.

1072. *Ille me clarificabit*, tangitur hic quartum, scilicet Spiritus sancti principium, & hoc quidem non tantum est Pater, verum etiam Filius. Et sicut Filius, quia procedit a Patre, clarificat in suis operibus Patrem, a quo est; sic & Spiritus sanctus Filium, propterea dicit: *Ille me clarificabit*, & ratio redditur: *Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Cum Spiritus sanctus sit summe simplex, est quidquid habet (*c*); ergo si accipit aliquid a Filio (*d*), totum accipit (*e*), & ideo sequitur, quod a Filio procedit (*f*). Sed ne credas ex hoc, quod ab ipso solo procedat, vel ab ipso principaliter; ideo ostendit, quod ab ipso procedit una cum procedit a Patre. Propterea subdit:

Spiritus sancti principium.

Argumentum, quo probatur, Spiritum sanctum vel a Filio procedere.

VERSUS XV.

1073. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*. Joan. decimo septimo: Mea Jo. 17. 10.
omnia tua sunt, & tua mea (*g*). *Propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. *Quia de meo*, quod tamen a Patre accepi. Sic Spiritus sanctus enuntiat Filium, a quo procedit (*h*), sicut & Filius Patrem. Supra primo: Unigenitus Filius, qui est in sinu Pa- Jo. 1. 18.
tris, ipse enarravit.

1074. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicit: *Nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis?* Contra: Supra tertio decimo: Dicit ei Simon Petrus: Domine, Jo. 13. 36.
quo vadis? Resp. Dicendum, quod Dominus ibat ad ignominiam Passionis, ibat ad gloriam Resurrectionis; & cum prius loqueretur, quod iret ad Passionem, quæsivit Petrus: Domine, quo vadis? Sed modo vult eis dicere, quod vadit ad gloriam Resurrectionis: *Vado*, inquit, *ad eum, qui misit me*. Et ipsi tantum turbati erant de itinere ad Passionem, quod nihil cogitabant de Gloria (*i*). Ideo de hac non quærebant, sed Dominus volebat, quod quærerent, ut ipsos consolaretur.

Quæstio prima de hoc quod dicit: Nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? *Responsio.*

1075. Item quæritur de hoc quod dicit: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. Videtur ex hoc, quod Christus non fuerit omnipotens; quia Spiritum non poterat dare, nisi personaliter iret. Si tu dicas, quod hoc non fuit propter Christi impotentiam, sed prop-

Quæstio secunda de hoc quod dicit: Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.

(*a*) Vulg. *loquetur*, sed *loquitur* etiam Codd. Vercellen. Veron. & Gat. apud Blanchin. nec non Evangeliarium Eccl. nostræ Trident.

(*b*) Gordonus „ *Non loquitur a semetipso*. Certe „ quia a se ipso non est, sed procedit a Patre „ & Filio &c. „

(*c*) Contra Hæreticos contendentes Spiritum sanctum non natura, sed participatione esse Deum, uti refert S. Augustinus Tract. 100. num. 4.

(*d*) Quia Spiritus sanctus a Filio non accipit totum quod est in Filio; non enim accipit filiationem.

(*e*) Scilicet ejus essentiam, sive naturam Divinam, quæ nullas habet partes, sed tota est indivisibilis, & simplicissima, Cyrill. Lib. Thesauri 13. cap. 4. Unde præclare Theodorus Heracleotes in Catena Græcorum hoc loco inquit: *Spiritus sanctus testis fuit Divinitatis Unigeniti, cum ex ejus esset essentia, essentiamque ejus declararet*. Non enim spirari potest Spiritus sanctus, nisi ab eo qui est Deus.

(*f*) Eodem plane modo ex prædicto textu ita arguit idem S. Bonaventura 1. Dist. 11. art. 1. q. 1. nisi Fundam. „ Quisquis est omne quod „ habet, est omne quod accipit: sed Spiritus „ sanctus cum sit Deus summe simplex, est „ omne quod habet: ergo si accipit aliquid ab „ aliquo, accipit esse; sed a quo accipit esse, „ ab illo procedit; ergo si aliquid accipit a Fi- „ lio, procedit a Filio &c.

(*g*) Vide infra cap. 17. num. 1116.

(*h*) *Ex necessitate enim*, inquit heic etiam S. Thomas, *oportet, quod, si omnia, quæ habet Pater, sint Filii, & Filius sit consubstantialis Patri; Spiritus sanctus procedat a Filio sicut procedit a Patre, ut Hilarius, & Didymus arguunt*. Et universa Synodus Florentina in literis unionis: *Et quoniam omnia quæ Patris sunt ipse Pater unigenito Filio suo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo æternaliter genitus est*. Vid. Bellarm. Lib. 2. de Christo cap. 20. ac seq.

(*i*) Ita fere post Cyrill. Euthym. Maldonat. Jansen. & alios, Cornel. a Lap.

propter discipulorum ineptitudinem; contra hoc est, quia Christi praesentia potius disponebat ad gratiam, quam impediret, quod patet: quia ante adventum Christi non fuit tempus gratiae, sed post. Respondetur, quod impediebantur, quia carnaliter ipsum amabant; sed hoc nihil est, quia in illo amore non peccabant: ergo non repugnabat gratiae, unde simul manebat cum caritate. Si tu dicas, quod non repugnat ut incompossibile, sed tamen ut impediens, hoc etiam nihil est; quia quando aliquis amat aliquem sensibiliter, & spiritualiter, ferventius diligit, quia dilectio naturalis intendit spiritualem.

Responsio aliorum.

Resp. Dicendum, quod triplici ex caussa non fuit datus Spiritus sanctus ante ascensum Christi. Una ratio est ex parte suscipientium, quia consolati sensibiliter praesentia corporali Christi, non desiderabant aliam consolationem. Deus autem non vult dona sua contemni, & ideo non dat nisi merentibus; ideoque oportuit Christum ab eis separari. Alia ratio ex parte mittentis, quia non decet miserum (cujusmodi erat Christus in carne mortali) donare suos servitores munere tam excellenti, nisi ipse appareat gloriosus; & ideo dicitur supra septimo: Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (*a*). Tertia ratio est ex parte utriusque, quia adhuc manebant inimicitiae inter nos, & Deum; & ideo primo oportuit fieri reconciliationem, quam Spiritus sancti donationem. Ideo prius oportuit Christum pati, quam Spiritum sanctum mitti (*b*).

Responsio interpretis.

Ratio triplex Spiritus sancti post Christi ascensionem missi.

Jo. 7. 39.

1076. Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Primo videtur male dicere, quod *docebit*; quia docere est actus sapientiae, & sapientia appropriatur Filio, non Spiritui sancto. Item quomodo *docebit omnem veritatem*? Secundum hoc videtur, quod Apostoli sciverint Geometriam, & omnes artes, & istud falsum est; quia male sciebant Grammaticam. Unde Apostolus dicebat: Etsi imperitus sum sermone, sed non scientia, secundae ad Cor. undecimo. Resp. Dicendum, quod docere totius Trinitatis est, tamen aliquando tribuitur Filio, aliquando Spiritui sancto: quia duplex est cognitio, scilicet speculationis, & haec attribuitur Filio; & experientiae & devotionis (*c*), & haec attribuitur unctioni Spiritus sancti. Et de hac loquitur hic, & per hoc patet solutio ad sequens. Intelligit enim non de omni veritate simpliciter, sed secundum pietatem; & haec est veritas necessaria ad salutem, quam plene cognoverunt Apostoli (*d*). Vel dicendum, quod non intelligit hoc, secundum quod *omnis* distribuit pro singulis generum, sed pro generibus singulorum; est enim veritas doctrinae, vitae, & justitiae, & has docuit. De veritate doctrinae Matth. vigesimo secundo: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. De veritate vitae, Isa. trigesimo octavo: Memento Domine quomodo ambulaverim coram te in veritate &c. De veritate justitiae Proverb. decimo octavo: Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate judicii.

Quaestio tertia de hoc quod dicit: Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

2. ad Cor. 11. 6.

Responsio.

Veritas triplex.

Matth. 22. 16.

Isa. 38. 3.

Prov. 18. 5.

1077. Quaeritur de hoc quod dicit: *De meo accipiet*. Videtur falsum; quia si Spiritus sanctus est Deus, & Deus nihil novum potest habere; ergo nihil amplius potest accipere. Quid est ergo, quod dicit: *De meo accipiet*? Item quaeritur de ratione Domini: *Propterea*, inquit, *dixi*;

Quaestio quarta de hoc quod dicit: De meo accipiet.

(*a*) Hanc utramque rationem affert etiam Estius. Primam innuit S. Leo Serm. 72. De Ascen. Dom. 2. cap. 3. nec non S. Greg. Moral. Lib. 8. cap. 24. n. 41. declaratque S. Aug. in Jo. Evang. cap. 16. Tract. 94. num. 4. Secundam idem S. Leo Serm. 74. de Pent. 2. cap. 8. *Servitores* in Glossar. Ducang.

(*b*) Sic Dionys. Carthus.

(*c*) De hac *duplici cognitione*, scilicet ea, *qua dicitur speculativa scientia*, & alia *practica*, quae *sic est in intellectu, ut nata sit movere affectum*, sive quae *movet ad amorem, & devotionem*, Prooem. in Lib. 1. Sent. q. 3. in concl. Item in 3. Dist. 35. Art. 1. Q. 1. in concl. ubi disertissime loquitur de *cognitione Dei experimentali, qua est unum de septem donis Spiritus sancti, cujus actus consistit in degustando Divinam suavitatem*. Alia, ne multus sim, loca similia missa facio.

(*d*) Quod praedictus textus intelligendus sit de veritate necessaria ad salutem, constat etiam ex Serm. 12. in die sancto Pentecostes inter Bonaventurianos de Tempore, ubi dicitur: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem saluti necessariam, non illam, de qua: Non est vestrum nosse tempora &c., quod est contra quosdam de Antichristo, & temporibus ejus superstitiose garrientes*. Sed in hanc rem videsis ibi Ser. 9. qui certior est S. Bonav. Sermo. Huc spectat illud, quod Fer. 4. Pentec. sic orat Ecclesia: *Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius veritatem*.

VERSUS XVI.

1078. *Modicum, & jam non videbitis me*. Hæc est secunda pars capituli, in qua consolatur eos ex suæ visitationis promissione, & procedit in hac parte per hunc modum. Primo ponitur visitationis Christi promissio: Secundo discipulorum dubitatio: Tertio vero dubietatis explanatio: Quarto exemplificatio: Quinto vero exempli adaptatio. Visitationem igitur primo promittit post recessum, propterea dicit: *Modicum, & jam non videbitis me*, quia recedam, a vobis scilicet: *Et iterum modicum, & videbitis me*, quia statim post Passionem visitaturus erat eos; unde *modicum* erat usque ad Passionem, in qua debebat non videri: Et *modicum* a Passione usque ad Resurrectionem, in qua debebat eis apparere. Isai. quinquagesimo quarto: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Et rationem, quare non essent eum visuri, reddit: *Quia vado ad Patrem (a)*. Aliter exponitur de visione per Gloriam, ut sit sensus, quod modicum tempus erat usque ad recessum Christi, & ascensum ad Patrem, & iterum modicum usque ad adventum ejus ad eos, ut assumat eos in Gloriam (b). Unde supra quarto decimo: Et si abiero, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

Secunda pars cap. de Filii visitatione.

Visitationis Christi promissio.

Isa. 54. 7.

Jo. 14. 3.

VERSUS XVII.

1079. *Dixerunt ergo ex discipulis ejus*. Tangitur hic secundum, scilicet discipulorum dubitatio, quæ procedebat ex hoc, quod dixerat, in modico non videndus, & videndus, propter quod dicitur: *Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me*, (de hoc dubitant primo, quia videtur dicere duo contradictorie opposita; & de alio dubitant, scilicet quo iret) *& quia vado ad Patrem?* Nesciebant enim quomodo intelligeret, hinc dubitabant etiam de significatione verbi.

Discipulorum dubitatio.

VERSUS XVIII.

1080. *Dicebant ergo: Quid est hoc (c), quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur*. Nesciebant quid per hoc volebat dicere; nam parvum habebant adhuc discipuli intellectum (d), unde increpavit eos Dominus Matth. quinto decimo: Adhuc & vos sine intellectu estis? Matth. 15. 16.

VERSUS XIX.

1081. *Cognovit autem Jesus*. Hic tangitur tertium, scilicet dubietatis amotio, quæ facta est per Magistrum ante inquisitionem discipulorum, propter quod dicitur: *Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare*, Ecclesiastici vigesimo tertio: Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in diversas partes. Et Ecclesiastici sexto decimo: Omne cor intelligitur ab illo: & vias illius quis intelligit? Et prævenit ipsorum dubitationem seu interrogationem, *& dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me*; huic dubitationi satisfacit ostendens duplex tempus, scilicet tribulationis, & consolationis; & propter unum, dictum esse: *Non videbitis*; & propter aliud, *videbitis*. Et propter hoc non fuit ibi contradictio; quia non refertur ad idem tempus, sed propter diversa tempora bis dictum est *modicum*. Propterea dicit:

Dubietatis amotio.

Eccli 23. 28.

Eccli 16. 20. ac seq.

VERSUS XX.

1082. *Amen, amen dico vobis: Quia plorabitis, & flebitis vos, plorabitis* exterius, *flebitis* interius pro tempore, in quo me non videbitis; & ideo beati.

colligunt etiam Græci quidam ut Cyrill. Lib. Thesauri 13., & Didym. Lib. 2. de Spir. sanct., procedere Spiritum sanctum etiam a Filio. Vid. quoque Epiph. Hæres. 42. & 69. Athanas. Episto. ad Serap. & Lib. de unit. fidei, Basil. contra Eunom. Lib. 2. & 3.

(a) Ita Chrysost. Cyrill. Leont. Theophyl. Euthym. Ribera, Tolet. Jansen. &c.

(b) S. August. Beda, Maldonat. &c.

(c) *More dubitantium*, ait quoque Sa.

(d) Scilicet, auctore Ruperto, ad capiendum Resurrectionis mysterium, & ad certo credendum die tertio Christum a morte resurrecturum.

Luc. 6. 21. Luc. sexto: Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis. *Mundus autem gaudebit, vos vero (a) contristabimini*. Mundus gaudet, Job 21. 12. Job vigesimo primo: Tenent tympanum, & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. Sed boni tristantur, primæ 1. Pet. 1. 6. Petr. primo: In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus. *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium*, & ideo dictum est: Tob. 3. 22. *Modicum, & videbitis me*. Tob. tertio: Post lacrymationem & fletum, exultationem infundis. Ideo dicitur Ecclesiastæ sep- Eccle 7. 5. timo: Cor sapientium ubi tristitia est: & cor stultorum ubi lætitia (b).

VERSUS XXI.

1083. *Mulier cum parit*. Tangitur hic Exemplificatio. quartum, scilicet exemplificatio. Et exemplificatio est de hoc, quomodo cito, & in modico tempore tristitia convertetur in gaudium; & est exemplum de muliere parturiente, quæ dum parit, tristatur, quamvis bonum faciat: sed cum peperit, gaudet statim. Propterea dicit: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus*, scilicet pariendi, quam adhuc vellet differri præ dolore; quia vehemens dolor est in Isa. 13. 8. parturitione. Isai. tertio decimo: Quasi parturiens dolebunt. Et primæ ad Thess. 1. adThess. 5. 3. quinto: Et sicut dolor in utero habenti, & non effugient. *Cum autem peperit (c) puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium: Quia natus est homo in mundum*, præ gaudio, quod habet de Gen. 21. 6. prole, Genes. vigesimo primo: Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi, dixit Sara.

VERSUS XXII.

1084. *Et vos igitur*. Hic est exempli Exempli adaptatio. adaptatio, quod ipsi similiter tristabuntur in Christi Passione; sed gavisuri erant in ejus Glorificatione, sive Resurrectione, propter quod dicit: *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis*, & hoc de recessu sponsi, Matth. nono: Venient Matth. 9. 15. dies, quando auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt, id est, lugebunt (d); sed ista tristitia modicum durabit, ideo dicit: *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum*. Joan. vigesimo: Gavisi Jo. 20. 20. sunt discipuli, viso Domino. Et hoc non ad tempus, sed in æternum, unde dicit: *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*; quia Christus, qui erat ipsorum gaudium, resurgens a mortuis jam non moritur. Apocal. septimo: Absterget Apoc. 7. 17. Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum (e) &c. Et tunc erunt terminatæ quæstiones vestræ, nec turbabunt vos, ut modo, ideo dicit:

VERSUS XXIII.

1085. *Et in illo die me non rogabitis quidquam*, id est, non interrogabitis (f). Si hoc refertur ad diem Gloriæ, verum est, quia tunc omnia videbunt clare. Isai. quinquagesimo quarto: Ponam uni- Isa. 54. 13. versos filios tuos doctos a Domino. Si autem intelligatur post glorificationem Christi, adhuc verum est; quia tunc habuerunt internum Doctorem juxta illud, quod dictum est supra eodem: Jo. 16. 13. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Et primæ Joan. secundo: Unctio ejus docet vos 1. Jo. 2. 27. de omnibus. Vel *non rogabitis*, quia non indigebitis; sed eritis beati, quibus ad votum cuncta succedunt (g).

1086. Sed quæritur hic primo de hoc Quæstio prima de hoc quod dicit: Modicum, & jam non videbitis me &c. quod dicit: *Modicum, & jam non videbitis me, quia vado ad Patrem*. Quia dicitur Matth. ultimo: Ecce ego vobiscum Matth. 28. 20. sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Item quid est quod dicit: *Modicum, & videbitis me?* Quia dicitur supra eodem: Ad Patrem vado, & jam

(a) Vulg. *autem*; sed etiam in Offic. Apost. ac Mart. tempore Paschali *vero*. Habet tamen *autem* ipsemet Interpres noster Serm. 3. Dom. 2. post oct. Pasch.

(b) Sic noster Interpres Exposit. in Ecclesiasten ad d. cap. & textum, ubi itidem in eamdem rem præcedentes textus Joan. & Luc. allegat.

(c) Vulg. *pepererit*; sed *peperit* habet quoque Cod. Veron. Bibliorumque Cod. Biblioth. Episc. Trident. Hugo Card. Lyran. &c.

(d) Hugo quoque Card. ad *jejunabunt* subdit *jejunio mœroris*.

(e) Vulg. *eorum*; sed *Sanctorum* ipsemet S. Bonaven. Soliloq. cap. 4.

(f) Sic quoque Mariana, Menochius, Calmet &c. Hugo Card. pro *non rogabitis* legit *non interrogabitis*, ac ita etiam Lyran. ac Dionys. Carthus.

(g) Sa „ *Illo die*, scilicet felicitatis æternæ. „ *Non rogabitis*, scilicet non erit opus Deum „ videntibus, & in eo omnia scitu necessa- „ ria. "

& jam non videbitis me. Quomodo recedit, & manet? Videtur, & non videtur? Respondeo intelligendum, quod in Christo est esse Divinum, & esse humanum, invisibile & visibile, miserum & gloriosum. Quantum igitur ad esse Divinum, nunquam recedit ab Electis: quantum ad esse humanum & invisibile sub Sacramento, non relinquet usque ad consummationem sæculi (a): quantum ad esse humanum visibile & impassibile, non reliquit usque ad Ascensionem: quantum ad esse humanum visibile & passibile, reliquit in Passione; quia non visus fuit passibilis, nec cum eis ut passibilis postea conversatus.

Responsio.

1087. Item quæritur de hoc quod dicit: *Plorabitis, & flebitis vos &c.* Quæritur, utrum Apostoli in illa tristitia meruerint, vel demeruerint? Quod meruerint videtur, quia dicitur secundæ ad Timoth. secundo: Si sustinemus (b), & conregnabimus; ergo compati erat eis meritorium. Item tristitia mala convertitur in majorem tristitiam; sed illa, quæ convertitur in gaudium, illa, inquam, bona tristitia est: Sed tristitia Apostolorum conversa est in gaudium, sicut dicit litera: *Tristitia vestra vertetur in gaudium*; ergo fuit bona & meritoria. Contra hoc est; Quia aut volebant, quod Christus moreretur, aut non. Si non, tunc peccabant, unde Petrus fuit de hoc reprehensus: Si vero volebant; ergo non dolebant. Item videtur per textum, quia Dominus hortatur eos, ut non turbentur: sed Dominus non dehortabatur bonum; ergo turbari non est bonum. Item supra quarto decimo dicitur: Si diligeretis me, gauderetis utique; ergo gaudendum erat de Passione: sed qui tristatur unde gaudendum est, inordinate tristatur; ergo Apostoli inordinate & culpabiliter turbabantur. Resp. Dicendum, quod dupliciter est judicare de tristitia cujusmodi sit, scilicet ex parte originis, & ex parte modi; ex parte originis, tristitia ortum habet ex dilectione. Quædam igitur est ex dilectione voluptuosa & carnali, ut gulosus tristatur in amissione boni morselli (c): quædam ex naturali, ut anima in separatione a corpore, aut mater in morte filii: quædam ex sociali, ut tristatur amicus, quando corporaliter sejungitur ab amico, cujus conversatio placet: quædam ex spirituali, ut quando aliquis diligit ex caritate, & compatitur patienti. Prima tristitia est culpabilis: secunda, & tertia supportabilis: sed quarta laudabilis. Intelligendum est ergo, quod Apostoli dupliciter Dominum diligebant, scilicet amore sociali, quo diligit aliquis socium, quia non vult ab eo separari, & amore spirituali: ideo fuit in eis tristitia quædam laudabilis, qua compatiebantur Christo (d); & quædam supportabilis, qua nolebant separari a Christo. A parte modi tristandi, intelligendum, quod modus habendus est in tristitia, unde dicit Apostolus: Non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent. Unde debet tristitia temperari gaudio: & quantum ad hoc excesserunt Apostoli, & reprehensibiles fuerunt; quia nullo modo gaudebant, immo ut desperantes dolebant. Et quantum ad hunc modum seu immoderantiam amovendam, hortabatur Dominus, ut non tristarentur; hortabatur, ut gauderent. Unde Chrysostomus: Magna est tristitiæ tyrannis, & multa nobis virilitate opus est, ut resistamus huic passioni; & quod inutile est castificantes, quod est superfluum dimittamus. Ideo laudabiles erant in tristitia, sed vituperabiles in modo (e).

Quæstio altera de hoc quod dicit: *Plorabitis, & flebitis vos &c.*

2. ad Tim. 2. 12.

Jo. 14. 28.

Responsio.

Tristitia qualis ex parte originis, & ex parte modi.

Quæ culpabilis, quæ supportabilis, quæve laudabilis.

1. ad Thess. 4. 12.

Chrysostomus in Jo. Evang. cap. 16. Hom. 77.

1088.

(a) Sic idem S. Bonav. de præparat. ad Miss. cap. 2.

(b) Vide supra cap. 11. num. 787.

(c) Hanc vocem etiam usurpasse constat Matth. Paris. Cæsarium, Cantipratanum, Sanutum, Chron. Windemiense apud Ducangium ver. *Morsellus*, ubi etiam laudatur Auctor Mamotrecti, quem in Prodromo col. 250. diximus *Fr. Marchesinum de Regio Lepidi*. Quippe ad c. 23. Ecclesiast. inquit: *Infrunitus, gulosus, qui saporem non quærit in morsello, quem devorat semicoctum.* Vox Italica est *morsello*; sive *bocconcello*. Sed & hoc ipsum vocabulum adhibet idem Interpres noster Comment. in Apocal. Vide ibi cap. 2. num. 144. de quo Vol. 2. hujus Supplementi.

(d) Namque laudabilis *illa tristitia, qua quis contristatur compatiendo aliis*, 3. Dist. 51. Art. 2. Q. 2. ad 1. 2. 3. Quanto magis quæ Christo passo compatitur?

(e) Modus vituperabilis est in *tristitia contra rationis judicium rectum, in qua ratio subjicitur sensualitati, nec tantum turbatur, sed etiam perturbatur*, ibi in concl. adeoque vituperabilis *perturbatio, quæ dicit deflexionem rationis ab æquitate; & hoc modo sapiens nec tristatur, nec perturbatur*, ibi ad 1. 2. & 3. Item Dionys. Carthus. in text. prædict. *Hæc tristitia* (Apostolorum) *non fuit illicita*,

Tertia pars cap. de Patris exauditione.

1088. *Amen, amen dico vobis*: Hæc est tertia pars capituli, in qua Dominus discipulos consolatur ex petitionum suarum exauditione, & procedit in hac parte per hunc modum. Primo notatur Domini liberalis promissio: secundo vero discipulorum consolatio ibi: *Dicunt ei discipuli ejus &c.* Primum igitur describitur sic: primo notatur Domini liberalitas ad promittendum: secundo temporis opportunitas ad petendum: tertio voluntatis promptitudo ad exaudiendum.

Domini liberalitas ad promittendum sub certitudine.

Primo ergo fit, seu notatur Domini liberalitas ad promittendum sub certitudine, propter quod dicitur: *Amen amen dico vobis*, signum est certitudinis: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Si quid*, id est, si aliquid. Istud aliquid est vita æterna, unde Augustinus: Quidquid aliud petitur, nihil petitur; non quia res nulla omnino sit, sed quia in tantæ rei comparatione quidquid aliud concupiscitur, nihil est. Ideo Jacobi primo: Si quis vestrum indiget sapientia; postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.

Augustinus in Jo. Evang. c. 16. Tract. 102. n. 2. *Vitæ æternæ comparatione quidquid aliud concupiscitur nihil est.* *Jac. 1. 5.*

VERSUS XXIV.

Aptitudo, sive opportunitas temporis ad petendum.

1089. *Usque modo non petistis.* Hic tangitur secundum, scilicet aptitudo temporis ad petendum, quæ hactenus non fuerat; sed deinceps erat futura, propterea dicit: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo*, quia non erat tempus opportunum (*a*). Vel quia huc usque a Patre per Christi merita nihil petierant, eo quod Dominus ipse erat cum eis, qui omnia dabat (*b*). Unde Joan. decimo septimo: Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. *Jo. 17. 12.* Sed amodo venit tempus, ideo dicit: *Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*, quia omnis nostra petitio ad istud gaudium referri debet. Hoc gaudium plenum consistit in dotibus animæ, & corporis, de quo Isaiæ ultimo: Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt. *Isa. 66. 14.* Et quod tempus aptum adveniat (*c*) ad petendum, patet, quia usque modo nescierunt, nec cognoverunt, a quo deberent petere; sed amodo cognoscent, ideo dicit:

Gaudium plenum consistit in dotibus animæ & corporis.

VERSUS XXV.

1090. *Hæc in proverbiis locutus sum vobis*, id est, in similitudinibus, quia primæ ad Cor. tertio: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tamquam parvulis in Christo &c. *1. ad Cor. 3. 1.* Sed *venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis*, occulte scilicet, *sed palam de Patre meo (d) annuntiabo vobis*. Hora ista erat tempus missionis Spiritus sancti.

VERSUS XXVI.

1091. *In illo die*, hoc est tempore, *petetis in nomine meo*, quia tunc me & Patrem cognoscetis. Unde Jerem. trigesimo primo: Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum. *Jer. 31. 34.* Et hoc fuit in tempore post acceptionem Spiritus sancti, qui non tantum docebat, sed etiam petere compellebat. Ad Rom. octavo: Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, postulare facit (*e*). *Ad Rom. 8. 26.* *Et non dico vobis*, notatur hic tertium, scilicet ad exaudiendum promptitudo, quia Pater paratus erat exaudire Apostolos rogantes sine aliquo intercessore medio, propterea dicit: *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis*, quia non oportet (*f*).

Promptitudo ad exaudiendum.

VER-

---

licita, quamvis quantum ad aliquid fuerit inordinata, videlicet quia de corporali recessu Christi nimis dolebant, nec ejus passionem considerabant quasi salutem mundi, atque introitum vitæ æternæ.

(*a*) Scilicet petendi gaudium plenum, de quo mox, cujus comparatione cetera petita nihil sunt.

(*b*) Similiter Cornel. a Lap.

(*c*) En tempus opportunum, de quo paulo supra jam dictum, videlicet post solutum humanæ salutis pretium, apertamque per Christum cœli januam.

(*d*) Deest *meo* in Vulg. sed habet S. Gregorius Moral. Lib. 30. cap. 14. num. 49. Cod. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. Item Editiones nostræ Biblior. antiquiores, ac S. To., Hugo Card., Lyranus, Auctor Exposit. jam edit. in Evang. Jo. sub S. Bona. nomine, Dionys. Carthus. &c.

(*e*) Hæc interpretatur de Spiritu sancto etiam Exposit. in Sap. cap. 7. nec non Incendii seu potius Incentivi amoris cap. 2. Et ut supra pariter exponunt Sa, Mariana, Menochius, Gordonus &c. Vid. supra cap. 14. num. 998.

(*f*) Id intelligendum cum Cornel. a Lap. *quod non sit opus sua in terris præsentia, ad orandum pro*

VERSUS XXVII.

1092. *Ipse enim Pater amat vos*, & ideo libenter exaudit; & ratio hujus est: *Quia vos me amastis*. Supra quarto decimo: Qui diligit me, diligetur a Patre meo. Non solum amor erat in caussa, immo etiam fides: *Et credidistis, quia a Deo exivi*. Et merito fidei merentur exaudiri, quia dicitur Matth. vigesimo primo: Omnia quæ petieritis in oratione credentes, accipietis. Quia ergo credidistis, meremini exaudiri. Sed usque tunc suffecerat credere, quod exisset a Deo; deinceps oportebat credere, quod rediret ad Deum. Unde ad fidem eorum perficiendam subdit:

Jo. 14. 21. *Matth. 21. 22.*

VERSUS XXVIII.

1093. *Exivi a Patre, & veni in mundum*. *Exivi* per æternam generationem, *veni* per incarnationem, & hoc credidistis. Unde Joan. undecimo: Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Iterum relinquo mundum* per Passionem, *& vado ad Patrem* per gloriosam Resurrectionem. Unde cum resurrexit, misit discipulis suis dicere per Mariam, Joan. vigesimo: Dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. De his duobus dicitur in Psalmo: A summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.

Jo. 11. 27. *Jo. 20. 17.* *Ps. 18. 7.*

VERSUS XXIX.

1094. *Dicunt ei discipuli ejus*. Postquam posita est Christi promissio, proponitur discipulorum consolatio, quæ describitur hoc ordine. Primo notatur consolatio: deinde, quia decipiebantur, ponitur instructio: tertio, quia vacillabant, ponitur confirmatio. Primo igitur insinuatur discipulorum consolatio, quam habebant de verbis Domini, quæ jam intellexerant, & jam tempus consolationis promissum adesse credebant, propter hoc: *Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis*. Et ita venit tempus, de quo dicis: Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam annuntiabo.

Discipulorum consolationis descriptio. *Discipulorum consolatio.* *Supra ver. 25.*

VERSUS XXX.

1095. *Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget*. Et ita venit hora, de qua dixisti supra: In illo die me non rogabitis quidquam. *In hoc credimus, quia a Deo existi*, quia scilicet omnia nosti. Supra sexto: Nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei &c. Solius enim Dei est scire occulta. Jerem. decimo septimo: Pravum est cor hominis (*a*), & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda (*b*), & probans renes.

Supra ver. 23. *Jo. 6. 70.* *Jer. 17. 9. ac seq.*

VERSUS XXXI.

1096. *Respondit ei Jesus*. Tangitur hic secundum, scilicet discipulorum eruditio; quia enim ex sermone Domini confortati, credebant se consolatos, & in fide perfectos, docet eos Dominus humi-

Discipulorum eruditio.

---

ro eis more solito. Quod si forte supra legendum sit: *Quasi Pater paratus esset, & quasi non oppeteret*; tunc faveret Gordonus ajens „ Non „ oportet ex hoc loco colligere Christum non „ rogaturum pro suis: an non mediator, & „ advocatus noster est? & interpellat pro no „ bis? Verum docet hic Patrem tam promptum „ fore ad exaudiendum eos, ac si non esset „ opus ut ipse roget: modus loquendi est ex- „ plicans amorem Patris erga Apostolos, qui- „ bus tam benevole occurrit, ac si non egeretis, „ inquit Christus, mea intercessione.“ Nec non multo ante Gordonum Lyranus inquiens: „ Christus per illa verba vult exprimere, quod „ secure possent hoc facere propter familiari- „ tatem Patris ad ipsum. Unde similis est „ modus loquendi ac si dixisset Christus Apo- „ stolis: tantam familiaritatem habebitis ad „ Deum, quod per vos ipsos poteritis accedere „ ad eum, & impetrare. Non tamen per „ hoc excludit suum adjutorium; sed exprimit „ cum quanta securitate poterunt orare Deum. „ Consimili modo loquebatur sancta Agatha „ jam gloriosa in cœlis beatæ Luciæ existenti „ in terris: *Soror mea Lucia Virgo, Deo devota*, „ *quid a me petis? Quod ipsa poteris præstare &c.* „ Non enim excludebat a beata Lucia suum „ adjutorium, sed exprimebat cum quanta se- „ curitate posset orare Deum. Et hoc modo „ Christus loquebatur Apostolis, ad exprimen- „ dum erga nos amicitiam Dei Patris. Propter „ hoc sequitur: *Ipse enim Pater amat vos*.„ Vide infra cap. 17. num. 1118.

(*a*) Vulg. *omnium*; sed *hominis* duo quoque nostri Codd. Bernardin. Hugo Card. Lyran. Bibliorumque antiquæ Editiones. Cod. Biblioth. Episc. Trident. in plurali *hominum*.

(*b*) Vide supra cap. 1. num. 96.

humilia sapere, sicut supra fecit Petro. Ideo resumit verbum eorum, ut corrigat. Propterea dicit: *Respondit eis Jesus: Modo creditis* (a), id est, jactatis vos de hoc, quod creditis (b).

VERSUS XXXII.

1097. *Ecce venit hora, & jam venit*, id est, propinquat, *ut dispergamini unusquisque in propria*, id est, ut terreamini, ita ut unus cum altero non remaneat nec fide, nec corpore. Zachar. tertio decimo: Percute pastorem, & dispergentur oves. *Et me solum relinquatis*. Isaiæ sexagesimo tertio: Torcular calcavi solus (c), & de gentibus non est vir mecum. Sed hæc solitudo non erat per defectum divini auxilii, sed humani, ideo dicit: *Sed (d) non sum solus, quia Pater mecum est*. Supra octavo: Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum. Nec est contrarium quod dicitur in Psalmo: Ut quid me dereliquisti (e)? quia istud intelligitur de expositione ad pœnam (f).

Zach. 13. 7.
Isa. 63. 3.
Jo. 8. 29.
Ps. 21. 2.

VERSUS XXXIII.

1098. *Hæc locutus sum vobis*. Tangitur hic tertium, scilicet discipulorum confirmatio, quia prædixerat dispersionem futuram, subjungit confortationem; quia hoc non dixerat, ut desperarent, sed ut per confidentiam pacem haberent. Propterea dicit: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis*, de qua Isaiæ ultimo: Declinabo super eam quasi flumen (g) pacis. Ad hanc pacem non venitur nisi per pressuras, ideo dicit: *In mundo pressuram habebitis*. Act. quarto decimo: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Cœlorum (h). In his pressuris non est desperandum, ideo subdit: *Sed confidite, ego vici mundum*. Primæ ad Cor. quinto decimo: Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum. Hanc victoriam adipiscuntur credentes in Christum. Primæ Joan. quinto: Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.

Discipulorum confirmatio.
Isa. 66. 12.
Act. 14. 21.
1. ad Cor. 15. 57.
1. Jo. 5. 4.

1099. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; quæritur, cum istud idem dixerit supra quarto decimo, & quinto decimo, ut quid nunc iterat sexto decimo? Videtur superfluum; ergo si in verbis Christi nihil fuit superfluum, quare toties dicit? Item quæritur, quia hoc videtur falsum; quoniam Paulus petiit amoveri stimulum carnis a se, & tamen non obtinuit, secundæ ad Cor. duodecimo. Item tota die videmus, quod Sancti petunt, & tamen non exaudiuntur. Quid ergo est quod dicit: *Si quid &c.*? Resp. Dicendum, quod ad hoc quod aliqua oratio sit digna exauditione, requiritur, quod orans sit dignus, sit assiduus, quod petat quod sit ad salutem, & quod petat pro se. His conditionibus concurrentibus intelligitur Christi promissio; & tunc non fallit, quin exaudiatur. Ad hoc autem quod sit dignus, necesse est, quod habeat fidem, spem, & caritatem; ideo ter ista promissio facta est. Primo merito fidei, secundo caritatis, & hic jam tertio spei. Ad hoc quod sit assiduus, necesse est, quod pluries petat; ideo multoties iteravit: *Si quid petieritis*, ut ostenderet multoties idem esse petendum. Necessarium est, quod petitio sua sit salutaris; ideo sæpe dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, hoc est, in re nominis, quia Jesus salus interpretatur. Augu-

Quæstio prima de hoc quod dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*.
2. ad Cor. 12. 9.
Responsio.
Orationem quæ conditiones faciant exaudibilem.
Jesus salus interpretatur.

(a) Vulg. *Modo creditis?* sed absque interrogatione etiam in Codd. Brixian. nostroque Bernardin. nec non præd. Biblioth. Episc. Trident. ac apud Hug. Card. Lyran. Dionys. Carthus. plerasque Editiones Biblior. antiquiores &c. Accipi autem posse *interrogative*, & *remissive* notat S. Tho. in Jo. Evang. c. 16. Lect. 8. not. *b*. Et sane *interrogative* legitur in Codd. Vercellen. Veron. Forojul. &c. Arabicus vero & Syrus legunt etiam imperative: *Modo credite*.

(b) Cornel. a Lap. *Modo fidem habetis in me, sed longe debiliorem, quam putatis; uti mox ostendetis, cum me relicto aufugietis*.

(c) Idemmet Interpres noster Exposit. in Lament. Jerem. Proph. cap. 1. Vid. infra cap. 18. num. 1159.

(d) Sic Codd. Vercellen. & Goth. apud Blanchin. Vulg. vero *&*. Hugo Card. *& tamen*.

(e) Vulg. *quare me dereliquisti?* Sed *ut quid dereliquisti me?* habetur etiam in Exposit. jam edita; & *ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. ver. 46. ubi in marg. textus cit. Psalm. allegatur.

(f) Similiter ad modo d. Matthæi verba: *Ut quid dereliquisti me?* subdit 3. Dist. 21. art. 1. q. 1. ad 4. *Quod non intelligitur, quod dereliquerit solvendo vinculum unionis, sed exponendo ad supplicium passionis*.

(g) Vulg. *fluvium*; sed *flumen* quoque Hugo Card. & Lyran.

(h) Vulg. *Dei*; sed *Cœlorum* vide supra Exposit. in Cant. Canticor. cap. 3. §. 161.

Augustinus in Jo. Evang. c. 16. Tract. 102. Augustinus: Non peti in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis. Petere ergo in nomine Jesu, hoc est petere quod est ad salutem (*a*); & ideo Paulus non fuit exauditus (*b*). Quarto quod petat pro se, ideo dicit: *Dabit vobis*, non dicit: Dabit aliis, sed vobis.

Quæstio secunda de hoc quod dicit: *Hæc in proverbiis locutus sum vobis.* *Matth. 13. 11.*

1100. Quæritur de hoc quod dicit: *Hæc in proverbiis locutus sum vobis*, quia dicitur Matth. tertiodecimo: Vobis datum est nosse mysterium (*c*) regni Dei ceteris autem in parabolis (*d*); ergo non debebat discipulis loqui in proverbiis. Item quomodo loquitur in proverbiis, quia statim sequitur: *Ecce palam loqueris, & proverbium nullum dicis?* Ergo aut discipuli dixerunt falsum, aut Dominus. Item cum ipsi haberent modicum intellectum, quare in proverbiis & occulte eis loquebatur? Videtur quod vellet amittere tempus. Resp. Dicendum, quod proverbium aliquando dicitur dictio parabolica, aliquando dicitur obscura sententia. Dominus in sermonibus parabolicis loquebatur turbis, & tunc nihilominus discipulis loquebatur in obscuris sententiis. Turbis quidem in parabolis, ut videntes non viderent (*e*); Apostolis in obscuris sententiis, ut intelligentibus postmodum magis doctrina placeret, sicut dicit Augustinus in Libro de Doctrina Christiana. Quod ergo dixerunt discipuli, quod palam loquebatur, dixerunt tanquam non intelligentes, quia credebant ipsum intelligere, & non intelligebant (*f*). Quod objicitur, quare dicebat discipulis, ex quo non intelligebant? Respondeo, quod tunc aliquo modo cognoscebant, sed postmodum per adventum Spiritus sancti, qui verba Christi postillavit, clare viderunt (*g*); sicut quis magis diligit aliquod occultum, quando intelligit, quam si omnino esset apertum.

(Left margin: Responsio. Proverbium quid sit. *Augustinus de Doctr. Christ. L. 2. c. 6. n. 7. ac seq.*)

Quæstio tertia de hoc quod discipuli dicunt: *Nunc scimus quia scis omnia &c.*

1101. Item quæritur de hoc, quod discipuli dicunt: *Nunc scimus quia scis omnia*, per quid sciebant discipuli quod Dominus sciret omnia? Item quid est quod sequitur: *& non opus est tibi, ut quis te interroget?* Immo totum contrarium est, quia si scit omnia, tunc est bonus doctor, & a tali debet unusquisque quærere. Resp. Dicendum, quod ideo sciebant quod ipse sciret omnia, quia non erat opus, ut quisdam eum interrogaret exprimendo suam dubitationem; ipse enim sciebat de quo homo dubitaret, & hoc quidem non poterat, nisi esset scrutans corda ut Deus (*h*). Et ideo omnia sciebat, & quod non esset opus, ut quis ei aperiret suam dubitationem. Sciebant autem per hoc, quod ipsi prius dubitaverant de hoc, quod dixerat: *Modicum*; & ipse non expectavit interrogationem, sed præcognovit quia volebant eum interrogare, & satisfecit. Ideo modo dicunt: *Nunc scimus &c.* (Right margin: Responsio.)

(*a*) Pariter S. Gregor. L. 2. in Evangel. Hom. 27. num. 6. nec non Beda, Rupert. S. Tho. ac idemmet Interpres noster Exposit. in cap. 11. S. Lucæ ad illa verba: *Omnis qui petit, accipit.*

(*b*) Ita idem S. Greg. ibi ajens: *Hinc est quod & Paulus non exauditur, quia si liberaretur a tentatione, ei non proderat ad salutem.* Et ipsemet noster Interpres Exposit. in Psalter. Psal. 21. *Paulus non est exauditus, quasi quia magis profuit fomitem peccati habere, quam non habere.*

(*c*) Vulg. *mysteria* in plurali; sed *mysterium* in singulari quoque Codd. Vercellen. nec non S. Greg. in Ezech. Lib. 2. Hom. 1. num. 11. Item *mysterium* in singulari duo Codd. nostri Bernardin. ac tertius Biblioth. Episc. Trident. Dionys. Carthus. &c.

(*d*) Sic idem Carthus. Vulg. *Regni cælorum, illis autem non est datum.*

(*e*) Sic etiam Exposit. in cap. 15. S. Lucæ ad illa verba: *Et ait ad illos parabolam istam.*

(*f*) Sic secundum S. Augustinum in Jo. Evang. cap. 16. Tract. 103. num. 1. ac Glossam interlin. & ordinar. Sicque etiam Edit. in Jo. Evang. sub S. Bonav. nomine, & Hugo Card.

(*g*) S. Tho. in Jo. Evang. cap. 16. Lect. 8. not. a. *Ut Augustinus dicit, ita adhuc ignorantes erant discipuli, ut se non intelligere ignorent. Non enim promiserat eis in illa hora se sine proverbiis locuturum, sed in illa hora Resurrectionis vel Gloriæ. Tamen quantum ad ipsos discipulos jam clarius fuit locutus tunc, quamvis alia claritas sermonum ejus esset expectanda.* Nempe per Christum post Resurrectionem, ut exponunt Chrysost. Theophyl. & Euthym. ac maxime per Spiritum Sanctum, ut idem August. Beda, Hugo Card. Maldonat. & alii: nec non in statu cælestis Gloriæ, ut Gregor. Moral. Lib. 30. cap. 4. num. 17.

(*h*) Ita quoque d. Edit. sub S. Bona. nomine, & S. August. in supra cit. Tract. num. 2.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

1. HÆC locutus est Jesus: & sublevatis oculis in
cœlum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium
tuum, ut filius tuus clarificet te. 2. Sicut
dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne,
quod dedisti ei, det eis vitam æternam. 3. Hæc
est autem vita æterna: Ut cognoscant te, solum
Deum verum, & quem misisti Jesum
Christum. 4. Ego te clarificavi super terram:
opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam:
5. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate,
quam habui prius, quam mundus esset, apud te. 6. Manifestavi nomen
tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: Tui erant, &
mihi eos dedisti: & sermonem tuum servaverunt. 7. Nunc cognoverunt
quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt: 8. Quia verba, quæ
dedisti mihi, dedi eis; & ipsi acceperunt, & cognoverunt vere quia
a te exivi, & crediderunt quia tu me misisti. 9. Ego pro eis rogo:
Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt:
10. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in
eis. 11. Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad
te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi:
ut sint unum, sicut & nos. 12. Cum essem cum eis, ego servabam
eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi: & nemo ex eis periit,
nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. 13. Nunc autem
ad te venio: & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum
impletum in semetipsis. 14. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus
eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum
de mundo. 15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos
a malo. 16. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.
17. Santifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. 18. Sicut tu
me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. 19. Et pro eis
ego sanctifico meipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate. 20. Non
pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per
verbum eorum in me: 21. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in
me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus,
quia tu me misisti. 22. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi
eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus. 23. Ego in eis, & tu

in

in me: ut sint consummati in unum: & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexistis eos, sicut & me dilexisti. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ibi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. 25. Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi: & hi cognoverunt, quia tu me misisti. 26. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

1102.

HÆC locutus est Jesus: *Et sublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater venit hora, clarifica*, vel *glorifica* (a) *filium tuum, ut filius tuus clarificet te*. Supra Dominus discipulos confortavit exemplo, & eruditionis verbo; hic confortat orationis subsidio. Et hoc facit in præsenti capitulo, in quo ponitur Christi oratio.

Divisio hujus cap. in quatuor partes, & prima de sibi petita claritatis manifestatione.

Et habet præsens capitulum quatuor partes. In prima Dominus sibi petit claritatis manifestationem: In secunda Apostolis petit sanctitatis conservationem ibi: *Manifestavi nomen tuum &c.* In tertia credituris per Apostolos petit conformitatem gratiæ ibi: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis &c.* In quarta tam his, quam illis perpetuitatem gloriæ ibi: *Pater, quos dedisti mihi, volo &c.* Primo igitur sibi petit claritatis suæ manifestationem hoc ordine.

1103. Primo ponitur petendi vel orandi modus: Secundo petitionis fructus: Tertio exaudiendi ratio: Quarto ipsa petitio.

Petendi modus.

Petendi igitur modus insinuatur in hoc, quod Christus devote petebat & intente, in cujus signum oculos ad cœlum levabat, propterea dicitur: *Hæc locutus est Jesus*, quæ prædicta sunt: *Et sublevatis oculis in cœlum* per devotionem. Supra undecimo: Jesus elevatis oculis in cœlum (b) dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Psal. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Thren. tertio: Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Non solum devote, sed etiam humiliter, unde dixit: *Pater* (c). Deum vocat Patrem, quia ipsum honorat ut Patrem. Supra octavo: Honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Petiit etiam discrete ideo dicit: *Venit hora, clarifica Filium tuum*. Discrete petebat, quia tunc clarificari, id est, manifestari tanquam verum Dei Filium (d) petebat, quando opportunitas temporis advenerat. De hac hora sæpe dictum est supra secundo, & septimo &c. Nondum venit hora mea, ideo clarificari per miracula nolebat, sed cum hora hæc venerat, clarificari petebat. In hoc igitur modo orandi instruimur nos, ut oremus devote, humiliter, & discrete. *Ut Filius tuus &c.* Tangitur hic petitionis fructus, & hic est duplex, scilicet Divini nominis manifestatio, & nostra beatificatio. Propter manifestationem Divini no-

Jo. 11. 41. Ps. 122. 1. Thren. 3. 41. Jo. 8. 49. Jo. 2. 4. ac 7. 30. &c.

Orandum devote, humiliter, & discrete. Orationis fructus duplex, Divini nominis manifestatio, & nostra beatificatio.

(a) Vide infra num. 1109.
(b) Vide supra cap. 11. num. 815.
(c) Prædictum orandi modum, devotum & humilem erga Divinum Patrem, videsis initio Breviloquii, Soliloquii &c.
(d) Infra num. 1107. & hanc interpretationem præcisam & genuinam censet Cornel. a Lap.

nominis dicit: *Ut Filius tuus clarificet te*, quia propter hoc moriebatur. Unde su-
Jo. 12. 28. pra duodecimo: Pater, clarifica nomen tuum. Alius fructus est nostra glorificatio, propter quem dicit:

VERSUS SECUNDUS.

1104. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, id est, ostende quod dederis ei potestatem omnis carnis, id est, ad salvandam omnem carnem (*a*). Matth.
Matth. 28. 18. ultimo: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, & hoc ad salutem: *Ut omne quod dedisti ei*, per præ-
Prædestinatio caussa glorificationis. destinationem scilicet (*b*), *det eis vitam æternam*, per glorificationem. *Omne* pro
Jo. 6. 39. omnibus (*c*) supra sexto: Hæc est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Et explanat, quæ sit ista vita æterna.

VERSUS TERTIUS.

1105. *Hæc est autem*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te, solum verum Deum* (*d*), *& quem misisti Jesum Christum*. Tertii
3. Reg. 10. 8. Reg. decimo: Beati viri tui, & beati servi tui, hi (*e*) qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.
Sap. 15. 3. Gloria aliud non est, quam justitia consummata. Nosse te consummata justitia est, Sapient. quinto decimo. Et Gloria non est aliud, quam justitia consummata, quia scire justitiam, & virtutem tuam *ib.* radix est immortalitatis, & ideo vitæ æternæ (*f*).

VERSUS QUARTUS.

1106. *Ego te clarificavi*. Notatur hic tertium, scilicet exaudiendi ratio. Et Exaudiendi ratio. hoc erat meritum Christi, quo merebatur glorificari seu clarificari, ideo dicit: *Ego te clarificavi super terram*, propter hoc mereor a te clarificari. *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem* (*g*), ideo consummavit, quia usque ad mortem obedivit. Lucæ duodecimo: Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor, donec perficiatur? De hac consummatione ad Hebr. secundo: De- Heb. 2. 10.
cebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios adduxerat in gloriam, auctorem salutis eorum per Passionem consummare. Et quia totum fecerat, ideo exaudiri debebat.

VERSUS QUINTUS.

1107. *Et nunc clarifica me tu Pater*, Tangitur hic quartum, scilicet ipsa pe- Ipsa petitio.
titio, qua petit claritatis suæ manifestationem, propter quod dicit: *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquàm mundus fieret* (*h*), *apud te*, id est, illam claritatem manifesta, ut sicut ab æterno fui tibi æqualis, antequam mundus fieret, ita etiam sit aliis manifestum (*i*). Propter

---

(*a*) Non quod omnis caro reapse salvetur, cum pauci salventur, pluresque damnentur; sed quia omnis potest salvari per media sufficientia, adeo ut damnatio plurium, non ex parte Christi, sed ex culpa, ac ignavia hominis contingat.

(*b*) Jansenius quoque, ille, inquam, quem in hoc textu exponendo allegat d. Cornel. a Lap., censet, heic Christum proprie loqui de solis prædestinatis; hos enim proprie Pater dedit Filio. Vide infra num. 1109. ac nu. 1110.

(*c*) Sic d. Cornel. a Lapide; est enim hebraismus significans omnes homines, redditque hunc sensum: ut omnibus hominibus, quos Filio dedisti per prædestinationem, det Filius vitam æternam. Christus ergo electis & prædestinatis dat vitam æternam efficaciter; sed reprobis sufficienter duntaxat, & quantum est, ut dixi, ex parte sua.

(*d*) Vulg. *solum Deum verum*; sed multi antiqui libri hoc verborum ordine legunt: *solum verum Deum*, uti etiam Augustinus, Basilius, Græcaque Editio. *Verum Deum* habent quoque Evangelior. Codd. Vercellen. Veron. Brixian. Forojulien. & Trident. Item Goth. apud Blanchin. ipsemet etiam noster Interpres Itiner. ment. in Deum cap. 6. Exposit. in cap. 15. Sap &c.

(*e*) Vulg. sine *hi*; sed *hi* unus ex Codd. nostris Bernardin. ac alter Biblioth. Episc. Trident. Item Hugo Card. &c.

(*f*) Exposit. in d. cap. 15. Sap. idem ait Interpres „ *Radix est immortalitatis*, id est princi-
„ pium, & caussa æternæ beatitudinis in fu-
„ turo. Unde: *Hæc est vita æterna, ut cognos-*
„ *cant te solum verum Deum*. "

(*g*) Vulg. *ut faciam*; sed *ut facerem* quoque Codd. Vercellen. & Veronen.

(*h*) Vulg. *esset*; sed *fieret* etiam Cod. unus Biblioth. Episc. Trid. ac alter Bernard. nec non S. Basilius adversus Eunomium Lib. 4. in illud: *Pater glorifica me*. Item S. Tho. Hugo Card. Lyran. Carthus. antiquioresque Biblior. Editiones. Unde Cajetanus in hoc Cap. 17. Evang. S. Jo. inquit heic positum *fieret* pro *esset*. Unde *esset* exponit per *fieret* etiam Mariana.

(*i*) Basil. cit. *non accessionem petit gloriæ, sed ut dispensationis fiat manifestatio*. Inter Interpretes recentiores Menochius: *Fac, ut cognoscar ego homo etiam unus tecum Deus esse, quod fui ab æterno*. Item Gordonus: *Duplex claritas hic intelligi potest, tum, inquam, ut omnes intelligant me ab æterno*

Jo. 17. 10. ter quod Joan. eodem dicitur: Ego (a) clarificatus sum in eis, id est, in Apostolis, quia ipsi credebant ipsum æqualem Patri. *Jo. 16. 30.* Supra sexto decimo: In hoc credimus, quia a Deo existi. Supra primo: *Jo. 1. 1.* Verbum erat apud Deum, scilicet æquale Deo, & Deus erat Verbum.

Quæstio prima de hoc quod Filius orat.

1108. Quæritur de hoc quod Filius orat. Quia si orare est indigentis, & impotentis, & Filius omnia potest; ergo non debet orare. Si tu dicas, quod orat secundum quod homo, hoc nihil est; quia quidquid meruit secundum quod homo, meruit ab instanti conceptionis. *Responsio.* Resp. Dicendum, quod Christus oravit secundum quod homo (b); secundum enim naturam humanam non omnia poterat. Et si dignus erat per gratiam, nihil impediebat hoc ipsum mereri bona operatione: Unde patiendo & orando meruit glorificari. Sed hoc non fuit de indebito debitum facere, sed de debito uno modo, facere debitum pluribus (c).

Quæstio secunda de hac petitione: Pater clarifica, vel glorifica Filium tuum.

1109. Item quæritur de hac petitione: *Pater clarifica*, vel *glorifica (d) Filium tuum*. Contra: Supra octavo: Ego gloriam meam non quæro; ergo non debebat petere propriam gloriam, vel propriam claritatem. Item secundum quam naturam hoc petit? Secundum divinam non, quia secundum illam omnia potest. Secundum humanam non, quia dicit paulo post: *Clarifica claritate, quam habui, priusquam mundus fieret*; hoc non potuit esse secundum humanam naturam. *Responsio.* Respondeo ad primum dicendo, quod ipse claritatem quærebat, ut ex illa glorificaretur Deus; unde addidit: *Ut Filius tuus clarificet te*. Et hoc non est quærere propriam gloriam; ille enim propriam gloriam quærit, qui laudem suam sibi quærit, non referendo ad Deum. *Gloriam propriam quærit ille, qui laudem suam sibi quærit, non referendo ad Deum.* Vel dicendum, quod ipse non quærebat gloriam ab hominibus, quia vana est; sed a Deo. Quod quæritur, secundum quam naturam hoc petit? Dixit Hæreticus, ex hoc quod Filius fuit ante mundum, etiam secundum illam naturam orat, quia minor est Patre. Hoc dicebat Arius (e). Sed Augustinus dicit, quod hoc intelligitur secundum humanam naturam, & est exponendum: *Augustinus in Jo. Evang. c. 17. n. 5. ac seq.* *Claritate, quam habui apud te*, scilicet prædestinatione (f); quia ad Rom. primo: Prædestinatus est Filius Dei in virtute (g). *Ad Rom. 1. 4.* Aliter dicendum, quod differt, qui petit, & cui, & a quo, in hoc quia qui petit vel orat, secundum quod hujusmodi, inferior est, & impotens; sed cui petitur, hoc est dupliciter. Aut petitur sibi in se, ut ejus indigentia suppleatur, ut cum ego peto mihi peccatori; aut petitur sibi in aliis, ut ejus gloria manifestetur: & sic ego possum aliquid petere Deo: Deus manifesta te, honorifica te. Dico igitur, quod, cum quæritur secundum quam naturam Christus petebat, si quæras de eo, qui petit, secundum quod petit? dico secundum humanam. Si quæras, cui petebat? dico, quod sibi secundum divinam (h). Unde vere demonstrat ibi hypostasim divinam æqualem Patri ab æterno, quam æqualitatem manifestari petebat (i).

Quæstio tertia de hoc quod dicit: Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.

1110. Quæritur de hoc quod dicit: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*. Contra: Matth. ultimo dicitur, quod ipsi post Resurrectionem data est omnis potestas in cœlo, & in terra. *Matth. 28. 18.* Item si dedit

---

æterno habuisse claritatem Filii naturalis; tum claritatem Redemptoris sedentis ad dexteram tuam, qui homo sum, & ab æterno prædestinatus sum. Illa interpretatio Hilarii est, hæc vero Augustini. Clarificatio hic est claritatis ostensio, & prædicatio. Utramque interpretationem Augustini & Hilarii allegat S. Thomas.

(a) Sic infra suo loco.

(b) Ita laud. S. Basil.

(c) 3. Dist. 18. art. 1. q. 2. in concl. inquit idem Auctor de Christi merito post conceptionem „ „ Ipse non potuit facere sibi de indebito debitum, cum omni bono esset dignus. Non „ potuit de debito magis debitum, cum omni „ gratia ab ipsa conceptione esset plenus. Sed „ quod erat debitum uno modo, fecit debitum „ pluribus modis &c. "

(d) Juxta Syrum & Arabicum *glorifica*. Sic etiam S. August. in Jo. Evang. cap. 17. Tract. 104. num. 3. ac Tract. 105. num. 3.

(e) Objectabat Arius: Filius petit clarificari a Patre; ergo Pater major & clarior est Filio. Sed hæc sagitta in ipsummet sagittarium facile regeritur per illa verba, quæ a Christo subduntur: *ut & Filius clarificet te*. Tam ergo Filius clarificat Patrem, quam Pater Filium.

(f) Sic Exposit. jam edita sub S. Bona. nomine, nec non ex eodem August. S. Tho. Svarez, & alii.

(g) *Id est, prædestinatum est, ut homo sit filius Dei*, 3. Dist. 7. art. 2. q. 3. in concl.

(h) *Erat enim Pontifex petens secundum humanam naturam, & erat Rex, & Princeps exaudiens secundum Divinam.* 3. Dist. 17. art. 2. q. 1. ad 4.

(i) Vide supra num. 1107.

dedit potestatem omnis carnis, & ipse dat omni, quod dedit sibi Pater, vitam æternam; ergo omnes salvantur. Augustinus respondet, quod intelligitur secundum prædestinationem, & præscientiam hoc *dedisti*, id est, prædestinasti, & prævidisti dari (*a*). Chrysostomus vero dicit: Quod hoc intelligitur secundum divinam naturam (*b*): dedisti ab æterno. In Matthæo dicitur data, non tunc primo exhibita, sed manifestata (*c*). Quod objicitur *omnis carnis*, distributio est pro generibus singulorum, id est, de omni carne; vel si fiat distributio pro singulis generum, tunc facienda est vis in hoc quod est *dedisti;* quia non dedit ei omnem carnem, sed potestatem dedit super omnem carnem. Sed ei dedit prædestinatos, ut salvet (*d*); potestatem vero dedit super malos, ut judicet (*e*).

Responsio. *Augustinus ibi.*

Responsio altera. *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 17. Hom. 79.*

Quæstio quarta de hoc quod dicit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum verum Deum.*

1111. Item quæritur de hoc quod dicit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum verum Deum*. Non solum est cognitio, sed etiam dilectio; aut si tu dicas, quod dilectio in cognitione est, quare non posuit ibi dilectionem? Item *Deus* aut tenetur essentialiter, aut personaliter. Si personaliter; ergo excluditur Spiritus sanctus. Si essentialiter; ergo frustra addit: *Et quem misisti Jesum Christum*; quia cognitio Christi hominis non est de substantiali prœmio beatitudinis, sed Christi Dei. Dicendum ad primum, quod in cognitione, quæ est ad faciem, de necessitate intelligitur dilectio; unde cum dicitur, quod visio est tota merces (*f*), non excluditur dilectio (*g*). Magis autem dicitur de visione (*h*), quam de dilectione, quia visio distinguit quod est patriæ ab eo, quod viæ; sed dilectio non. Nunc enim non videmus, sed tamen diligimus. Quod quæritur, quomodo tenetur *Deus*? Dicendum, quod si stat ibi essentialiter; & tunc quod subjungitur *& quem misisti* intelligitur secundum humanam naturam, secundum quam, etsi non attendatur essentia prœmii, tamen vehementissima erit delectatio in Christo homine (*i*): & ita additur: *& quem misisti Jesum Christum*. Vel si tenetur personaliter, tunc Jesus Christus stat pro Filio secundum Divinam naturam, & non excluditur Spiritus sanctus; quia est unio Patris & Filii (*k*). Unde hæc dictio *solum* non additur ad exclusionem Personarum propter hoc quod qui videt unam Personam, videt aliam; sed ad exclusionem falsorum deorum (*l*).

Responsio.

In cognitione Dei, quæ ad faciem est, necessario dilectio intelligitur.

Visio est tota merces.

VERSUS SEXTUS.

1112. *Manifestavi nomen tuum hominibus &c.* Hæc est secunda pars capituli, in qua Apostolis petit sanctitatis conservationem, & primo petit eis stabilitatem in bono: secundo liberationem a malo ibi: *Cum essem cum eis &c.* Petitur ergo primo Apostolis in bono conservatio. Et quia petitiones exaudiendæ debent esse rationabiles, præmittitur multiplex ratio. Proceditur ergo hoc ordine: Primo ostenditur in Apostolis diligens verborum Christi conservatio:

Secunda pars capituli de petita Apostolis sanctitatis conservatione.

(*a*) Pariter S. Tho. Auctor. Exposit. sub S. Bona. nomine, ac Dionys. Carthus. consentientibus quoque Sa, & Gordono, qui scilicet loquuntur de datis per æternam prædestinationem Christo qua homini.

(*b*) Idem etiam Carthus. inquit: *Patet quoque ad Christum secundum Divinitatem referri &c.*

(*c*) Apud Gorran: *Quod ergo in Matthæo dicitur hæc potestas Christo data post resurrectionem, intelligendum est, non secundum exhibitionem; sed secundum manifestationem*. Vide sis Estium in præfatum Matth. textum.

(*d*) *Ipse est* enim (ut S. Augustini ore loquitur S. Bonaventura 3. Dist. 11. art. 1. q. 2. in concl.) *præclarissimum lumen nostræ prædestinationis*. Vide supra 1104.

(*e*) Eam, inquam, *judiciariam potestatem*, quam idem S. Bonaventura declarat 4. Dist. 48. art. 1. q. 1. in concl.

(*f*) Sic S. August. Enarrat. in Ps. 90. Serm. 2. num. 13. nec non inter Sermones sub S. Bona. nomine Dom. 2. post oct. Pasch. Serm. 1.

(*g*) Nequidem fruitio. Quandoquidem *tria requiruntur ad hoc quod anima perfecte gaudeat de Deo, scilicet perfecta visio, perfecta dilectio, & perfecta ipsius fruitio*, 4. Dist. 49. par. 1. art. 1. q. 5. in concl.

(*h*) Ita etiam Exposit. in cap. 23. S. Lucæ, ubi adhibet eumdem textum ad explicandam *beatam visionem Christi*.

(*i*) De hac, uti etiam de *gaudio substantiali*, cap. 4. Soliloq. versus finem.

(*k*) *Nexus proprie dicitur de Spiritu sancto, sive unitas amborum*, 1. Dist. 10. art. 2. q. 2. in concl. Intelligitur ergo heic Spiritus sanctus, quia, ut ait etiam S. Augustinus, ipse est Spiritus Patris, & Filii, tamquam caritas substantialis amborum, adeoque eorum vinculum, sive nexus, & unio. Videsis S. Bernardum Ser. 8. in Cant. n. 4.

(*l*) Hanc responsionem censet pleniorem Cornelius a Lapide, pro qua laudat S. Jo. Chrysostomum, Cyrill. Leont. Tolet. Riberam, & alios. Sed & Calmetus observat cum plerisque Græcis, quod *Deus verus* heic ponitur, *ut Deorum simulacra excludantur*.

vatio: Secundo Divina electio: Tertio discipulorum desolatio: Quarto vero infertur ipsa petitio. Ponitur ergo primo, vel insinuatur verborum Christi diligens conservatio, quam habuerunt in doctrina Christi, quæ manifestata est eis, ideo dicit: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, id est, quos de mundo vocasti ad me per præsentem justitiam. Supra sexto: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et ratio, quare traxit eos de mundo, subditur: *Tui erant* per electionem æternam (*a*), *& mihi eos dedisti* ad erudiendum per doctrinam (*b*). Isaiæ octavo: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel, quod exponit Apostolus de Christo (*c*). Et ipsi congrue (*d*) susceperunt, unde dicit: *Et sermonem tuum servaverunt*. De qua servatione supra quarto decimo: Qui habet mandata mea, & servat ea: ille est qui diligit me. Et quomodo verbum vel sermonem Patris servaverint, ostendit. Cum enim nec Patrem audierint, nec viderint, quomodo sermonem servare potuerint, aliquis dubitare posset; ideo dicit, quod servaverunt credendo in Filium.

Verborum Christi conservatio.

Jo. 6. 44.

Electio æterna.

Isa. 8. 18.

Jo. 14. 21.

VERSUS SEPTIMUS.

1113. *Et (e) nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt*, & ideo te cognoverunt cognoscendo me. Unde supra quinto: Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Supra quarto decimo: Pater in me manens, ipse facit opera, & ideo qui videt me, videt & Patrem meum (*f*). Et etiam sermonem Patris audierunt, ideo dicit:

Jo. 5. 19.

Jo. 14. 10.

Ibi 9.

VERSUS OCTAVUS.

1114. *Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis*. Supra quinto decimo: Quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Et ipsi mea verba, quæ dedi eis, servaverunt, & ideo sermonem tuum; propterea dicit: *Et ipsi acceperunt* subjiciendo intellectum suum, *& cognoverunt vere, quia a te exivi* secundum Divinam naturam, *& crediderunt, quia tu me misisti*, in carnem scilicet. Et ita crediderunt, & cognoverunt Divinitatem in Christo, & humanitatem. Ipsi dixerunt supra sexto decimo: In hoc credimus, quia a Deo existi. Et attendendum, quod dicit: *Et crediderunt, quia tu me misisti*, & post: *Et cognoverunt, vere, quia a te exivi*; quia per fidem humanitatis assumptæ pervenitur ad intelligentiam generationis æternæ. Unde Augustinus dicit, quod qui contempserunt Christum humilem, non meruerunt agnoscere sublimem. Hæc igitur est prima ratio exaudiendi pro eis, scilicet verborum Christi conservatio, unde supra quinto decimo: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.

Jo. 15. 15.

Jo. 16. 30.

Augustinus. Contemptor Christi humilis non meretur agnoscere sublimem.

Jo. 15. 7.

VERSUS NONUS.

1115. *Et ego pro eis rogo*. Tangitur hic secunda ratio exaudiendi pro Apostolis, scilicet ipsa Divina electio; quia ipse Dominus noster orabat pro electis, non pro reprobis (*g*), propterea dicit: *Et ego pro eis rogo*, quia scilicet electi sunt, ideo dicit: *Non pro mundo rogo*, id est, mundo deditis (*h*), quos excæcasti

Divina electio. Oratio Christi pro electis, non pro reprobis.

(*a*) Sic S. Tho. & inter Interpretes recentiores Menoch. & Gordon.

(*b*) *Mihi eos dedisti in discipulos, ut notam facerem eis viam salutis æternæ*, inquit Serm. 3. Dom. in Passione.

(*c*) Ad Hebræos c. 2. v. 13. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus*, ubi loquitur de *Jesu auctore salutis per Passionem*, & de *Apost.*, interp. Gagnæjo.

(*d*) *Cum puritate conscientiæ, sine qua Divinus sermo servari non potest*, d. Serm. 3. Dom. in Pass.

(*e*) Vulg. absque *&*; sed cum *&* pariter Cod. noster Bernardin. ac Veron. S. Thomas &c.

(*f*) Supra cap. 12. num. 900. ac cap. 14. num. 972.

(*g*) Non rogasse *pro mundo, scilicet pro reprobis & mundanis*, exponit quoque Mariana. Aut si *pro mundo* rogaverit, *tantum secundum eam partem, quæ electos complectitur*, Estius etiam interpretatur. Prædicta vero expositio recte intelligi potest de Christi *oratione absoluta*, qua semper *fuit exauditus*, ac de qua S. Doctor loquitur 3. Dist. 16. art. 2. q. 2. in concl. nec non ibi Dist. 31. Dub. 3. ubi illum Magistri textum expendit: *Christus electos tantum, sicut se, dilexit, eorumque salutem optavit*. Videndus quoque 1. Dist. 46. art. 1. q. 1. in concl. Insuper *non pro mundo* dictum esse, *quia efficacia suæ orationis tantummodo se extendit ad electos*, adseverat quoque Lyranus, ac inter recentiores Interpretes monet Calmetus. De hoc rursum infra num. 1119. ac 1136.

(*h*) Sic Glossa interlin. apud Lyran.

casti; *sed pro eis* (a), *quos dedisti mihi*, id est, per me salvasti (b). Act. vigesimo septimo signanter dictum est Paulo: Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. Nec ex hoc quod mihi dedisti, tibi abstulisti: *Quia tui sunt.*

Act. 27. 28.

VERSUS DECIMUS.

1116. *Et mea omnia tua sunt, & tua mea* (c). Supra sexto decimo: Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, & e contrario. Ideo dicebat supra septimo: Mea doctrina non est mea, ideo servi mei & electi mei sunt electi tui. Et hæc est secunda ratio exaudiendi pro Apostolis, scilicet ipsorum electio. Ideo supra quinto decimo: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat, ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. *Et ego (d) clarificatus &c.* Tangitur hic tertia ratio, scilicet discipulorum desolatio de recessu Christi, qui appropinquabat; propter quam appropinquationem dicit se clarificatum, & recessisse, quia de proximo erat futura, ideo dicit: *Et ego clarificatus sum in eis*, quia ipsi eum cognoverant, & in proximo cognoscere debebant.

Jo. 16. 15. — *Jo. 7. 16.* — *Jo. 15. 16.* — Discipulorum desolatio.

VERSUS XI.

1117. *Et jam non sum in mundo*, quia supra quarto decimo: Jam non multa loquar vobiscum; *& hi in mundo sunt, & ego ad te venio*, & ideo desolatos dimitto. Supra sexto decimo: Vado ad eum, qui misit me. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Et hæc erat tertia ratio exaudiendi, unde supra quarto decimo: Ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. *Pater sancte*, postquam præmissa est multiplex petendi ratio, subditur hic quarto loco ipsa petitio, qua petit eis conservationem in bono, propter quod dicit: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*, hoc est in virtute tui nominis. Supra decimo: Nemo potest rapere de manu Patris mei. *Serva*, inquam, in bono, unde dicit: *Ut sint unum, sicut & nos*, scilicet unitate concordiæ, & pacis, quam unitatem servat Deus in electis; sed tamen cum eorum sollicitudine, ideo ad Ephes. quarto: Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis (e).

Jo. 14. 30. — *Jo. 16. 5. ac seq.* — *Jo. 10. 29.* — Petitio. — *Supra 10. 29.* — *Ad Ephes. 4. 3.*

1118. Sed quæritur hic de hoc, quod Dominus hic orat pro Apostolis; quia supra sexto decimo dicitur: Non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: Ipse enim Pater amat vos; facit ergo hic contrarium ejus, quod dixerat. Item ipse Dominus pro nullis orabat, nisi pro prædestinatis, & de quibus sciebat quod Deus vellet salvare finaliter: sed sine sua oratione salvarentur; ergo frustra orabat. Item quare oratione vocali orabat? quæ necessitas? Resp. Dicendum, quod triplici ex caussa Dominus oravit pro Apostolis, scilicet ad salutis impetrationem, consolationem, & eruditionem; quia eis merebatur; quia ex auditu horum verborum consolabantur; quia orare erudiebamur ex hoc & nos ipsi: ideo vocali oratione oravit (f). Quod objicitur quod Dominus supra dixit: Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis, non voluit Dominus negare quin oraret pro eis; cum dicatur ad Hebr. nono, quod apparet vultui Dei semper ad interpellandum pro nobis (g): sed quod non oraret Patrem tanquam invitum, sed tanquam ipsis Apostolis benevolum (h). Sed quæritur ad quid orat? Augustinus dicit, quod hæc locutus est de Sanctis prædestinatis, & quod non exaudimur nisi pro prædestinatis, & pro illis non frustra

Quæstio prima de oratione hic pro Apostolis facta — *Jo. 16. 26. ac seq.* — Responsio. — *Supra 16. 26.* — *Ad Hebr. 9. 24. ac 7. 25.* — *Augustinus in Jo. Evang. cit. c. 17. Tract. 107. n. 2. nec non de Civit. Dei L. 21. c. 24.*

(a) *Pro eis* itidem Codd. Veron. ac Trident. Vulg. *pro his*.

(b) Pariter Dionys. Carthus.

(c) Vulg. repetit *sunt*; sed post *mea* deest *sunt* etiam in textu Græco, & apud S. Basil. Lib. de Spir. sanct. cap. 8. num. 19. & advers. Eunom. Lib. 4. quod Filius creatura non est, nu. 1. nec non in Codd. Veron. Brixi. ac Trid.

(d) Vulg. non habet *ego*.

(e) Et hoc ita, quemadmodum ait S. Cyrillus Lib. 11. in Jo. cap. 9. p. 972. *ut voluntatum illa conjunctio imago sit naturalis, quam in Patre & Filio intelligimus, unitatis.* Et id fieri contigit; nam in Act. Apostolor. 4. 32. legimus: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*, in unitate scilicet Spiritus.

(f) De multiplici caussa, cur decuerit Christum orare, idem S. Doctor in 3. Dist. 17. art. 1. q. 1. in concl. Item Exposit. in cap. 11. S. Lucæ, ubi & de oratione vocali, quam Deo accepta sit.

(g) Sic jungit utrumque textum etiam 2. Dist. 29. art. 3. q. 2. in concl.

(h) Supra cap. 16. num. 1091.

frustra oramus; quia fortassis prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur. Sic etiam Christus (*a*).

Quæstio altera de hoc quod dicit: *Pro eis rogo, non pro mundo.*

1119. Quæritur de hoc quod dicit: *Pro eis rogo, non pro mundo.* Contra: Joan. eodem: Ut mundus credat, quia
Jo. 17. 21. tu me misisti; orabat ergo, ut mundus crederet. Item pro eis orare debebat, pro quibus missus erat, & mori debebat; sed mortuus est pro mundo, supra tertio: Sic Deus dilexit mundum,
Jo. 3. 16. ut Filium suum unigenitum daret. Item pro mundo intelliguntur peccatores,
Luc. 5. 31. sed non egent qui sani sunt medico, sed male habentes; ergo pro talibus maxime erat orandum. Respondeo,

Responsio. Mundus tripliciter, & quadrupliciter acceptus.

quod mundus in hac oratione accipitur tripliciter, & propter hoc generat ambiguitatem, & superadditur quartus modus. Dicitur enim mundus ipse orbis nobis visibilis, & sic accipitur supra
Jo. 1. 10. primo: Mundus per ipsum factus est. Aliquando dicitur status nostræ conversationis secundum quod habet miseriam annexam, & sic ibi: Hi sunt in mundo, & ego ad te venio. Aliquando prout nominat statum præsentis con-
v. 14. versationis cum culpa, & sic infra: Mundus eos odio habuit. Aliquando prout importat reprobationem æternam, & sic accipitur ibi: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo* (*b*). Primo modo dicit naturam: Secundo modo naturam & miseriam: Tertio naturam & miseriam & culpam: Quarto modo naturam, miseriam, & culpam, & reprobationem Divinam.

VERSUS XII.

1120. *Cum essem cum eis &c.* Postquam petiit conservationem in bono, petit hic liberationem seu ereptionem a malo. Et ponitur hic ipsa petitio, vel oratio per hunc modum. Primo enim notatur necessitas petendi: secundo vero forma petitionis: tertio vero ratio exaudiendi. Necessitas ergo petendi conservationem venit ex duplici caussa, tum ex absentatione conservatoris, tum ex immersione tribulationis. Absentabatur (*c*) ab eis Christus, qui eos conservaverat, propterea dicit: *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo.* Ipse conservavit discipulos in nomine Patris, quia in virtute Patris, & quia ad gloriam Patris. Et post Pater conservavit eos in nomine Filii, unde supra sexto decimo: Si quid petieritis Jo. 16. 23.
Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et bene utique servabat, propterea dicit: *Quos dedisti mihi, ego* (*d*) *custodivi* tanquam bonus Prælatus, cui dicitur tertii Reg. vigesimo: Custodi virum 3. Reg. 20 39.
istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius (*e*). De hac custodia in Psalmo: Ecce non dormitabit, Ps. 120. 4.
neque dormiet, qui custodit Israel. Et rursus: Nisi Dominus custodierit Civi- Ps. 126. 1.
tatem frustra vigilat qui custodit eam. Unde Psal. Custodi nos Domine ut pu- Ps. 16. 8.
pillam oculi. Deuteron. trigesimo se- Deut. 32. 10.
cundo: Circumduxit eum, & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui. Et bene utique, unde dicit: *Et nemo*

(Necessitas petendi ex absentatione conservatoris.)

(*a*) De quo in 3. loc. paulo ante cit. ad 5. „ Ideo orando, & petendo quod Deus volebat, non frustra orabat, quia hoc ipsum quod „ Deus disposuerat, nobis sua oratione impetrabat." Unde & Dionys. Carthus. respondet „ quod sine præviis meritis erant prædestinati; sic tamen quod prædestinationis effectum „ sine meritis Christi & precibus obtinere non „ debuerunt. Prædestinatio nanque universa „ includit, quæ ad salutem prædestinati concurrunt; ideo comprehendit & preces, quæ „ pro prædestinatis funduntur."

(*b*) Vid. supra num. 1115. ac infra num. 1136. Quibus adde quæ ad prædictum ipsummet textum subdit Calmet inquiens „ Hæc verba: *Ego pro eis rogo, non pro mundo*, plerique absolute „ usurpant, non quod Christus mortis & orationis suæ meritum unis tantum electis prodesse voluerit; quippe quem omnium caussa „ & mortem obiisse, & orasse constat: sed quod „ sanguinis & precum illius merita efficaciter „ iis applicata non fuerint, quos non traxit „ Pater, quique ad finem usque in fide, bonorumque operum exercitatione non perseveraverunt. Hoc sensu neque orat pro reprobis, qui numquam credidere; neque pro iis, „ qui a fide, quam olim secuti sunt, descivere, „ neque donum perseverantiæ in finem usque „ acceperunt. Reprobi, quorum caussa Christus „ efficaces hasce preces non fundit, aliquando „ fortasse viti hæserunt, uti palmites vivi; at „ denique tamquam mortui sterilesque abscindentur Jo. 15. 6."

(*c*) Circa verbum hoc, vel alibi a S. Bona. adhibitum, vide Prodromum col. 591.

(*d*) Vulg. absque *ego*; sed *ego* est quoque in Cod. nostro Bernard. nec non apud S. Tho. Hug. Card. Lyran. antiquioresque Bibliorum Editiones.

(*e*) Vulg. *ejus*; sed *illius* quoque Comment. in Apocal. c. 2. num. 109.

ex his (a) periit, nisi filius perditionis, id est, Judas, qui *perditionis* dicitur, quia præscitus fuit ad mortem. Ipse enim perdidit se ipsum temporaliter. Matth.
Matth. 27. 5. vigesimo septimo: Abiit (b), & laqueo se suspendit. Perdidit æternaliter, unde
Matth. 26. 24. de Matth. vigesimo sexto: Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Eadem ratione de Antichri-
2. ad Thess. 2. 3. sto secundæ ad Thessalon. secundo dicitur, quod tunc revelabitur homo peccati filius perditionis. Hic non periit casu, nec Christi negligentia; sed propria malitia, quæ ab æterno fuit præscita, & per Scripturam prænunciata (c), ideo dicit: *Ut Scriptura impleatur*, illius
Ps. 108. 1. Psalmi scilicet: Deus laudem meam ne tacueris &c. (d). Ita ergo ego bene eos servabam, & tunc non indigebant, ut sic pro eis orarem.

VERSUS XIII.

1121. *Nunc autem ad te venio*, & eos dimitto, & ideo oro, ut ipsi mea oratione fiduciam concipiant, ideo dicit: *Et hæc loquor in mundo*, id est, hanc orationem facio, ipsis audientibus, *ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis*, ut scilicet per diffidentiam non turbentur, sed per spem exauditionis in se ipsis gaudeant secundum illud su-
Jo. 16. 24. pra sexto decimo: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Ideo ipse petebat, ut ipsi concipiant gaudium plenum. Hæc est igitur prima necessitas, scilicet absentatio conservatoris.
Ex immersione tribulationis. Alia etiam est immersio tribulationis, quæ ex hoc irruitura erat super eos, propter Divini sermonis observantiam, propter quam mundus eos odio habebat, propterea dicit:

VERSUS XIV.

1122. *Ego dedi eis sermonem tuum*. Supra quarto decimo: Sermonem, quem Jo. 14. 24. audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris. Et ex hoc consecuti sunt odium mundi, ideo dicit: *Et mundus eos odio habuit*. Et ratio est, quia ipsi reliquerunt eum, ideo dicit: *Quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo*, id est, a mundana conversatione segregati (e), sicut ego. Supra quinto decimo: Si de mundo fuis- Jo. 15. 19. setis, mundus quod suum erat diligeret: Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Apostoli segregati erant a mundo. Unde ad Rom. primo dixit: Paulus servus Jesu Chri- Ad Rom. 1. 1. sti, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei; vere segregatus, quia ad Galat. ultimo dixit: Mihi mundus Ad Galat. 6. 14. crucifixus est, & ego mundo.

VERSUS XV.

1123. *Non rogo, ut tollas &c.* Tangitur hic secundum, scilicet forma petitionis, Forma petitionis. in qua petit eos removeri a duplici malo, scilicet perversæ affectionis, & erroris (f). Petit igitur eos servari Ut serventur a perversa affectione, a perversa affectione, ad quam mundus pertrahit (g), in quo conversari debebant, propterea dicit: *Non rogo, ut tollas eos de mundo*, per mortem scilicet carnis, sicut dicitur de Henoch Genes. quinto: Ambulavit Henoch cum Deo, Gen. 5. 24. & non apparuit: quia tulit eum Deus. Ad hoc tulit, ut servaret a malo. Sapient. quarto: Raptus est, ne malitia Sap. 4. 11. mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Non sic petebat eos servari, sed conservari in mun-

---

(a) Vulg. *ex eis*; sed *ex his* etiam Codd. Brix. ac Goth. apud Blanchin. nec non Evangeliar. nostrum Trident. Infra num. 1129. insinuat quoque lectionem *ex eis*.

(b) Vulg. *& abiens laqueo*; sed ut supra Codd. etiam Vercellen. & Veronen.

(c) Ita & Natal. Alex. Exposit. S. Evang. secund. Joan. hoc ipso cap. 17. Sen. Liter. 12. 13. 14.

(d) Psal. 108. v. 7. ac seq. ubi Judæ perditio describitur illis verbis: *Dum judicatur, exeat condemnatus, & Episcopatum* (Apostolatum) *ejus accipiat alter*, scilicet Mathias. Hunc enim Psalmum ad literam de Juda explicat S. Petrus Act. 1. v. 20. adhibetque ipsemet Interpres Exposit. in cap. 22. S. Lucæ.

(e) Ly *de mundo* explicat *de mundana conversatione* etiam 2. Dist. 1. art. 2. q. 1. ad 1. 2. & 3.

(f) Natal. Alex. ibi Sen. Mora. 14. „ Ab „ erroribus, cupiditatibus &c. mundi alienus sit „ oportet, qui Christi vult esse discipulus & „ imitator. Unde Paulus de seipso & Christo „ scribit: *Per quem mihi mundus crucifixus est*, „ *& ego mundo*. "

(g) *Siquidem*, eodem interprete Natal. Alexan. ibi 15. 17. *a mundo separati affectu, institutis, moribus esse debent, qua in separatione Christianæ sanctitatis initium positum est*.

mundo *(a)*, ideo subdit: *Sed ut serves eos a malo*. Et ratio est, quare debent conservari in mundo.

VERSUS XVI.

1124. *De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo*, scilicet conversatione, ideo petebat eos salvari, & servari, ne converterentur ad mundum per amorem, de qua servatione Apocal. tertio: Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, & ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. Sic petit eos servari a malo prævaricationis *(b)*. Petit etiam servari a malo erroris, propter quod dicit:

Apoc. 3. 10.

& a malo erroris.

VERSUS XVII.

1125. *Sanctifica eos in veritate*. Sanctum, hoc est, sine terra *(c)*; sanctificare, hoc est mundare & purgare; veritas autem hæc est in sermone Dei. Ideo dicit: *Sermo tuus veritas est*; & hoc sermone Dei sanctificantur discipuli, id est, ab errore purgantur. Chrysostomus: *Sanctifica eos in veritate*, id est, erudi eos, doce veritatem; recta enim dogmata sanctificant animam. Novit enim verbum Dei purgare, ideo dictum est supra quinto decimo: Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis; & ad Ephes. quinto: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam *(d)* lavacro aquæ in verbo vitæ. De sanctificatione hujusmodi secundæ ad Timoth. secundo: Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino ad omne opus bonum paratum.

Sanctum, hoc est, sine terra.

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 17. Hom. 81.

Recta dogmata sanctificant animam.

Jo. 15. 3.

Ad Ephes. 5. 25. ac seq.

2. ad Tim. 2. 21.

VERSUS XVIII.

1126. *Sicut tu me misisti*. Tangitur hic tertium, scilicet ratio exaudiendi, quæ duplex est, scilicet commissum eis officium, & pro eis oblatum sacrificium. Ratione commissi officii debent servari, & sanctificari, quia missi erant inter malos, ideo dicit: *Sicut tu me misisti in mundum* ad passionem, *ita (e) & ego misi eos in mundum*, ad patiendum scilicet. Unde Matth. decimo: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Ratione igitur officii dignum erat, ut servarentur. Ratione etiam sacrificii oblati, ideo subdit:

Ratio exaudiendi.

Ratione officii.

Matth. 10. 16.

Ratione sacrificii.

VERSUS XIX.

1127. *Et ego pro eis sanctifico me ipsum*. Chrysostomus: Id est, me hostiam sanctam offero *(f)*. Hostiæ omnes sanctæ dicebantur. Ad Rom. duodecimo: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Et sicut dicit Chrysostomus, quia antiquitus sanctificatio, ut in typo, erat in ove; nunc autem non est in typo, sed in ipsa veritate. Ideo ait: *Ut sint & ipsi sanctificati in veritate (g)*. Ad Hebr. nono: Si sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?

Chrysostomus ibi.

Ad Rom. 12. 1.

Chrysostomus ibi.

Ad Heb. 9. 13. ac seq.

1128. Quæritur hic de hoc, quod dicit: *Cum essem cum eis, ego servabam eos* Videtur ex hoc innuere in se impotentiam; quia in ipsa absentia eos servare non poterat. Videtur etiam ex hoc, quod operationes Trinitatis sit divisæ, & alternatim fiant; quia prius Filius servavit, modo

Quæstio prima de hoc quod dicit: *Cum essem cum eis, ego servabam eos.*

(a) *Ubi adhuc necessarii sunt, etsi non sunt de eo*, ait Glossa interlin. apud Lyran.

(b) *Prævaricationis*, inquam, illorum, qui *habitant in terra & mente, & carne*; sed e contrario ipsi *habitarent in terra carne, sed non mente*, Comment. in Apocal. ad prædictum caput, & textum, idemmet noster Interpres.

(c) Sic d. Comment. in Apocal. cap. 4. sub vers. 8.

(d) *Eam* Vulg. omittit; sed habet Codex noster Bernardin. vetustior 39. alius Biblioth. Episc. ac Goth. apud Blanchin. item Hugo Card. Lyran. atque Bibliorum Editiones antiquæ.

(e) Vulg. absque *ita*; sed *ita* habent similiter S. Tho. Hugo Card. Lyran. antiquioresque Editiones Biblior.

(f) Sic & in Exposit. jam edita ex Chrysostomo ibi. Et ex S. Cyrillo L. 11. in Joan. Natal. Alexan. supradic. Exposit. S. Evangel. secund. Joan. hoc ipso cap. 17. Sen. Mora. 19. *Pro nostris peccatis seipsum sanctificavit, id est, consecravit Unigenitus, ac tanquam hostiam sacram obtulit in odorem suavitatis Deo Patri &c.*

(g) Per hæc Estius quoque observat, *veram puritatem intelligi, ad quam electis suis conferendam Christus se in hostiam sanctificavit.*

modo rogat Patrem, ut eos servet. *Responsio.* Resp. Dicendum, quod dupliciter est servare, scilicet effective, & dispositive (*a*). Primo modo est ejus servare, cujus est esse dare (*b*): secundo modo potest esse alterius. Primo modo Deus conservat hominem in bono: secundo unus homo servat alium bona instructione & exemplo, ut Prælatus subditos. Dico igitur, quod Christus loquitur hic de conservatione, quæ fuit dispositive, per modum dispositivum, scilicet exemplo, & exhortatione, & eruditione; & hæc subtrahenda erat cum præsentia corporali. Alio modo servabat interius cum Patre, in quantum Deus; sed de ista non loquitur, & hanc non subtrahebat, sed simul cum Patre exhibebat.

Quæstio secunda de hac petitione: Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo &c.

1129. Quæritur de hoc quod dicit: *Quos dedisti mihi, ego* (*c*) *custodivi: Et nemo ex his* (*d*) vel *ex eis* (*e*) *periit, nisi filius perditionis*. Contra; Supra sexto; (*Jo. 6. 37.*) Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet; & supra decimo: (*Jo. 10. 29.*) Nemo potest rapere, scilicet oves, de manu Patris mei; ergo nullus debuit de ovibus perire. *Responsio.* Resp. Dicendum, quod Pater dat Filio aliquos dupliciter, scilicet æterna præscientia, quos prædestinavit, & præscivit conformes fieri imaginis Filii sui. (*Ad Rom. 8. 24.*) Aliquos dat secundum præsentem justitiam. Cum igitur dicitur, quod non perdidit quemquam ex datis, loquitur secundum prædestinationem; cum excipit Judam, loquitur secundum justitiam præsentem (*f*).

Quæstio tertia de hoc quod petit Discipulos suos conservari a malo.

1130. Quæritur de hoc, quod petit discipulos suos conservari a malo. Videtur quod inordinate petat, quia ipsi erant in caritate; sed ex quantulacumque gratia vel caritate potest quis quantæcumque tentationi resistere (*g*), ergo &c. Item ab illa gratia non potest cadere, nisi per peccatum; non potest peccare nisi volens: ergo quod unusquisque conservetur est in libertate nostræ voluntatis: ergo superflue petit. *Responsio.* Respondetur ad hoc, quod sicut dicit Augustinus (*Augustinus L. de corrept. & grat. c. 6. n. 10. ac L. de dono persev. per totum.*), permanere in bono accepto divini est muneris, & nostræ sollicitudinis; gratia enim conservatur in nobis per continuam influentiam (*h*), & ideo petitur a Domino, ut continue adjuvet; *Perseverantia donum Dei.* unde si possumus sola voluntate deficere, nisi interveniat divinum subsidium, non possumus permanere.

VERSUS XX.

Tertia pars capituli de petita credituris per Apostolos gratiæ conformitate.

1131. *Non pro eis autem rogo tantum*, hæc est tertia pars capituli, in qua Dominus credituris per Apostolos petit conformitatem gratiæ; & procedit hoc ordine: primo ponit petitionem: secundo exaudiendi rationem ibi: *Et ego claritatem, quam dedisti*. *Petitio duplicis unitatis, scilicet dilectionis, & fidei.* In petitione igitur petit credituris duplicem unitatem, scilicet dilectionis, & fidei. Propter unitatem dilectionis, quam petit per Apo-

---

(*a*) Hanc distinctionem videsis apud S. Bonaventuram 3. Dist. 10. art. 2. q. 2. in concl. ac Dist. 35. Dub. 2. in fine.

(*b*) 2. Dist. 37. art. 1. q. 2. ad 3.

(*c*) Vide supra num. 1120.

(*d*) Iidem supra num. 1120.

(*e*) Sic secundum Vulg.

(*f*) Hac distinctione utitur in 3. Dist. 31. Dub. 2. & alibi. Apud Estium autem per præfatum textum, secundum impropriam locutionem Hebræis perquam familiarem, redditur sensus, quo evanescit penitus objectio prædicta; hic sensus videlicet: *Nemo ex iis, quos dedisti mihi; sed tantum periit Judas, quem non dedisti mihi, sed erat filius perditionis*. Prædicta autem locutio similis est ei, qua dicit 4. Reg. 5. 17. Naaman Syrus: *Non faciet ultra servus tuus holocaustum Diis alienis, nisi Domino*, id est, tantum Domino. Nec non illi, qua dicitur Apocal. 21. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni*. Ceterum quod Judas *fuerit ei datus a Patre*, ait etiam Auctor Exposit. in Jo. sub S. Bona. nomine; *& aliquem ex iis periisse, quos Pater ei dederat, vult Catharinus, & alii nonnulli* apud laud. Estium. Et hæc est ratio supradictæ distinctionis inter *datos secundum prædestinationem, & datos secundum præsentem justitiam*. Nihilo tamen minus probabilius est, Patrem dare prædestinando, ut supra ver. 2. num. 1104. secundum ipsummet nostrum Interpretem, adeoque Judam filium perditionis non fuisse ex datis a Patre. Unde pro ipso nequidem heic oravit, velut jam sua culpa perdito, prorsusque alieno.

(*g*) Ita rursum eod. 3. Dist. 30. art. 1. q. 1. in concl. ubi S. Bona. monet „ Potest quidem, „ si comparetur ad dominium libertatis; non „ potest autem, si comparetur ad vitium pronitatis & difficultatis &c. “

(*h*) De hujusmodi *influentia* 2. Dist. 26. art. 1. q. 2. in concl. ac Dist. 27. art. 1. q. 1. in concl. &c. Sicut autem *perseverantia est continuatio in bono usque ad finem* ibi Dist. 29. art 3. q. 1. ad 4. ita exigit *continuam influentiam*. Igitur qui volunt in bono accepto Divini muneris permanere, solliciti sint, *ut Deum orent assidue cum fiducia, ut virtute orationis & meritorum Christi sui, & per victricem gratiæ ejus potentiam, servet eos a malo*, quemadmodum scite monet Natal. Alexan. d. Exposit. S. Evang. secun. Joan. hoc ipso cap. 17. Sen. Mora. 15. 17.

Apostolos credituris, dicit: *Non pro eis autem*, scilicet pro Apostolis, *rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*, pro illis, inquam, rogo,

VERSUS XXI.

1132. *Ut omnes sint unum* per conformitatem dilectionis, *sicut tu Pater in me, & ego in te*, id est, sicut nos unum sumus, *ut & ipsi sint unum in nobis*. Ad Galat. tertio: Omnes vos unum estis in Christo Jesu. Ista unitas est per adhærentiam caritatis, primæ ad Cor. sexto: Qui adhæret Deo (a), unus spiritus est. Quando vero uniuntur sibi invicem in Deo, tunc sunt unum in Deo. Unde primæ ad Cor. duodecimo: In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Sic petit eis unitatem caritatis, petit etiam unitatem fidei, ideo ait: *Ut mundus credat, quia tu me misisti. Mundus*, id est, universitas filiorum Dei dispersorum per mundum, quos debebat in unitatem fidei congregare. Supra undecimo dictum est, quod moriturus erat, ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Et hoc uniendo in fide nominis sui, quia supra primo: Dedit potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus. Et Act. quarto: Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

Ad Galat. 3. 18. — 1. ad Cor. 6. 17. — 1. ad Cor. 12. 13. — Supra 11. 52. — 1. 12. — Act. 4. 12.

VERSUS XXII.

1133. *Et ego claritatem*. Tangitur hic secundum, scilicet exaudiendi ratio, quia ideo claritatem suam communicaverat Apostolis, ut mundus converteretur ad fidem. Triplicem autem claritatem communicaverat eis, scilicet potentiæ, sapientiæ, & bonitatis. Potentiæ in faciendo miracula, propter quæ convertebantur ad fidem Judæi, qui quærunt signa. Sapientiæ in annuntiando documenta, propter quæ Græci converterentur, qui quærunt sapientiam. Propter hanc duplicem claritatem dicit: *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis*. Chrysostomus: Claritatem dicit gloriam, eam, quæ per signa, eam, quæ per dogmata (b). De datione claritatis signorum Lucæ nono: Convocatis duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent. De datione claritatis documentorum Lucæ vigesimo primo: Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri. Dedit etiam claritatem bonitatis, propter quod subdit: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus*, per proportionem, & hæc est proportio:

Exaudiendi ratio. — Apostolis communicata triplex claritas, potentiæ, sapientiæ, bonitatis. — Chrysostomus in Jo. Evang. c. 17. Hom. 81. — Luc. 9. 1. — Luc. 21. 15.

VERSUS XXIII.

1134. *Ego in eis, & tu in me: Ut sint consummati in unum*, id est, perfecti in unitate caritatis (c), & per hoc efficiantur clari. Unde Chrysostomus: Hæc est magna gloria, ut sint unum, hæc signis major gloria est. Sicut enim Deum admiramur, quoniam non est contentio, atque discordia apud naturam illam, & maxima est hæc gloria; ita & hi hinc efficiantur clari. Unde supra tertio decimo: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis. Et hanc claritatem Apostolis dedit. *Et cognoscat mundus, quia tu me misisti*, propter claritatem scilicet, quam dedi eis in nomine meo, *& dilexisti eos, sicut & me dilexisti*; & hoc cognoscat per unitatem & concordiam, quam videbit in eis. Chrysostomus: Ostendens pacem, magis quam signa, homines posse persuadere; sicut enim contentio facit dissolutionem, ita & consonantia communicationem. Act. secundo: Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus, fiebat autem omni animæ timor.

Chrysostomus ibi. — Major est in unanimitate gloria, quam in miraculis. — Jo. 13. 35. — Chrysostomus ibi. — Act. 2. 42. ac seq.

1135. Quæritur hic, quia si nulli sunt salvati per Christum, nisi pro quibus oravit, & ipse solum oravit pro Apostolis, & credituris per eos; ergo illi, qui crediderunt per Christum, ut Nico-

Quæstio prima de salvandis per Christi orationem.

(a) Vulg. *Domino*; sed *Deo* legit S. Bonav. 3. Dist. 24. Dub. 4. ac Dist. 27. art. 1. q. 2. in fine. Item 1. Dist. 31. par. 2. art. 2. q. 1. &c. Vide ejus Comment. in Apocal. cap. 8. num. 590. Legunt quoque *Deo* Hug. Card. & Lyran. quibus accedit Biblior. Edit. Basileen. 1509.

(b) Ita etiam ex eodem Chrysostomo refert S. Tho. in Catena, & Hugo Card.

(c) Sic ipsemet Interpres in Breviloq. par. 5. cap. 8. in fine.

Nicodemus, caruerunt beneficio orationis, & ita salutis. *Resp.* Dicendum, quod credituri per Apostolos non tantum dicuntur qui tantum ad eorum prædicationem conversi sunt, sed etiam qui eorum vestigiis adhæserunt. Vel potest dici, quod Dominus orabat pro his, qui jam crediderant generaliter, non tantum pro Apostolis, & credituris per eos.

Responsio.

Quæstio secunda de ejus oratione pro credituris per Apostolos, ut forent unum.

1136. Item quæritur de hoc, quod Dominus oravit pro credituris per Apostolos, ut essent unum. Contra: Multi crediderunt, qui fuerunt divulsi, & retrocesserunt; ergo non fuit pro omnibus exauditus. *Resp.* Dicendum: Quidam sunt de numero Fidelium nomine, ut mali Christiani. Quidam merito præsentis justitiæ. Quidam cognitione prævisionis æternæ *(a)*, de qua secundæ ad Timoth. secundo: Novit *(b)* Dominus qui sunt ejus; & pro talibus orat Dominus, pro aliis non *(c)*; quia primæ Joan. secundo: Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant.

Responsio.

2. ad Tim. 2. 19.

1. Jo. 2. 19.

Quæstio tertia de hoc quod dicit: *Sint unum, sicut & nos unum sumus.*

1137. Item quæritur de hoc quod dicit: *Sint unum, sicut & nos unum sumus.* Quid est quod dicit, cum sint unum in essentia, homines autem esse unum non possunt in essentia? Item: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*, nulla omnino videtur similitudo. Dixit Arrius, quod erat similitudo, & sicut cum dicitur, quod sumus unum, non propter hoc sequitur, quod simus unum in essentia; sic nec quando Filius dicit: Ego & Pater unum sumus. Et resp. quod male dicit; quia quando dicitur, quod aliqui sint unum, sicut dicit Augustinus, vel necesse est addi determinationem, vel de necessitate dicit conformitatem in natura, non tantum in voluntate. Unde de duobus hominibus, vel pluribus, cum se se diligunt, quod sunt unum, recte dicitur; sed de homine & Deo nequaquam. Unde necesse est, si Filius vere dicit Patri: Ego & Pater unum sumus, quod habeant eamdem naturam; si autem Divina natura non est divisibilis, tunc simpliciter sunt unum. Quod ergo quæritur, dicendum, quod similitudo est valde longinqua *(d)*, sicut ibi: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Sicut enim misericordia divina excedit in infinitum misericordiam meam; ita unitas unitatem. Sed quare Ecclesia malorum non facit unum, sicut Ecclesia Christi? Responsio est, quia si mali conveniant in aliqua malitia exterius, differunt tamen in voluntate interius, & differunt in fine; quia quilibet proprium commodum quærit: sed boni conveniunt in utrisque *(e)*.

Supra 10. 30.

Responsio.

Augustinus in Jo. Evang. c. 17. Tract. 107. n. 5. ac Tract. 110. n. 1.

Luc. 8. 36.

Quare Ecclesia malorum non facit unum, sicut Ecclesia Christi.

VERSUS XXIV.

1138. *Pater, quos dedisti mihi &c.* Quarta pars capituli est, in qua illis, quibus petiit conformitatem gratiæ, petit perpetuitatem gloriæ hoc ordine: primo ponitur petitio: secundo petitionis exaudiendæ ratio. Petitio est de gloria; & quia gloria est per visionem Divinitatis, quam videbimus in patria, ideo dicit: *Pater, quos dedisti mihi*, per prædestinationem scilicet *(f)*, *volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum*, per gloriosam cohabitationem. Supra duodecimo: Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, ibi sit & minister meus *(g)*. *Ubi sum*, id est, statim futurus

Quarta pars cap. de petita credituris per Apostolos perpetuitate gloriæ.

Petitio gloriæ.

Jo. 12. 26.

(a) Pariter Exposit. in cap. 4. Sap.

(b) Supra cap. 10. num. 708.

(c) Sic supra num. 1115. ac 1119. sicque etiam Estius, itidem censens rogasse Christum pro *omnibus & solis electis*, adeoque pro *credituris fide viva, & perseverante usque in finem*. Id autem, ut inibi adnotavimus, intellige de illa oratione, quæ obtinet æternæ salutis effectum, quem soli Dei electi, & prædestinati consequuntur. Alias vero ut est 1. Jo. 2. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non solum autem nostris, sed & totius mundi;* & 1. ad Tim. 2. 4. *Qui vult omnes homines salvos fieri &c.* Unde forte supra legendum *pro aliis non ita;* quia pro prædestinatis efficax est ad salutem æternam hujusmodi oratio, non ita pro aliis. Dum etiam tali modo Christus oravit pro sic credituris, hoc ita intelligendum est, ut ipsa fides sit ex merito & oratione Christi; non ita vero, ut Christi orationem fides illorum in Dei præscientia prævenerit.

(d) Pariter S. Tho. respondet Arrio ita objectanti, quod *ly sicut non facit æquiparantiam, sed quamdam remotam similitudinem.*

(e) Prædicta omnia apprime quadrant doctrinæ, quam contra Arrium ex Augustino de Trin. L. 4. c. 9. ac L. 6. de Trin. c. 3. & contra Max. L. 3. c. 20. tradit ipsemet S. Bonaventura 1. Dist. 31. par. 2. art. 2. q. 1. ac etiam q. 2.

(f) Sic & Natal. Alex. heic allegans S. Augustinum Lib. de Prædestinat. Sanctor. cap. 15. Et ita quoque S. Thomas &c.

(g) Vide supra cap. 12. num. 874.

rus sum secundum humanitatem (a). Vel *ubi sum* secundum Divinitatem (b), *& illi sint mecum*, qui ubique sum. Augustinus: Esse cum illo magnum bonum est; nam & miseri esse possunt ubi est ille, qui ubique est. Beati vero soli sunt cum illo, quia semper fruendo illi adhærent (c). Et quod ita intelligendum, patet per hoc, quod sequitur: *Ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi*. Hæc est excellentia Divinitatis, ideo dicit: *Quia dilexisti me ante constitutionem mundi*. Supra quinto: Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei. Hanc claritatem videbunt soli boni. Isaiæ vigesimo sexto: Tollatur impius, ne videat claritatem, sive gloriam Dei (d). Ad hanc claritatem, sive gloriam Dei modo conformamur per gratiam, secundæ ad Cor. tertio: Nos autem (e) revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu.

Augustinus ibi Tract. 111. n. 2. — *Jo. 5. 20.* — *Isa. 26. 10.* — *2. ad Cor. 3. 18.*

VERSUS XXV.

1139. *Pater juste*. Tangitur hic secundum, scilicet exauditionis ratio, quare scilicet debent hi videre per gloriam, quia modo cognoscunt per gratiam. Mali vero modo non cognoscunt, nec tunc cognoscent, ideo dicit: *Pater juste*, quia reddes unicuique secundum opera sua, *mundus te non cognovit*. Supra primo: Erat lux vera, quæ illuminat &c. Ideo non rogo pro mundo: *Ego autem cognovi te, & hi cognoverunt, quia tu me misisti*, & hoc me revelante, ideo dicit:

Exauditionis ratio. — *Matth. 16. 27.* — *Supra 1. 9.*

VERSUS XXVI.

1140. *Et notum feci eis nomen tuum*. Psal. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo eum. Matth. undecimo: Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Nec tantum facit notum per se, sed amplius faciet notum per Spiritum sanctum, ideo dicit: *Et notum faciam*, & hoc per Spiritum sanctum (f), qui est amor Patris & Filii, ideo dicit: *Ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit* per Spiritus sancti donationem. Ad Rom. quinto: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Et ego in ipsis*, quia primæ Joan. quarto: Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo; & ideo dicitur ibidem: In hoc cognoscimus, quoniam in ipso (g) manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Et qui hunc Spiritum habet, & etiam Filium, securus est, ut habeat & Patrem. Unde Augustinus dicit, quod Pater Filium suum dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in pignus (h) adoptionis, se ipsum denique totum servat in hæreditatem adoptatis.

Ps. 21. 23. — *Matth. 11. 27.* — *Ad Rom. 5. 5.* — *1. Jo. 4. 16. & 13.* — *Augustinus.*

1141. Sed quæritur de hoc quod dicit: *Ut ubi ego sum, & illi sint mecum*. Contra: Supra quarto decimo: In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Respondeo, in dispari claritate erit par gaudium (i): ratione claritatis disparis (k), est multitudo: ratione communis gaudii, ubi caput ibi membra.

Quæstio prima de hoc quod dicit: Ut ubi ego sum, & illi sint mecum. — *Supra 14. 16.* — *Responsio.*

1142.

(a) *Quia statim illic futurus erat*, ait etiam ibi idem S. Tho.

(b) *Vel ut referatur ad Christum Deum*, ex eod. S. Tho.

(c) Edit. Maur. post *ubi est ille* ita pergit: *quoniam quicumque ubicumque fuerint, est & ille: sed beati soli sunt cum illo, quia beati esse non poterunt nisi ex illo*.

(d) Sic Interpres noster diversa a Vulg. lectione Sec. LXX. qua etiam lectione utitur in Comment. Apoc. cap. 15. num. 1102. ubi circa eam plura videri possunt. S. August. ibi num. 3. alludendo ad præfatum Isaiæ textum sic ait: *Tolletur impius, ne videat claritatem Domini*. S. Tho. in Jo. Evang. cap. 17. Lect. 6. sub not. *a*. secundum aliam literam pariter legit ut supra, videlicet: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*.

(e) Sic quoque Hugo Card. Comment. in Apoc. hoc cap. 17. prope finem. Vide supra cap. 2. num. 115. nec non Comment. in Apocal. cap. 1. num. 2. ac alibi etiam.

(f) Sic laud. S. Tho. Natal. Alex. &c.

(g) Vulg. *in eo*; sed *in ipso* quoque vetustior Cod. noster Bernardin. 39.

(h) *In privilegium* dicitur inter Bonaventurianos Serm. 3. Dom. in oct. Pentec. de SS. Trin. ubi itidem sub *Augustini* nomine absque loci allegatione hæc verba referuntur.

(i) 4. Dist. 49. par. 1. art. 1. q. 6. ad 2. *Gaudium par dicitur, non inquam intensive, sed extensive; quia de eisdem, & tot gaudet unus, de quibus & tot gaudet alter*.

(k) Ibi in concl. *Unus enim alio clarius videt, & magis de illo gaudet, & strictius tenet*.

Quæstio secunda de luce inaccessibili. 1. ad Tim. 6. 16.

1142. Item habitat (a) lucem inaccessibilem primæ ad Timoth. ultimo; ergo nullus potest ad eum accedere.

Responsio.

Respondeo, quod inaccessibile dicitur, vel quia nullo modo acceditur, vel quia difficulter, vel quia non humana virtute, vel quia acceditur sola divina gratia (b). Ita patet responsio.

Quæstio tertia de excellentiis corrumpentibus.

1143. Item excellentiæ corrumpunt (c), sed claritas Dei est excellentissima; ergo &c.

Responsio.

Resp. intelligendum est, quod, ubi apprehendens est corporale, apprehensum potest lædere &c. (d).

Quæstio quarta de mundanis non cognoscentibus Deum.

1144. Item quæritur de hoc, quod dicit, quod mundus, id est, mundani non cognoverunt Deum. Contra: Ad Rom. primo: Qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis &c.

Ad Rom. 1. 21.

Responsio.

Respondeo, est notitia simplex, & approbationis (e): simplici notitia noverunt: approbationis non; & ideo cognoscendo nihil meruerunt.

C A-

(a) Supra cap. 1. num. 39.

(b) 3. Dist. 14. art. 1. q. 3. in concl. ubi loquitur in hæc verba „ Non potest videri, scilicet viribus nostris, potest tamen munere „ Dei. Unde super illud: Lucem habitat inaccessibilem, Glossa: *Inaccessibilis viribus nostris, accessibilis muneribus suis*. Quodve prædictus Apostoli textus intelligendus sit de luce Dei inaccessibili solis nostræ naturæ viribus, interpretantur etiam Cornel. & Menoch. Nullus enim hominum videre potest Deum puris putisque suæ naturæ viribus, ut volebant Anomæi, inquit etiam Anselmus, & post Anselmum Tirinus.

(c) Alludit ad illud Aristotelis 3. de Anima. 7. *Excellens sensibile corrumpit sensum*.

(d) 1. Dist. 1. art. 3. q. 1. ad 2. ubi ad prædictum Aristotelis textum sibi objecto ita respondet „ Dicendum quod non est simile de intelli- „ gere, & sentire. Et ad hoc est triplex ra- „ tio. Una est ex parte virtutis apprehen- „ sivæ. Alia ex parte apprehensi, sive ob- „ jecti. Tertia ex parte modi apprehendendi. „ Ex parte virtutis apprehensivæ, quia sensus „ potest corrumpi, intellectus autem non. Cu- „ jus ratio est, quia sensus dependet ab orga- „ no, in quo est quædam meditas, & harmo- „ nia, quæ non tantum corrumpitur per con- „ trarium, sed per excellens: sed intellectus „ non dependet ab organo: quia vis est imma- „ terialis, ideo non tristatur in excellenti. Ex „ parte objecti non est simile, quia objectum „ intelligentiæ excellens juvat, & confortat: „ quia influentia talis cognoscibilis procedit ab „ intimis, & intrat ipsam potentiam, & ideo „ ipsam corroborat, & confortat. Sicut si ma- „ gnus mons daret virtutem portandi se, faci- „ lius ferretur, quam parvus: sic est in intelli- „ gibili, quod Deus est. Sensibile autem obje- „ ctum tantum extra excitat: & ideo hoc cor- „ rumpit, illud autem non. Ex parte modi „ apprehendendi similiter est dissimilitudo, quia „ sensus in apprehensione sui objecti tendit ad „ exterius; unde per illud dispergitur exterius, „ nec fortificatur interius, ideo debilitatur. Sed „ objectum intellectus cum sit intimum ipsi in- „ tellectui, in ejus perceptione virtus non di- „ spergitur, sed colligitur: & quanto virtus est „ magis unita, tanto fortior. “ Hactenus ibi, ubi loquitur de *excellentissima Dei luce* ut ostendat, quod non corrumpit, sed perficit intellectum, secus ac corporeus oculus, qui a nimia luce læditur.

(e) De *simplici notitia, & notitia approbationis* Exposit. in cap. 13. S. Lucæ ubi declarat verba illa ver. 26. *Nescio vos unde sitis*.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

1. HÆC cum dixisset Jesus, egressus est cum di-
scipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat
hortus, in quem introivit ipse, & discipuli
ejus. 2. Sciebat autem & Judas, qui trade-
bat eum, locum: quia frequenter Jesus con-
venerat illuc cum discipulis suis. 3. Judas
ergo cum accepisset cohortem, & a Pontifi-
cibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum
laternis, & facibus, & armis. 4. Jesus itaque
sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis:
Quem quæritis? 5. Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis
Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.
6. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in
terram. 7. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem
dixerunt: Jesum Nazarenum. 8. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia
ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. 9. Ut impleretur sermo,
quem dixit: Quia quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam. 10.
Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit pontificis
servum: & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen ser-
vo Malchus. 11. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in va-
ginam. Calicem, quem dedit mihi Pater non bibam illum? 12. Cohors
ergo, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, &
ligaverunt eum: 13. Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat
enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. 14. Erat autem
Caiphas, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit, unum hominem
mori pro populo. 15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & alius
discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum
Jesu in atrium pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris.
Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ,
& introduxit Petrum. 17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid
& tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. 18. Stabant
autem servi & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant
se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. 19. Ponti-
fex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, & de doctrina ejus. 20.
Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper do-
cui in synagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt: & in

occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos, qui
audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego.
22. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam
Jesu, dicens: Sic respondes pontifici? 23. Respondit ei Jesus: Si male
locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me
cædis? 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.
25. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo
ei: Numquid & tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: Non
sum: 26. Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus ab-
scidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? 27.
Iterum ergo negavit Petrus: & statim gallus cantavit: 28. Adducunt
ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipsi non in-
troierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent
Pascha. 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusa-
tionem affertis adversus hominem hunc? 30 Responderunt, & dixerunt
ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit
ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judi-
cate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quem-
quam. 32. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua mor-
te esset moriturus. 33. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, &
vocavit Jesum, & dixit ei: Tu es rex Judæorum? 34. Respondit Jesus:
A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? 35. Respondit
Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & pontifices tradide-
runt te mihi: quid fecisti? 36. Respondit Jesus: Regnum meum non
est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei
utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum
non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit
Jesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc
veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est
ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus: Quid est veri-
tas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, & dicit eis: Ego
nullam invenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo vobis, ut
unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem
Judæorum? 40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc,
sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

1145.

HÆC *cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli ejus*. Supra egit de antecedentibus ad Passionem, scilicet a fine undecimi, hic agit de his, in quibus Passio consummatur. Et quia in Passione comprehensus est, & judicatus, occisus, & sepultus; ideo dividitur hæc pars in quatuor partes. In prima agitur de Christi comprehensione: in secunda de ejus condemnatione ibi: *Et adduxerunt eum ad Annam*: in tertia de ejus Passione ibi: *Susceperunt autem Jesum*: in quarta de sepulturæ conditione in fine decimi noni ibi: *Post hæc autem rogavit Pilatum*. In prima igitur parte, in qua manifestatur, qualis fuit Christi comprehensio, tria ostenduntur: primo quod fuit proditoria: secundo quod voluntaria ibi: *Jesus autem sciens quæ ventura erant*: tertio quod ignominiosa ibi: *Cohors ergo, & tribunus &c.* In prima igitur parte procedit sic. Ostendit primo adventum Christi ad locum cognitum proditori: secundo adventum proditoris ad illum locum ibi: *Judas ergo &c.* Continuans igitur dicta dicendis ait: *Hæc cum dixisset Jesus*, supple quæ prædicta sunt, *egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron*. Iste transitus præsignatur secundi Reg. quinto decimo: Rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron. Genitivus pluralis est *Cedron*, id est, trans torrentem Cedrorum, quia ibi erant arbores illæ (*a*). *Egressus* de Civitate, quia extra comprehensus, & passus. Ad Hebr. ultimo: Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est &c. *Ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli ejus*, non tanquam fugiens, vel abscondens se, sed quietem quærens. Cantic. sexto: Descendi in hortum meum (*b*), ut viderem poma convallium &c. Psal. In pace factus est locus ejus, unde subdit:

Divisio in quatuor partes, & prima de Christi comprehensione. — *Qualis fuit Christi comprehensio.* — *Adventus Christi ad locum cognitum proditori.* — *2. Reg. 15. 23.* — *Ad Heb. 13. 12.* — *Cant. 6. 10.* — *Ps. 75. 3.*

VERSUS SECUNDUS.

1146. *Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum*. Et ratio subditur: *Quia frequenter Jesus conveniebat* (*c*) *illuc cum discipulis suis*. Victor: Hunc locum Judas notaverat, eo quod ad illum Dominus sæpe venire consueverat. Locus ille erat in pede montis Oliveti, illuc ibat Jesus frequenter. Lucæ vigesimo primo: Erat diebus docens in templo, noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.

Victor. — *Luc. 21. 37.*

VERSUS TERTIUS.

1147. *Judas ergo cum accepisset cohortem*. Hic notatur adventus proditoris cum talibus, qui possent capere, & tenere, & ducere. Ideo *cum accepisset cohortem*, a Gentilibus scilicet, *& a Principibus Sacerdotum* (*d*), *& Pharisæis ministros*, quia illis eum tradebat (unde Matth. vigesimo sexto dicitur, quod abiit ad Principes sacerdotum, & ait illis: Quid vul-

Adventus proditoris ad illum locum. — *Matth. 26. 14. ac seq.*

(*a*) Sic & in Exposit. jam edita, nec non apud S. Tho. Hug. Lyran. ac Dionys. Carthus. heic, & in Hist. Evang. Petri Comestoris c. 155. Idque ajunt propter articulum pluralis numeri, qui in Græco apponitur. Recentiores tamen Interpretes haud legendum putant *Cedrorum*, quod in Græco notant corrupte scriptum; sed *Cedron* ab Hebræa voce significante tenebras, forte ob densas arbores inibi consitas. *Cedri* tamen legitur in Codd. Vercellen. & Veronen. Favet & Arabicus vertens *trans torrentem Cedri*.

(*b*) Ita supra iterato in Postil. sive Exposit. in Cant. Cantic. hæc ipsa servatur lectio diversa a Vulgata, quæ pro *meum* habet *nucum*.

(*c*) Sic quoque Cod. Brixian. apud Blanchin. Vulg. *convenerat*.

(*d*) Vulg. *Pontificibus*; sed *Principibus Sacerdotum* itidem Codd. Vercellen. Veronen. atque Brixian. Apud Dionys. Carthus. *Pontificibus*, id est, *Principibus Sacerdotum*.

vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?) *venit illuc*, quaſi ipſe ductor aliorum, *cum laternis, & facibus, & armis*, ne poſſet latere in nocte; (quia enim in tenebris ambulabant, ideo lumen a facibus mendicabant. Job vigeſimo quarto: Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant) vel ſe defendere. Et hoc faciebant, quia nihil Divinum in eo credebant, ſed humanam tantum potentiam.

Job. 24. 17.

Quæſtio prima de Chriſti egreſſu poſt orationem trans torrentem Cedron. *Auguſtinus de conſen. Evangeliſt. L. 3. c. 3. n. 0.* Reſponſio.

1148. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicit Joannes, quod poſt orationem (*a*) egreſſus eſt trans torrentem Cedron; quia ſicut dicit Auguſtinus in tertio de concordia Evangeliſtarum, finito ſermone facta eſt contentio, quis eorum videretur eſſe major? Et dicendum, quod verbum Beati Joannis non eſt intelligendum præciſe, quod ſtatim poſt orationem, ſed quod poſt orationem, & non ante (*b*).

Quæſtio ſecunda de Evangeliſtis varie locum indicantibus. *Matth. 26. 36. Luc. 22. 39. Supra v. 1.* Reſponſio. *Auguſtinus ibi c. 4. n. 10.* *Victor.*

1149. Item Matthæus dicit cap. vigeſimo ſexto, quod venit Jeſus in villam, quæ dicitur Gethſemani. Lucas vero vigeſimo ſecundo dicit, quod egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem Olivarum. Joannes, quod trans torrentem Cedron. Videtur hic eſſe contrarietas. Reſpondet Auguſtinus in tertio de concordia Evangeliſtarum: Mons, inquit, Olivarum iſte locus eſt, cujus nomen Matthæus & Marcus dixerunt Gethſemani; & ibi intelligimus fuiſſe hortum, quem commemorat Joannes, & Victor dicit, quod villa illa ſita eſt in pede montis Oliveti (*c*).

Quæſtio tertia de Chriſti egreſſu nocturno tempore. Reſponſio. *Chryſoſtomus in Jo. Evang. c. 18. Hom. 82.*

1150. Item quæritur, quare Dominus egreſſus eſt Urbem nocte? Videtur, quod voluerit latitare. Reſpondet Chryſoſtomus, quod hoc non tantum nunc fecit, ſed etiam ſæpe facere conſuevit, ut a tumultu hominum ſe abſtraheret, & de neceſſariis privatim loqueretur.

Quæſtio quarta de Juda ducente cohortem ad hortum. Reſponſio. *Chryſoſtomus ibi.*

1151. Item cum Judas reliquiſſet eum domi, quomodo non duxit illuc cohortem, ſed ad hortum? Reſpondet Chryſoſtomus, quod libentius eum domi quæreret, ut dormientem inveniret; ſed ſciebat eum conſuetudinem habere frequenter extra pernoctandi.

Quæſtio quinta de cohorte militum Gentilium Judam ſequentium. Reſponſio. *Chryſoſtomus ibi.* Milites pecuniæ cupidi.

1152. Item quæritur, cum cohors illa eſſet militum Gentilium, quomodo ſequebantur Judam? Et reſponſio eſt, quod corrupti erant per pecuniam datam vel promiſſam. Unde Chryſoſtomus: Veri erant milites, pecuniarum gratia omnia facere meditantes (*d*).

Quæſtio ſexta de Chriſti comprehenſione tempore nocturno. Reſponſio. *Chryſoſtomus ibi.*

1153. Item quæſtio eſt, quare de die non venerunt ad comprehendendum eum, cum haberent tantam cohortem? Et reſpondet Chryſoſtomus, quod timebant turbas, quæ eum de die ſequebantur.

VERSUS QUARTUS.

Comprehenſio Chriſti ex parte ejus quadrupliciter voluntaria. Cum latitare poſſet, ſeipſum obtulit. *Eccli 23. 28.* *Iſa. 53. 7.* *Pſ. 34. 4.* *Auguſtinus in Jo. Evang. c. 18. Tract. 112. n. 3.*

1154. *Jeſus autem* (*e*) *ſciens*. Hic oſtenditur, quod comprehenſio Chriſti voluntaria fuit ex parte Chriſti quadrupliciter: primo in hoc, quod cum poſſet latitare, ſeipſum obtulit: ſecundo quod ſe offerendo inimicos proſtravit: tertio quod ſe offerendo ſolo imperio diſcipulos liberavit: quarto quod eos reſiſtere non permiſit. Notatur ergo primo, quod voluntarie comprehenſus eſt, quia latitare potuit, unde dicitur: *Jeſus autem ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum*, ac per hoc valens eos declinare, antequam venirent. Eccleſiaſtici vigeſimo tertio: Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem &c. Et tamen ſe ipſum obtulit, unde dicitur: *Proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis? Proceſſit*, id eſt, ſe voluntarie obtulit. Iſaiæ quinquageſimo tertio: Oblatus eſt, quia ipſe voluit &c. In Pſalmo: Confundantur, & revereantur quærentes animam meam. Auguſtinus: Illi eum quærebant ad occidendum ſævien do, ſed quærebat nos ille ad ſalvandum moriendo (*f*).

VERSUS QUINTUS.

Chryſoſtomus cit. Hom. 82.

1155. *Reſponderunt ei: Jeſum Nazarenum*, in hoc patet, quod eum non agnoſcebant. Chryſoſtomus: In medio exiſtens excæcavit eos, & ſic latere potu-

(*a*) Quod exprimitur illis verbis: *Hæc cum dixiſſet Jeſus*, eodem recidit ac *finita eſt Salvatoris oratio* (de qua ſcilicet præcedenti cap. actum eſt) *incipit Paſſio*, ait etiam Hugo Card.

(*b*) Ita idem Hugo ex Auguſtino, nec non ex eodem S. Thomas.

(*c*) Sic & in Hiſt. Evang. Petri Comeſtoris cap. 155. & apud eundem S. Thomam.

(*d*) Vel *audentes*.

(*e*) Vulg. *itaque*, ſed *autem* quoque Codd. Vercellen. Veronen. Brixian. & Goth. apud Blanchin.

(*f*) Edit. Maur. ſic: *Eum illi quærebant occidendum ſæviendo, ſed quærebat nos & ipſe moriendo.*

potuit (a). *Dicit eis Jesus: Ego sum*, hic notatur, quod voluntarie comprehensus est, quia se offerendo illos prostravit, unde sequitur: *Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis*, scilicet cum aliis stantibus; sed audito verbo non steterunt, immo ceciderunt, propter quod dicitur:

Se offerendo inimicos prostravit.

VERSUS SEXTUS.

1156. *Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum*, avertendo faciem suam ab eo, secundum Psalmum: Avertantur retrorsum, & confundantur, qui cogitant mihi mala. *Et ceciderunt in terram.* Augustinus: Una vox dicentis: *Ego sum*, tantam turbam odiis ferocem, armisque terribilem, sine ullo telo percussit, repulit, stravit, virtute latentis Divinitatis (b); quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Job vigesimo sexto: Et cum vix parvam stillam sermonum (c) ejus audierimus, tonitruum magnitudinis illius quis poterit intueri?

Ps. 34. 4. *Augustinus ibi.* *Job 26. 14.*

VERSUS SEPTIMUS.

1157. *Iterum ergo interrogavit eos.* Hic notatur tertia ratio, quare voluntarie comprehensus, quia se ipsum manifestando discipulos liberavit. Manifestat se ergo eis, cum iterum interrogat: *Quem quæritis? Illi autem dixerunt*, sicut prius: *Jesum Nazarenum.* Et sicut iterum interrogavit, ita secundo offert, & manifestat se:

Discipulos liberavit.

VERSUS OCTAVUS.

1158. *Respondit eis (d) Jesus: Dixi vobis, quia ego sum.* Et quia tunc non cognovistis, iterum dico, ut cognoscatis. Excæcati erant, ne ipsum cognoscerent, sicut Lucæ ultimo: Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Postquam se obtulit, discipulos liberavit solo imperio, unde subdit: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Augustinus: Inimicis jubet (e), & hoc faciunt, quod jubet, sinunt eos abire, quos non vult perire. Et ostendit Evangelista, quod hoc propria virtute fecit, unde dicit:

Luc. 24. 16. *Solo imperio.* *Augustinus cit. Tract. 112. n. 4.*

VERSUS NONUS.

1159. *Ut impleretur sermo, quem dixit*, supra decimo septimo (f): *Quia quos dedisti mihi*, (o Pater) (g) *non perdidi ex eis quemquam* (h). Quia solus pati voluit. Isaiæ sexagesimo tertio: Torcular calcavi solus (i), & de gentibus non est vir mecum.

Jo. 17. 12. *Isa. 63. 3.*

1160. Sed quid est quod dicit: *Non perdidi ex eis quemquam*? Nonne dicitur Matth. sexto decimo: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam? Propterea exponit Augustinus de perditione æterna, quia nondum sic credebant in eum, sicut credunt quicumque non pereunt. Istud autem dictum est credentibus perfecte.

Quæstio, ejusque solutio de eo quod dicit: Non perdidi ex eis quemquam. *Matth. 16. 25.* *Augustinus ibi.*

VERSUS DECIMUS.

1161. *Simon ergo Petrus.* Hic notatur quartum signum, quod voluntarie comprehensus; quia Petrum resistentem compescuit. Innuitur ergo fervor Petri in tuendo Domino in hoc, quod *habens gladium eduxit eum*, quasi non potens continere, *& percussit servum Pontificis*, quasi non discernens personam, *& amputavit (k) auriculam ejus dextram (l).* Chrysostomus innuit impetum Apostoli, quia ad ipsum caput impetum fecit.

Petrum compescuit. *Chrysostomus cit. Hom. 83.*

(a) Cyrillus: *Potestas ergo Divina enituit; qui quamvis se quærentibus offerret, minime tamen cognoscebatur.*

(b) Edit. Maur. *Deus enim latebat in carne.*

(c) Vulg. *sermonis*; sed in plurali *sermonum* quoque S. Greg. Moral. Lib. 17. cap. 32. nu. 53.

(d) Vulg. absque *eis*; sed *eis* Cod. quoque Brix. nec non Cod. Biblioth. Episc. Trident.

(e) Edit. Maur. Venet. *Inimicos videt.*

(f) Dixerat supra: *Quos dedisti mihi ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur*; & hoc Interpres noster exposuerat supra cit. cap. 17. num. 1120. de perditione temporali, & æterna.

(g) Sic *o Pater* apud Dionys. Carthus.

(h) Hugo Card. ait: *Evangelista etiam de præsenti morte id accepit*, & ita quoque modo laud. Dionys.

(i) Exposit. in cap. 1. Lament. Jer. Proph. *Torcular secundum Glossam est Passio Christi. Torcular calcavit solus.* De quo textu supra cap. 16. num. 1097.

(k) Vulg. *abscidit*; sed *amputavit* Cod. quoque Vercellen. atque *amputavit* habet ipsa Vulg. Luc. 22. 50.

(l) Vulg. *dexteram*; sed *dextram* Codd. Evangelior. Vercellen. Veronen. Brixian. Trident. nec non Biblior. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident.

cit. *Erat autem nomen servo Malchus*, hoc, ut dicit Chrysostomus, dixit Evangelista ad majorem certitudinem habendam. Petrus zelo legis accensus percussit illos maleficos. Primi Machab. secundo: Vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundum judicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram. Spiritualiter: Petrus agnoscens (*a*) amputavit auriculam dextram, id est, obedientiam abstulit Synagogæ Judæorum, ut nec ipsi deinceps veterem legem nisi secundum superficiem literæ possint audire (*b*), nec quisquam fidelium eos audire debeat. Petrum ergo sic resistentem compescuit, unde sequitur:

Chrysost. ibi. — *1. Mach. 2. 24.* — Spiritualis intelligentia de amputatione auriculæ dextræ.

VERSUS XI.

1162. *Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam.* Victor: Cesset vindicta, exhibeatur patientia, juxta illud Matth. quinto: Ego dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et rationem reddit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut* (*c*) *bibam illum?* Quasi dicat, si recte sapis, necesse habes velle quod vult Pater. De hoc calice Matth. vigesimo sexto: Pater, si fieri potest (*d*), transeat a me calix iste. Hunc calicem Filius bibit, unde Matth. vigesimo: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Et hoc de voluntate Patris, unde ad Rom. octavo: Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Victor. — *Matth. 5. 39.* — *Matt. 26. 39.* — *Matt. 20. 22.* — *Ad Rom. 8. 32.*

VERSUS XII.

1163. *Cohors ergo, & tribunus.* Hic tertio ostenditur, quod comprehensio Christi fuit ignominiosa ex parte cohortis, quia ipsum comprehenderunt, & ligaverunt tanquam latronem. Ideo dicitur: *Cohors ergo*, id est, multitudo militum in una societate constituta, *& tribunus*, qui eis præerat, *& ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum.* Victor dicit, quod mos erat Judæis, ut quem morte dignum judicarent, vinctum Præsidi traderent, & ita tanquam malefactorem; ideo Matth. vigesimo sexto dicit Dominus eis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me. Et ligaverunt, ne fugeret; quia dixerat Judas Marc. quarto decimo: Quem (*e*) osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute.

Comprehensio Christi ignominiosa ex parte cohortis. — *Victor.* — *Matth. 26. 55.* — *Marc. 14. 14.*

1164. Sed quæritur hic primo de hoc quod Dominus se ipsum obtulit Judæis. Videtur, quod dederit eis occasionem male faciendi. Respondet Chrysostomus: Ostendit Dominus omnia, quæ sufficientia erant ad absterrendum eos, detinendo scilicet visum eorum, ne eum agnoscerent, & dejiciendo eos ad terram solo verbo. Quia vero in malitia persistebant, & nullam habebant excusationem, tunc deinde manibus eorum se tradidit.

Quæstio prima de hoc quod Christus se ipsum Judæis obtulit. — Responsio. — *Chrysostomus cit. Hom. 82.*

1165. Item quæritur, cum Petrus tantum irritaret eos, quare non detinuerunt Petrum? Respondet Chrysostomus, quod nullus alius eos retinuit; sed ea virtus, quæ prius projecit eos resupinos.

Quæstio secunda cur Petrus non fuit detentus. — Responsio. — *Chrysostomus ibi.*

1166. Item quæritur, cum esset jussum Petro, quod non haberet peram, quomodo tunc habebat gladium? Ad hoc respondet Victor, quod mandatum istud dedit eis, quando misit ad prædicandum; instante vero persecutionis tempore præcepit, ut ferrent necessaria victui, & gladios emerent. Et accepit hoc a Luca vigesimo secundo: Qui habet

Quæstio tertia quomodo Petrus gladium habuit. — Responsio. — *Victor.* — *Luc. 22. 36*

(*a*) *Petrus* itidem interpretatur *agnoscens*, & ut *Simon* interpretatur *obediens*, Exposit. in cap. 6. S. Lucæ. *Agnoscens* dicitur quoque eadem Exposit. in cap. 9. Item *agnoscens* in Interpret. Nom. ad finem Biblior. tam Cod. Biblioth. Episc. Trident. quam nostri Bernardin.

(*b*) Exposit. in cap. 22. S. Lucæ: *Perdidit auriculam dexteram, ut tantum litera utilitatem audiat, quo quidem pacto spiritualem intelligentiam perdidit.* Et similiter heic S. Cyrillus, ac S. Ambrosius in Lucæ cap. 22. nec non S. Hieronymus in Matth. cap. 26.

(*c*) Vulg. *non bibam illum? sed non vis ut &c.* etiam Codd. Vercellen. Veron. noster Bernardin. &c. Item S. Tho. Hugo Card. Lyran. Dionys. Carthus. Editiones nostræ antiquiores, etiam grandior sine anno in margine. Accedit S. Jo. Chrysost. in Edit. quæ mihi præ manibus est.

(*d*) Vulg. *Pater mi, si possibile est*; sed Cod. Vercellen. apud Blanchin. *Pater, omnia tibi possibilia sunt, si potest fieri &c.*

(*e*) Vulg. *quemcumque*; sed *quem* etiam Cod. Brixian.

habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui non habet gladium (a), vendat tunicam suam, & emat gladium. Vel potest dici, quod Dominus hoc non præcepit, quia vellet se defendere; sed ut ostenderet comprehensoribus patientiam, quia cum haberet arma, noluit eis uti (b).

Quæstio quarta an Petrus percussor male egerit. *Matth. 5. 39.*

1167. Item cum dictum esset Apostolis Matth. quinto: Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, videtur, quod Petrus male fecerit in hoc quod percussit. Resp. Chrysostomus: Hic non se ipsum ulciscebatur, sed Magistrum suum (c). Deinde Apostoli nondum perfecti quodammodo & consummati erant, sicut postmodum fuerunt post adventum Spiritus sancti; & tunc impleverunt perfectionem sibi pro tempore illo præceptam.

Responsio. *Chrysostomus ibi.*

Quæstio quinta an Petri successor materiali gladio uti possit.

1168. Item quæritur, utrum Successor Petri possit gladium materialem educere, & percutere? Quod sic videtur exemplo Petri. Ad hoc respondet Bernardus ad Eugenium, loquens de materiali gladio: Tuus est gladius, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu, evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus: Satis est, sed nimis est. Uterque ergo est Ecclesiæ, spiritualis scilicet, & materialis; sed hic quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exerendus (d).

Responsio. *Bernardus L. 4. de considerat. ad Eug. c. 3. n. 7. nec non Epist. ad Eug. 256. n. 1.*

Due Petri gladii.

VERSUS XIII.

Secunda pars principalis de Christi condemnatione.

1169. *Et adduxerunt eum ad Annam primum &c.* Hic incipit secunda pars principalis, in qua agitur de Christi condemnatione; & quia condemnationem ejus præcessit multiplex examinatio, dividitur hæc pars in tres. Et primo agitur de examinatione, facta ab Anna. Secundo a Caipha ibi: *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham.* Tertio sub Pilato ibi: *Adducunt ergo Jesum &c.*

Tria notabilia in examinatione ab Anna Pontifice facta.

In prima tria notantur, defectus judicii, defectus testimonii, illatio convicii, quæ notantur in hoc, quod primo Christus Judici iniquo præsentatur. Secundo a Petro negatur ibi: *Sequebatur autem Jesum.* Tertio examinatur ibi: *Pontifex ergo interrogavit Jesum.* Quantum ergo ad præsentationem dicitur: *Et adduxerunt eum*, scilicet Jesum, *ad Annam primum*, quia senior, & antiquior, & in malitia inveteratior. Daniel. tertio decimo: Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus Judicibus, qui videbantur regere populum. Et rationem reddit, cum dicit: *Erat autem (e) socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius*; ideo ad ipsum quodam modo pertinere videbatur judicium, Sub his principibus passus est Christus, sub quibus prædicavit Joannes Luc. tertio: Sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha, factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. Et notat eum de suspicione, quod non recte judicaret; quia socer ejus, qui in mortem Christi conspiraverat. Unde dicit:

Dan. 13. 5.

Luc. 3. 2.

VERSUS XIV.

Consilium Caiphæ.

1170. *Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis:* (supra undecimo) *Quia expedit, unum hominem mori pro populo.* Chrysostomus: Ideo prophetiæ illius meminit, quoniam salus orbis terrarum mors ejus fuit, & ideo non debet auditor audiens Christi vincula tumultuari (f).

Supra 11. 14. ac seqq. Chrysostomus cit. Hom. 82.

VERSUS XV.

De Petri negatione.

1171. *Sequebatur autem Jesum.* Hic agit de Petri negatione, quam describit hoc ordine. Primo notatur negandi occasio: secundo ipsa negatio: tertio ex negatione amoris refrigeratio. Occasio negandi fuit in hoc, quod cum esset infirmus, volebat Dominum sequi, propterea dicit: *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus*, non perfecte, unde Matth. vige-

Occasio negandi.

(a) Ita Glossa ordinar. apud Lyran. Et plerique Interpretes *scilicet Gladium*, sicque idem ipse Lyranus.

(b) Sic ipsemet Interpres noster Exposit. in cap. 12. S. Lucæ, allegans S. Ambrosium, id factum putat, *ut videatur potuisse vindicari, sed noluisse.*

(c) *Discipuli enim zelo amoris Christi accensi inflammabantur ad defensionem; sed dubitabant propter illud, quod ab ipso edocti erant exhibere omnem patientiam, secundum illud: Si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram; sed Petrus adeo fervebat, quod nec quæsivit, nec responsionem expectavit &c.* Exposit. in cit. cap. 22. S. Lucæ ad illa verba: *Domine si percutimus in gladio?*

(d) Vel *extrahendus*. Sic noster Interpres ex Bernardo ad Eugenium 4. Dist. 37. Dub. 4. nec non Exposit. in cap. supra cit. 22. S. Lucæ.

(e) Vulg. *enim*. Hugo Card. *enim al. autem*.

(f) Sive *perturbari*.

Matth. 26. 58. vigesimo sexto: Petrus autem sequebatur eum a longe; & alio ducente, unde non solus erat, immo *& alius discipulus*, & hic erat ductor. Unde: *Discipulus autem ille erat notus pontifici;* & ideo cum fiducia ibat, unde subdit: *Et introivit cum Jesu in atrium pontificis*.

Glossa ordinar. Quis iste fuerit, Glossa non diffinit (a). Videtur tamen fuisse Joannes, ut dicit

Victor. Victor (b), qui de se ut de alio loquebatur, quasi non timens (c).

VERSUS XVI.

1172. *Petrus autem stabat ad ostium foris*, vel quia non audebat intrare, vel quia non permittebatur. Ideo verum erat illud, quod dictum est ei supra

Jo. 13. 36. tertio decimo: Quo ego vado, non potes me sequi modo. *Exivit ergo discipulus ille (d) alius, qui erat notus pontifici, &* ratione familiaritatis *dixit ostiariæ, & introduxit Petrum*. Et sic manifestum, quod tenuiter diligebat qui per alium introibat. In quo etiam significatur, quod discipuli se debent mutuo

Ad Galat. 6. 2. juvare, ideo ad Galat. ultimo: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

VERSUS XVII.

1173. *Dixit ergo Petro ancilla ostiaria.*

Ipsa negatio. Hic describitur secundum, scilicet negatio ex infirmitate procedens; & hoc patet in hoc, quod Petrus ad vocem unius ancillæ Dominum negavit. Introducitur ergo inquisitio ancillæ: *Numquid & tu ex discipulis es hominis istius?* Non dicit seductoris, sed hominis, quasi commiserans loquitur; sed Petrus pusillanimitate victus negavit, unde sequitur: *Dixit (e) ille: Non sum*. Chrysostomus: Quid est, Petre, nonne di- Chrysostomus cit. Hom. 82.

xisti animam meam pro te ponam? supra tertio decimo. Quid ergo factum Jo. 13. 37.

est, quod neque ostiariæ fers interrogationem?

VERSUS XVIII.

1174. *Stabant autem servi*. Hic describitur tertium, scilicet ex negatione affectus infrigidatio; quod innuitur in hoc, Ex negatione infrigidatio affectus.

quod Petrus jam Domini oblitus, stabat ad prunas cum servis, & rursus calore interiori tepefacto, quærebat solatium in exteriori, propterea dicit: *Stabant autem servi, & ministri ad prunas*, qui scilicet ceperant Dominum, *quia frigus erat, & calefaciebant se*. Augustinus: Non hiems erat, & tamen Augustinus in Jo. Evang. c. 18. Tract. 113. n. 3.

frigus erat, quod solet etiam in æquinoctio verno aliquando contingere (f). *Erat autem cum ipsis & Petrus stans, & calefaciens se*; perdiderat enim illum ignem, de quo Luc. duodecimo: Ignem veni Luc. 12. 49.

mittere in terram, quia tepuerat in Christi dilectione (g). Beda: In tantum Beda.

Princeps Apostolorum frigore infidelitatis tepuit, ut ad vocem unius ancillæ Christum confiteri formidaret (h).

VERSUS XIX.

1175. *Pontifex autem (i)*. Posita negatione Petri, hic subjungitur examinatio Examinatio Christi.

Christi; in cujus examinatione quatuor Quatuor notabilia in eadem.

notantur, scilicet pontificis interrogatio, Christi responsio, illatio injuriæ, supportatio patientiæ. Pontificis ergo Pontificis interrogatio.

interrogatio tangitur cum dicitur: *Pontifex*

(a) Inquit enim Glossa ordinar. apud Lyran. *Quis sit iste, quia hic tacetur, non temere diffiniatur. Solet tamen iste Joannes sic se significare*. Sic secundum S. Augustinum in Jo. Evang. cap. 18. Tract. 113. num. 2.

(b) Non *Victor* tantum id autumat, sed etiam S. Hieronymus, S. Chrysostomus, S. Cyrill., Theopyl., Euthymius, & Nonnus. Eodem inclinat S. Augustinus. His accedunt S. Thomas, Auctor Exposit. jam editæ sub S. Bonaventuræ nomine, Lyranus &c. Unde ait etiam Dionys. Carthus. *Communiter fertur fuisse Joannes*. Recentiores tamen Interpretes Cajetanus, Mariana, Menochius &c. rem incertam opinantur, quinimo Jansen. in Concord. rationes affert, ut putetur potius Jerosolymitanus quispiam occultus Christi discipulus pontifici notus.

(c) Vid. infra num. 1181. ac seq.

(d) In Vulg. deest *ille*; sed *ille* habetur quoque in Codd. Vercell. Veronen. Brix. Forojul. Goth. apud Blanchin.

(e) Vulg. *Dicit*; sed *Dixit* etiam Cod. noster Bernardin. 40. ac Beda.

(f) Etiam in Palæstina, uti apud Calmet testatur Bidulphus, edocetque ex Rabbinis Ligfootus.

(g) Exposit. quoque in cap. 22. S. Lucæ idem inquit Interpres: *In quo ostenditur tepiditas amoris, & ignis interioris*. Vide S. Greg. Moral. Lib. 2. cap. 2. num. 2. nec non S. Bernard. in Cant. Serm. 58. num. 5.

(h) Similia legere est apud Bedam in Marci Evang. cap. 14. Lib. 6.

(i) Vulg. *ergo*; sed *autem* etiam Cod. Brix.

tifex autem, scilicet Annas (*a*), *interrogabat* (*b*) *Jesum de discipulis suis*, *& de doctrina ejus*, ut quia non poterat crimen objicere, saltem caperet in sermone; non ut disceret, sed ut caperet, Matth. vigesimo secundo.
Matth. 22. 15.

VERSUS XX.

1176. *Respondit ei Jesus:* Hic ponitur secundum, scilicet responsio Christi, in qua Dominus confutat intentionem pontificis. Habebat enim doctrinam Christi suspectam, ideo de ea vult eum examinare; propterea ostendit Dominus doctrinam suam non esse suspectam, quia non fuit abscondita, sed publica, propterea dicit: *Ego palam locutus sum mundo*. Et hoc probat: *Ego semper docui in Synagoga*, *& in templo*, *quo omnes Judæi conveniunt*. Et quia posset dicere: In publico docuisti vera, & in abscondito docuisti falsa; ideo ad majorem certitudinem dicit: *Et in occulto locutus sum nihil*. Isaiæ quadragesimo quinto: Ego Dominus, & non est alter Deus præter me (*c*), formans lucem, & creans tenebras. Itaque non in abscondito locutus sum in loco tenebroso. Sic amovit suspicionem de doctrina ratione occultationis; removet deinde ratione falsitatis, unde mittit ad alios, nolens ipse respondere, propterea dicit:
Christi responsio.
Isa. 45. 6. ac seq.

VERSUS XXI.

1177. *Quid me interrogas?* Cum mihi non credas, & ab aliis scire possis, *interroga eos*, *qui audierunt quid locutus sum* (*d*) *ipsis*, ut eis credas, quia *ecce hi sciunt quæ dixerim ego*. Chrysostomus: Non audentis, sed confidentis in eorum, quæ dicta erant, veritate. Proverb. octavo: Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum.
Chrysostomus d. Hom. 82.
Prov. 8. 8.

VERSUS XXII.

1178. *Hæc* (*e*) *cum dixisset*. Hic ponitur tertium, scilicet propter responsionem illatio injuriæ facto, & verbo. Facto: *Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu*. Thren. tertio: Dabit percutienti se maxillam (*f*). Et Mich. quinto: Percutient maxillam Judicis Israel. Injuriatus est verbo: *Dicens*: *Sic respondes pontifici?* Quasi dicat, stulte respondes, quia Pontifici humiliter est respondendum. Unde dixerunt Paulo: Summum sacerdotem Dei maledicis?
Illatio injuriæ.
Thren. 3. 30.
Mich. 5. 1.
Act. 23. 4.

VERSUS XXIII.

1179. *Respondit ei Jesus*. Hic notatur quartum, scilicet supportatio (*g*) patientiæ, quod innuitur in Domini responsione, quia malum servum sustinet, unde dicit: *Si male locutus sum*, *testimonium perhibe de malo*, quasi dicat: Paratus sum sustinere pœnam, & sic eum instruit, unde dicit: *Si autem bene*, *quid me cædis?* Quasi diceret: recognoscas te male facere. In quo mira benignitas Christi notatur (*h*), quod non solum sustinebat, sed etiam erudiebat, secundum illud Levitici decimo nono: Ne (*i*) oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.
Supportatio patientiæ.
Levit. 19. 17.

1180. Sed quæritur hic primo de hoc, quod dicitur Matth. vigesimo sexto, quod
Quæstio prima an Christus adductus fuerit ad Caipham, vel ad Annam.

(*a*) Tirinus: *Pontifex*, *scilicet Caiphas*; sed Calmetus „ Veteres quidam (*Non. hic*, *& Ammon. in Harmon. Theophyl. Toynard. Harmon.*) „ putavere, interrogatum fuisse Jesum in Annæ „ ædibus, id quod cum Joannis textu maxime „ congruit; quamquam Interpretes plerique in„ terrogatum asserunt apud Caipham, qui „ pontificis appellatione hic designatur, tametsi „ hæc appellatio nihilo minus Annæ, quam „ Caiphæ conveniat. “ Et infra sub ver. 24. rursum „ Multi, uti prædiximus, credunt, quæ„ stionem primam subiisse Jesum apud Annam, „ missum deinde ad Caipham. “

(*b*) Vulg. *interrogavit*; sed Hugo quoque Card. *interrogabat*, in margine *al. interrogavit*.

(*c*) Vulg. tantum *non est alter*; sed *alter Deus* Cod. noster Bernard. 40., Hugo Card. *alter Deus al. non habet Deus*, Lyran. *non est alter al. habet Deus*. Item *non est Deus præter me* LXX.

(*d*) Vulg. *sim*; sed *sum* præter nostrum Bernardin. etiam Codd. Vercellen. Veronen. Brix. Forojulien. Goth. apud Blanchin. & alii quidam Codices apud Marianam. Item Hugo Card. Editionesque Biblior. Basileen. 1509. ac Colonien. 1527.

(*e*) Vulg. *Hæc autem*; sed *Hæc* absque *autem* etiam Cod. noster Bernardin. ac Vercellen.

(*f*) Sic Exposit. in Lament. ibi.

(*g*) De hoc vocabulo alibi quoque a S. Bona. adhibito vide Prodromum col. 534.

(*h*) Hæc sane ab eodem Auctore notatur in Ligno Vitæ tit. *Jesus vultu velatus*, ubi eumdem textum expendit.

(*i*) Vulg. *non*; sed *ne* quoque Cod. noster Bernardin. 21. aliusque Biblioth. Episc. Trident. 58.

Matth. 26. 57. quod ministri tenentes Jesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, quomodo Joannes dicit quod ad Annam? Item cum Annas non esset pontifex, quare ad ipsum adductus est? Respondet Augustinus, quod ad utrumque adductus est; sed Matthæus id brevius notare volens dicit, ipsum ad Caipham fuisse adductum, quia in domo ejus maxime fuit examinatus. Ad illud, quod quæritur, quare ad Annam primum adductus? Quadruplex redditur ratio. Ratio dignitatis, quia sicut dicit Victor, præcedenti anno fuerat sacerdos, tunc enim emebatur summum sacerdotium (*a*). Alia ratio, scilicet affinitatis (*b*), quia attinebat ad summum sacerdotem tanquam Socer. Tertia ratio opportunitatis, quia domus ejus erat in via (*c*). Quarta ratio malignitatis, ut dicit Victor, ut minoris culpæ videretur Caiphas, si alterius sacerdotis Christus damnaretur sententia (*d*).

Responsio. Augustinus de consen. Evang. L. 3. c. 6. n. 19. ac in Jo. Evang. c. 18. Tract. nec non Tract. 114. n. 1.

Victor.

Victor.

Quæstio secunda cum responsione de alio discipulo. Chrysostomus cit. Hom. 82. Responsio.

1181. Item quærit Chrysostomus, quis fuit ille *alius discipulus*, de quo dicitur, quod sequebatur Jesum? Et respondet, quod Joannes, qui nomen suum tacet ratione humilitatis (*e*).

Quæstio tertia de Joanne non omnino de se tacente. Responsio.

1182. Sed tunc est quæstio, quare non tacet de se omnino? Responsio est, quod ideo se adducit, ut fidem nostram astruat; ideo nomen tacet, ut jactantiam vitare ostendat (*f*).

Quæstio quarta de nonnullis, quæ prima fronte contraria apparent.

1183. Item quæritur de hoc, quod Dominus dicit: *In occulto locutus sum nihil*; cum ipse Dominus locutus fuerit multa suis discipulis in secreto. Item de hoc, quod dicit: *Semper docui in Synagoga, & in templo*, cum dicatur Matthæi quinto, quod in monte; similiter Lucæ sexto, quod in loco campestri &c. Item de hoc, quod dicit: *Ego palam locutus sum mundo*, cum Dominus in parabolis, & in sententiis occultis loqueretur multa, sicut dicitur Matth. tertio decimo. Ad primum respondet Augustinus: Quoniam si aliqua dixit solis discipulis, non tamen dixit in occulto; quia illa volebat per eos innotescere multis. Unde Matth. decimo: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta (*g*). Chrysostomus respondet: *Nihil locutus sum in occulto*, quia non ex timore, vel dolo, sicut hi existimabant (*h*). Solitarius autem discipulos docebat ea, quæ alii capere non poterant. Ad aliud dicendum, quod *semper* distribuit ibi pro tribus solemnitatibus, Pascha, Pentecoste, Scenopegia, quando populus generaliter conveniebat. Ad aliud dicendum, quod *palam locutus*, non pro aperta intelligentia, sed pro multorum audientia. Augustinus: Modo quodam loquebatur palam, quia multi audiebant: Modo quodam non palam loquebatur, quia non intelligebant.

Matth. 5. 1. *Luc. 6. 17.* *Matth. 13. 3.* *Responsio ad primum. Augustinus cit. Tract. 113. n. 3.* *Matth. 10. 27.* *Chrysostomus cit. Hom. 82.* *Responsio ad secundum.* *Responsio ad tertium.* *Augustinus cit. Tract. 113. n. 3.*

Quæstio quinta quare Christus sui percussorem arguit. Matth. 5. 39.

1184. Item quæritur, cum Dominus Matth. quinto dicat: Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram; quare Dominus non fecit, sed arguit percutientem se? Respondet Augustinus: Veraciter, mansuete, justeque respondit; & non solum alteram maxillam iterum percussuro præparavit, sed & totum corpus figendum in ligno (*i*). Et hinc ostendit præcepta patientiæ, non ostentatione corporis, sed cordis præparatione esse facienda.

Responsio. Augustinus eodem Tract. 113. n. 4.

VERSUS XXIV.

De examinatione facta ad Caipham.

1185. *Et misit eum Annas (k) &c.* Hic tangitur de examinatione facta sub Caipha; & dividitur hæc pars in duas, quia primo ostenditur Christi ad pontificem adductio: secundo ipsius a discipulo facta negatio ibi: *Erat autem Simon*

(*a*) Sic ex Josepho S. Tho. in Joan. Evang. cap. 18. not. *b*.

(*b*) Ibi eadem not. *b*.

(*c*) Ibi not. *a*. ac etiam S. Aug.

(*d*) Ibi eadem not. *a*. Tametsi autem Cyrill. Alex. Cornel. a Lap. heic, Tolet. Erasm. apud Calmet addant, Jesum a Juda, ceterisque Satellitibus ductum fuisse primum ad Annam idcirco, quod hic argenteos triginta, pactam proditionis mercedem, Judæ promiserat; Judam vero, accepta pecunia, prosequi ulterius Christum ad Caipham neglexisse: ipse tamen Calmet hoc neque certum, neque probabile putat. Unde merito fuit hæc quinta ratio a nostro Interprete prætermissa.

(*e*) Supra num. 1171.

(*f*) Ita quoque Hugo Card.

(*g*) Et sic etiam Estius.

(*h*) Gordonus „ *In occulto nihil*, quod timuerit proferri in publicum: aliqua quidem occulta; „ sed hæc non erant ad turbas concitandas."

(*i*) Sic cit. Calmet ex eod. August.

(*k*) Ita ad verbum fert textus. Vel ex aliis Codicibus: *Misit autem eum Annas*. Sive: *Misit igitur illum Annas*. Ceterum explicant Interpretes plerique: *Miserat illum Annas*. Sed vid. d. Calmet.

mon Petrus. Quantum ad primum, breviter se expedit Evangelista, & dicit, quod Christus missus est ab Anna ad Caipham, nihil agens de examinatione facta ab eo; quia alii Evangelistæ sufficienter dixerant (*a*). Ideo dicit: *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem*, a quo multipliciter exhonoratus fuit, & reprobatus; sicut dicitur Matth. vigesimo sexto, quod expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum cæciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt &c.

Matth. 26. 67.

VERSUS XXV.

Negatio Petri, & negandi occasio.

1186. *Erat autem*. Hic ponitur negatio Petri, & ponitur negandi occasio, in hoc quod erat commixtus ministris, unde dicitur: *Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se*, scilicet cum ministris, ut supra. Et ex hoc, quod inter eos erat, contigit, quod quærerent ab eo: *Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis ejus es?* Et hæc fuit occasio negandi, ideo sequitur negationis iteratio: *Negavit autem* (*b*) *ille, & dixit: Non sum*. Expavit enim Petrus ad multitudinem circumstantium. Ecclesiastici septimo: Ne pecces in multitudine civitatis, nec te immittas in populum.

Negationis iteratio.

Eccli 7. 7.

VERSUS XXVI.

1187. *Dicit ei unus ex servis pontificis*. Hic ponitur negationis consummatio; & ponitur inquisitio servi, deinde negatio Petri, & signum, quod est cantus galli. *Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam*, ratio redditur, quare magis accusabat eum in ultionem fratris, sive cognati: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Quasi dicat: Non potes te mihi occultare.

Inquisitio servi.

VERSUS XXVII.

1188. *Iterum ergo negavit Petrus*. Hic consummatur negatio Petri; quia trina fuit, & in signum consummationis subditur: *Et statim gallus cantavit* (*c*). Augustinus: Ecce Medici completa est prædictio, ægroti convicta præsumptio. Non enim factum est quod iste dixerat: Animam meam ponam pro te, sed quod ille prædixerat: Ter me negabis.

Negatio Petri, & in signum consummationis, cantus galli.

Augustinus cit. Tract. 113. n. 6.

Matth. 26. 34.

1189. Sed quærit Chrysostomus, unde est hoc, quod Evangelistæ ita concorditer scripserunt de Petri negatione, cum videatur, quod peccatum socii deberent occultare? Et respondet, quod hoc quidem fecerunt, non discipulum accusantes, sed nos erudire volentes, quantum malum est non Deo totum concedere, sed in semetipso confidere (*d*).

Quæstio prima de Petri negatione.

Chrysostomus Hom. 82.

Responsio.

Quantum malum est non Deo totum concedere, sed in semetipso confidere.

1190. Item quæritur de modo negandi. Dominus enim prædixit ei: Ter me negabis, & hic dicit Beatus Joannes, quod solum negavit quod non erat ejus discipulus. Respondet Augustinus: Sane in hac negatione Petri debemus advertere, non solum ab eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum; sed ab illo etiam, qui cum sit, negat se esse Christianum. Unde negavit Christum Petrus, dum negavit se Christi discipulum.

Quæstio secunda de modo negandi.

Responsio.

Augustinus ibi n. 2.

1191. Item quæritur de loco negationis Petri. Et videntur alii Evangelistæ dicere, quod fuerit in domo Caiphæ, sicut dicitur Matth. vigesimo sexto; Joannes videtur dicere, quod in domo Annæ. Resp. Ad hoc est contrarietas inter Expositores, nam Beda & Hieronymus dicunt, quod facta fuit in atrio Caiphæ (*e*). Alii autem, quod inchoata fuit in domo Annæ, sed consummata in domo, sive atrio Caiphæ (*f*); & alii Evangelistæ dicunt finem negationis, Joannes autem respicit principium.

Quæstio tertia de loco negationis.

Matth. 26. 58. ac 74.

Responsio.

Beda super Luc. c. 22.

Hieronymus L. 4. in c. 26. Matth.

(*a*) Calmet: *Gesta apud Caipham omnia omisit Joannes, utpote a superioribus Evangelistis descripta.* E contrario autem *Joannes narravit quod alii Evangelistæ omiserunt, videlicet quid passus sit Jesus in domo Annæ*, ut inquit Dionys. Carth.

(*b*) Vulg. absque *autem*; sed habet *autem* etiam Cod. Brixian.

(*c*) *Cantavit*, videlicet secundo, sive suum gallicinium complevit, juxta Marcum cap. 14. 72. de quo infra num. 1192. Unde etiam Calmet, ex Marci cit. cap. 14. 68. admonuit, quod antea cantaverat semel.

(*d*) Sic ex cit. S. Chrysostomo etiam S. Thomas in Catena.

(*e*) Ita noster Interpres Exposit. in cap. 22. S. Lucæ pag. 657. col. 1. noviss. Edit. Venet. ex eodem Beda & Hieronymo, nec non ex iisdem quoque Hugo Card. Videsis Magistrum in Historiis Petrum Comestorem Hist. Evang. c. 159.

(*f*) Apud eumdem Magistrum in Historiis ibi.

Augustinus de consen. Evang. L. 3. c. 6. ac Tract. 113. in Jo. n. 6.

pium. Augustinus vero dicit, quod tota completa fuit in domo Annæ, sicut videtur dicere Evangelista (*a*). Et quod alii dicunt esse factam in domo Caiphæ, hoc dicunt; quia Caiphas erat summus Sacerdos, & quod erat Annæ, erat & Caiphæ (*b*).

Quæstio quarta de tempore negationis.

1192. Item quæritur de tempore negationis. Nam hic dicit Joannes, quod post tertiam negationem gallus cantavit; sed Marci quarto decimo dicitur, *Mar. 14. 68.* quod post primam negationem cantavit (*c*). Respondeo ad literam, sic fuit, Responsio. sicut dicit Marcus, quod gallus cantavit ante trinam negationem, & statim *Ibi. Ver. 72.* post trinam (*d*); sed primum cantum galli non advertit Petrus (*e*): secundum advertit, & rediit ad cor suum, & ideo primum cantum alii tacent, sed secundum omnes dicunt (*f*). *Matth. 26. 74. Mar. 14. 72. Luc. 22. 60.*

VER-

(*a*) Hinc emendanda lectio, quæ habetur Exposit. in cap. 22. S. Lucæ ibi col. 2. ubi sic lego: *Secundum Augustinum autem de concordia Evangelistarum, inchoata fuit in domo Annæ, & consummata in atrio Caiphæ, cui concordat Joannes*; atque ita legendum puto, supplendumque quod inibi deest: *Secundum Augustinum autem de concordia Evangelistarum, tota facta in domo Annæ, cui concordat Joannes. Secundum alios vero inchoata fuit in domo Annæ, & consummata in atrio Caiphæ.* Miror, id non animadvertisse Romanos Editores, cum tamen ipsi adscripserint D. Bonaventuræ Exposit. in cap. 18. S. Jo. ubi dicitur: *Secundum Augustinum in atrio Annæ fuit negatio*, ac rursus infra: *Augustinus asserit totam factam negationem in atrio Annæ, & quæ dicta sunt inde post missum Jesum ad Caipham, recapitulando dicta.* Quæ verba desumpta sunt ex Magistro in Historiis ibi. Miror itidem, quod ipsi in d. sub nomine D. Bonaventuræ Expositione in Jo. cap. 18. non observaverint antilogiam, ubi dicitur pag. 266. col. 2. d. Edit. *Videtur Hieronymus & Beda dicere, quod inchoata fuit negatio in domo Annæ, & consummata in domo Caiphæ*; & infra pag. 268. col. 2. ejusd. Edit.: *Hieronymus tamen & Beda super Lucam, videntur velle, quod Petrus in atrio Caiphæ negaverit.* Hujusmodi errores vitio vertendos duxerim illis librariis, qui MS. Codices sæpius corruptos ex imperitia nobis dederunt.

(*b*) Quia scilicet in domo Annæ soceri Caiphæ, ac heri ejusdem domus, *gener Caiphas habitabat, cætusque Sacerdotum ac Seniorum habitus est adversus Jesum*, apud Calmet in cap. 18. S. Jo. v. 13. Quo ad prædictam autem *contrarietatem inter Expositores* non ab re fuerit eam verbis Dionys. Carthusiani exhibere descriptam. Sic ergo subdit ad prædictum ver. 25. *Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se* „ Secundum Augustinum, & ejus imitatores qui dicunt trinam negationem Petri in domo Annæ „ completam, Evangelista nunc redit ad describendum, quod cœpit narrare de Petri negatione, propter quod verba paulo ante inducta (*nempe ver.* 18.) resumit, dicendo: „ *Erat autem &c.* Alii dicunt trinam negationem Petri factam in domo Caiphæ, & per „ anticipationem esse intelligenda, quæ scribit „ Joannes de negatione præfata, quorum assertioni videntur alii tres Evangelistæ favere, „ qui nihil scribunt de perductione Christi ad „ Annam, sed quod Petrus sequutus sit Christum usque in atrium Caiphæ, & ibi ter „ Christum negaverit. Quidam vero affirmant, „ quod Petrus negavit semel in domo Annæ, „ bisque in habitaculo Caiphæ. Et ita quod „ nunc ait Evangelista, referendum esset ad „ stationem Petri in domo Caiphæ. “ Cornelio a Lap. aliisque placet magis expositio de trina Petri negatione in domo Caiphæ completa, unde ad ver. 24. subjungit „ Et hic hysterologia. Nam Joannes quasi oblitus narrare missionem Jesu ab Anna ad Caipham, hic „ eam interserit, ut indicet quis fuerit Pontifex „ qui examinavit Jesum, cujus minister alapam „ dedit eidem, nempe fuisse Caipham, non „ Annam. Caiphas enim erat pontifex, non „ Annas: quare hic versus recto ordine ponendus est post ver. 13. nam trina negatio Petri, & examen Jesu, omniaque quæ post „ ver. 13. narrat Joannes, contigerunt in domo Caiphæ pontificis, non Annæ, ut patet „ ex S. Matthæo, Marco, & Luca. “ Calmet e contrario ad d. ver. 24. ita subnectit „ Omnes ferme Interpretes consentiunt, gesta esse „ apud Caipham, quæ superioribus membris „ leguntur, atque hunc versiculum hic insertum esse per parenthesim, ut suo loco omissa „ suppleantur. Nobis vero contraria probatur „ opinio, tamquam textui magis conveniens. “ Unde & Mariana ad eundem vers. 24. de quo supra num. 1185. tametsi sentiat, omnia quæ dicta sunt in domo Caiphæ accidisse; fatetur tamen, quod Joannis verba innuere videantur, in domo Annæ contigisse.

(*c*) Marcus post ab se relatam primam Petri negationem ibi cit. ver. 68. ait, quod *Gallus cantavit*.

(*d*) Ibi cit. ver. 72. quod *iterum cantavit*. Post primam ergo negationem cantavit semel, & post tertiam secundo, ut paulo supra dixi num. 1188. in not. *c*. Prior ejus cantus est media nocte, in aurora alter, & uterque *gallicinium* dicitur. Posterioris sic meminit Juvenalis Satyr. 9.

Quod tamen ad cantum galli facit illa secundi,
Proximus ante diem caupo sciet .....

Et Ammian. Lib. 22. cap. 33. *Secundis gallicinis videtur primi solis exortus*. Certe apud Veteres secundo gallicinio noctis finis ac diei initium significabatur.

(*e*) Lyranus: *Post primam negationem semel cantavit gallus; sed Petrus timore perturbatus, non percepit &c.*

(*f*) Inquit etiam Calmet: *Secundum hoc galli-*

VERSUS XXVIII.

De tertia Christi examinatione.

Divisio ac subdivisio.

Perversitas Judæorum.

1193. *Adducunt ergo Jesum &c:* Hic agitur de tertia Christi examinatione, quæ facta est sub Pilato, & in hac ostenditur malitia Judæorum. Primo quia nolentem Pilatum inducunt ad judicandum: secundo in hoc quod volentem Christum tanquam innocentem liberare, inducunt ad condemnandum ibi: *Et cum hoc dixisset, iterum exivit &c.* Prima pars in duas: primo enim ponitur Christi oblatio: secundo oblati examinatio ibi: *Introivit ergo iterum &c.* In hac oblatione notatur primo Judæorum perversitas: secundo falsitas: tertio dolositas: quarto quomodo ex hoc impletur Divina voluntas. Perversitas, quia Innocentem in die festo ad condemnationis locum adducunt, propterea dicitur:

1194. *Adducunt ergo Jesum*, scilicet ministri, *ad Caipham (a)*, vel *a Caipha (b) in prætorium*, quia illuc venerant, ut Christum traderent Pilato. *Erat autem mane*, tempus auget ipsorum malitiam, quia matutinum (c): Tantum sitiebant mortem Christi, quod diu expectare non poterant (d). Erat etiam tempus festivum, unde subdit: *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed (e) manducarent Pascha*, quod non poterant contaminati. Numer. nono: Immundi super animam hominis non poterant facere Phase. Augustinus: O impia cæcitas! Habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio? Alienigenæ Judicis prætorio contaminari timebant, & fratris innocentis sanguine non timebant.

Num. 9. 6.

Augustinus in Jo. Evang. c. 18. Tract. 114. n. 2.

VER-

---

cinium a quatuor Evangelistis narratur, utpote quo fides verborum Christi expleta est Matth. 26. 34. Verba autem Christi ibi apud Matthæum sunt hæc: *Antequam*, & iterum v. 75. *Priusquam gallus cantet, ter me negabis.* Recte itaque, ut etiam deducit Victor Antiochenus Presbyter ad cap. 14. Marc. circa finem „ Evangelista Mar„ cus illud: *Antequam gallus cantet*, quod Mat„ thæus habet, explicat in hunc modum: *Pri„ usquam gallus vocem bis dederit*, hoc est, pri„ usquam gallus secundam omnibusque manife„ stam vocem dederit, *ter me es negaturus.* „ Marcus proinde aliis non adversatur, sed „ planius dicit, quod ceteri contractius exposuerant. " De hujusmodi *tota negatione ante secundum galli cantum peracta actualiter, sive vocaliter*; etiam Auctor Exposit. in Jo. Evang. sub S. Bonav. nomine; sicque patet, ter Petrum negasse, antequam gallus suum integrum gallicinium absolveret. Unde & Dionys. Carthus. sic loquitur in Joan. Evangel. Enarrat. in fine cap. 13. „ *Amen amen dico tibi, non cantabis* „ *Gallus* hac nocte, *donec* (id est, quousque) *ter* „ *me negabis.* Idem dicunt Matth. & Luc. Sed „ videtur contrarium quod apud Marcum le„ gitur: *In hac nocte, antequam gallus bis vocem* „ *dederit, ter me es negaturus.* Dicendum quod „ per galli cantum intelligitur totum exercitium „ galli in cantando, videlicet cantus ejus usque „ ad consummationem, seu cantus sui termi„ nationem.

(a) Sic Augustinus, tam Lib. 3. de Consen. Evangelistar. Lib. 3. cap. 7. num. 27. quam Tract. 114. num. 1. ubi observat, quod Joannes heic *redit ad locum narrationis suæ ubi eam reliquerat, ut explicaret Petri negationem. Jam quippe dixerat* (supra ver. 24.): *ET MISIT EUM ANNAS LIGATUM AD CAIPHAM PONTIFICEM: atque inde regressus ubi dimiserat Petrum calefacientem se ad ignem in atrio* (supra ver. 18.), *postea quam totam ejus negationem, quæ ter facta est, terminavit; ADDUCUNT ERGO JESUM*, inquit (heic ver. 28.) *AD CAIPHAM IN PRÆTORIUM. Ad Caipham quippe ab Anna collega & socero ejus dixerat missum.* Augustinus autem semel iterumque heic legit *ad Caipham*, idque secundum Latinos Codices ipsi notos; ac equidem ita habent Codd. Vercellen. Corbejen. Gat. Man. Goth. apud Blanchin. ubi Veronen. *a Caiphan*, & Brix. *ad Caipha.* Expressius Evangeliarium Trident. *ad Caipham*, nec non Auctor Exposit. in Jo. Evang. sub nomine S. Bonav. noster Bernardin. alter Biblioth. Episc. Trident. *ad Caipham.* Edit. Biblioth. Lugdunen. 1568. hujus nostræ Biblioth. Bernardin. *ad Caipham*, in marg. *a Caipha*, & Edit. Nurnbergen. 1478. Biblioth. Gentilott. *ad Caypham.*

(b) Sic Chrysostomus, & Vulg. secundum Græcos Codd. tametsi *ad Caipham* habeat etiam apud Marianam Græca lectio Valesii, sicut & Goth. Item *a Caipha* legere est in Codd. Syr. & Arab. ac etiam in Lat. puta in Forojulien. apud laud. Blanchin. in Editionibus puta Venet. 1476. alia Venet. 1481. Biblioth. Griezen. &c. Utramque lectionem notant etiam S. Tho. Hugo Card. Lyran., melioremque secundam insinuant. Unde Dionysius Carthus. tantum legit *a Caypha.*

(c) *Jesum damnaturi summo mane convenerant*, inquit Calmet; ubi & observat, quod Pilati ædes dicebantur ex Romanorum consuetudine *Prætorium*, eo quod ab illis *Prætoria* Præsidum Provinciarum domus nuncuparentur: quodve gesta apud Caipham omnia omisit Joannes, utpote a superioribus Evangelistis descripta.

(d) *Ex aviditate enim suæ occisionis, tam mane obtulerunt eum Pilato vinctum*, ait Dionys. Carthusian.

(e) Vulg. *sed ut*; deest autem *ut* etiam in Codd. Veronen. Cant. & Goth. apud Blanchin. nec non in Cod. nostro Bernardin. alioque Biblioth. Episc. Trident. ac quoque apud Hug. Card. & Dionys. Carthus.

VERSUS XXIX.

Judæorum falsitas.

1195. *Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit*. Tangitur hic Judæorum falsitas; quia Christo crimen falsum imponunt ad inquisitionem Pilati, unde dixit: *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Quasi diceret: Sine caussa nolo eum suscipere. Act. vigesimo quinto: Non est consuetudo Romanis condemnare aliquem hominem, prius quam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina *(a)*. Et respondent Judæi, quod caussa est maleficium, unde subdit:

Act. 25. 16.

VERSUS XXX.

1196. *Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*, volentes illam legem servare: Innocentem & justum non interficies *(b)*. Exodi vigesimo tertio. Quasi dicant: Est malefactor. Non probant, sed falso imponunt. Augustinus: Respondeant ab immundis spiritibus liberati, languidi sanati, utrum sit malefactor Jesus. Sed ista dicebant illi, de quibus per Prophetam prædixerat: Retribuebant mihi mala pro bonis. Job trigesimo sexto: Causa tua quasi impii judicata est.

Exo. 23. 7.

Augustinus ibi n. 3.

Psal. 34. 12.

Job 36. 17.

VERSUS XXXI.

Judæorum dolositas.

1197. *Dixit ergo eis Pilatus*. Hic notatur tertium, scilicet Judæorum dolositas, quia culpam in alterum volebant refundere; sed Pilatus recusat judicare eum, non videns eos habere caussam debitam, unde: *Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum*, quæ dicitur Exodi vigesimo secundo: Maleficos non patieris vivere. Sed Judæi e contrario ostendunt, quod oportet ipsum judicare, quia caussa est mortis, & eis non licebat quemquam occidere, propterea dicitur: *Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam*; sed ad te spectat *(c)*, & hic reus est mortis: ideo necesse habes de hac caussa cognoscere. Dolose volunt per alium occidere; sed non excusantur, unde dicitur eis Act. septimo: Cujus vos nunc proditores, & homicidæ fuistis.

Exo. 22. 18.

Act. 7. 52.

VERSUS XXXII.

1198. *Ut sermo Jesu impleretur*. Hic notatur quartum, scilicet quod impletur Christi voluntas. Volebat enim mori morte crucis, qua occidebant Gentiles. Ideo dicit: *Ut sermo Jesu impleretur*, id est, ita factum, ut impleretur sermo, *quem dixit* (supra tertio: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, & supra duodecimo) *significans, qua morte esset moriturus*, quia crucis. Matth. vigesimo: Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Et hoc elegit Dominus tanquam vilissimum.

Christi voluntas impleta.

Jo. 3. 14.

Jo. 12. 32. ac 34.

Matth. 20. 18. ac seq.

1199. Sed quæritur hic de hoc quod dicitur, quod *adducunt* eum *ad Caipham (d) in prætorium*. Quia statim dicitur, quod *non intraverunt in prætorium*. Et respondet Augustinus, quod *prætorium* dicitur primo locus, ubi habitabat Præses *(e)*. Secundo vero dicitur locus, ubi judicabat, in quod si intrarent, reputabant se immundos.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Adducunt ad Caipham in prætorium*.

Responsio.

Augustinus cit. Tract. 114. n. 1.

Prætorium.

1200. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod *erat mane*. Cum supra dictum sit, quod ante cantum galli misit eum Annas ligatum ad Caipham *(f)*. Resp., quod in hoc discordant Chrysostomus & Augustinus. Nam Augustinus dicit, quod adduxerunt eum ab Anna ad Caipham in prætorium; & dicit, quod hoc potest intelligi, vel quia Pilatus curiam teneret in domo Caiphæ, vel quod Caiphas ad domum Pilati ivisset, & tunc *erat mane (g)*. Chrysostomus

Quæstio secunda de hoc quod dicitur, quod *erat mane*.

Responsio.

Augustinus ibi.

(a) Sic Interpres noster Exposit. in cap. 23. S. Luc.

(b) Vide supra cap. 7. num. 515.

(c) Quippe, ut ait Calmet, *Judæa in Romanam Provinciam redacta, Romani Præsides capitales caussas ad se avocavere*.

(d) Sic secundum priorem ex Augustino lectionem, de qua supra num. 1194.

(e) Ita quoque Glossa ordinar.

(f) Ibi ver. 24. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem*; postea vero ver. 27. *& statim gallus cantavit*, supra num. 1188.

(g) Verba S. Augustini sunt „ Aut igitur aliaqua urgente caussa de domo Annæ, quo „ ad audiendum ambo convenerant, Caiphas „ perrexerat ad prætorium Præsidis, & Socero „ suo Jesum reliquerat audiendum; aut in do„ mo Caiphæ Prætorium Pilatus acceperat, & „ tanta domus erat, ut seorsum habitantem „ Dominum suum, seorsum Judicem ferret. „ *Erat autem mane &c.* “

Chrysostomus cit. Hom. 82.

sostomus dicit, quod non adducunt eum modo primo ab Anna ad Caipham, sed ante galli cantum duxerunt ad domum Caiphæ, & postmodum mane a domo ejus ad Pilatum (*a*), qui iverat ad locum prætorii.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: *Ne contaminarentur, sed manducarent Pascha.*

1201. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Ne contaminarentur, sed manducarent Pascha.* Ergo nondum comederant Pascha: ergo cum Christus comederit die præcedenti, non comedit tempore debito. Ad hoc respondent Græci, quod verum est, & quod Christus prævenit Pascha propter mortem. Unde dicunt, quod comedit fermentatum, & ex eo confecit: & ideo ipsi in fermentato conficiunt, & ex hoc verbo accipiunt caussam erroris. Nos vero exponimus, quod Pascha idem est, quod cibus Paschalis, & hæc sunt Azyma, quæ comedebantur per septem dies (*b*).

Responsio Græcorum.

Responsio Interpretis.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: *Nobis non licet interficere quemquam.* Exo. 22. 18. Responsio. *Augustinus cit. Tract. 114. n. 4.* Interpretis alia.

1202. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Nobis non licet interficere quemquam.* Dicitur enim Exodi vigesimo secundo: Maleficos non patieris vivere, & lex multoties concedit. Respondet Augustinus: Intelligendum est, eos hoc dixisse propter diei festi sanctitatem, quam jam celebrare cœperant. Vel dicendum, quod hoc dicunt propter imperium Romanorum, qui eis abstulerant potestatem occidendi, a quibus etiam emebant sacerdotium (*c*).

VERSUS XXXIII.

1203. *Introivit ergo iterum &c.* Posita traditione Christi, qua Judæi ipsum tradiderunt Pilato, ponitur hic ejus examinatio facta a Pilato, in qua quatuor innuuntur: primo inquisitio: deinde inquisitionis origo: tertio ad inquisitionem responsio: quarto responsionis discussio. Primo ergo ponitur ipsa inquisitio, propter quod dicitur: *Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus*, quia egressus fuerat ad quærendam caussam a Judæis, & non invenerat, revertebatur ad inquirendum eam a reo; *& vocavit Jesum, & dixit ei: Tu es Rex Judæorum?* Vere ipse Rex, quia ipse, de quo Jerem. vigesimo tertio: Suscitabo David germen justum, & regnabit Rex. Ideo de hoc maxime quærit, quia hoc dicendo videbatur contradicere Cæsari.

Examinatio facta a Pilato.

Inquisitio.

Jerem. 23. 5.

VERSUS XXXIV.

1204. *Respondit Jesus.* Hic tangitur secundum, scilicet inquisitionis origo; & ut sciatur origo, quærit Dominus a Pilato: *A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Non quærit, quia dubitet (*d*); sed ut per ejus responsionem malitiam detegat Judæorum: & hoc quidem fit in Pilati responsione, unde dicitur:

Inquisitionis origo.

VERSUS XXXV.

1205. *Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum?* Quasi dicat: hoc ego non impono tibi: *Gens tua, & pontifices tui (e) tradiderunt te mihi.* Quasi dicat: hoc accepi ab eis (*f*): *Quid ergo fecisti*, propter quod ita te accusant?

VER-

(*a*) Ita secundum lectionem alteram meliorem ex Græco, ac Chrysostomo, de qua supra num. 1144. Unde & Exposit. jam ed. in Cap. 18. Evang. S. Jo. sub S. Bona. nomine „ *Erat* „ *autem mane*. Ut ait Chrysost. antequam Gal„ lus cantaret ad Caipham ducitur, mane au„ tem ad Pilatum. " Pariterque S. Tho. in Catena, & Hugo Card. ex eodem Chrysost.

(*b*) Idem Interpres in 4. Dist. 11. par. 2. art. 2. q. 1. ad 2. *Pascha cibus Paschalis dicitur, ut Azyma, quæ per septem dies comedebantur a Judæis*; sive, ut est apud Gorran., *per sex dies post.* Itidem S. Thomas, Hugo Card. Nic. Lyran. Dionys. Carthus. &c., *Pascha* exponunt, *id est, panes azymorum.* Unde & S. August. Tract. 114. num. 2. ad verba illa: *Ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, e vestigio subdit: *Dies enim agere cœperant azymorum, quibus diebus contaminatio illis erat in alienigenæ habitaculum intrare.* Circa hoc tamen consulendi recentiores Interpretes, quorum expositiones heic non vacat commemorare. Id unice adverterim, quod ubi adseverant quidam ex Recentioribus, quod *a panibus azymis immundi non arcebantur*; Lyranus, qui perspectos habuit Judæorum mores, testatur e contrario, quod *non erat licitum illos comedere, nisi personis mundis.*

(*c*) Sic & Rupert. S. Tho. Jansen. Svarez, & alii. Videsis Cornel. a Lap. in hunc locum.

(*d*) *Sciebat utique*, ait S. Aug. Tract. 115. num. 1., *Dominus, & quod ipse interrogavit, & quod ille responsurus fuit: sed tamen dici voluit, non ut ipse sciret, sed ut scriberetur, quod nos voluit ut sciremus.*

(*e*) *Tui* in Vulg. deest; sed habetur quoque apud S. Tho. Hug. Card. Lyran. Dionys. Carthus. Item in Biblior. Edit. Basileen. 1509.

(*f*) Accusantibus eum Luc. 23. 2. quod diceret se *Christum regem esse.*

VERSUS XXXVI.

Domini responsio.

1206. *Respondit Jesus*. Hic ponitur tertium, scilicet Domini responsio, in qua Dominus ipse confutat pravam intentionem Judæorum. Intendebant enim Judæi per hoc Pilatum, & Cæsarem contra ipsum provocare, quasi nollet in regno habere collegam, ideo Dominus hoc excludit dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Augustinus: Audite, Judæi & Gentes, regnum meum non est de hoc mundo: non impedio dominationem vestram in hoc mundo, quid vultis amplius? & rationem reddit, quod regnum ejus non est de hoc mundo, & est ratio sua talis: Pro Rege terræ ministri decertant, ne tradatur ad mortem, pro me vero ministri mei non decertant; ergo ego non sum Rex terrenus. Et ponit majorem hujus rationis: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: Nunc autem* apparet supple (hæc est conclusio) quod *regnum meum non est hinc*, quia nullus me defendit. Et ideo regnum ejus non est in hoc mundo, quia sicut dicitur primæ Joannis ultimo: Mundus totus in maligno positus est; ideo petimus: Adveniat regnum tuum, sed in cœlis est, unde Matth. quinto: Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum &c.

Augustinus in Jo. Evang. c. 18. Tract. 115. n. 2.
1. Jo. 5. 19.
Matth. 6. 10. ac Luc. 11. 2.
Matth. 5. 19.

VERSUS XXXVII.

Responsionis discussio.

1207. *Dixit itaque ei Pilatus*. Hic ponitur quartum, scilicet responsionis discussio. Et quia Dominus dixerat se regnum habere, arguit Pilatus ex responsione Domini, quasi admiratus: *Ergo*, inquit, *Rex es tu?* Quasi dicat: Ex quo Regem te esse fateris, videtur ex verbis tuis te velle regnare. Et Dominus quidem respondet conclusioni Pilati; *Respondit Jesus*, scilicet concedendo, & intentioni satisfaciendo. Concedit conclusionem Pilati, cum dicit: *Tu dicis quia Rex sum ego*. Quasi dicat: Ego non nego quod dicis; sed tamen non ad regnandum temporaliter veni, ut credis; sed spiritualiter (*a*), unde subdit: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati (b)*. *Natus* scilicet nativitate temporali, non ad dominandum, sed ad veritatem docendam. Isaiæ quinquagesimo quinto: Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus. Et subdit hujus signum: *Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam*. Supra octavo: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Et quia Pilatus non adhuc plene intelligebat, ideo adhuc quærit, unde sequitur:

Isa. 55. 4.
Jo. 8. 47.

VERSUS XXXVIII.

1208. *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?* Hujus quæstionis non audivit solutionem, quia non expectavit; at hanc solvit Dominus supra quarto decimo: Ego sum via, veritas (*c*), & vita. *Jo. 14. 6.*

Quæstio prima de hoc quod dicit: Regnum meum non est de hoc mundo.
Manichæi hæretici quid inde perperam arguant.
Supra 1. 11.

1209. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicit: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Ex hoc arguunt Hæretici, quod mundus iste non pertineat ad Deum lucis, sed tenebrarum (*d*). Contra: Supra primo: In propria venit. Si dicas, quod mundus non dicitur natura, sed homines mundane viventes; contra Matth. tertio decimo dicitur, quod Angeli colligent de regno ejus omnia scandala; sed constat, quod scandala non sunt nisi in hoc mundo: ergo &c. Resp. dicit Chrysostomus breviter, quod idem est ac si dicat, regnum suum non esse mundanum ac corporale. Aliter potest dici, quod regnum Christi dicuntur illi, in quibus ipse regnat, & ei obediunt non per potentiam coacti, sed per obedientiam spontanei: Tales autem solum sunt Sancti, & isti non sunt de mundo (*e*). Supra decimo septimo: Non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Tamen sunt in mundo, unde ibidem: Non rogo, ut eos tollas de mundo, sed ut custodias eos a malo.

Matth. 13. 41.
Responsio. Chrysostomus cit. Hom. 82.
Alia Interpretis responsio.
Supra 17. 14.

1210.

(*a*) De Regno spirituali per veritatem, quam Christus docuit, textum hunc interpretatur etiam Calmet.

(*b*) Hunc textum inquit Interpres noster Serm. 1. Dom. 22. post Pentec. esse *contra aliquos, qui malunt studere carnali amicitiæ, & Magnatibus placere, quam assistere veritati & justitia, ad hoc ut eleventur & honorentur; cum certe gloriosius sit deiici cum veritate, quam magnificari cum falsitate.*

(*c*) Vide supra cap. 14. num. 969.

(*d*) Ita Manichæi, quos idem S. Bonaventura refellit 2. Dist. 1. par. 1. art. 2. q. 1. in concl. nec non Serm. de Seminante num. 10. &c.

(*e*) Utpote *quorum conversatio in cælis est*, in eodem 2. ibi ad 1. 2. & 3. nec non Comment. in cap. 5. Apocal. sub ver. 10.

Quæstio secúnda de hoc quod dicit: *Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.*

1210. Item quæritur de hoc quod dicit: *Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam*. Aut ex dicit materiam, & tunc nullus est ex veritate: Aut caussam efficientem (*a*), & tunc omnes sunt ex veritate; & tamen non omnes audiunt. Respondet Augustinus, quod in hoc verbo gratiam commendavit, qua secundum propositum sunt prædestinati & vocati Sancti (*b*). Nam si naturam cogitemus, in qua creati sumus, cum omnes veritas creaverit, quis non est ex veritate? Sed non omnes sunt quibus ut audiant veritatem, hoc est, ut obaudiant veritati, & credant in veritatem, ex ipsa veritate præstatur; sed quibus datum est, illi audiunt. Supra sexto: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.

Responsio. *Augustinus cit. Tract. 125. n. 4.*

Prædestinatio secundum propositum.

Jo. 6. 6.

Quæstio tertia de Pilato Christi responsum non expectante.

1211. Item quæritur de hoc, quod Pilatus non expectavit Domini responsionem in sua quæstione. Respondet Augustinus, quod subito venit illi in mentem consuetudo Judæorum, qua solebat unus dimitti illis in Pascha; unde quia volebat eum liberare, statim exiit. Aliter respondet Chrysostomus, quod sciebat, quod quæstio illa indigebat tempore, & ipse properabat ad liberationem Christi; ideo statim exiit. Aliter potest dici, quod quia Pilatus judicium suum a veritate inchoavit, sed in veritate non permansit; ideo de veritate quæstionem meruit inchoare, sed non solutionem audire (*c*).

Responsio. *Augustinus ibi n. 5.*

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 18. Hom. 83.

Alia Interpretis responsio.

1212. *Et cum hoc dixisset &c.* Supra ostensa est malitia Judæorum in hoc, quod Pilatum compulerunt Christum examinare; hic ostenditur in hoc, quod volentem dimittere faciunt condemnare. Et dividitur hæc pars in duas, in quarum prima Judæi resistunt judicio veritatis, ne liberetur: in secunda impetrant & extorquent falsitatis judicium, ut condemnetur ibi: *Pilatus ergo cum audisset hos sermones*. Et quia triplex est modus judicandi, scilicet secundum benignitatem, severitatem, & æquitatem (*d*), hoc triplici judicio nititur Pilatus liberare Christum, & Judæi e contrario resistunt. Ideo sunt hic tres partes: in prima resistunt judicio benignitatis: in secunda judicio severitatis ibi: *Tunc apprehendit Pilatus Jesum*: in tertia judicio æquitatis ibi: *Dicit ei Pilatus &c.* Quantum ergo ad primum (*e*), innuuntur tria: allegatio innocentiæ in Christo: rememoratio clementiæ in Judice: induratio nequitiæ in Judæis. Allegatur ergo innocentia in Christo, propter quam debet dimitti, unde dicit Evangelista:

Judicandi triplex modus, secundum benignitatem, severitatem, & æquitatem.

Judicium benignitatis.

Allegatio innocentiæ in Christo.

1213. *Et cum hoc dixisset*, scilicet quæstionem prædictam, affectans Christum liberare, *iterum exivit ad Judæos*, qui scilicet erant extra prætorium, ut allegaret Christi innocentiam, *& dixit* (*f*) *eis: Ego nullam invenio in eo causam*, scilicet mortis (*g*). Et verum dixit, unde in Psalmo quinquagesimo octavo (*h*): Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine, sine iniquitate cucurri, & direxi. Et quia non sufficiebat allegare innocentiam, ideo secundo rememoratur clementia.

Ps. 58. 5.

Rememoratio clementiæ in Judice.

VERSUS XXXIX.

1214. *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha*. Victor: Quia in Pascha a servitute liberati sunt, in Pascha hæc consuetudo dimittendi fuit illis (*i*). *Vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum?* Augustinus: Avelli ab

Victor.

(*a*) De ly *ex*, ut dicit *materiam*, sive *materialiter & constitutive*, & per modum *efficientis*, sive *originaliter* 1. Dist. 7. par. 2. art. 2. q. 1. ad 5 & 6.

(*b*) De iis, qui *secundum propositum sunt prædestinati & vocati Sancti*, idem S. August. etiam L. 2. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 10. num. 22. L. de Corrept. & Grat. cap. 9. num. 21. ac 23. nec non de Prædest. Sanctor. cap. 17. num. 34. &c.

(*c*) *Ex quo apparet* (ait etiam Interpres noster Exposit. in cap. 22. S. Luc.) *quod veritatem non veraciter quæsivit, quia cum quæsisset, non expectavit. Et ideo nec quid esset veritas, nec ipsam veritatem audire promeruit.*

(*d*) De judicio *æquitatis*, *severitatis*, & *pietatis*, sive *benignitatis* etiam Exposit. in cap. 6. S. Lucæ.

(*e*) De secundo & tertio, cap. mox seq.

(*f*) Vulg. *dicit*; sed *dixit* Cod. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. ac ipsummet Evangeliar. Trident. Dionys. Carthus. & nonnullæ Biblior. Editiones &c.

(*g*) Sic idem Carthus. nec non Cod. Gat. apud Blanchin in ipsomet textu habet *causam mortis*.

(*h*) Hunc Psalmum Auctor interpretatur de Christo etiam in Exposit. Psalterii.

(*i*) Calmet „ Nullum certe consuetudinis hu„ jus vestigium apud Scripturam, Judæosque „ Histo:

Augustinus cit. Tract. 115. n. 5.

ab ejus corde non potuit, Christum esse Regem Judæorum, tanquam hoc sibi, sicut in titulo, ipsa veritas fixerit, de qua quid esset interrogavit. Deinde subditur induratio malitiæ in Judæis, qui non flexi propter Christi innocentiam, nec ad Judicis clementiam, sed potius rei perstiterunt; unde dicitur:

Induratio malitiæ in Judæis.

VERSUS XL.

1215. *Clamaverunt (a) rursum omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam*, scilicet non hunc innocentem, sed quem scimus esse nocentem, unde Evangelista addit: *Erat autem Barabbas latro;* in quo mira malitia exprimitur Judæorum, quod latronem, & ejus salutem Christo Domino prætulerunt. Unde Chrysostomus: O pollutam Judæorum mentem! noxium petunt dimitti, innoxium vero cruciari jubent (*b*). Act. tertio: Vos justum & sanctum negastis, & petistis virum homicidam (*c*) donari vobis: Auctorem vero vitæ interfecistis.

Chrysostomus cit. Hom. 83.

Act. 3. 14. ac seq.

C A-

„ Historicos cernitur: utrum apud Rabbinos, „ nescio. Certissima tamen est, quippe ab „ Evangelistis quatuor disertissime tradita. “ Tum subdit „ Idcirco autem nihil ea de re „ apud Historicos legitur, quod tanti momenti „ res visa non fuerit, ut publicis monumentis „ traderetur; cujus narrandæ opportunitas nisi „ in Jesu Christi Passione se se offerret, prætermisissent Evangelistæ. “ Ad quæstionem autem, quam sibi proponit, utrum consuetudo hæc ex Judæis, an potius ex Romanis ortum duxerit, post relatam opinionem Grotii, cui eruditi quidam adstipulantur, illam a Romanis repetentis; aliorumque e contrario asserentium ejus originem fuisse ab Hebræis ipsis profectam, sed a Romanis victoribus deinde servatam: e vestigio subjungit, quod *ipsa Joannis verba in hanc sententiam*, nempe secundam, *impellunt*, videlicet illa: *Est consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha &c.* Et in hanc secundam sententiam concessisse videtur Dionys. Carthus. inquiens „ „ Hanc consuetudinem habuerunt Judæi, non „ ex legis præcepto, sed ex Prædecessoribus „ suis, qui & hoc impetraverunt ab Imperatore, ut Judex ab illo constitutus in Jerusalem „ & Judæa, dimitteret eis unum vinctum in „ Pascha, quemcunque petissent, in recordationem liberationis Patrum suorum de servitute Pharaonis, quæ liberatio fuit in Pascha. “ Id ipsum satis innuunt Interpretis nostri prædicta verba, quæ lego in Glossa ordinar. apud Lyran.

(*a*) Vulg. *ergo*; sed absque *ergo* etiam S. Augustinus, S. Tho. Hugo Card. Lyran. nec non Evangelior. Codd. Brixian. Forojulien. ac Trident. nec non Biblior. alius Biblioth. Episcop. Trident. antiquioresque Editiones. Unde Cajetanus Comment. in Jo. cap. 18. in fine dicit *rursum* pro *igitur* positum.

(*b*) Ex eodem Chrysostomo loc. cit. Auctor Exposit. in Jo. Evang. sub S. Bonav. nomine sic: *O mentem scelestam! similes sui petunt scelestum dimitti, insontem cruciari jubent.*

(*c*) Supra ergo per *latronem* intelligitur *homicida*. Unde & Grotio videtur *latro* hic idem significare, quod *homicida*, sive sicarius. Profecto ea ætate innumeris latronibus fuisse infestatam Judæam, cruentis videlicet hominibus, sicariis, seditiosis, testatur Josephus de Bello Judaico cap. 2. 22. 23. Quodque ille *latro* fuerit *homicida* & *seditiosus*, certo certius etiam constat ex Marci 15. 7. ubi dicitur: *Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.* Et ista *explicatio*, inquit laud. Calmet, *Evangelistas conciliat*.

CAPUT DECIMUMNONUM.

1. TUnc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagel-
lavit. 2. Et milites plectentes coronam de spi-
nis, imposuerunt capiti ejus: & veste purpu-
rea circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad
eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum: &
dabant ei alapas. 4. Exivit ergo iterum Pi-
latus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis
eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio
in eo causam. 5. (Exivit ergo Jesus portans
coronam spineam, & purpureum vestimentum.) Et dicit eis: Ecce
homo. 6. Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant,
dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum
vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. 7. Respon-
derunt ei Judæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori,
quia filium Dei se fecit. 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermo-
nem, magis timuit. 9. Et ingressus est prætorium iterum: & dixit ad
Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit
ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo cru-
cifigere te, & potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Jesus:
Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset de-
super. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 12. Et
exinde quærebat Pilatus dimittere eum, Judæi autem clamabant dicen-
tes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim, qui se re-
gem facit, contradicit Cæsari. 13. Pilatus autem cum audisset hos
sermones, adduxit foras Jesum: & sedit pro tribunali, in loco qui di-
citur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. 14. Erat autem Para-
sceve Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Judæis: Ecce rex vester. 15.
Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus:
Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus
Regem, nisi Cæsarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifige-
retur. Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt. 17. Et bajulans sibi
crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraice autem
Golgotha: 18. Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc &
hinc, medium autem Jesum. 19. Scripsit autem & titulum Pilatus: &
posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Ju-
dæorum. 20. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia pro-

pe civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum
Hebraice, Græce, & Latine. 21. Dicebant ergo Pilato Pontifices Ju-
dæorum: Noli scribere, Rex Judæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum
Judæorum. 22. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. 23. Milites
ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, (& fecerunt
quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem
tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. 24. Dixerunt ergo
ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut
Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in
vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.
25. Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus
Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. 26. Cum vidisset ergo Jesus
matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mu-
lier, ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.
Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. 28. Postea sciens Jesus
quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.
29. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam
aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. 30. Cum ergo acce-
pisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est, & inclinato capite tra-
didit spiritum. 31. Judæi ergo, (quoniam Parasceve erat) ut non re-
manerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sab-
bati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. 32.
Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius,
qui crucifixus est cum eo. 33. Ad Jesum autem cum venissent, ut vi-
derunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: 34. Sed unus
militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua.
35. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium
ejus. Et ille scit quia vera dicit: ut & vos credatis. 36. Facta sunt
enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.
37. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.
38. Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa, (eo quod
esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut
tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit cor-
pus Jesu. 39. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Jesum no-
cte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum.
40. Acceperunt ergo corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aro-
matibus, sicut mos est Judæis sepelire. 41. Erat autem in loco, ubi
crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum, in quo non-
dum quisquam positus erat. 42. Ibi ergo propter Parasceven Judæo-
rum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

1216.

Judicium severitatis in flagellatione Christi ignominiosa.

TUnc (a) *apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit*. Hic intendit eum Pilatus liberare judicio severitatis, flagellans innocentem, ut zelum mitiget Judæorum; & sunt hic tres particulæ. In prima describitur Christi ignominiosa flagellatio. In secunda flagellati ostensio ibi: *Exivit iterum Pilatus foras*. In tertia Judæorum induratio ibi: *Cum ergo vidissent eum Pontifices*. Ignominiosa Christi flagellatio insinuatur primo in ejus afflictione, deinde in derisione. *Afflictio Christi*, Afflictionem tangit, cum dicit: *Tunc apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit*. Chrysostomus. *Chrysostomus cit. Hom. 83.* Flagellavit eum Pilatus, fortassis absolvere volens, & mitigare Judaicum zelum; unde Lucæ vigesimo tertio dixit Pilatus: *Luc. 23. 16.* Emendatum illum dimittam, id est, flagellis afflictum (b), ad magis mitigandum Judæorum zelum. Afflictioni addita est irrisio: *Ejus irrisio*,

VERSUS SECUNDUS.

1217. *Et milites plectentes &c.* Et quia Reges solent honorari signo, habitu, & verbo, seu salutatione, & reverentiæ exhibitione; ideo tripliciter irrident. *Eaque triplex. In corona*, Primo in signo coronæ, quod est signum regale, unde dicitur: *Plectentes*, id est, plicantes (c), *coronam de spinis*, id est, juncis marinis acutis, & pungitivis (d) ad modum spinarum, *imposuerunt capiti ejus*. De hac corona Cantic. tertio: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem *Cant. 3. 11.* Salomonem in diademate, quo coronavit eum (e) mater sua, id est Synagoga (f). Deinde illudunt ei in habitu, *In habitu*, vel vestitu, unde dicitur: *Et veste purpurea circumdederunt eum*, quasi esset Rex; in quo significatur, quod caro ejus erat sanguine purpuranda, quod significatum est Genesis trigesimo septimo: Tule- *Gen. 37. 31.* runt tunicam Joseph, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt (g). Et Isaiæ sexagesimo tertio: Quare ru- *Isa. 63. 2.* brum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? (h) Deinde illusio in salutatione, *In salutatione.* unde dicitur:

VERSUS TERTIUS.

1218. *Et veniebant ad eum, & dicebant*: *Ave Rex Judæorum*, & hoc quidem in opprobrium. Thren. tertio: Saturabitur opprobriis (i). Non solum *Thren. 3. 30.* in verbo, sed in reverentia; quia loco reverentiæ dabant alapas, unde dicitur: *Et dabant ei alapas*. Thren. tertio: Dabit percutienti se maxillam. Et Isa. *Eodem 3. 30.* quinquagesimo: Corpus meum dedi per- *Isa. 50. 6.* cutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. (k)

VER-

(a) Vulg. *Tunc ergo*; sed absque *ergo* iterum etiam S. Augustinus.

(b) Sic & Exposit. in idem cap. 23. S. Lucæ.

(c) Sa *complicantes*.

(d) *Pungitivis* etiam apud Hugon. Card. *punctivis* apud Dionys. Carthus. Vide sis Petrum Comest. Hist. Evang. cap. 168. ac peculiarem Thomæ Bartholini Dissertationem agentem De Corona Christi Spinea.

(f) Sic Exposit. in Cant. Canticor. ad prædictum cap. & textum nec non in Planctu de Pass. Dom. sive in Tract. de Vite Mystic. cap. 4. num. 14. ac Serm. 1. Dom. in Ram. Palmar. Vulg. *illum*; sed *eum* etiam Cod. Biblioth. Episc. Trident.

(f) Ibi, & heic Guilliaudus.

(g) Sic in Ligno Vitæ Tit. *Jesus cruore madidus*.

(h) Ibi, ac Exposit. in cap. 22. S. Luc.

(i) Exposit. in d. tex. Thren.

(k) Exposit in d. cap. 22. S. Luc. quoad utrumque textum.

VERSUS QUARTUS.

1219. *Exivit (a) iterum Pilatus foras.* Hic ponitur Christi flagellati & illusi ostensio, ut moveantur ad pietatem. Et primum quidem replicatur innocentia, unde *& dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras*, rationem subdit: *Ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo caussam*, scilicet mortis, vel afflictionis; & tamen afflixi eum.

Christi flagellati & irrisi ostensio.

VERSUS QUINTUS.

1220. *Exiit (b) ergo Jesus.* Augustinus: Non clarus imperio, sed plenus opprobrio, unde sequitur: *Portans spineam coronam, & purpureum vestimentum*, in quibus illuserant ei, secundum illud Matth. vigesimo: Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. *Et dicit eis: Ecce Homo:* Ecce ostensio flagellati, & vituperati, in hoc quod se Regem fecerat. Augustinus: Spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis cæsus est, fervet ignominia, frigescat invidia. Sed non frigescit, inardescit potius & increscit.

Augustinus in Jo. Evang. c. 19. Tract. 116. n. 2.

Matth. 20. 19.

Augustinus ibi.

VERSUS SEXTUS.

1221. *Cum ergo vidissent eum.* Hic ad Christi ostensionem sequitur tertium, scilicet induratio pertinaciæ Judæorum, maxime Pontificum, unde dicitur: *Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Isai. quinto: Expectavi, ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor. Bis dicunt *crucifige*, ad ostendendam mentis pertinaciam (c), Jerem. duodecimo: Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem (d). Et Psalmo vigesimo primo (e): Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens, propter clamorem.

Induratio Judæorum, maxime Pontificum.

Isa. 5. 7.

Jer. 12. 8.

Ps. 21. 14.

1222. *Dicit eis Pilatus &c.* Supra nisus est Pilatus liberare Christum judicio benignitatis, & severitatis, hic nititur judicio æquitatis, recurrens ad innocentiam, quod æquum est dimittere innocentem, & nunquam sine caussa occidere. Et huic Judæi dupliciter resistunt, primo accusando, & postea comminando. Unde in hac parte innuuntur plura: Primo Christi justificatio: Secundo ipsius accusatio ibi: *Responderunt Judæi*: Tertio accusationis inquisitio ibi: *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem*: Quarto vero subjungitur Judæorum comminatio ibi: *Judæi autem clamabant.* Primo ergo ponitur Christi justificatio, propter quam Pilatus non vult eum damnare, sed offert Judæis, unde dicitur: *Dicit eis Pilatus*, qui quærebant Christum crucifigi: *Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non invenio in eo caussam.* Et ideo sine caussa nolo crucifigere. Vere non inveniebat caussam, quia primæ Petri secundo: Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

Judicium æquitatis de Christi innocentia.

Christi justificatio.

1. Petr. 2. 22.

VERSUS SEPTIMUS.

1223. *Responderunt ei Judæi.* Hic ponitur accusatio Judæorum, unde dixerunt: *Nos legem habemus*, quam scilicet observamus de voluntate Romanorum Principum. Legem allegant pro se, cum sit contra se. Supra septimo: Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? *Et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*, & ita blasphemavit. Levitici vigesimo quarto: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo. Unde supra decimo: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.

Accusatio Judæorum.

Jo. 7. 19.

Levit. 24. 16.

Jo. 10. 33.

VER-

(a) Vulg. *Exivit ergo*; sed absque *ergo* & S. Augustinus, nec non Cod. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. nec non Evangelior. Codd. Vercellen. Gat. Brix. Forojul. ac Trident. Item Hugo Card. & Dionys. Carthus.

(b) Vulg. *Exivit*; sed *Exiit* etiam S. August. ac Codd. Vercell. ac Brix.

(c) Pariter post *crucifige crucifige eum*, noster Interpres Exposit. in cap. 22. S. Luc. inquit: „ Ubi ostenditur perversa Judæorum voluntas „ in hoc quod clamore quærunt. Unde sibi „ competit illud: *Expectavi, ut faceret judicium*, „ *& ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor.*

(d) Idem Interpres ibi.

(e) In hoc Psalmo agi *de Christi Passione*, adseverat ipsemet Interpres vel in Exposit. Psalterii initio ejusdem Psalmi.

VERSUS OCTAVUS.

1224. *Cum ergo audisset.* Hic ponitur tertio Pilati inquisitio. Quærit igitur motus ex accusatione Judæorum, unde dicitur: *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit*, ne si dimitteret, contra legem faceret; & si non dimitteret, Filium Dei crucifigeret. Non debet bonus Judex timere, unde Ecclesiastici septimo: Noli quærere fieri judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua. Ideo subditur:

Pilati inquisitio.

Judex bonus non debet timere. *Eccli 7. 6.*

VERSUS NONUS.

1225. *Et ingressus est in prætorium (a) iterum, & dixit ad Jesum. Unde es tu?* Quærit de origine, quia ipsum de hoc accusabant. Sed magnam & supra vires quærit quæstionem, unde Isaiæ quinquagesimo tertio: Generationem ejus quis enarrabit? & ideo non audit responsionem. Ecclesiastici tertio: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris. Unde dicitur: *Jesus autem responsum non dedit ei*, ut verificaretur illud Isaiæ quinquagesimo tertio: Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Augustinus: Ad hoc data est de agno similitudo, ut in suo silentio non reus, sed innocens haberetur. Thren. tertio: Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala (b). Sic ergo tacentem inducit ad respondendum, propterea sequitur:

Isa. 53. 8.

Eccli 3. 22.

Isa. 53. 7.

Augustinus cit. Tract. 116. n. 4.

Thren. 3. 38.

VERSUS DECIMUS.

1226. *Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris?* Quasi dicat: Erras, quod quæstionem meam contemnis, cum deberes potius meam captare benevolentiam, tamquam in manibus meis positus, & hoc infert: *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Et ideo & timendus sum, & obsecrandus; unde de hoc mirabatur, quod Christus in tanta necessitate non captabat ejus gratiam. Matth. vigesimo septimo: Et non respondit ei (c) ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer. Et quia Pilatus se jactavit, Christus prudenter respondit, quod ejus superbiam humiliavit, docens non altum sapere.

Matth. 27. 14.

VERSUS XI.

1227. *Respondit Jesus: Non haberes in me ullam potestatem (d), nisi datum tibi esset desuper.* Exponit Augustinus: *Desuper*, id est, a Deo (e); secundum illud ad Rom. tertio decimo: Non est potestas nisi a Deo; sed secundum istam expositionem nullam videtur habere consequentiam quod sequitur (f): *Propterea qui tradidit me &c.* Ideo exponit Victor: *Desuper*, id est, a Cæsare (g), & quia timore exerces, *qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*; quia magis peccat qui ex malitia, quam qui ex infirmitate, vel impotentia. Et quia prudenter responderat, Pilatus eum liberare intendebat, unde dicitur:

Augustinus cit. Tract. n. 5.

Ad Rom. 13. 1.

Victor.

VER-

(a) Vulg. absque *in*; sed cum *in* etiam Cod. noster Bernardin. & apud Dionys. Carthus. Insuper habent *in* Evangelior. Codd. Vercellen. Veron. Brix. ac Trident. Addit. *in* etiam textus Græc.

(b) Absque interrogatione sic legere est in duobus nostris Codd. Bernard. in tert. Episc. Bibliot. Trident. ac in nonnullis Biblior. antiquis Editionibus, nec non apud Lyranum. Quodve nedum legi, sed & intelligi possint prædicta verba de *Christo accusantibus nihil respondente*, ipsemet noster Interpres censet etiam Exposit. in Lament. Jerem. Proph. ad prædictum caput & versum, inquiens „ Alio modo legi potest depressive..... „ per comparationem ad Christi patientiam, „ ut sic dicatur: *Ex ore Altissimi*, Christi, *non* „ *egredientur &c.* quia accusantibus nihil respon„ dit, Psalmista: Ego autem tamquam surdus „ non audiebam. “ Sicque etiam Exposit. in cap. 23. S. Luc. Item Hugo Card. Comm. in Joan. Evang. ad hoc cap. & text. Sed Vulg. *Ex ore Altissimi non egredientur nec mala, nec bona?*

(c) Vulg. *ad*; sed sine *ad* quoque Codd. Corbejen. Cant. Vercellen. Veronen. Brixian. ac Goth. apud Blanchin,

(d) Sic etiam Cod. Brix. nec non S. Greg. Moral. Lib. 3 cap. 16. num. 29. sed Vulg: *potestatem adversus me ullam.*

(e) Huic interpretationi favere vocem Græcam, Græcorumque Commentarios, tradit Estius.

(f) Quod difficilis heic sit connexio, animadvertit quoque Cornel. a Lap.

(g) Quod dicitur *desuper*, quosdam referre ad Cæsarem Romanum, a quo Pilatus suam vicariam

VERSUS XII.

1228. *Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum*. Intelligens potestatem suam sub alterius potestate constitutam, nolebat damnare innocentem; ideo volebat dimittere eum. *Judæi autem clamabant*. Hic ponitur quartum, scilicet comminatio Judæorum; & quia non poterant Christum damnare per accusationem, convertunt se ad clamosam comminationem: unde imponunt Pilato, si eum dimittat, infidelitatem contra Cæsarem, ideo dicitur: *Judæi autem clamabant*, contra Pilatum scilicet, eo quod vellet Christum dimittere, *dicentes*: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, immo proditor; quia dimittis inimicum Cæsaris, & hoc probant: *Omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari;* quia tunc Cæsar erat Monarcha, unde ipsius erat dare potestatem regnandi. Qui ergo se ipsum Regem constituebat, contradicebat Cæsari. Et hæc comminatio Pilatum retraxit a veritate judicii in liberando, qui timuit accusari apud Cæsarem. Proverb. vigesimo nono: Qui timet hominem, cito corruet *(a)*; propterea dicebat Dominus discipulis Matth. decimo: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

Comminatio Judæorum.

Prov. 29. 25.

Matth. 10. 28.

VERSUS XIII.

1229. *Pilatus ergo (b) cum audisset &c.* Ostensa est perversitas Judæorum in malignitate resistendo judicio veritatis; hic ostenditur eorum perversitas in extorquendo judicium falsitatis de condemnatione Christi. Describitur hic judicium condemnationis Christi, quod quidem describitur hoc ordine: primo notatur loci & temporis circumstantia: secundo condemnationis caussa: tertio vero ipsa sententia. Locus notatur, cum dicitur: *Pilatus ergo cum audisset hos sermones &c.* In quo notatur, quod ipse jam cciderat a justa voluntate, timore Cæsaris. *Audisset*, inquam, quasi dicat: timore perterritus, *adduxit Jesum foras*, id est, ad locum publicum; ideo *foras*, ut in conspectu omnium condemnaretur. *Et sedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostratos (c)*. Hic describitur locus specialiter pro tribunali, id est, in sede judiciali. Tribunal enim est Judicum, solium Regum; sed cathedra Doctorum. *Lithos*, sicut dicit Victor, interpretatur judicium: *Stratos* a sterno valet pavimentum, vario stratum lapide *(d)*, in cujusmodi loco erat Consistorium, ubi judicabatur. Et hic locus dicitur *Hebraice (e) autem Gabbatha*, id est, sublimitas *(f)*; quia solent

Descriptio judicii condemnationis Christi.

Locus notatur.

Victor. Lithostrotos quid significet.

Quid Gabbatha.

---

riam acceperat potestatem, monet Estius. Unde Dionys. Carthus. sic declarat textum hunc, & consequentiam „ *Nisi tibi datum esset desuper*, a „ superiore Principe, scilicet Imperatore Romano; *propterea*, quia hæc dicis studio dimittendi me, & ea, quæ fecisti in me, fecisti humano timore, non ex invidia ut Judæi, „ vel ex cupiditate, ut Judas; *qui me tradidit tibi*, videlicet populus Judæorum, maxime „ Sacerdotum, vel Judas originaliter; *majus peccatum habet*, gravius peccat in me, quam „ tu, propter caussam prædictam; & etiam „ quoniam prima caussa, quæ alias movet & „ provocat ad opera prava, plus peccat quam „ caussa secunda & proxima. Itaque amplius „ peccat, qui tradit innoxium judici scienter „ & ex rancore, quam judex, qui ex superioris potestatis timore illum dijudicat. “ At Hugo Card. & Lyran. utramque interpretationem habent; Guilliaudus tantum primam.

(*a*) Similiter contra malam sententiam a Pilato ex timore latam textum hunc Proverbiorum noster Interpres allegat Exposit. in cap. 23. S. Lucæ.

(*b*) Vulg. *Pilatus autem*; sed *Pilatus ergo* pariter Cod. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Trid. Item Codd. Vercellen. Veronen. Forojulien. & Goth. apud Blanchin. itidem habent *ergo*, Uti quoque habet *ergo* Evangeliar. nostrum Trident. & Dionys. Carthus. Unde Franciscus Lucas Brugensis notat „ Optima manuscripta consentanee Græco legunt *ergo* pro „ *autem*.

(*c*) Vulg. *Lithostrotos*, Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. Forojulien. ac Trident. *Lithostrotus*, Mm. *Lithosstrotus*; sed Cod. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. *Lithostratos*, sicque S. Tho. Hugo Card. Lyran. Codd. Gat. & Brix. *Lithostratus*. Antiquæ Biblior. Editiones aliæ habent *Lichostratos*; aliæ *Lythostrotos*; aliæ *Lythostratos*; apud Dionys. Carthus. *Lychostratos*. Sed in Roman. correct. animadvertitur „ Cave legas *Lichostrotos*, tertia al- „ phabeti littera. “ Cajetanus in hoc cap. 19. Evang. S. Jo. ait „ *Lithostratos* pro *Lithostrotos* ...... Dictio Græca est *Lithostrotos*, „ corrupta in Codicibus Latinis imperitia Scriptorum, & sonat Latine lapide stratus. “ Et ita significare ajunt quoque Interpretes alii Sa, Mariana, Menochius, Tirinus, Gordonus &c.

(*d*) Apud Calmet *pavimentum ex lapide*.

(*e*) *Syriace*; *eam quippe linguam Novi Testamenti Scriptores Hebraicam appellant*, ait idem Calmet.

(*f*) In interpret. nom. Hebraicor. ad calcem Cod. nostri Bernard. sacror. Biblior. & alterius Bi-

lent Judices in sublimi loco sedere. Vel *Gabbatha* interpretatur picturatio, vel politio; & significat idem quod *Lithostratos*, id est, locus judicialis pictus vel politus.

VERSUS XIV.

1230. *Erat autem Parasceve Paschæ*. Ecce subjungitur tempus, quia erat feria sexta, quæ dicitur *Parasceve Paschæ*, id est, præparatio Paschæ, quia fiebat præparatio in die veneris pro die sabbati, sicut dicitur Exodi sextodecimo *(a)*, quod illo die colligebant pro duobus diebus. *Hora quasi sexta (b)*. Hic tempus tangitur speciale, & dicitur *quasi*; quia difficile est temporis horam determinare. *Et dicit Judæis*. Hic notatur caussa condemnationis Christi, & hæc non fuit ejus culpa; sed duritia perversitatis in hoc, quod petunt eum damnari morte crudelissima, unde dicitur: *Ecce Rex vester*, quasi dicat Pilatus: Non habetis aliquid aliud objicere contra eum?

Subjungitur tempus.

Exo. 16. 5.

Caussa condemnationis Christi.

VERSUS XV.

1231. *Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum*. Geminatio significat intensionem affectus ad mortem Christi. Jerem. vigesimo sexto: Locuti sunt Sacerdotes & Prophetæ ad Principes, & ad omnem populum, dicentes: Judicium mortis est viro huic. Et quia non sufficiebat duritia perversitatis, nisi adderetur negatio veritatis; ideo sequitur inquisitio Pilati: *Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam?* Quasi in hoc verbo denotans eis voluntatem perversam in hoc, quod suam ignominiam appetebant; quia vituperium Regis redundat in populum. Et propterea, ut vituperium videantur fugere, negant verum; unde: *Responderunt Pontifices dicentes (c): Non habemus Regem, nisi Cæsarem*. Et in hoc non est Rex noster, nec ignominia ejus est nostra. Et ex hac caussa condemnavit eum Pilatus, unde dicitur:

Jer. 26. 11.

VERSUS XVI.

1232. *Tunc (d) tradidit eis illum, ut crucifigeretur*. Hic tangitur tertium, scilicet ipsa sententia, qua condemnatus est pœna crucis, & bene dicitur: *tradidit eis*; quia ad eorum petitionem fecit. Act. tertio: Deus glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Et Luc. vigesimo tertio: Pilatus adjudicavit fieri petitionem ipsorum *(e)*, scilicet Judæorum; & sic fecit Pilatus contra legem Exodi vigesimo tertio: Non sequeris turbam ad faciendum malum: Nec in judicio acquiesces sententiæ plurimorum, ut a vero devies *(f)*.

Sententia contra Christum lata.

Act. 3. 13.

Luc. 23. 24.

Exo. 23. 2.

1233. Sed quæritur hic de illa consuetudine, quam habebant de dimissione vincti, utrum esset laudabilis? Et videtur quod sic, quia Dominus misericordiam acceptat magis, quam judicium, sicut patet de muliere adultera su-

Quæstio prima an laudabilis illa dimittendi vinctum consuetudo.

Biblioth. Episcop. Trident. pariter exponitur *collis altus, vel proclivium sublime*. Item secundum Bedam apud d. Carthus. *fuit locus sublimis, habens lapideum pavimentum*. Et laud. Calmet: *Est editus locus; fortasse quod locus, in quo Pilatus tribunal extra domum erigi jussit, editus esset, ac lapide stratus*.

(a) Calmet „ *Parasceve* Græce est *Præparatio*. Designabatur eo nomine feria sexta, „ quod ea die cibi pararentur in Sabbatum, „ qua die cibos parati vetabat Lex. Exod. „ 16. 5. “

(b) Sic nedum Vulg. sed & omnes Codd. Syri, Arabici, Latini. Certe in hac lectione concordant Codd. Latini probatissimi apud Blanchin. puta Corbejens. Vercellen. Veronen. Brixian. Forojulien. quibus accedit pervetustum Evangeliar. Eccl. Trident. ut nihil dicam de duobus aliis, uno Biblioth. Episcop. altero nostræ Bernardin. Favent & plerique Codices Græci; non omnes tamen, cum nonnulli legant: *hora tertia*, uti habet Marcus 15. 25. Hoc ipsum prætulisse ajunt autographum Joannis, Ephesi ad quartum sæculum usque servatum. Sed an lectio hæc vera sit, admittenda que pro conciliando Joanne cum Marco, mea non interest judicare. Multoque minus adhærendum censuerim veteri Auctori Commentariorum in Psalmos, sub nomine S. Hieronymi, in Ps. 77. qui ex adverso contendit ex Joanne corrigendum Marci textum, ut in eo legatur: *Erat autem hora sexta*; cum Marci exemplaria, quæ noverim, omnia habeant: *Erat autem hora tertia*. De conciliatione autem Joannis cum Marco, servata utriusque lectione, prout est in Vulg. & apud nostrum Interpretem, paulo infra num. 1240.

(c) *Dicentes* in Vulg. deest.

(d) Vulg. addit *ergo*; sed absque *ergo* etiam Cod. Vercellen.

(e) Vulg. *eorum*; sed *ipsorum* quoque Cod. Veronen.

(f) Ipsissima vel Exposit. in cap. 23. S. Lucæ.

Supra 8. 11.

supra octavo. Sed tunc objicitur, quia ex lege præceptum erat, ut malefici occiderentur; ergo absolvere nocentes erat contra legem, & consuetudo mala.

Responsio.

Dicendum, quod consuetudo bona erat, dum tamen liberaretur qui magis congruebat. Quia etsi tunc esset tempus justitiæ, tamen debebant esse memores misericordiæ in eis factæ, & futuræ in Paschate, & ideo quasi in signum hoc erat eis licitum (*a*). Quod objicitur de lege, dicendum, quod excellentia Solemnitatis præponderabat acerbitati legis (*b*).

Quæstio secunda de petitione Barabbæ.

1234. Item quæritur, utrum peccaverint petendo Barabbam? Quod sic videtur, Act. tertio improperatur eis: Petistis virum homicidam donari vobis: Auctorem vero vitæ interfecistis. Sed quod non peccaverint videtur, quia licebat eis petere quem volebant sine distinctione.

Act. 3. 14. ac seq.

Responsio.

Respondeo, quod non peccaverunt in hoc, quod liberaverunt eum, qui dignus erat morte: sed in hoc, quod eum innocenti prætulerunt (*c*); quia fuit ibi personæ acceptatio, unde Augustinus: Non reprehendimus, o Judæi, quod per Pascha liberatis nocentem, sed quod occiditis innocentem.

Augustinus in Io. Evang. Tract. 117. n. 5.

Quæstio tertia de irrisione a militibus facta.

1235. Item quæritur de hoc, quod milites ita irriserunt Christum, cum non dicantur habuisse mandatum a Pilato. Unde hoc fuit?

Responsio.

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 19. Hom. 83.

Respondet Chrysostomus, quod hoc pecunia faciebant; quia corrupti erant a Principibus sacerdotum.

Quæstio quarta de tempore hujusmodi irrisionis.

1236. Item de hoc quæritur, quod hic Joannes dicit Christum a militibus illusum ante sententiam condemnationis, cum Matth. vigesimo septimo dicatur, quod milites post condemnationem illuserunt Domino: Tradidit eis Jesum, ut crucifigeretur, & tunc dicitur, quod milites illuserunt ei.

Matth. 27. 26. ac seq.

Responsio.

Potest dici, quod bis factum est, & ante condemnationem, & post (*d*). Vel Matthæus hoc dicit per recapitulationem, quia ante factum fuerat.

Quæstio quinta de Christo non respondente quærenti Pilato: Unde es tu?

1237. Item quæritur, quare Dominus non respondit Pilato quærenti: *Unde es tu?* Videtur hoc fuisse arrogantiæ.

Responsio.

Responsio est, quod ideo ad quæstionem illam non respondit, quia eam capere non poterat; unde Dominus discipulis suis dicebat supra sexto decimo: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.

Supra 16.

Quæstio sexta de hoc quod dicit: Non haberes in me potestatem &c.

1238. Item quæritur de hoc quod dicit: *Non haberes in me potestatem, nisi datum esset tibi desuper.* Ergo videtur, quod in hoc non peccaverit, quod Christum crucifixit; quia hoc sibi a Deo donatum.

Responsio.

Dicendum, quod in potestate duo considerantur, scilicet ipsa præsidentia, & executio. Prima est a Deo, sicut dicit Apostolus; sed executio non semper a Deo. Unde Dominus voluit dicere Pilato, quod potestatem a se non habebat (*e*); ideo de ipsa non debebat gloriari. Executio vero a Deo fuit permissive, sicut dicit Chrysostomus (*f*).

Chrysostomus loc. supra cit.

Quæstio septima de hoc quod dicit: Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.

1239. Item quæritur de hoc quod dicit: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet.* Videtur falsum, quia Judæi peccaverunt ex ignorantia; credebant enim

---

(*a*) Eadem Exposit. in cap. 23. S. Lucæ: *Hæc autem consuetudo erat in die festo Paschæ, in memoriam liberationis populi de Ægyptiaca servitute.*

(*b*) Adeo præponderare visa est, ut similis mos postea fuerit servatus in Romanorum Imperatorum Rescriptis sancientibus, ut solemni Paschatis die vincti omnes, in carcere detenti, liberi dimitterentur, præter reos graviorum criminum, quorum genera in iisdem Rescriptis enumerantur. Vid. Lib. 9. Cod. Theod. Tit. 38. De Indulgent. Crimin. una cum Comment. Jacobi Gothofredi To. 3. pag. m. 279. ac seqq. ubi Paschalis Valentiniani Sen. Indulgentia, omnium antiquissima A. D. 367. Altera Paschalis Indulgentia ejusdem Valentiniani Sen. A. D. 368. Paschalis Indulgentia Valentiniani Jun. A. D. 381. Paschalis Indulgentia ejusdem Valentiniani Jun. A. D. 384. ac criminum enumeratio, quæ hac Paschali Indulgentia non fruuntur. Laud. autem Gothofredus ibi pag. 281. col. 1. observat *traductum procul dubio Indulgentia hujus Paschalis morem a Judæis, apud quos solemnibus diebus unum e vinculis dimittere mos erat; ac nominatim Festo Paschali, ut ex Evangelio patet.*

(*c*) In d. Exposit. ibi: *Ex quo apparet Judæorum perversitas, quia Salvatori prætulerunt seditiosum, benefactori furem, & auctori vitæ prætulerunt virum homicidam.*

(*d*) De multiplici diversis vicibus Christo facta illusione etiam ibi.

(*e*) Sed a Cæsare, & Cæsar a Deo, vide supra ver. 11. num. 1227.

(*f*) Ac ipsemet noster Interpres in 2. Dist. 44. art. 2. q. 1. in concl. ubi itidem dicit eam esse *a Deo permissive, non autem approbative.* Unde & Estius ait „ Potestatem intelligit permissivam a Deo, ut Christum condemnaret, & „ crucifigeret; qualis potestas omnibus malis „ communis est, quando permittuntur aliquid „ mali facere. Similiter modo ait iis, a quibus „ comprehensus fuit: *Hæc est hora vestra & „ potestas tenebrarum &c.*

enim cum blasphemum, & dignum morte; sed Pilatus scienter occidit innocentem. *Responsio.* Respondeo: Utrique peccaverunt, sed Judæi (*a*) magis, quia ex malitia; sed Pilatus ex infirmitate timoreque Cæsaris (*b*). Et quod objicitur, quod ignoranter; dicendum, quod ignorabant eum esse Deum, sed non innocentem: vel si utrumque ignorabant, ex malitia erat. Unde Sapient. secundo: *Sap. 2. 21.* Excæcavit eos (*c*) malitia eorum.

Quæstio octava de hoc quod dicitur: Christus hora quasi sexta condemnatus.

1240. Item quæritur de hoc, quod dicitur, quod Christus condemnatus fuit *hora quasi sexta*. Quia Marci quinto decimo dicitur: *Marc. 15. 25.* Erat autem hora diei (*d*) tertia, & crucifixerunt eum. Item Matth. vigesimo septimo dicitur, *Matth. 27. 45.* quod tenebræ factæ sunt super universam terram ab hora sexta usque in (*e*) horam nonam; ergo ante horam sextam fuit judicatus. *Responsio.* Respondet Augustinus: *Augustinus in Jo. Evang. c. 19. Tract. 117. n. 1.* Hora tertia crucifixus est Dominus linguis Judæorum, hora sexta manibus militum; ut intelligamus horam quintam fuisse transactam, & aliquid de sexta cœptum, quando Pilatus sedit pro tribunali, quæ dicta est a Joanne *hora quasi sexta*: & cum duceretur, & ligno cum duobus latronibus configeretur, & juxta ejus crucem gererentur quæ gesta narrantur, hora sexta compleretur: ex qua hora usque in nonam sole obscurato, tenebras factas trium Evangelistarum, Matthæi, Marci, & Lucæ, contestatur auctoritas &c. (*f*). Aliter respondet Victor, *Victor.* quod Dominus hora media inter tertiam & sextam crucifixus est: & quia extrema sunt nominata, & medium sæpe sortitur nomen extremorum; ideo dicit Marcus hora tertia, sed Joannes sexta, non simpliciter, sed cum determinatione *quasi sexta* (*g*).

Quæstio nona de genere mortis in cruce.

1241. Item quæritur de hoc quod Judæi petierunt Dominum crucifigi, quare magis illo genere mortis, quam alio voluerunt Dominum occidi? *Responsio.* Et respondet Chrysostomus, *Chrysostomus cit. Hom. 84.* quod opprobriosissima hæc erat mors. Formidantes igitur ne aliqua post ipsum fieret memoria, student ad supplicium ducere maledictum, nescientes quoniam per prohibitiones relevatur veritas (*h*). Ex parte Dei ratio fuit, & mysterium, quia in

(*a*) Supple cum Dionys. Carthus. *Maxime Sacerdotes*, & *Judas originaliter*.

(*b*) Sic etiam Exposit. in cap. 23. S. Lucæ.

(*c*) Supra cap. 9. num. 704.

(*d*) Vulg. sine *diei*.

(*e*) Vulg. *ad*; sed *in* quoque Cod. Vercellen. ac vetustior noster Bernardin. 39.

(*f*) Videri potest alia hujus quæstionis solutio apud S. Augustinum ibi num. 2. in hoc consistens, quod Joannes vocat *horam sextam* præparationem Dominicæ mortis. Postquam enim in nocte judicaverunt eum reum mortis fluxerunt usque ad crucifixionem tres horæ noctis, & tres horæ diei. *Hora* autem *tertia* secundum Marcum, est non præparationis, sed diei; *sexta* vero secundum Joannem est non diei, sed præparationis, sex horis a noctis nona usque ad diei tertiam computatis. Sed priorem censet *meliorem* S. Thomas.

(*g*) Prædictum medium indicatum *hora quasi sexta* ait quoque Interpres noster Exposit. in cap. 23. S. Luc. *Quod fuit inter tertiam & sextam horam, sed plus accessit ad sextam.* Sic communiter alii Interpretes apud Cornel. a Lap. heic censent Christum crucifixum *hora tertia* finiente, ut ait Marcus; & *hora sexta* inchoante, ut inquit Joannes. Et ita quoque sentit ceteros inter Gordonus in Matth. 27. 45. Res quippe tota inter *horam tertiam*, & *sextam* acta est. *Reor* (inquit Petrus Comestor Hist. Evang. cap. 166.) *in medio illarum horarum Dominum crucifixum; ideo modo hanc, modo illam horam positam.* Hinc *meditullium tertiæ & sextæ* vocat Hugo Card. Lyranus autem *tempus medium inter tertiam & sextam*; subdens, quod *medium ab utroque extremo potest denominari; & ideo Marcus expressit illud tempus medium per horam tertiam, Joannes vero per sextam.* Accedit & Dionysius Carthusian. inquiens, quod hujusmodi *medium per utrumque extremorum exprimitur.* Ad id autem magis declarandum, scire opus est; quod in verno æquinoctio, quo tempore Pascha celebrabatur, & mortuus est Christus, prima Hebræorum hora cum nostra sexta matutina conveniebat; tertia cum nona; sexta cum meridie; nona cum tertia pomeridiana; duodecima cum sexta vespertina. Sciendum insuper, præter indicatam diei in horas duodecim divisionem alteram fuisse ex Templi consuetudine, & ex publicarum distributione precum, quæ hora tertia, sexta, & nona habebantur ex Act. 3. 1. ac 10. 3. nec non Matth. 20. 3. & 5. nona videlicet hora matutina, meridie, & tertia pomeridiana. Unaquæque autem istarum horarum tubæ sonitu, pios convocantis, significabatur; tempusque hasce inter tres horas fluens, a præcedenti, vel consequenti hora, prout cuique videbatur, appellari consueverat. Igitur Christo inter horam tertiam sextamque damnato, & crucifixo, nimirum inter nonam matutinam & meridiem, scripsit Marcus *hora tertia* crucifixum; Joannes autem *hora quasi sexta* a Pilato damnatum: ille indicando *horam tertiam* elapsam, vel prope elapsam; hic *horam sextam* mox inchoatam.

(*h*) Versio Chrysostomi Edit. Basileen. 1530. pag. 1011. sic habet „ Et cur tantopere hanc „ mortem affectabant? Quia ignominiosa erat. „ Veriti

in ligno peccavimus; & exemplum, ne quis turpem formidaret mortem; & judicium, quia placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.

1. Cor. 1. 21.

1242. *Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt.* Actum est supra de Christi comprehensione, & condemnatione, hic agitur de ipsius Passione. Et dividitur hæc pars in duas, quia primo agitur de Passione: secundo de Passionis consummatione ibi: *Postea sciens* &c. In prima parte describitur ejus Passio quantum ad quatuor, quæ ibi insinuantur. Primo enim describitur Passionis vilitas: Secundo patientis dignitas ibi: *Scripsit autem & titulum*. Tertio crucifigentium crudelitas ibi: *Milites ergo cum crucifixissent*. Quarto compatientium paucitas ibi: *Stabant autem juxta crucem*. Passionis igitur vilitas describitur in incessu, in loco, in genere passionis, & in societate patientium. Primo ergo vilitas Passionis in incessu notatur in hoc, quod tanquam latro ducitur, & ipse bajulat sibi supplicium, propterea dicitur: *Susceperunt autem Jesum*. Psal. Suceperunt me sicut leo paratus ad prædam, scilicet milites Jesum: *& eduxerunt* tanquam maleficum, scilicet extra castra, propter quod ad Hebr. ultimo: Exeamus ad eum extra castra, improperium, scilicet crucis (*a*), ejus portantes. (*b*)

Tertia pars de Christi Passione.

Descriptio Passionis quantum ad quatuor.

Passionis vilitas.

In incessu.

Ps. 16. 12.

ad Hebr. 13. 13.

VERSUS XVII.

1243. *Et bajulans sibi crucem*, in qua scilicet tamquam latro puniretur. Tunc impletum est quod dictum erat Isaiæ vigesimo secundo: Dabo clavem domus David super humerum ejus (*c*). Et Isaiæ nono: Factus est principatus super humerum ejus, quia ibi triumphavit. De hoc Augustinus: Grande spectaculum! Sed si spectet impietas, grande ludibrium! si pietas, grande mysterium! *Exivit in eum, qui, dicitur Calvariæ locus* (*d*), hic innuitur vilitas a loco (*e*); quia in eo loco passus est, ubi puniebantur latrones, & malefici. Calvaria enim dicitur ille locus, quia ibi decalvabantur capita damnatorum (*f*). Calvaria enim dicitur testa capitis carne nudata. *Hebraice* (*g*) *Golgotha*, id est locus decollationis (*h*).

Isa. 22. 22. & 9. 6.

Augustinus cit. Tract. 117. n. 3.

Vilitas Passionis a loco deducta.

Calvaria quid sit.

Golgotha quid.

VERSUS XVIII.

1244. *Ubi eum crucifixerunt*. Notatur hic vilitas Passionis a genere mortis, quia vilissimum genus mortis erat. Sapient. secundo: Morte turpissima condemnemus eum. *Et cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jesum*. Notatur hic vilitas a societate, quia isti duo erant latrones. Unde Marci quintodecimo: Crucifigunt cum eo duos latrones, unum a dextris, & alium a sinistris ejus. Tunc impletum est quod dicitur Isaiæ quinquagesimo tertio: Et cum iniquis, vel inter iniquos deputatus est (*i*). Ideo autem in medio, ut significetur, quod mediator sit Dei & hominum. Unde in Nativitate in medio duum

Vilitas quoque Passionis deducta a genere mortis.

Sap. 2. 20.

Item a societate patientium latronum.

Marc. 15. 27.

Isa. 53. 12.

„ Veriti ergo ne ejus postea memoria servaretur, hanc mortem elegerunt, nescii quod cum impeditur, magis apparet veritas. "

(*a*) Sic Glossa interlinear. apud Lyran.

(*b*) Similiter hunc adhibet textum Exposit. in cap. 23. S. Luc.

(*c*) Ibi in cap. 24. ejusd. S. Luc.

(*d*) Vulg. *Calvariæ, locum*; sed *Calvariæ locus* Codd. Vercellen. Veronen. Brix. Goth. apud Blanchin. Sed & Mariana pro hac lectione Goth. allegat. Et *Calvariæ locus* est etiam in Evangeliar. nostro Trident.

(*e*) Cap. 6. De perfect. vit. ad Soror. *Fuit in loco turpissimo & vilissimo crucifixus, scilicet in monte Calvariæ &c.*

(*f*) Exposit. in Psalter. Psal. 68. *Nota: Calvaria dicitur locus, ubi crucifixus est Dominus, ubi solebant facinorosi cruciari, & ibi capita nuda a capillis apparebant quasi calva, inde dicitur Calvaria.*

(*g*) Vulg. *autem*; sed absque *autem* etiam Codd. Veronen. nosterque Bernardin. Dicitur *Hebraice*, propter affinitatem linguæ Syriacæ, cujus illa vox est, cum Hebraica.

(*h*) Exposit. in cap. 23. S. Lucæ „ Locus iste dicitur *Calvariæ*, ut dicunt quidam; quia ibi jacebat Adam, & ibi erat Calvaria capitis ejus, & hoc videtur dicere Ambrosius super Epistolam ad Romanos. Sed hoc non dicit Ambrosius Doctor, sed Ambrosius Adapertus. Nam sicut dicit Hieronymus: Adam sepultus est in Hebron, quemadmodum dicitur in Josue. Dicitur ergo locus *Calvariæ*, quia ibi continebantur calvariæ damnatorum, qui ibi decollabantur &c. " Item cit. cap. 6. De perfect. vit. ad Soror. *Ille locus erat morti damnatorum deputatus, & ibi decollabantur, & suspendebantur pessimi homines.*

(*i*) Vulg. *cum sceleratis reputatus est*. Sed *inter iniquos deputatus est*, legit & S. Augustinus Tract. 117. in Jo. n. 3. *Deputatus* habetur etiam in Cod. Goth. apud Blanchin. Quinimo ipsa Vulg. Luc. 22. 37. *cum iniquis deputatus est*. Ceterum *cum sceleratis reputatus est*, legitur apud ipsum nostrum Interpretem tam Exposit. in cap. 23. S. Luc. quam cit. Cap. 6. De perfect. vit. ad Soror. *Deputatus* autem Breviloq. Par. 4. cap. 9.

Habac. 3. 2. duum animalium (*a*) Habacuc ultimo; & in Passione in medio latronum; & in Resurrectione in medio discipulorum, quia ipse est pax nostra, ad Ephes. *Ad Ephes. 2. 14.* secundo.

VERSUS XIX.

1245. *Scripsit autem & titulum.* Hic notatur secundum principale, scilicet *Patientis Christi dignitas.* patientis dignitas, & innuitur in titulo; quia titulus erat Regis, & hic titulus hoc *Descriptio tituli.* ordine describitur. Primo ejus inscriptio: secundo scripti publicatio: tertio Judæorum contradictio: quarto ejus ap- *Ejus inscriptio.* probatio. Inscriptio igitur, cum dicitur: *Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem.* Isaiæ decimo nono: *Isa. 19. 19.* Erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus (*b*). Et nota, quod quidam *Titulus alius memorialis, alius triumphalis.* est titulus memorialis, sicut mortuorum, quidam triumphalis, sicut iste triumphalis (*c*). Unde est in laudem Christi, & vituperium Judæorum; quia etsi tanquam latro damnatus esset, non tamen erat latro, sed Rex: & hoc dicebat titulus. *Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Hunc titulum approbat Scriptura, unde in Psal- *Ps. 2. 6.* mo secundo: Ego constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus &c. In hoc titulo describit ipsum Pilatus a nomine, cum dicitur *Jesus.* Lucæ *Luc. 1. 31.* primo: Vocabis nomen ejus Jesum. A *Luc. 2. 51.* patria *Nazarenus.* Luc. secundo: Descendit cum eis & venit Nazareth, & erat subditus illis. A dignitate regia, cum *Jer. 23. 5.* diciur *Rex.* Jerem. vigesimo tertio: Suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit. Secundum Matthæum titulus dicitur caussa. Matth. *Matth. 27. 37.* vigesimo septimo: Imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam; quia in titulo illo innuitur, quare mortuus fuerit, scilicet ad salvandum, quia *Jesus;* & ad faciendum nos Deo nostro regnum, quia *Rex.* Apocal. quinto: Dignus es, *Apoc. 5. 9. ac seq.* Domine Deus, accipere librum, & solvere (*d*) signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo &c., & fecisti nos Deo nostro regnum &c.

VERSUS XX.

1246. *Hunc ergo titulum.* Hic ponitur tituli publicatio, unde dicitur: *Hunc* *Tituli publicatio.* *ergo titulum multi legerunt Judæorum quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus;* ideo multi legebant, quia multi concurrebant, nec solum Judæi, sed & alii. Isai. trigesimo quarto: Re- *Isa. 34. 16.* quirite diligenter in libro Domini, & legite, quia quod ex ore meo procedit, ipse mandavit (*e*). *Et erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine,* ut omnes possent legere titulum, quia omnibus Rex erat futurus, sicut dicitur Apocal. decimo nono, quod ipse est Rex regum, *Apoc. 19. 16.* & Dominus dominantium. Ideo tribus linguis, quia Deuteron. decimo nono: In ore duorum vel trium testium stat *Deut. 19. 15.* omne verbum (*f*).

VERSUS XXI.

1247. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum.* Hic notatur Judæorum contradi- *Judæorum contradictio.* ctio, qua titulum volebant delere, cum esset in suam ignominiam, unde dicunt: *Noli scribere, Rex Judæorum, sed quia* (*g*) *dixit: Rex sum Judæorum,* ut scilicet ostenderetur non dignitas, sed præsumptio, qua se Regem esse diceret; contra quod dicitur ad Hebr. quinto: Christus *Ad Hebr. 5. 5.* non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

VER-

(*a*) Vulg. *in medio annorum.* Sed idem Interpres etiam Ser. sive Collat. 1. in Hexaem. secundum Septuaginta translationem cum syncopa legit *in medio duum animalium;* licet secundum aliam translationem dicatur *in medio annorum.* Sed sine syncopa *in medio duorum animalium* habetur in Exposit. jam edita in Joan. Evang. sub S. Bonavent. nomine.

(*b*) Pariter ad hoc ipsum propositum Exposit. in cap. 23. S. Luc.

(*c*) De *titulo memoriali & triumphali,* itidem d. Exposit. in cap. 23. S. Luc.

(*d*) Vide Comment. in Apoc. Cap. 5. num. 355.

(*e*) Ad indicandam Divinam in eo dicendo, scribendoque titulo illustrationem, de qua infra num. 1255.

(*f*) Vulg. *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum;* sed ut supra ipsemet S. Bonav. Exposit. in cap. 23. S. Luc. ex Augustino. S. Augustinus tamen nunc in Edit. Maurin. Enarrat. in Ps. 55. num. 2. habet quidem *vel* pro *aut;* sed habet *stabit* pro *stat.* Vide supra cap. 8. num. 584. Item *stat* pro *stabit* Cod. Biblioth. Episc. Trident.

(*g*) In Vulg. additur *ipse;* sed absque *ipse* etiam Cod. Veronen.

VERSUS XXII.

Tituli approbatio.

1248. *Respondit Pilatus*. Hic ponitur tituli affirmatio, seu approbatio contra Judæorum malitiam; unde Pilatus non delet, sed approbat: *Quod scripsi, scripsi. Quod scripsi* veraciter, *scripsi* indelebiliter, tanquam verum irrevocabiliter. Augustinus: Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod veritas dixit?

Augustinus cit. Tract. 117. n. 5.

VERSUS XXIII.

Tertium principale crucifigentium cupiditas.

Tria notabilia circa milites dividentes sibi vestimenta, & sortem mittentes super tunicam.

1249. *Milites ergo cum crucifixissent eum*. Hic notatur tertium principale, scilicet crucifigentium crudelitas, seu cupiditas in hoc quod Christum expoliaverunt, & sibi vestimenta ejus diviserunt. Et notantur hic tria, scilicet vestimentorum divisio per partes: secundo per sortem: tertio utriusque confirmatio per auctoritatem, ne videatur in morte Christi aliquid fieri casualiter. Dividunt ergo per partes, unde dicitur: *Acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem*. In hoc apparet, ut dicit Augustinus, quatuor fuisse milites, qui Dominum crucifixerunt (a). *Et tunicam*, subaudi acceperunt. Hic notatur divisio tunicæ facta per sortem, & ratio redditur: *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum*, id est, tota continua, & quia non poterat convenienter dividi.

Milites quatuor, qui Christum crucifixerunt. Augustinus ibi Tract. 118. n. 2.

VERSUS XXIV.

1250. *Dixerunt ergo*, scilicet milites, *ad invicem*: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit*; quia sicut dicitur Proverb. decimo octavo: Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat. Et ne putetur hoc casu factum, ostenditur hoc a Propheta esse prædictum, cum dicitur: *Ut Scriptura impleretur, dicens:* (Psalmo vigesimo primo: Deus Deus meus respice in me) *Partiti sunt vestimenta mea sibi*; quantum ad primum: *& super (b) vestem meam miserunt sortem*, quantum ad divisionem tunicæ. Et ista Scriptura intellecta fuit non de Judæis, sed de militibus, propterea dicit: *Et milites quidem hæc fecerunt.* Spiritualiter tunica Christi, quæ indivisa, significat caritatem (c): quæ est vestis, quia operit turpitudinem, primæ Petri quarto: Quia caritas operit multitudinem peccatorum: & ornat, unde dicitur vestis nuptialis, sine qua nemo intrat ad gaudium nuptiarum Agni; unde Matth. vigesimo secundo: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Hæc tunica est inconsutilis, quia ipsa non alio ligatur, sed est vinculum aliorum. Ad Coloss. tertio: Super omnia autem hæc, habete dilectionem, quæ (d) est vinculum perfectionis. Hæc tunica non est dividenda per scissionem, unde primæ ad Cor. primo: Obsecro vos fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Et ad Ephes. quarto: Soliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Hanc tunicam qui dividunt, pejores sunt militibus crucifigentibus, qui Domini vestem inconsutilem dividere noluerunt.

Prov. 18. 18. — *Ps. 21. 19.* — *Spirituali intelligentia caritas est vestis inconsutilis.* — *1. Pet. 4. 8.* — *Matth. 22. 12.* — *Ad Coloss. 3. 14.* — *1. ad Cor. 1. 10.* — *Ad Ephes. 4. 3.*

VERSUS XXV.

Compatientium paucitas.

1251. *Stabant autem juxta crucem*: Hic notatur compatientium paucitas; quia ex omnibus caris ejus tres aderant mulieres, inter quas & Mater Domini, cui etiam Dominus compatiebatur. Et notantur hic quatuor, scilicet mulierum ad Dominum compassio: Domini erga Matrem sollicitudo: & ex sollicitudine recommendatio: & ultimum recommendationis (e) acceptatio. Notatur ergo primo mulierum compassio in hoc quod dicitur: *Stabant autem juxta crucem Jesu*, ideo corpore appropinquabant, quia affectus compassionis tra-

Notabilia quatuor de stantibus juxta crucem Christi.

Mulierum compassio.

(a) Sic ex eodem Augustino Tirinus.

(b) Vulg. *in*; sed *super*, & *in* legit S. August. Tract. 118. n. 2. Cod. Vercellen. *supra*. Codd. autem Mm. Brix. ac Forojul. apud Blanchin. *super*; ac *super* noster etiam Interpres Exposit. in cap. 23. S. Lucæ. Item *super* cit. Ps. 21. 19.

(c) In eadem Exposit. in cit. cap. 23. S. Luc. *Tunica vero illa sortita, omnium partium significat unitatem, qua caritatis vinculo continetur.* Vide quoque nostri Interpretis Exposit. in Psalter. Psal. 132. ubi de *tunica Christi inconsutili*.

(d) Vulg. *caritatem habete, quod est vinculum perfectionis*.

(e) *Recommendationis* a verbo *recommendo*, de quo in Legen. S. Clar. cap. 6. num. 56. & in Glossar. Ducang.

trahebat. *(a)* Alii vero longe recesserant per incompassionem, unde dicitur in Psal. Qui juxta me erant, de longe steterunt. Sed istæ steterunt juxta eum *(b)*, quem magis diligebant, scilicet *Mater ejus*, quæ super omnes compatiebatur *(c)*, unde Lucæ secundo: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Et soror Matris ejus Maria Cleophæ*, hæc fuit mater Jacobi: Notandum est, quod Anna dicitur habuisse tres viros *(d)*, Joachim, Cleopham, & Salome, & ex istis tribus viris habuisse tres Marias, scilicet matrem Domini, quæ fuit filia Joachim; matrem Jacobi, quæ fuit filia Cleophæ; matrem Simonis & Judæ, quæ fuit filia Salome. *Et Maria Magdalene*, quæ dicta est a Magdalo castro. Istæ tres mulieres tanquam magis compatientes stabant juxta crucem Domini.

Ps. 37. 12.

Luc. 2. 35.

Opinio dicentium S. Annam habuisse tres viros.

VERSUS XXVI.

1252. *Cum vidisset ergo Jesus*. Hic notatur secundum, scilicet Domini erga Matrem sollicitudo in hoc quod respexit eam, & cui posset eam recommendare, unde dicitur: *Cum vidisset ergo Jesus Matrem*, cum vidisset ut sollicitus, primæ ad Timoth. quinto: Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet &c. Et Chrysostomus: Hic multam dilectionem monstrat Dominus ad Matrem, & commendat eam discipulo, erudiens nos usque ad ultimam respirationem omnem facere diligentiam eorum, qui nos genuerunt. Exodi vigesimo: Honora patrem tuum, & matrem tuam &c. Hoc, quod præcepit, implevit. *Et discipulum stantem, quem diligebat*, & ideo eam illi familiariter recommendare *(e)* poterat. Stabat Joannes, non recesserat, tanquam unus de illis, de quibus dicitur Lucæ vigesimo secundo: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. *Dicit Matri suæ*. Hic notatur tertium, scilicet diligens recommendatio, unde dicit: *Mulier, ecce Filius tuus*, quasi dicat: Ita confidas de eo, sicut de filio, &

Domini erga Matrem sollicitudo.

1. ad Tim. 5. 8.

Chrysostomus in Jo. Evang. Hom. 84.

Exo. 20. 12.

Luc. 22. 28.

Recommendatio.

VERSUS XXVII.

1253. *Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua*. Quasi dicat: ita eam custodias ut ma-

(a) Maxime de Matre ejus loquendo; quippe ait Interpres noster Exposit. in cap. 23. S. Luc. *Virgo gloriosa & Domina nostra sancta Maria non fuit elongata nec affectu, nec situ*.

(b) Id est, non ita longe sicut alii; sed utcumque *a longe*, ut dicitur Mar. 14. 40. Luc. 23. 49. monetque Tirinus. Certe *juxta crucem* non significat ita prope, ut starent sub alis crucis, quemadmodum nobis a pictoribus exhibetur; non enim cohors militum circumfusa hoc sivisset: sed tali cum aliquanta distantia propinquitate, ut possent ex alto loquentem audire.

(c) Vid. d. Exposit. in Luc. ibi, Lignum Vit. Tit. *Jesus felle & aceto potatus*, Soliloq. cap. 4. Serm. 1. in ordine 37. de Beata semperque Virg. Mar. inter Sermones de Sanctis in Communi, ac præcipue, ut alia omittam loca, in 1. Sent. Dist. 48. Art. 2. Q. 2. in fine. *Ad illud quod objicitur de Christo, & B. Virgine, & aliis compatientibus*, ubi agnoscit quidem summam in ea erga Filium suum Cruci affixum compassionem, neutiquam vero, quod spasmum, id est, deliquium animi perpessa tunc fuerit, atque in terram ex ingenti dolore corruerit. Quem spasmum merito negant heic apud laud. Cornel. a Lap. Cajetan. Jansen. Tolet. Christoph. a Castro, Medina, Molan. Svarez. Et quamvis idem Cornel. inter Scriptores afferentes hujusmodi spasmum alleget *S. Bona. in Meditat. Vitæ Christi cap. 77. & 79.* alium tamen a S. Bona. in Prodromo ostendi talium Vitæ Christi Meditationum Auctorem. Profecto in 1. ibi dicitur quidem *compassa*, sed una simul *vere fortis & pia*, adeo ut *nullo modo sit dubitandum de virili ejus animo, & ratione constantissima*. De quo vid. S. Ambr. Serm. de Instit. Virgin. cap. 7.

(d) Noster Interpres minime adseverat *habuisse tres viros*, sed notanter ait: *Dicitur habuisse tres viros*, scilicet secundum Hugonem de S. Victore, & Glossam in cap. 1. ad Galatas, nec non vulgarem sententiam, de qua apud Bollandianos To. 6. Jul. die 26. in Comment. Hist. §. 3. „Cum Salmerone nostro libenter „fateor, sententiam de triplici Annæ conjugio „vulgarem fuisse, & multorum auctorum suffragiis confirmari posse. Immo scio Euge„sippum quemdam sæculo XI. in Tractatu de „distantiis locorum Terræ sanctæ triplex hoc „matrimonium asserere, ut videri potest apud „Leonem Allatium &c." Tali opinioni faventem dicit Cornelius a Lap. etiam Bedam Actor. 1. nec non Eckium Hom. de S. Anna. Quibus addiderim ego Petrum de Natalibus Episcopum Equilinum in Catal. sanctor. Lib. 6. de Sanctis in Mense Julii occurr. cap. 142. Verum S. Annam uni tantum fuisse Marito conjunctam, atque ex eo unicam suscepisse prolem B. Virginem, vide sis apud eumdem a Lapide in Matth. c. 12. sub ver. 46. & apud Bollandianos ibi, ubi discutitur, utrum S. Anna fuerit monogama, & Deipara illius unigenita. Itaque *Maria Cleophæ* filia, aut uxor, quæ fuit Jacobi minoris mater, nuncupatur supra *Soror Matris ejus*, id est, consobrina.

(e) Supra num. 1251. in not. *a*, & paulo infra num. mox seq. 1253. not. *c*.

matrem. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam (a).* Hic notatur recommendationis acceptatio, *in suam* scilicet matrem (*b*) accepit, ut illam sicut matrem filius honoraret, custodiret, & servaret (*c*). Sed Augustinus legit literam istam, *in sua*, ut sit accusativus pluralis, & quærit quomodo *in sua*, cum non haberet propria? Et respondet *in sua*, scilicet officia, servitia, & beneficia, non in possessiones, quas non habebat (*d*).

Recommendationis acceptatio.

Augustinus in Jo. Evang. Tract. 119. n. 3.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Exivit Jesus bajulans sibi crucem.*

1254. Sed quæritur hic primo de hoc quod supra dictum est, quod *exivit* Jesus *bajulans sibi crucem*. Quia Matth. vigesimo septimo dicitur, quod angariaverunt hominem Cyrenæum nomine Simonem, ut tolleret crucem ejus. Respondet Augustinus in tertio libro de concordia Evangelistarum: Jesus portabat crucem, cum exiret in Calvariam; Simon autem ille in itinere angariatus est, cui data est postea crux portanda usque ad locum. Ita utrumque factum legimus, primo id quod Joannes dicit, deinde id quod Matthæus (*e*).

Matth. 27. 32.

Responsio.

Augustinus L. 3, de conf. Ev, c. 10. n. 37.

Quæstio secunda de titulo, utrum vere aut irrisorie Pilatus scripserit.

1255. Item quæritur de titulo, utrum Pilatus scripserit vere, vel irrisorie? Quod vere, videtur per literam, quia, Judæis petentibus quod deleret, noluit; sed respondit: *Quod scripsi, scripsi*. Quod autem irrisorie, videtur, quia ipsum tanquam stultum, non tanquam verum Regem derideri permisit a militibus, qui coronam spineam imposuerunt, & alapas dabant. Ad hoc respondetur, quod Pilatus aliquam illustrationem habuit, qua cognovit ipsum esse innocentem: unde sciebat, quod per invidiam tradidissent eum, Matth. vigesimo septimo; secundum quam illustrationem etiam cognovit ipsum esse Regem Judæis promissum: unde semper eum vocabat Regem. Unde Augustinus: Avelli ex corde Pilati non potuit, Christum esse Regem Judæorum, tamquam hoc ibi, sicut in titulo, ipsa veritas fixerit (*f*). Quod objicitur, quod derideri fecit, vel permisit, dico, quod sic permisit derideri Regem, sicut flagellari innocentem, ut Judæos de pœnis ejus & opprobriis satiaret, & ad misericordiam inclinaret.

Responsio.

Matth. 27. 18.

Augustinus in Jo Evang. c. 18. Tract. 115. n. 5.

Quæstio tertia si vere, cur ergo Christum morti tradidit? Responsio.

1256. Sed tunc est quæstio, quomodo fuit ausus eum morti tradere? Ad hoc dicendum, quod fuit timore perterritus, ne accusaretur apud Cæsarem (*g*), & errore deceptus; quia putabat totam culpam esse Judæorum, ex quo ad ipsorum petitionem mittebat in eum manum. Unde dicitur Matth. vigesimo septimo, quod accepit aquam, & lavit manus suas, & ait: Innocens ego sum a sanguine justi hujus. Et Judæi totam culpam super se accipiebant, unde dixerunt: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros (*h*). Sed erravit, quia in mortem innocentis consentiri sine peccato non potest.

Matth. 27. 24.

Ibi 25.

In mortem innocentis consentiri sine peccato non potest.

Quæstio quarta de sorte missa super vestimenta.

1257. Sed cum Matthæi vigesimo septimo dicatur: Diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, videtur, quod non solum super tunicam, sed super omnia vestimenta miserunt sortem. Joannes autem dicit solum de tunica. Istud idem dicitur Marci quinto decimo: Diviserunt ejus vestimenta, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Ad hoc respondet Augustinus, & dicit, quod illud Matthæi intelligitur de tota divisione vestimentorum, quam quidam facientes venerunt ad tunicam, de qua sortem miserunt. Ad illud Marci dicendum, quod is est sensus: Diviserunt vestimenta primum, dein mittentes sortem

Matth. 27. 35.

Marc. 15. 24.

Responsio.

Augustinus ibi Tract. 118. n. 2.

tem

(*a*) Sic legunt complures Libri, adstipulantibus Beda apud S. Thomam, Glossa interlin. Hugone Card. Lyrano, Dionys. Carthus. &c. Item *in suam* habet Cod. Biblioth. Episc. Trident. ac noster Bernardin. antiquioresque Biblior. Editiones. Evangeliar. autem nostrum Trident. nec *in sua*, neque *in suam*; sed *secum*, sicut Syrus & Arabicus *apud se*.

(*b*) Sic secundum unam interpretationem; at secundum aliam *in suam*, scilicet curam.

(*c*) 4. Dist. 30. Dub. 4. *Eam beato Joanni recommendavit, & dedit eum sibi in solatium loco filii.*

(*d*) Formalia inibi Augustini sunt hæc: *Suscepit eam in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat; sed officia, propria dispensatione exequenda curabat.*

(*e*) Similiter apud nostrum Interpretem Exposit. in cap. 23. S. Lucæ.

(*f*) *Divino intuitu titulus scriptus est. Unde Beda dicit: Ideo immolato titulus superpositus est, ut a cunctis legere & credere volentibus pateat, quia per crucem non perdidit, sed corroboravit imperium, secundum illud: Factus est principatus super humerum ejus. Et in Psalmo: Dominus regnavit a ligno.* Ita rursus noster Interpres d. Exposit. in cap. 23. S. Luc.

(*g*) Ibi: *Fuit timor, ne incurreret offensam Cæsaris. Unde Joannes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* (*h*) Pariter ibi.

tem super tunicam, quæ remanserat, vel superfuerat, quis tolleret eam (*a*).

Quæstio quinta de Matris commendatione Joanni facta. *Supra 2. 4.* *Responsio.* *Augustinus ibi Tract. 119. n. 1. ac 2.* *Glossa ordinar.*

1258. Item quæritur, quare Dominus sic Matrem recommendavit, cum supra secundo ita dure responderit: Quid mihi, & tibi est mulier? Respondet Augustinus, & habetur in Glossa, quia tunc divina facturus, quasi ignotam repulit Matrem. Jam ostendit venisse horam, quam tunc prædixit, in qua moriturus agnoscit, de qua fuerat mortaliter natus, & humana patiens, affectu ipsam commendat humano, & exemplo instruit, ut a piis filiis impendatur cura parentibus. Ratio autem, quare eam commendat Joanni, ex parte Domini tangitur in litera, quia ipsum specialiter diligebat; sed ex parte sua tacetur: & dicunt Sancti (*b*), quod fuit, ut virginem virgo custodiret.

VERSUS XXVIII.

De Passionis consummatione divisio in tres partes.

1259. *Postea sciens Jesus &c.* Supra egit de Passione, hic agit de Passionis consummatione, & sunt hic tres partes. Primo dicitur ejus consummatio quantum ad Scripturæ testimonium. Secundo quantum ad factum ibi: *Et inclinato capite.* Tertio quantum ad effectum ibi: *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat.*

Consummatio Passionis quantum ad Scripturæ testimonium.

Consummatio igitur Passionis Christi, quantum ad Scripturæ testimonium, attenditur in hoc, quod circa ipsum omnia fierent, quæ per Prophetas prædicta erant. Et insinuantur ipsa hoc ordine, scilicet consummandi intentio, ipsa consummatio, consummationis assertio.

Consummandi intentio.

Consummandi intentio ergo innuitur

in hoc, quod dicitur: *Postea sciens Jesus* (sicut prædixit Isaias decimo: Consummationem & abbreviationem faciet Dominus Deus exercituum in medio omnis terræ) *quia jam* (*c*) *omnia consummata sunt*, supple quæ scripta sunt de Filio hominis, sed non plene; ideo *ut consummaretur Scriptura*, id est, volens perfecte consummare Scripturam, quæ dicit in Psalmo sexagesimo octavo: In siti mea potaverunt me aceto (*d*), *dicit* (*e*) *Sitio*. Et hoc fuit signum infirmitatis assumptæ, & veritatis naturæ, contra illos Hæreticos, qui dicebant, quod non erat vere passus (*f*). Et hoc quidem non tantum dixit propter indigentiam, quantum ad complendam Scripturam.

Isa. 10. 23. *Ps. 68. 22.*

VERSUS XXIX.

Ipsa consummatio.

1260. *Vas ergo erat positum.* Hic notatur ipsa consummatio, qua potaverunt eum aceto, quod quidem ad manum habebant, unde dicitur: *Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes*, id est, ponentes spongiam circa hyssopum (*g*) ligatam, *obtulerunt ori ejus* per arundinem (*h*), sicut dicitur Matth. vigesimo septimo: Continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.

Matth. 27. 48.

VERSUS XXX.

Consummationis assertio.

1261. *Cum ergo accepisset Jesus acetum.* Hic ponitur consummationis assertio unde

(*a*) Pariter Interpres noster in Ligno Vitæ Tit. *Jesus Cruci clavatus*, inquit: *Vestes ipsius dantur in prædam, dividuntur in partes, tunica inconsutili indivisa, per sortem transeunte ad unum.* Item Exposit. in cap. 23. S. Luc.

(*b*) S. Cyprianus, vel quisquis est Auctor Tractatus de Passione Domini inter Opera S. Cypriani, & S. Ambrosius de Instit. Virg. c. 7. Item Theophylactus, Paraphrasis Nonni &c.

(*c*) Vulg. absque *jam*; sed etiam apud Hugonem Card. notatur *al. jam*. Item *jam* pariter Cod. noster Bernardin. nec non Evangelior. Codd. Mm. Brix. ac Trident.

(*d*) Ita Sa, Tirinus, Lorinus &c. *Nullus* enim *de Christo luculentior locus*, inquit idem Lorinus, *nullus majore Catholicorum Auctorum consensione de eodem intellectus*, ut ille Ps. textus; *ita ut in V. Synodo Theodorus Mopsuetenus damnetur, quod negaverit esse de Christo.*

(*e*) Vulg. *dixit*; sed *dicit* etiam Cod. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. nec non Codd. Mm. ac Forojulien. Item Hugo Card. Lyran. Bibliorumque Editiones antiquiores.

(*f*) Hujusmodi *Hæreticos* impugnat noster Interpres 3. Dist. 16. Art. 1. q. 1. in concl. ubi ait, quod talis etiam erat *error antiquus Saracenorum* dicentium: *Quod Christus etsi videretur pati, & dolere, non tamen veraciter habuit dolorem & passionis sensum*. Inibi autem præfatos Hæreticos ita refutat, ut & eorumdem objecta refellat, illud quoque ex S. Hilario petitum, cui multipliciter occurrit, etiam Guilielmi Episcopi Parisiensis testimonio, quod propriis auribus se audivisse testatur.

(*g*) Supple ex S. August. Tract. 119. num. 4. *quæ herba est humilis & pectus purgans*; quidve significet, vide ibi.

(*h*) Ita ibi num. 5. sicque alii Interpretes antiqui apud Tirin.

unde dicitur: *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est*, scilicet quod scriptum erat de me ante spiritus emissionem. De hac consummatione Luc. decimo octavo: Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Ad Hebr. quinto: Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ. *Et inclinato capite, tradidit spiritum*. Posita consummatione in Scripturæ testimonio, ponitur hic consummatio in facto, & hæc consummatio fuit in morte, quia finis passionum præsentium mors est, unde dicitur: *Et inclinato capite, tradidit spiritum*. Augustinus: Tradidit spiritum, tanquam ille, qui potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. Et peractis omnibus *inclinato capite tradidit spiritum*. Quis ita dormit, quando voluerit; sicut Christus, quando voluit, mortuus est? Unde spiritum obtulit, sicut dicitur ad Hebr. quinto: Cum lacrymis & clamore valido offerens, scilicet spiritum suum. Et hæc fuit consummatio prædictorum, sicut dicitur ad Hebr. decimo: Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Et ad Heb. secundo: Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios adduxerat in gloriam, per Passionem consummare.

Luc. 18. 31. — Ad Hebr. 5. 9. — Consummatio quantum ad factum. Mors passionum præsentium finis. — Augustinus in Jo. Evang. Tract. 19. n. 2. — Augustinus ibi. — Ad Hebr. 5. 7. — Ad Hebr. 10. 4. & 2. 10.

VERSUS XXXI.

1262. *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat*. Hic ponitur consummatio in Passionis effectu, quæ quidem fuit in apertione lateris Christi, ex quo exivit sanguis & aqua, unde efficaciam habent Sacramenta, ut dicit Glossa. (a) Et notantur hic quatuor, scilicet petitio depositionis crucifixorum, crurifragium latronum, apertio lateris Christi, & confirmatio testimonii. Petitio depositionis crucifixorum facta est a Judæis; & ratio redditur, quia erat in die sequenti magnus dies Sabbati, propter quod dicitur: *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat*, id est, dies proximus ante Sabbatum (b); *ut non remanerent in cruce corpora Sabbato*, propter solemnitatem scilicet; *erat enim magnus dies ille Sabbati*, quia intra solemnitatem Azymorum; *rogaverunt Pilatum, ut frangerentur crura eorum, & tollerentur*. Augustinus: Ideo eorum frangebantur crura, ut morerentur, & auferrentur ex ligno, ne pendentes in crucibus magnum diem festum, sui diuturni cruciatus horrore, fædarent. Deuteron. vigesimo primo: Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti, suspensus (c) fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur.

Consummatio quantum ad effectum. — Glossa ordinar. — Petitio depositionis crucifixorum. — Parasceve dies proximus ante Sabbatum. — Augustinus ibi Tract. 120. n. 1. — Deut. 21. 22. ac seq.

VERSUS XXXII.

1263. *Venerunt ergo milites*. Hic notatur crurifragium latronum. *Venerunt ergo milites*, ad petitionem Judæorum; *& primi quidem*, scilicet ad quem primo venerunt; *fregerunt crura*, quia vivebat adhuc; *& alterius, qui crucifixus erat (d) cum eo*, supple crura fregerunt, & sic expiraverunt. Ut sic ipsi distinguerentur ab Agno, cujus ossa debebant integre conservari; quia solus integer fuit a peccato, qui poterat dicere illud Psalmi sexti: Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Crucifragium latronum.

VERSUS XXXIII.

1264. *Ad Jesum autem cum venissent*. Hic notatur apertio lateris Christi. Et primo dicitur, quare non fregerunt crura ejus, scilicet quia mortuus erat; & hoc est quod dicitur: *Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura*; quia propter hoc faciebant, ut accelerarent mortem (e), & subditur apertio, unde dicitur:

Apertio lateris Christi.

VERSUS XXXIV.

1265. *Sed unus militum lancea latus ejus aperuit*. Augustinus: De hoc non dicitur vulneravit, sed aperuit, ut illic quodam modo ostium panderetur, unde sacra-

Augustinus supra cit. n. 2.

(a) Et ipsemet Interpres noster Prooem. in Lib. 4. Sententiar. & in Ligno vitæ Tit. *Jesus translanceatus*.

(b) *Parasceve, id est, dies proxime Sabbatum præcedens*, ait etiam Menochius.

(c) Vulg. *appensus*; sed Hebr., Symmachus, & alii, *suspensus*.

(d) Vulg. *est*; sed *erat* quoque Evangelior. Codd. Vercellen. Corbejen. Veronen. Brixian. ac Trident.

(e) Ita & Dionys. Carthus.

Sacramenta Ecclesiæ manaverunt (a), & propterea subditur: *Et continuo exivit sanguis & aqua.* Augustinus: Iste sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua ista salutare temperat poculum: hæc & lavacrum præstat, & potum. Apocal. primo: Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Et ad Ephes. quinto: Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro &c.

Augustinus ibi. *Apoc. 1. 5.* *Ad Ephes. 5. 25. ac seq.*

VERSUS XXXV.

1266. *Et qui vidit.* Hic innuitur quartum, scilicet testimonii confirmatio. Et hoc confirmat testimonio suo, & Scripturæ testimonio. Suo, quia ipse vidit, & præsens fuit, unde dicitur: *Et qui vidit, testimonium perbibuit.* Et approbat testimonium quia verum, unde *& verum est testimonium ejus*; & quia certum, unde *& ille scit quia vera dicit.* Et ideo: *Ut & vos credatis*, quia citius fides accommodatur ei, qui vidit, quam qui relatione cognovit. Proverb. duodecimo: Qui quod novit loquitur, judex (b) justitiæ est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus. Et primæ Joannis primo: Quod fuit ab initio, quod audivimus, quo vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ &c. Non solum hoc suo confirmat testimonio, sed etiam Scripturæ, unde dicit:

Testimonii confirmatio. *Prov. 12. 17.* *1. Jo. 1. 1.*

VERSUS XXXVI.

1267. *Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo*, Exodi duodecimo. Et ideo non fregerunt crura.

Exo. 12. 46.

VERSUS XXXVII.

1268. *Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.* Zachar. duodecimo: Aspicient ad me, quem confixerunt (c); & ideo verum est, quod miles latus ejus aperuit. Hæc Scriptura nondum plene impleta est, sed in die Judicii. Apocal. primo: Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. (d) Chrysostomus: Nullus discredat, neque verecundans aspiciat; quæ enim maxime opprobriosissima videntur esse, hæc sunt fundamenta nostrorum honorum (e).

Zach. 12. 10. *Apoc. 1. 7.* *Chrysostomus Hom. 84. in Joan. cap. 19.*

1269. Sed quæritur hic primo de hoc, quod dicitur, quod, *ut consummaretur Scriptura*, petiit potum. Videtur ordo præposterus, quia non Dominus est propter legem, sed lex & Scriptura propter Dominum; unde & Apostolus testatur ad Rom. decimo, quia finis legis Christus. Dicendum, quod *ut* non est ibi caussale, sed consecutivum (f); ut non sit sensus, quod propter Scripturam implendam hoc Dominus fecerit: sed hoc consecutum est ad factum Domini, videlicet impletio Scripturæ, quæ prædixerat.

Quæstio prima de consummatione Scripturæ. *Ad Rom. 10. 4.* *Responsio.*

1270. Sed est quæstio, quare magis dicitur Dominus consummasse Scripturam in potu aceti, quam in aliis? Et responsio est, quia Dominus in omnibus membris passus fuerat, ut totus pateretur; & non restabat nisi os & lingua: ideo quia tunc generaliter omnia membra sunt passa, tunc dicitur passio quodam modo consummata, & per consequens Scriptura (g).

Quæstio secunda de consummatione in potu aceti. *Responsio.*

1271. Item quæritur de hoc, quod statim sic habuerunt acetum paratum, quomodo hoc fuerit? Numquid sciebant, quod ipse potum peteret? Ad hoc dicunt quidam, quod vinum ad biben-

Quæstio tertia de aceto statim parato. *Variæ Interpretum responsiones.*

(a) Sic etiam ex eodem S. August. L. 2. de Gen. ad lit. cap. 24. idem Interpres d. Procem. in Lib. 4. Sentent. Et ita quoque S. Chrysostomus.

(b) Vulg. *index*; sed Complut. Hugo, Lyran. & alii, etiam legunt *judex*. Item duo nostri membr. Codd. Bernardin. ac tertius Biblioth. Episc. Trident.

(c) *Secundum Hebr. nam LXX. aliter, Joannes sensum reddidit*, inquit Sa. De qua prophetia Zach. vide sis Cornel. a Lap. pro ipsa contra Judæos constabilienda laudantem Petrum Galatinum. Item ipsummet Interpretem nostrum Exposit. in cap. 23. S. Luc.

(d) Sic de *die Judicii* Comment. in Apocal. cap. 1. num. 27. ac seqq. nec non apud Dionys. Carthus. ac Natal. Alexan.

(e) In Versione Edit. Basileen. 1530. *Nemo igitur his fidem non adhibeat, neque pudore nostra offendat; quæ enim maxime ignominiosa videntur, hæc sunt nostrorum bonorum honestissima.* Variat quoque versio in Exposit. jam edita; nam pro *fundamenta nostrorum bonorum*, est *fundamenta bonorum nostrorum*.

(f) Sic etiam S. Thomas in hunc locum.

(g) Ita omnino noster Interpres in hunc locum Exposit. in cap. 23. S. Lucæ.

dum portaverant, quod propter calorem conversum fuerat in acetum. Alii dicunt, quod studiose acetum portaverant, ut ipsum bibendo citius interiret (*a*). Alii dicunt, quod erat vinum myrrhatum, quod erat amarissimum & acutum, sicut acetum, ad magis cruciandum eum jam crucifixum (*b*). Unde dicunt, tunc etiam impletam esse Scripturam Psal. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto (*c*).

Ps. 68. 22.

Quæstio quarta de dictis a Christo mox moriturо.

1272. Item quæritur de hoc, quod dicit Joannes, quod dixit Christus: *Consummatum est, & inclinato capite emisit spiritum*. Lucas vero vigesimo tertio dicit, quod clamavit voce magna: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Sed Matthæus vigesimo septimo, & Marcus quinto decimo quod clamavit voce magna: Eli Eli, Lammasabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et intelligendum, quod omnia ista dixit (*d*); sed primum dixit: *Sitio*, deinde, dum illi acetum pararent, clamavit: Eli &c., & ad hanc vocem, qui parabat, acceleravit ferre acetum, & circumponere, quo accepto dixit: *Consummatum est*, & tunc inclinans caput, cum clamore valido expiravit dicens: In manus tuas &c. (*e*).

Luc. 23. 46. Matth. 27. 46. Marc. 15. 34. Responsio.

Quæstio quinta de latere Christi aperto post mortem. Responsio.

1273. Item quæritur, quare latus ejus apertum, seu vulneratum fuit post mortem, & non ante? Et intelligendum, quod nulla facta sunt circa eum, nisi quæ Deus congrua ratione permisit; hujus autem redditur ratio allegorica, & literalis. Allegorica, quia sicut de latere Adæ dormientis formata est Heva, ita de latere Christi dormientis in cruce formata est Ecclesia. Unde Augustinus: Ob hoc secundus Adam in cruce dormivit, ut tamen formaretur ejus conjux per hoc quod de latere dormientis effluxit (*f*). Literalis vero ratio est, quia Dominus Christus etsi ostenderet humanitatem, tamen volebat simul Divinitatis ostendere veritatem. Unde hoc ostendit ante Passionem in sui comprehensione: hoc in Passione in tenebris: hoc post mortem ostendit in effluxione aquæ & sanguinis. Unde Ambrosius: Licet corporis Christi fuerit natura mortalis, dissimilis tamen gratiæ fuit; nam post mortem sanguis in nostris corporibus coalescit, ex illo autem incorrupto corpore omnium vita manavit, aqua & sanguis exivit: illa, quæ abluat; iste, qui redimat: bibimus pretium nostrum, ut bibendo redimamur.

Ratio allegorica, & literalis. Augustinus in Jo. Evang. c. 19. Tract. 120. n. 2. Ambrosius in Luc. L. 10. n. 135.

VERSUS XXXVIII.

1274. *Post hæc autem rogavit &c.* Supra actum est de Domini comprehensione, condemnatione, & Passione; hic agitur de quarto, scilicet de sepulturæ conditione, & hoc ordine agitur. Primo ponitur suspensi corporis depositio. Secundo depositi conditio, ibi: *Venit autem & Nicodemus*. Tertio conditi in sepulchro collocatio, ibi: *Erat autem in loco &c.* Primum factum est a Joseph: secundum a Nicodemo: tertium ab utroque. Joseph ergo deposuit corpus Jesu; & quia non poterat nisi per licentiam, ideo petiit, & petitum obtinuit, & obtentum deposuit. Petiit, quia discipulus erat Christi (*g*), quamvis occultus, propterea dicitur: *Post hæc autem*, id est, post Passionis consummationem, *rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa*. Arimathæa idem est quod Ramatha villa Elcanæ, Samuelis, & Annæ (*h*); de qua primi Reg. primo in principio. Ideo scilicet rogavit, *eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum*; quia sicut dicitur supra nono: Jam conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur (*i*) Christum, extra Synagogam fieret. Etsi esset occultus, tamen verus; quia non tantum vivum, sed etiam mortuum dilexit, Proverb. decimo septimo: Omni tem-

De sepultura Christi. Corporis Christi depositio facta a Joseph Arimathæo. Arimathæa quid sit. 1. Reg. 1. 1. Jo. 9. 22. Prov. 17. 17.

(*a*) Huic adhæret conjecturæ Theophylactus, & eam amplectuntur ex Recentioribus Cajetanus, Jansenius, Toletus, Franciscus Lucas, Barradius, Emmanuel Sa, & alii.

(*b*) Apud Cornel. a Lapide in Matth. c. 27. sub ver. 48.

(*c*) Ita noster Interpres Exposit. in cap. 23. S. Luc. Vid. supra num. 1259.

(*d*) Exposit. eadem in cap. 23. S. Lucæ.

(*e*) Ita fere ibi, sed heic paulo enucleatius.

(*f*) Sic quoque noster Interpres Procem. in 4. Lib. Sent.

(*g*) Id est, unus eorum, qui in ipsum credebant, non quomodo Apostoli, aut septuaginta Discipuli, qui Christo subserviebant in prædicando Evangelio, inquit Estius.

(*h*) Ita etiam Exposit. in cap. 23. S. Lucæ idem noster Interpres. Item S. Tho. ac Dionys. Carthus. secundum Bedam.

(*i*) Vide supra cap. 9. num. 677.

tempore diligit qui amicus eſt. *Rogavit*, inquam, *ut tolleret corpus Jeſu*, id eſt, de cruce deponeret, & obtinuit, propterea dicitur: *Et permiſit Pilatus*, ut ſcilicet ſepeliretur. *Venit ergo*, ſcilicet a loco, ubi erat Pilatus, ad crucem; *& tulit corpus Jeſu*, hoc eſt, de cruce depoſuit (*a*).

VERSUS XXXIX.

1275. *Venit ergo* (*b*), vel *venit autem* (*c*), *& Nicodemus*. Hic agitur de conditione ex aromatibus facta a Nicodemo, & tangitur devotio Nicodemi in apportatione multorum aromatum, & in conditione corporis. *Venit ergo*, vel *venit autem*, *& Nicodemus*, *qui* ſcilicet *venerat ad Jeſum nocte primum*, ſupra tertio, agitur de hoc adventu, in quo innuitur ratio adveniendi, quia erat etiam diſcipulus, quamvis occultus; *ferens mixturam myrræ*, *& aloes*, id eſt, unguentum ex his confectum, quod ſervabat corpus a putrefactione. Nondum enim credebat reſurrectionem, ſicut nec diſcipuli; tamen multum amabat. Unde dicitur: *Quaſi libras centum*; non enim intelligebat adhuc quod in Pſalmo dicitur: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem (*d*).

Devotio Nicodemi in condiendo Chriſti corpore aromatibus.

Jo. 3. 2.

Pſ. 15. 10.

VERSUS XL.

1276. *Acceperunt ergo*. Tangitur devotio Nicodemi in corporis conditione. *Acceperunt ergo*, ipſe ſcilicet, & Joſeph, *corpus Jeſu*, *& ligaverunt illud linteis cum aromatibus*, & perunxerunt ſupple, *ſicut mos eſt Judæis ſepelire*, ſcilicet honorifice. Geneſis ultimo: Præcepit Joſeph ſervis ſuis medicis, ut aromatibus condirent patrem (*e*). Chryſoſtomus: Sepeliunt ipſum, non ut condemnatum, ſed ut conſuetudo eſt Judæis, multum ſcilicet honorifice, ut magnum quemdam & mirabilem.

Gen. 50. 2.

Chryſoſtomus in Jo. Evang. c. 19. Hom. 84.

VERSUS XLI.

1277. *Erat autem in loco*. Hic ponitur tertium, ſcilicet in ſepulchro collocatio. Et ratio, quare in loco illo collocatur, duplex innuitur, ſcilicet loci congruitas, & temporis brevitas. Loci congruitas, quia propinquum, & novum, unde dicitur: *Erat autem in loco*, *ubi crucifixus eſt hortus*, *& in horto monumentum novum*. Et ideo novum, *in quo* ſcilicet *nondum quiſquam poſitus fuerat* (*f*). Et tale monumentum Domino congruebat, ut non alterius æſtimaretur facta reſurrectio, qui cum Domino jaceret (*g*). Et Auguſtinus dicit, quod ſicut in Mariæ Virginis utero nemo ante illum, nemo poſt illum, conceptus fuit: ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo poſt illum, ſepultus fuit.

Collocatio corporis Chriſti a Joſeph & Nicodemo facta.

Auguſtinus cit. Tract. 120. n. 5.

VERSUS XLII.

1278. *Ibi ergo propter Paraſceve Judæorum*, & ita ſolemnitas imminebat, propter quam nec eum longe ferre licebat (*h*); *quia juxta erat monumentum*, id eſt, prope, *poſuerunt eum* (*i*), ſcilicet Jeſum. Auguſtinus: Acceleratam vult intelligi ſepulturam, ne adveſperaſceret, quando jam propter Paraſceve, quam Cœnam puram Judæi Latine uſitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.

Auguſtinus ibi.

1279. Sed quæritur hic, quare nullus diſcipulorum Domini acceſſit ad ſepeliendum ipſum? Si dicas, quod timore Judæorum non audebant; contra, quia Joſeph multo magis timebat: ergo multo magis debebat iſte dimittere. Reſpondeo, ratio fuit & humana, & Divina. Humana, quia etſi diſcipulus & iſte timeret Judæos, tamen iſte erat nobilis Perſona, ſcilicet Decurio, ſicut dicitur Marci quinto decimo; & ideo confidebat de impetratione, quia notus erat

Quæſtio prima cur nullus Chriſti diſcipulorum ad ipſius corpus ſepeliendum acceſſit.

Reſponſio.

Mar. 15. 45.

(*a*) Sic Dionyſ. Carthuſ. Vid. infra num. 1280.
(*b*) Ita Codd. Corbejen. & Vercellen.
(*c*) Sic ſecundum Vulg.
(*d*) Pariter S. Thomas.
(*e*) Ad hoc ipſum propoſitum adducit hunc textum *Geneſis ultimo* etiam Expoſit. in cap. 23. S. Lucæ.
(*f*) Vulg. *erat*; ſed *fuerat* etiam Cod. noſter Bernardin. aliuſque Biblioth. Epiſcop. Trident. Hugo Card. &c.
(*g*) Ita etiam S. Chryſoſt. & Theophylact. nec non S. Tho. ac idem Dionyſ.
(*h*) Rurſum ipſemet Dionyſ. Item heic Natal. Alexan. ſic: *Urgebat ſcilicet tempus*; *paucæ ſupererant horæ uſque ad veſperam*, *quæ ſolemni Sabbato initium dabat*; *& ideo longius deferri non poterat ſacrum corpus*.
(*i*) Vulg. *poſuerunt Jeſum*. Evangeliar. noſtrum Trident. *illum*.

erat Pilato (a). Ratio Divina, quia si discipuli sepelissent, probabile argumentum habuissent Judæi, quod corpus ejus postmodum furati essent.

Quæstio secunda de metu Joseph, utrum bonus.

1280. Item de metu Joseph, utrum fuerit bonus? Quod non, videtur, quia magis est amanda salus propria, quam confusio mundana; ergo si iste non audebat nomen Christi confiteri propter metum, malus erat metus. Sed contrarium dicitur Luc. vigesimo tertio, quod erat vir bonus, & justus. Respondeo: Timor ille non erat iniquitatis, sed cujusdam naturalis infirmitatis, qua homo timet pudorem; nec fuit culpa, quia non tantum timuit ut negaret, ut Petrus, sed non ut publice prædicaret: & hoc non erat tunc necessitatis, sed perfectionis (b). Ambrosius: Quid mirum, si occultatur justus, cum occultabantur & Apostoli justorum magistri?

Luc. 23. 50. Responsio. *Ambrosius L. 10. in Luc. n. 138.*

Quæstio tertia de devotione Nicodemi.

1281. Item quæritur de devotione Nicodemi. Videtur enim quod peccaverit, quia sicut peccatum est in tenacitate, sic peccatum est in superflua effusione. Sed superflua fuit unguenti effusio; quia nullius necessitatis vel utilitatis, & præterea non erat opus tanto; ergo &c. Respondeo, quod laudatur devotio Nicodemi, nec fuit ibi perditio, sed devotio, sicut dicitur supra duodecimo; & sicut non potest homo servire Divinitati nimium, sic Corpori Christi pro nobis crucifixo nullus potest superfluum impendere obsequium. Ideo etsi superfluitas fuisset circa aliud, non tamen circa illud Corpus Sanctissimum. Quod objicitur, non indigebat; dicendum, quod ipse credebat indigere, & hoc quidem non erat laudis, sed ignorantiæ (c). Sed in hoc, quod dignum magno honore credebat, & illi impendebat, devotio commendatur (d).

Responsio. *Jo. 12. 3. & seqq.*

Quæstio quarta quare Christus viliter passus ac mortuus, voluit honorifice sepeliri. *Matth. 8. 22.*

1282. Sed quæritur ex parte Domini, cum ipse Dominus omnem formam debuerit nobis dare perfectionis, & ipse doceat, Matth. octavo, contemnere sepulturam; videtur, quod sua dispositione in loco vili, & contemptibiliter debuerit se facere sepeliri, sicut & viliter pati voluit. Resp. Dicendum, quod nobis contemnenda est sepultura propter fidem resurrectionis. Credimus enim, quod ubicumque pulveres sunt dispersi, a Domino in unum colligentur, nec effugient Divinæ cognitionis & virtutis potentiam. Sed sepultura Christi erat ad fidem nostræ resurrectionis astruendam; in hoc enim quod credimus Caput nostrum resurrexisse, & nos credimus resurrecturos. Et ideo ut resurrectio ejus esset certa, debuit in loco patenti (e), & honorabiliter sepeliri (f), & a militibus etiam custodiri ad suspicionem tollendam. Quod ergo objicitur, quod exemplum dare debuit, quod non curaremus de vilitate sepulturæ; dicendum, quod sic debuit dare exemplum morum, ut tamen fidei non præjudicaret, ut sic currat humilitas simul & veritas. Nihilominus tamen satis dedit exemplum, quod non est curandum de sepultura. Si enim dum viveret de pœnis & ignominia corporis non curavit; ostendit, post mortem multo minus esse curandum de vilitate corporis exanimis.

Responsio. Non est de sepultura curandum.

C A-

(a) Pariter Hugo Card.

(b) Estius „ *Occultus autem propter metum* „ *Judæorum*: non quia Christum negabat Dominum ac Magistrum suum esse; sed quia „ palam apud alios non profitebatur ob metum Judæorum, ne extra Synagogam fieret; „ aut quia dives erat, ne damnum pateretur. „ Nunc autem facto ipso confitetur, Corpus „ Christi petens, atque in suo sepulcro publice „ ac honorifice sepeliens...... Et ad hoc significandum dicitur Marci 15. quod *audacter* „ *introivit ad Pilatum &c.* “

(c) Supra num. 1275.

(d) Similiter laud. Dionys. Carthus.

(e) *Prope urbem*, ut ex Chrysostomo refert Calmet; sive *palam*, *&* *plena luce*, *&* *loco celebri*, ut ait Tirinus.

(f) *A viris primariis, consciis, immo videntibus Judæis, consentiente Præside, magno honore sepulturæ mandari*, ex eodem Tirino.

CAPUT VIGESIMUM.

1. UNa autem ſabbati, Maria Magdalene venit
mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monu-
mentum: & vidit lapidem ſublatum a monu-
mento. 2. Cucurrit ergo, & venit ad Simo-
nem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem
amabat Jeſus, & dicit illis: Tulerunt Domi-
num de monumento, & neſcimus ubi poſue-
runt eum. 3. Exiit ergo Petrus, & ille alius
diſcipulus, & venerunt ad monumentum. 4. Cur-
rebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcurrit citius Pe-
tro, & venit primus ad monumentum. 5. Et cum ſe inclinaſſet, vi-
dit poſita linteamina, non tamen introivit. 6. Venit ergo Simon Pe-
trus ſequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina
poſita, 7. Et ſudarium, quod fuerat ſuper caput ejus, non cum lin-
teaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum. 8. Tunc
ergo introivit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumen-
tum: & vidit, & credidit: 9. Nondum enim ſciebant Scriptu-
ram, quia oportebat eum a mortuis reſurgere. 10. Abierunt ergo
iterum diſcipuli ad ſemetipſos. 11. Maria autem ſtabat ad monu-
mentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit
in monumentum: 12. Et vidit duos angelos in albis, ſedentes, unum
ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu. 13. Di-
cunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum
meum; & neſcio ubi poſuerunt eum. 14. Hæc cum dixiſſet, con-
verſa eſt retrorſum, & vidit Jeſum ſtantem: & non ſciebat quia Jeſus
eſt. 15. Dicit ei Jeſus: Mulier, quid ploras? Illa exiſtimans quia
hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi
ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam. 16. Dicit ei Jeſus: Maria.
Converſa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magiſter.) 17. Dicit
ei Jeſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum:
vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, &
Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. 18. Venit Maria Mag-
dalene annuntians diſcipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.
19. Cum ergo ſero eſſet die illo, una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi
erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum: venit Jeſus, & ſtetit
in medio, & dixit eis: Pax vobis. 20. Et cum hoc dixiſſet, oſtendit

eis manus, & latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. 21. Di-
xit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto
vos. 22. Hæc cum dixisset, insufflavit: & dixit eis: Accipite Spiri-
tum sanctum. 23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quo-
rum retinueritis, retenta sunt. 24. Thomas autem unus ex duodecim,
qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. 25. Dixe-
runt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi
videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in
locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.
26. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas
cum eis. Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax
vobis. 27. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vi-
de manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum: &
noli esse incredulus, sed fidelis. 28. Respondit Thomas, & dixit
ei: Dominus meus, & Deus meus. 29. Dixit ei Jesus: Quia vi-
disti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.
30. Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum
suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. 31. Hæc autem scripta
sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei: & ut credentes,
vitam habeatis in nomine ejus.

EX-

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

1283.

UNA autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum: & vidit lapidem revolutum. (a) a monumento. Egit supra Evangelista de his, quæ spectant ad Domini Incarnationem, & Passionem. Ab hoc loco usque in finem agit de his, quæ spectant ad Resurrectionem. Agitur ergo in hac parte de manifestatione Resurrectionis Christi. Et quia hanc manifestationem prævivit discipulorum sollicitudo, & secuta est nostra instructio, seu fidei certitudo; ideo in hac parte sunt tres partes. In quarum prima describitur sollicitudo discipulorum & mulierum, quibus se manifestavit. In secunda describitur ipsa manifestatio, ibi: *Abierunt ergo discipuli*. In tertia nostræ fidei confirmatio, ibi: *Hic est discipulus ille* &c. Prima pars dividitur, quia enim Dominus utrumque sexum redemerat, & utrique se manifestare volebat; præmittitur non tantum sollicitudo virorum, sed etiam mulierum. Ideo primo ponitur sollicitudo Mariæ, deinde discipulorum, ibi: *Exiit ergo Petrus* &c. Sollicitudo Mariæ notatur & in vigilantia ad requirendum, & in diligentia ad renuntiandum. Vigilans quippe ad requirendum fuit, quia summo diluculo venit, propterea dicitur:

De Resurrectionis Christi manifestatione. — *Divisio in tres partes.* — *Subdivisio primæ partis.* — *Sollicitudo Mariæ Magdalenæ in ejus vigilantia ad requirendum,*

1284. *Una autem sabbati*, scilicet die dominica (b), quæ est *una*, id est, prima dies *sabbati*, id est, septimanæ (c) secundum illud Lucæ decimo octavo: Jejunio bis in sabbato (d). Sabbatum etiam dicitur septimus dies Exodi vigesimo: Memento, ut diem sabbati santifices. *Maria Magdalene venit mane*, tanquam sollicita videre Domini corpus; & ideo non expectavit diem, ideoque additur: *cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum*. Chrysostomus: Maria omnino circa Magistrum amicabiliter se habens, quia sabbatum transiit, non sustinuit quiescere; sed venit diluculo profundo ad monumentum, a loco mitigationem quamdam invenire volens. Quia vero venit *mane*; ideo invenit. Proverb. octavo: Qui mane vigilaverint (e) ad me, invenient me. *Et vidit lapidem*, hic notatur diligentia ad renuntiandum, in hoc quod visam monumenti apertionem refert discipulis, unde: *Et vidit lapidem revolutum a monumento*. Ista remotio lapidis significata fuit Judic. sextodecimo, ubi dicitur: Samson apprehendit ambas fores portæ cum postibus suis & sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis &c. (f)

Luc. 18. 12. — *Exo. 20. 8.* — *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 20. Hom. 84.* — *Prov. 8. 17.* — *Et in diligentia ad renuntiandum.* — *Jud. 16. 3.*

(a) Vulg. *sublatum*; sed *revolutum* etiam Cod. Brix. & Auctor Exposit. in Jo. Evang. edit. sub S. Bonav. nomine. Hugo Card. *revolutum, vel sublatum*. S. Tho. quoque habet *sublatum*, & *revolutum*. Interlin. apud Lyran. *sublatum al. revolutum*. Dionys. Carthus. *revolutum*.

(b) Ita noster Interpres secundum Augustinum, Chrysostomum &c. Sicque Mariana, Menochius &c. Vid. S. Hier. Epist. 120. al. 150. ad Hedibiam Quæst. 4.

(c) Exposit. in cap. 24. S. Lucæ, atque ita Sa, Tirinus, Calmet, Natal. Alexand. &c.

(d) *Bis in sabbato, id est, septimana* d. Exposit. in cap. 18. d. S. Lucæ, Sa, Menoch.

(e) Vulg. *vigilant*; sed *vigilaverint* unus Cod. Biblioth. Episc. Trident. & duo quoque nostri Codd. Bernardin. S. Bernardus Serm. 69. in Cant. num. 8. Hugo Card. Lyran. ac antiquæ Biblior. Editiones. Quinimo ipsemet Interpres noster Exposit. in Cap. 16. Sap. non procul a fine.

(f) Similem interpretationem vide sis apud S. Gregorium Lib. 2. Hom. 21. in Evang. n. 7. Quodve Christi figuram gesserit Samson, ait idemmet noster Interpres Exposit. in Cap. 24. S. Luc. nec non in Ligno Vitæ Tit. *Jesus triumphans mortuus*.

VERSUS SECUNDUS.

1285. *Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum*, qui præcipue inter alios Christum diligebat, *& ad alium discipulum, quem diligebat (a) Jesus*, id est, ad Joannem, *& dicit eis (b): Tulerunt Dominum de monumento*, in Græco additur *meum (c)*, ad expressionem affectus *(d)*. *Tulerunt*, scilicet ministri, vel Judæi, vel custodes, *& nescio (e) ubi posuerunt eum*, quod erat ei caussa majoris doloris. Quia enim eum adhuc in carne cognoscebat, & amabat; ideo carne ejus subtracta, nulla consolatio remanebat *(f)*.

VERSUS TERTIUS.

Sollicitudo discipulorum in velocitate currendi,

1286. *Exiit ergo Petrus*. Hic notatur sollicitudo discipulorum & in velocitate currendi, & in curiositate considerandi, ibi: *Et cum se inclinasset*. Solliciti igitur fuerunt, quia audito quod sublatus esset, velociter venerunt, unde dicitur: *Exiit ergo Simon Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum*; hoc dictum est per anticipationem, hoc est arripuerunt iter, ut venirent ad monumentum, & velociter veniebant, unde dicitur:

Dictum per anticipationem.

VERSUS QUARTUS.

1287. *Currebant autem duo simul*. Semper simul vadunt, unde & ad orationem simul. Act. tertio: Petrus & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. *Currebant autem duo simul*, velociter scilicet, sed in hac velocitate dispariter, unde: *Et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit prior (g) ad monumentum*, ideo velociter, quia comprehendere volebant, primæ ad Cor. nono: Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium, sic currite, ut comprehendatis. Vel quia junior erat, & citius currere poterat; vel quia ad videndum erat ferventior: sed tamen Petrus fuit in considerando diligentior, unde sequitur disparitas in diligentia considerationis *(h)*. Nam de Joanne dicitur:

Act. 3. 1. — 1. ad Cor. 9. 24. — Et in diligentia considerandi.

VERSUS QUINTUS.

1288. *Et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit*; & sic in quærendo fuit velox, sed in considerando remissus. Petrus autem e contrario; unde dicitur:

VERSUS SEXTUS.

1289. *Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum*, non contentus tantum extra aspicere, ut Joannes *(i)*. Et sic verificatum est illud, Matth. decimo nono: Erunt novissimi primi, & primi novissimi. *Et vidit linteamina posita*, scilicet separatim.

Matth. 19. 30.

VERSUS SEPTIMUS.

1290. *Et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum*, tanquam hoc gestum esset per festinatio-

---

(a) Vulg. *amabat*; sed *diligebat* pariter Codd. Corbejen. Gat. Mm. item Biblioth. Episc. Trid. nosterque Bernardin. Item Hugo Card. Lyran. ac Dionys. Carthus. *diligebat al. amabat*. S. Tho. *amabat* & *diligebat*.

(b) Vulg. *illis*; sed *eis* quoque dd. Codd. Episc. Biblioth. Trident. ac noster Bernardin. Item Codd. Veron. Forojul. Goth. Hugo Card. Dionys. Carthus. &c.

(c) Sic apud S. Jo. Chrysostomum cit. ac S. Augustinum.

(d) Ita S. Aug. Beda, Glossa interlin. S. Thomas &c.

(e) Vulg. *nescimus*; sed *nescio* S. Greg. Moral. Lib. 3. cap. 13. num. 22. not. *e*. secundum Codd. duos Rem. duos Remig. Val-Cl. Corb. Germ. & alios veteres MSS. Hugo Card. *nescio al. nescimus*. Evangel. nostrum Trid. *non scio*.

(f) Vide infra sub ver. 18. in resp. ad q. 7. num. 1314.

(g) Vulg. *primus*; sed *primus* pro *prior*, inquit Sa. Et *prior* habet etiam Auctor Edit. in Jo. Evang. sub S. Bonav. nomine, nec non Goth. & Syr. apud Marian. Item Codd. Vercellen. Veron. Brix. Goth. apud Blanchin. Insuper *prior* est in d. Evangel. nostro Trident. Cod. noster Bernardin. habet *prius*, & etiam Dionys. Carthus.

(h) Hanc disparitatem innuit quoque Hugo Card. inquiens, quod *Simon Petrus & diligentius vidit, & cognovit, quæ a longe Joannes viderat*. Tum post pauca subdit ex Chrysostomo: *Evangelista diligentiam investigationis Petro testatur: ipse enim præveniens Petrum, & videns linteamina jacentia, nihil plus perscrutatur: Petrus vero quia fervidus erat, intrans monumentum omnia inspexit diligenter, & plus vidit, & tunc Joannes per considerationem Petri consolatus est*.

(i) Pariter in superiori not. Hugo.

tionem; *sed separatim involutum in unum locum*. Linteamina autem fuerant ad operiendum corpus, supra decimo nono: Acceperunt corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis. Sudarium ad operiendum faciem, supra undecimo: Et facies ejus (a) ligata erat sudario. Et sic omnia diligenter respexit ante, quam Joannes, qui eum præcesserat; & tamen in diligenti inquisitione sequitur eum, unde dicitur:

Jo. 19. 40.
Jo. 11. 44.

VERSUS OCTAVUS.

1291. *Tunc ergo introivit & ille alius (b) discipulus, qui venerat prius (c)* vel *prior (d) ad monumentum*, scilicet exemplo Petri, *& vidit* quæ prædicta sunt, *& credidit (e)*. Istud aliter exponitur secundum Chrysostomum, aliter secundum Augustinum. Nam Chrysostomus exponit, *credidit*, scilicet eum resurrexisse, & argumentum habuit ex hoc, quod si aliquis sustulisset, non sic omnia ordinate reliquisset, quæ erant magis utilia, quam corpus. Augustinus autem aliter exponit, *credidit*, scilicet corpus esse sublatum, sicut mulier dixerat (f), & hoc probat per literam sequentem:

Chrysostomus in Jo. Evang. cap. 20. Hom. 84.
Augustinus in Jo. Evang. c. 20. Tract. 120. n. 9.

VERSUS NONUS.

1292. *Nondum enim sciebat (g) Scripturam, quia oporteret (h) eum a mortuis resurgere*, ideo non credidit resurrexisse, sed sublatum esse. Tamen si velimus tenere expositionem Chrysostomi, litera sequens sic continuatur: *Vidit, & credidit*, id est, tunc primo ex visu credidit, quia ante non credebat, *nondum enim sciebat Scripturam (i)*.

1293. Sed quæritur hic primo, cum aliæ mulieres cum Magdalena venissent ad monumentum, propter quid tantum de ea loquitur Joannes? Respondet Augustinus in tertio libro de concordia Evangelistarum: Maria, inquit, Magdalena ceteris mulieribus, quæ Domino ministraverunt, plurimum ferventior erat; propter quod solam non immerito Joannes commemoravit, tacitis aliis, quæ cum illa fuerunt, sicut alii testantur (k).

Quæstio prima cur Joannes tantum de Magdalena loquitur.
Responsio.
Augustinus L. 3. de consen. Evang. c. 24. n. 69.

1294. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Mane venit ad monumentum*. Contra: Matth. vigesimo octavo dicitur, quod vespere venerunt videre sepulchrum. Respondet Augustinus dicens, quod vespere sabbati idem est quod nocte sabbati, & hoc probat, quod ita debet intelligi, per literam sequentem: quæ lucescit in prima sabbati, quia fieri non potest, si solum noctis initium intellexerimus; sed vespera per Synecdochen noctem dat intelligere, quæ luce incipit terminari (l). Alii respondent, quod istud dictum est, quia vespera præparaverunt se emendo aromata, sed mane diluculo venerunt, sicut dicit Joannes (m).

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Mane venit ad monumentum*.
Matth. 28. 1.
Responsio.
Augustinus cit. L. 3. cap. 24. n. 65.
Synecdoche.

1295. Item quid est quod dicitur: *Cum adhuc tenebræ essent*, quia Marci sexto decimo dicitur: Valde mane orientе (n), vel orto (o) jam sole? Respondeo,

Quæstio tertia de hoc: *Cum adhuc tenebræ essent*.
Marc. 16. 2.
Responsio.

(a) Vide supra cap. 11. num. 821.
(b) Vulg. absque *alius*; sed *alius* habetur quoque in Codd. Brix. Gat. ac Mm. apud Blanchinium, nec non in Evangeliar. nostro Trident.
(c) Vulg. *primus*; sed *prius* heic quoque Goth. apud eumdem Blanchin.
(d) Sic pariter Vercellen. apud. ipsummet, ac cit. Evangeliar. nostrum Trident.
(e) *Hæc verba ad solum Joannem, non ad Petrum spectare*, Cornel. quoque a Lap. *planius & verius* censet.
(f) Hanc utramque interpretationem allegat etiam Dionys. Carthus.; expositionemque Augustini sequuntur Sa, Estius, Cornel. a Lap. Menochius, Gordonus, Calmet, Natal. Alexand. &c. Chrysostomi vero Mariana.
(g) Vulg. *sciebant*; sed *sciebat* Codd. quoque Corbejen. Gat. Veronen. Goth. &c. *Noverat* autem idem Evangeliar. Trident. *Sciebat* Dionys. Carthus. Et *sciebat* legit etiam Cornel. a Lap. ubi & ait: *Refer hæc ad τὸ credidit*.
(h) Vulg. *oportebat*; sed *oporteret* etiam Cod. noster Bernard. nec non Codd. Brix. & Forojulien. S. Tho. Dionys. Carthus. &c. Edit. Lugdun. 1568. in textu *oportuit*, in marg. *oporteret*.
(i) Vid. in hunc textum Cornel. cit.
(k) De Magdalena signanter nominata a Joanne noster Interpres Exposit. in cap. 24. S. Luc.
(l) Vesperam Sabbati esse noctem, quæ sequebatur Sabbatum, quæ nox lucescit, id est, terminatur, & desinit in lucem, in prima Sabbati, id est, mane diei Dominicæ, quæ prima dies est post Sabbatum; nedum sentit laudat. August. sed & Nyssen. Orat. 2. de Resurrect. Theophylact. Euthym. S. Tho. & alii, quos sequitur Cornel. a Lap. in Matth. ibi. Vid. S. Hier. cit. Ep. ad Hedib. ibi.
(m) Rabanus apud eumdem Cornel. ibi: *Vespere venire cœperunt, paraverunt enim aromata; sed lucescente mane pervenerunt*. Quodve mulieres nocte unguenta paraverint, oriente autem diluculo ad sepulchrum pervenerint; ita habent Marcus, Lucas, & Joannes, ut indicet quoque Matthæus.
(n) Sic S. Aug. (o) Ita Vulg.

Augustinus eod. L. 3. ibi.

deo, sicut dicit Augustinus in libro de concordia Evangelistarum, quod Joannes dicit, *mane cum adhuc tenebræ essent*, hoc intelligitur Marcus dicere, valde mane oriente jam Sole, id est, cum cœlum ab oriente parte jam albesceret; quod non fit utique nisi Solis orientis vicinitate. Ideo non repugnat illi ' qui ait, *cum adhuc tenebræ essent*. Die quippe surgente, aliquæ reliquiæ tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux. Nec sic accipiendum est quod ait, valde mane, tamquam sol ipse videretur jam super terras: sed potius sicut dicere solemus eis, quibus volumus significare temperius aliquid faciendum. Cum enim dixerimus mane, ne putent jam sole super terram conspicuo nos dicere, ad hoc plerumque addimus valde mane, ut illud quod etiam albescente vocatur, intelligant (*a*). Alii respondent, quod bis venit Maria. Primo antequam vocaret discipulos, & postea iterum rediit: & primo venit, cum adhuc essent tenebræ; & post, cum sol luceret &c. (*b*)

Quæstio quarta de lapide revoluto.

1296. Item quæritur de hoc, quod dicitur: *Vidit lapidem revolutum &c.* Nonne majoris virtutis fuisset eo clauso exire? Videtur quod sic. Et dicendum, quod Dominus surrexit, clauso monumento, & istud apertum est postmodum ab Angelo. Chrysostomus: Surrexit quidem, & lapide, & signaculis jacentibus, Jesus (*c*). Quia vero oportebat alios certificari, aperitur monumentum post resurrectionem, & ita creditur quod factum est.

Responsio. *Chrysostomus cit. Hom. 84.*

Quæstio quinta cur duo soli discipuli cucurrerunt. Responsio. *Gregorius L. 2. Ho. 22. in Ev. n. 2.*

1297. Item quæritur, unde hoc, quod isti soli cucurrerunt, & alii non? Dicendum, quod vel quia istis solis relatum est; vel, sicut dicit Gregorius, illi præ ceteris cucurrerunt, qui præ ceteris amaverunt.

1298. Item, cum Lucas dicat vigesimo quarto, quod Petrus ivit ad monumentum, tantum de Petro loquitur; quid ergo est quod Joannes hic duos cucurrisse dicit? Item quæ necessitas erat, quod Joannes hic de se faceret mentionem? Videtur, quod melius fecisset tacendo. ' Respondet Augustinus in tertio libro de concordia Evangelistarum, quod Lucas Petrum solum primo commemoravit, quia illi Magdalena primitus nuntiavit; & tamen ipse utrumque commemorat postea, unde Cleophas dixit: Abierunt quidam ex nostris ad monumentum &c. (*d*) Ad aliud, quod quæritur, quare de se facit mentionem? Duplex est ratio, literalis scilicet, quia volebat Petrum sibi præponere, ut Petrum laudaret, & seipsum humiliaret; quia cum ipse prior venisset, posterior introivit. Allegorica vero ratio est, quia per Joannem populus Judaicus, per Petrum seniorem Gentilis populus designatur. Joannes prius cucurrit, sed non introivit; quia Judæus prius legem suscepit, sed non credidit: Gentilis vero tardius veniens credidit (*e*).

Quæstio sexta quare Joannes de se fecit mentionem. *Luc. 24. 12.*

Responsio. *Augustinus de consensu Evangelistar. L. 3. c. 25. n. 70.*

Ratio literalis.

Ratio allegorica.

VERSUS DECIMUS.

1299. *Abierunt ergo (f) discipuli ad semetipsos.* Supra egit de sollicitudine, hic agit de manifestatione; & quia manifestatio utrique sexui facta est, ideo dividitur hæc pars in duas. In prima agitur de manifestatione facta mulieri: in secunda de manifestatione facta discipulis, ibi: *Cum ergo esset sero &c.* Manifestatio igitur facta mulieri hoc ordine describitur. Primo enim insinuatur Mariæ desolatio. Secundo desolatæ offertur consolatio, ibi: *Dum ergo fleret*. Tertio nolenti consolari offertur Christi manifestatio, ibi: *Hæc cum dixisset*, con-

Descriptio manifestationis utrique sexui facta.

Et primo facta Mariæ Magdalenæ.

(*a*) Ead. Exposit. in cap. 24. S. Luc. ubi post conlatos textus Matth. Marc. ac Joan., etiam secundum ejusdem Marc. lectionem *orto jam sole*, subdit: *Licet diversis verbis exprimant, tamen omnes volunt dicere, quod in principio diei venerunt, scilicet quando sol incipiebat super nostrum hemisphærium illucescere, & tamen non erant tenebræ penitus effugatæ.* Aut certe tenebræ erant dum domo egressæ sunt; lux autem & Sol ortus, cum venerunt ad monumentum, ut sentit Dionys. Alexandrin. Epist. ad Basilidem.

(*b*) Vide sis Gordonum in cap. 28. Matth. ver. 1.

(*c*) Hæc est Patrum sententia de penetratione corporis gloriosi, de qua infra num. 1336.

(*d*) Verba Augustini ibi sunt „ Cum ipse „ Lucas Petrum dixerit cucurrisse ad monu„ mentum, & Cleopham dixisse ipse retulerit, „ quod quidam eorum ierant ad monumentum, „ intelligitur adtestari Joanni, quod duo ierint „ ad monumentum; sed Petrum solum primo „ commemoravit, quia illi primitus Maria nun„ tiavit “.

(*e*) Sic & S. Gregorius L. 2. Hom. 22. in Evang. n. 2.

(*f*) Vulg. addit *iterum*; sed absque *iterum* etiam Auctor Exposit. in Jo. Evang. edit. sub S. Bonav. nomine. Item Codd. Corbejen. & Vercellen.

conversa &c. Quarto de manifestatione publicanda sibi datur præceptio, ibi: *Dicit ei Jesus: Noli me tangere &c.* Quinto manifestationis seu apparitionis relatio, ibi: *Venit Maria Magdalene.* Insinuatur ergo vehemens Mariæ desolatio, quæ ipsam inquietam non sinebat recedere a sepulchro, etiam aliis discipulis recedentibus, propterea dicitur: *Abierunt ergo discipuli ad semetipsos*, id est, ubi habitabant (*a*), priusquam ad monumentum venirent, quasi aliquam recipientes consolationem.

Vehemens ejus desolatio.

VERSUS XI.

1300. *Maria autem stabat ad monumentum foris* (id est, ante illum saxei sepulchri locum perseveranter manebat, ideo invenit. Luc. undecimo: Et ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet panes necessarios. Ad Coloss. quarto: Orationi instate, vigilantes in ea &c.) *plorans.* Augustinus: Oculi, qui Dominum quæsierant, & non invenerant, jam lacrymis vacabant, amplius dolentes, quod fuerat Dominus ablatus de monumento, quam quod fuerat occisus in ligno. Notandum, quod Maria flevit compunctione, Luc. septimo. Flevit compassione, supra undecimo: Jesus ut vidit eam plorantem. Flevit devotione, ut hic, de quo Psal. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus (*b*). *Dum ergo fleret.* Hic desolatæ consolatio offertur & in visu, & in affatu; sed ipsa in neutro consolatur, nec in visu, nec in affatu Angelorum, unde dicitur: *Dum ergo fleret*, quasi desolata, *inclinavit se, & prospexit in monumentum*, ut saltem ex aspectu loci consolationem aliquam reciperet, sed majorem recipit desolationem. *Inclinavit se*, quia ostium illud erat humile (*c*). *Inclinavit se* per humilitatem (*d*), Job vigesimo secundo: Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur. Unde

Luc. 11. 8. — *Ad Coloss.* 4. 2. — *Augustinus in Jo. Evang. c.* 20. *Tract.* 121. *n.* 1. — De triplici Mar. Magdal. fletu. — *Luc.* 7. 38. — *Jo.* 11. 33. — *Ps.* 41. 4. — Desolatæ offertur consolatio. — *Job* 22. 29.

VERSUS XII.

1301. *Et vidit duos Angelos in albis sedentes.* Ideo in albis sedent, quia nuntiare venerant splendorem nostræ solemnitatis (*e*), scilicet Resurrectionis. *Unum ad caput, & alterum (f) ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.* Gregorius exponit, quare sic positi erant. Ille, inquit, ex Passione annuntiandus erat, qui Deus est ante sæcula, & homo in fine sæculorum: quasi *ad caput* sedet Angelus, dum per Apostolum Joannem prædicatur, quia in principio erat Verbum &c.; & quasi *ad pedes*, cum dicit: Verbum caro factum est. Et sic facta est ei consolatio ex visu. Luc. ultimo: Mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Non solum consolatur eam Dominus in visu, sed etiam in affatu Angelorum, unde dicitur:

Gregorius L. 3. *Hom.* 25. *in Evang. n.* 3. — *Jo.* 1. 1. 14. — *Luc.* 24. 22. *ac seq.*

VERSUS XIII.

1302. *Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras?* Quasi dicant: Noli flere; non enim est jam tempus fletus, sed gaudii, Domino resurgente. Sed illa consolari renuit, caussam sui doloris recolens, unde: *Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum*, id est, Corpus Christi per synecdochen (g), *& nescio ubi posuerunt eum.* Augustinus: Hæc erat major caussa doloris, quia nesciebat, quo iret ad consolandum dolorem. Unde poterat dicere illud Psalmi: Renuit consolari anima

Synecdoche. — *Augustinus cit. Tract.* 121. *n.* 1. — *Ps.* 76. 3.

(*a*) Ex Augustino in Jo. Evang. c. 20. Tract. 121. n. 1. Cui interpretationi favent Arabicus & Syrus, qui pro *ad semetipsos* habent *ad locum suum*.

(*b*) Ipsemet Interpres Exposit. in Evang. Luc. cap. 6. ac cap. 19.

(*c*) Sic quoque Menochius; non enim poterat sepulchrum inspici ab erecto, cum interioris speluncæ ostium esset humile. Hinc de Joanne quoque dicitur ver. 4. ac seq. *venit primus ad monumentum; & cum se inclinasset &c.*

(*d*) Hoc in sensu tantum morali; de litera autem prius.

(*e*) Id factum *ad designandum candorem nostra solemnitatis*, ait etiam Interpres Exposit. in cap. 24. S. Lucæ.

(*f*) Vulg. *& unum*; sed *alterum* etiam Cod. Brixian.

(*g*) S. Aug. cit. Tract. 121. num. 1. *Dominum suum vocans corpus exanime Domini sui, a toto partem significans.*

Thren. 1. 16.

anima mea &c. Thren. 1. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam (a), id est, lacrymas (b), quia longe factus est a me consolator convertens animam meam.

VERSUS XIV.

Nolenti consolari fit Christi manifestatio,

1303. *Hæc cum dixisset*. Hic nolenti consolari fit Christi manifestatio; & primo se manifestat sensibus carnis, deinde mentis sensibus: sive primo corporis visui per aspectum, & auditui per colloquium. Aspicit ergo primo Jesum,

Visui per aspectum,

unde dicitur: *Hæc cum dixisset*, per quæ ostendebat se nolle consolari, *conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem*. Ideo conversa est, quia amor non sinebat eam sistere, immo modo huc, modo illuc respiciebat (c). Vel sicut di-

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 20. Hom. 85.

cit Chrysostomus: Christus silenter post ipsam apparens, obstupefecit Angelos, & illi metu & signo ostenderunt, se aliquid magnum vidisse, & hoc mulierem convertit retrorsum (d). *Et vidit Jesum stantem* oculis corporis, non cordis, unde: *& nesciebat, quia Jesus esset* (e). Sic manifestavit se per aspectum, nunc manifestat se etiam per colloquium; unde

VERSUS XV.

1304. *Dicit ei Jesus: Mulier, quid*

Et auditui per colloquium. Cant. 3. 1.

ploras? Illum quærebat, quem & sponsa Cantic. tertio: In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. Quasi dicat: Non debes eum cum mor-

Ad Rom. 6. 9.

tuis quærere, quia resurgens a mortuis (f) jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, ad Rom. sexto: Sed nec adhuc per colloquium recognoscit, unde dicitur: *Illa existimans quia hortulanus esset*, quoniam sic diluculo venerat in hortum, *dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum*, id est Jesum. Non fecerat mentionem de Jesu ipsi, cum quo loquebatur, & tantum dicebat *eum*, quia sicut dicit Gregorius: Hoc agere solet in animo vis amoris, ut quem ille semper cogitat, nullum alium ignorare credat. *Dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam* (g). Non ei sufficiebat videre, nisi tolleret, secundum illud Cantic. tertio: Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, ideo tollere volebat (h).

Gregorius L. 2. Hom. 25. in Ev. n. 5.

Cant. 3. 4.

VERSUS XVI.

1305. *Dicit ei Jesus*. Manifestavit se sensui exteriori, hic manifestat se interiori ipsam nominatim vocando, unde *Dicit ei Jesus: Maria*. Gregorius: Postquam eam communi vocabulo appellavit ex sexu, & agnitus non est; vocat ex nomine, ut eum recognoscat, a quo recognoscitur. *Conversa illa*, scilicet per intellectus captivationem, Apocal. primo: Conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum (i), *dicit ei: Rabboni, quod interpretatur (k) Magister*. *Conversa*, non corpore, quia prius corpore erat conversa; sed corde, unde Augustinus: Tunc, inquit, conversa corpore, quod non erat putavit; nunc corde conversa, quod erat agnovit. Recognoscens autem eum, vocat *Magister*; quia sic consueverat eum vocare. Supra undecimo dixit Martha Mariæ: Magister adest, & vocat te. Jo. 11. 28.

Item interiori sensui. Gregorius ibi.

Apoc. 1. 12.

Augustinus cit. Tract. 121. n. 2.

VERSUS XVII.

1306. *Dicit ei Jesus*: Hic Mariæ jam cognoscenti injungitur manifestationis publi-

Manifestationis publicatio.

(a) Sic Goth. apud Blanchin. ac Cod. noster Bernardin. 21. aliusque Biblioth. Episc. Trident. Hugo Card. Lyran. ac ipsemet Interpres noster Exposit. in cap. 1. Lament. Vulg. *aquas*.

(b) Ibi.

(c) Sa „ *Conversa*, scilicet ut solent qui de „ re aliqua solliciti, huc illuc se vertunt. “

(d) Vid. Cornel. a Lap. & August. Calmet.

(e) Vulg. *& non sciebat quia Jesus est*; sed ut supra etiam Cod. noster Bernardin. Et Evangeliar. nostrum Trident. *& nesciebat, quoniam Jesus esset*.

(f) Vulg. *ex mortuis*; sed *a mortuis* etiam duo nostri Codd. Bernardin. ac tertius Biblioth. Episc. Trident. Item S. Gregor. Moral. Lib. 14. cap. 56. num. 72. & in Ezech. Lib. 2. Hom. 1. num. 9. ac Hom. 8. num. 5. Glossa interlinear. apud Lyran. *ex mortuis vel a mortuis*.

(g) Supra Postilla sive Exposit. in Cant. Canticor. cap. 1. ver. 1.

(h) Ibi cap. 3. ver. 3. ac seq.

(i) Comment. in Apocal. ad illum textum, *id est, Deum, qui loquebatur mecum*.

(k) Vulg. *dicitur*; sed *interpretatur* etiam Evangelior. Codd. Veron. Corbejen. & Trident. Porro *Rabboni* est secundum Sa vox Chaldaica; sed Syriaca secundum Marianam.

publicatio, & primo eam corrigit: secundo ad annuntiandum mittit. Corrigit in hoc, quod dicit: *Noli me tangere*, & rationem reddit: *nondum enim ascendi ad Patrem meum*. Sed hæc litera videtur habere falsitatem, & dubietatem, quia alii Evangelistæ dicunt, quod accesserunt mulieres, & tenuerunt pedes ejus. Item quæ ratio est ista, *nondum enim ascendi ad Patrem meum?* Immo hæc est ratio, quare tangere debuit, quia si ascendisset, non posset tangere. Propter hoc litera ista multipliciter exponitur. Augustinus (*a*) exponit de tactu cordis, seu fidei, unde dicit: *Noli me tangere*, id est, noli me sic credere, quemadmodum adhuc sapis. Quomodo enim non carnaliter adhuc in eum credebat, quem sicut hominem flebat? Et hoc dicit sequens litera: *nondum enim ascendi ad Patrem meum*, id est, ad Patris æqualitatem (*b*) in corde tuo. Secundum Gregorium intelligitur de tactu corporali; sed hoc Dominus non prohibet, ut dicit, quia tactum horruerit fœminarum, cum scriptum sit: Accesserunt mulieres, & tenuerunt pedes ejus; sed in hoc voluit ipsam indignam ad tangendum ostendere, tanquam non recte credentem (*c*), vel plene; & hoc probat per literam sequentem: *nondum enim ascendi ad Patrem*, in corde tuo. Tunc Jesus ascendit ad Patrem, cum æqualis creditur Patri. Secundum Chrysostomum (*d*) intelligitur de tactu corporali, & Dominus non prohibet tangere, sed innuit se cum reverentia magis, quam cum erat passibilis, esse tangendum (*e*); & hoc indicat ratio sequens, in qua Dominus dicit: *nondum ascendi*, sed tamen præparo me ad ascendendum, & ideo non sum vobiscum ut prius. Potest etiam & aliter istud exponi, quia Maria fervens erat videre Dominum, unde & diligentissime quæsierat, volebat in oscula pedum ruere, & eum non dimittere; sed Dominus eam redarguit, ostendens hic non esse locum fruitionis, & tactus Christi, sed cum Patre, unde dicit: *noli me tangere*, id est, tangendo me hic frui non velis; *nondum enim ascendi ad Patrem meum*, ubi est locus fruitionis, ubi nunquam sequestraberis a me (*f*): sed nunc oportet sequestrari corporaliter. Unde eam statim mittit ad annuntiandum quod viderat: *vade autem ad fratres meos*, Apostolos scilicet (*g*), de quibus in Psalmo: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. *Et dic eis*, annuntia veritatem Christi resurgentis, quæ consistit in dignitate glorificationis, qua jam erat idoneus ire in cœlum; ideo dicit: *& dic eis*: *Ascendo*. Ad Ephes. quarto: Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret (*h*) omnia. Consistit etiam veritas Resurrectionis Christi in excellentia benignitatis, unde dicit: *ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, non eodem modo *meum*, quo *vestrum*. Unde Gregorius: *Meum* per naturam, *vestrum* per gratiam. Consistit etiam veritas Resurrectionis Christi in excellentia humanitatis, & hanc tangit, cum dicit: *Deum meum, & Deum vestrum*. Augustinus: *Deum meum*, sub quo & ego sum, *Deum vestrum*, inter quos, & ipsum, mediator sum.

[Margin notes: Corrigitur Magdalena. — *Augustinus ibi n. 3.* — *Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 25. n. 5. ac 6.* — *Marc. 28. 9.* — *Chrysostomus cit. Hom. 85.* — Expositio Interpretis. — Mittitur eadem Magdalena ad annuntiandum quod viderat. — *Ps. 21. 23.* — *Ad Ephes. 4. 10.* — *Gregor. cit. Hom. 25. n. 6.* — *August. supra cit. Tract. 121. n. 3.*]

VER-

(*a*) Et ita fere etiam S. Hieronymus Epist. 120. al. 150. ad Hedibiam Q. 5.

(*b*) De *ascensu ad dignitatem, & æqualitatem Patris*, idem Interpres 3. Dist. 22. Dub. 4. ubi monet: *Non est secundum aquisitionem novæ dignitatis in Christo; sed propter manifestationem ejus, quod habuit ab æterno. Unde sicut dicitur descendisse, non propter hoc quod in eo fuerit Divinitas minorata, sed propter hoc quod in assumptione humanitatis apparuit minorata: sic etiam dicitur ascendisse, quia in Ascensione ejus sublimitas est manifestata.*

(*c*) Ita quoque de aliis piis mulieribus in Vite Mystic. seu Tract. de Passion. Dom. cap. 2. num. 4.

(*d*) Ac etiam Theophyl. & Euthym.

(*e*) Estius „ Noluit Dominus tangi a Maria „ Magdalene, eo quod illa solita familiaritate eum contingere, & amplecti vellet; nesciens corpus ejus jam immortale factum, „ majori veneratione quam ante, pertractandum esse &c. "

(*f*) Sic fere S. Leo Serm. 2. de Ascensione, Gordonus &c.

(*g*) Hinc est interpretatio Vatabli, Sa, Svarez, Dominici Bannes, Riberæ, apud Cornel. a Lap. nec non Marianæ, Menochii, Tirini, Calmeti, Natalis Alexandri, nempe: *Noli me tangere &c.*, id est, noli diutius tactui meorum pedum hac vice inhærere, opportuniori tempore id facies, quando me iterum tibi conspiciendum dabo; nondum enim ad Cœlum ascendi. Nunc autem tempus est, ut vadas, lætumque Resurrectionis meæ nuntium meis discipulis deferas.

(*h*) Vide supra cap. 3. num. 168.

VERSUS XVIII.

Relatio manifestationis facta ab ipsamet Magdalena.

1307. *Venit Maria Magdalene*. Hic notatur quintum; scilicet manifestationis relatio facta a Magdalena, unde dicitur: *annuntians discipulis*: *Quia vidi Dominum, & hac dixit mihi*, supple quæ prædicta sunt. Chrysostomus: Annuntiat & visum, & verba, ut in utroque erudiantur.

Chrysostomus cit. Hom. 85.

Quæstio prima de ordine istius manifestationis.

1308. Sed quæritur hic primo de ordine istius manifestationis. Si enim discipuli digniores erant, videtur, quod primo eis Dominus apparere debebat, & iterum quod discipuli debebant docere mulieres, potius quam mulieres discipulos. Resp. Dicendum, quod hoc factum est ordine divinæ dispensationis, & merito humanæ sollicitudinis. Ordo divinæ dispensationis, propter quod dicit Gregorius: Quia in Paradiso mulier viro propinavit mortem, a sepulchro mulier viris annuntiat vitam, & dicta sui vivificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis verba narraverat (*a*). Meritum humanæ sollicitudinis, quia discipulis recedentibus, mulier remansit afflicta, & desolata; & ideo citius meruit apparitione Dominica consolari & refici.

Responsio. *Gregorius eadem Hom. 25. n. 6.*

Quæstio secunda quare Petrus adeo fervide Christum amans non remansit ad monumentum plorans, sed recessit.

1309. Item quæritur, cum Petrus Dominum tam ferventer diligeret, quare non remansit ad monumentum plorans, ut Maria, sed recessit? Et respondet Chrysostomus: Compassibile (*b*) est quodam modo muliebre genus; & ideo non mireris, quod Maria amare flebat ad sepulchrum, Petrus vero nihil tale compassus est. Alii sumunt rationem ex parte fidei; quia enim mulier minus de resurrectione sperabat, ideo magis de sublato corpore dolebat: Petrus autem, etsi non plene, tamen aliquo modo confidebat, unde dicitur in Luca vigesimo quarto, quod Petrus abiit secum mirans quod factum fuerat. Alii sumunt rationem a parte amoris, scilicet quia pro tempore illo vehementius discipulis ardebat, & ferventior erat, ideo & sollicitior existebat (*c*).

Responsio. *Chrysostomus eadem Hom. 85.* *Luc. 24. 12.*

Quæstio tertia ad quid Maria Magdalena flens *inclinavit se, & prospexit in monumentum*.

1310. Item quæritur de hoc quod dum Maria fleret, *inclinavit se, & prospexit in monumentum*. Ad quid respiciebat, ex quo ipsum non esse sciebat? Respondet Gregorius: Amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Et Augustinus dicit, quod quia vehementer amabat, ideo nec suis, nec aliorum oculis putavit facile esse credendum.

Responsio. *Gregorius cit. Hom. 25. n. 2.* *Augustinus cit. Tract. 121. n. 1.*

Quæstio quarta de visione Angelorum.

1311. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod post recessum discipulorum vidit Angelos. Quia dicitur in Luca vigesimo quarto, quod mulieres retulerunt Apostolis, quod viderant Angelos, & tunc dicitur, quod discipuli iverunt ad monumentum. Respondet Augustinus in libro tertio de concordia Evangelistarum, quod Lucas istud dicit per recapitulationem; tunc enim cucurrerunt ad monumentum, quando tantummodo annuntiatum fuit de corpore ablato, & post factum est de visione Angelorum, quam postmodum retulerunt (*d*).

Luc. 24. 4. et seqq. Responsio. *Augustinus L. 3. de cons. Ev. c. 25. n. 70.* Recapitulatio.

Quæstio quinta de duabus in speciem contrarietatibus.

1312. Item dubitatur, quia ubi hic dicitur de duobus Angelis, Marci sextodecimo dicitur de uno solo Angelo: Introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris coopertum stola candida. Hic de sedentibus, Lucæ ultimo de stantibus. Item Marcus dicit Mariam intrasse, Joannes tantum aspexisse. Ad hoc respondet Augu-

Marc. 16. 5. *Luc. 24. 4.* *Jo. 20. 11.*

(*a*) Pariter noster Interpres vel in Exposit. cap. 24. S. Lucæ sic „ Hoc Divina dispositione gestum est, ut nuntiatio Resurrectionis „ per mulieres veniret ad viros, sicut a muliere „ initium sumpsit mors, & peccatum &c. "

(*b*) Sive ut habet Versio Edit. Basileen. *proclive & ad misericordiam facile*. Sed *compassibile* ex eodem Chrysostomo habet etiam Expositio jam edita sub S. Bonaventuræ nomine.

(*c*) Cit. Exposit. in cap. 24. S. Luc. *Ipsa ferventius aliis dilexit, & prior, ut traditur, ad monumentum venit, & præ ceteris diutius perseveravit*. Sed & *plurimum dilectione ferventior* dicitur a S. Aug. Lib. 3. de Consen. Evangelistar. cap. 24. num. 69.

(*d*) Verba Augustini inibi hæc sunt „ Hoc „ de Petro (*scilicet Lucas*) commemorat, postea quam narravit de mulieribus quæ viderant Angelos, & ab eis audierant quod resurrexisset Jesus, tamquam tunc Petrus ad „ monumentum cucurrerit. Sed intelligitur hoc „ Lucas recapitulando posuisse de Petro. Tunc „ enim cucurrit Petrus ad monumentum, quando & Joannes, cum tantummodo a mulieribus, præcipue a Maria Magdalena nuntiatum eis fuerat de corpore ablato: tunc autem illa nuntiaverat, quando vidit lapidem „ avulsum a monumento: & postea facta sunt „ hæc de visione Angelorum, atque ipsius Domini &c. "

Augustinus in libro tertio de concordia Evangelistarum: Prima, inquit, sabbati, id est die Dominico, diluculo venerunt mulieres ad monumentum, sicut omnes Evangelistæ narrant; & ut viderunt lapidem sublatum, antequam diligentius inspicerent, cucurrerunt & nuntiaverunt Petro & Joanni, qui cucurrerunt ad monumentum, & postea reversi sunt. Maria autem cum aliis stabat ad monumentum foris plorans, id est, ante illum saxei sepulchri locum, sed tamen intra illud spatium, quo jam ingressæ fuerant: hortus quippe illic erat, sicut idem Joannes commemorat. Tunc viderunt Angelum sedentem a dextris super lapidem revolutum a monumento, de quo Angelo narrat Matthæus vigesimo octavo, & Marcus sextodecimo. Tunc dixit eis: Nolite timere vos, & cetera, quæ dicunt Matthæus & Marcus. Ad hæc verba Maria, dum fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum, sicut hic dicitur (a) ubi vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu: qui dicunt ei: Mulier, quid ploras? Et tunc intelligendum, quod Angeli surrexerunt, & steterunt, sicut Lucas dicit, quod duo viri steterunt juxta illas in veste fulgenti (b). Unde solvitur contrarietas ex hoc, quod unus dicit quod alter omittit: & ex hoc quod Marcus vocat monumentum aliquod spatium ante sepulchrum maceria communitum; Joannes vero ipsum locum, in quo erat corpus Jesu.

Augustinus ibi c. 24. n. 69. — *Jo. 19. 41.* — *Matth. 28. 2. ac seqq.* *Marc. 16. 5. ac seqq.* — *Luc. 24. 4.*

Quæstio sexta de Christi manifestatione facta mulieri, non in propria effigie, sed sub specie hortulani. Responsio.

1313. Item quæritur de hoc quod Dominus se non statim manifestavit mulieri in propria effigie, sed visus est quasi hortulanus. Respondet Gregorius, quod ratio hujus erat modus quærendi Mariæ; quia enim Maria amabat, & dubitabat, videbat, & non cognoscebat. Bernardus autem reddit rationem, quod hoc erat ad magis accendendum eam, unde dicit: O mirum & delectabile Divinæ pietatis spectaculum! ipse qui quæritur & desideratur, occultat se, ut ardentius requiratur, & requisitus cum gaudio inveniatur, & inventus cum sollicitudine teneatur, & tentus non dimittatur &c. (c).

Gregorius cit. Hom. 25. n. 4. — *Bernardus, vel quisquis alius Auctor sit Meditationis in Passionem & Resurrectionem Domini cap. 15. n. 38.*

Quæstio septima, utrum Maria Magdalena crederet Christum esse Deum.

1314. Item quæritur, utrum Maria crederet Christum esse Deum? Quod sic videtur, quia supra undecimo dixit Martha: Tu es Christus Filius Dei vivi. Et etiam quomodo fuissent ei remissa peccata sine fide recta? Sed contrarium videtur dicere Gregorius, & Augustinus super illud: Nondum ascendi ad Patrem meum, sicut expositum est (d). Respondeo, quod Maria ante Passionem Christum Deum esse credebat, tamen vehementissime in carne eum amabat; & ideo in Passione tantum dolorem concepit, ut jam quasi absorpta non nisi de humanitate & morte cogitaret, & ideo non recoleret opera Majestatis, sed pœnas humanitatis.

Responsio.

Quæstio octava, atque ad eam responsio, cur scilicet Christus dixit: *Ascendo ad Patrem?*

1315. Item quid est quod dicit: *Ascendo ad Patrem*, cum Pater sit ubique? Respondetur, quod caussaliter intelligitur, quia faciebat vel facturus erat se credere æqualem Patri per omnia, ideo dicitur ascendere &c. (e) Vel ad locum, ubi Pater magis manifestatur in suis operibus, unde dicitur a dextris sedere, id est, in potioribus bonis Patris (f).

Christus etiam ut homo sedet a dextris Dei, quia in potioribus bonis Patris.

(a) Edit. Maur. *sicut dicit Joannes*, nempe hoc ipso cap. 20. ver. 12. ac seqq.

(b) Eadem Edit. Maur. *Hic intelligendi surrexisse Angeli, ut etiam stantes viderentur, sicut eos Lucas visos fuisse commemorat, & dixisse secundum eumdem Lucam timentibus mulieribus, & vultum in terram declinantibus: Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit &c.* Ex prædictis autem pronum est colligere, prius fuisse visum unum Angelum, postea duos; prius sedentes, postea stantes.

(c) Sic supra Postilla sive Exposit. in Cant. Canticor. cap. 1. sub ver. 7. §. 55.

(d) Supra num. 1306.

(e) 3. Dist. 22. Dub. 4. ut d. num. 1306. adnotavimus.

(f) In 2. Dist. 2. Par. 2. Dub. 2. „ De „ Christo, quod sedet a dextris, dicendum quod „ hoc si dicatur secundum Divinam naturam, „ dicitur secundum omnimodam æqualitatem. „ Si autem secundum humanam, sic dicitur „ sede a dextris, quia *in potioribus bonis Patris*. Unde in Empyreo ceteros excellit, „ tam Angelos, quam homines, & loco, & „ dignitate. “ Item Exposit. in Psalter. Psalt. Psal. 109. ad v. 1. *Sede a dextris meis* „ Nota „ quod Christus sedet ad dexteram Patris, secundum quod ei æqualis, & secundum quod „ homo, quia homo *in potioribus Patris bonis*, scilicet quæ Pater dedit hominibus. “ *A dextris, id est, æqualis*, declarat etiam Exposit. in cap. 22. S. Lucæ prope finem.

VERSUS XIX.

1316. *Cum ergo esset sero die illo, una sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter motum Judæorum: venit Jesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.* Supra egit de manifestatione Domini facta mulieribus, hic agit de manifestatione facta discipulis. Et sunt in hac parte tres particulæ secundum tres manifestationes, quæ diversificantur quantum ad modum manifestandi, & quantum ad rationem. Quantum ad modum; nam prima est per aspectum, secunda per tactum, tertia per gustum. Primo enim se ostendit; secundo se palpabilem exhibuit: tertio comedit. Quantum ad rationem etiam manifestandi; nam primo ad removendam incredulitatem omnium discipulorum: secundo ad removendam incredulitatem Thomæ: tertio vero ad confirmationem dilectionis in Petro. Et incipit secunda manifestatio ibi: *Et post dies octo.* Tertia vero ibi: *Postea manifestavit se* in principio vigesimi primi capituli. In prima manifestatione tria determinantur. Primo est ipsa manifestatio. Secundo ad manifestationem consequens discipulorum missio ibi: *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis.* Tertio incidens alterius manifestationis occasio, quæ fuit absentia Thomæ ibi: *Thomas autem unus &c.* Ipsa ergo manifestatio hoc ordine describitur. Ponuntur enim sex, quæ ipsam determinaverant, scilicet discipulorum congregatio, Christi apparitio, apparentis allocutio, post allocutionem sui ostensio, post ostensionem discipulorum congratulatio, post congratulationem discipulorum missio. Primo ergo discipulorum tangitur congregatio, quæ erat & propter tempus, quia sero; & propter Judæos, qui persequebantur, ideo dicitur:

Manifestatio Domini facta discipulis, eaque triplex.

Ipsa describitur.

Discipulorum congregatio.

1317. *Cum ergo esset sero die illo*, scilicet vesperi die Dominico, (a) in quo apparuit Magdalenæ, *una sabbatorum*; quia in illis diebus sabbatizabant Judæi, comedentes azima; *& fores essent clausæ*, ad sui tuitionem; *ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum*, ideo simul in unum januis clausis convenerant, & per hoc digni erant, quibus Dominus appareret, secundum illud Matth. decimo octavo: Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Cum, inquam, ita essent, *venit Jesus, & stetit in medio*, hic notatur secundum, scilicet Domini apparitio, qui ideo *stetit in medio*, ut ab omnibus videretur. Item ideo *stetit in medio*, ut se mediatorem & reconciliatorem esse ostenderet, supra primo: Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, dictum est Judæis. Ipse enim, sicut dicitur ad Ephes. secundo: Est pax nostra, qui fecit utraque unum (b). Ideo & sequitur: *& dixit eis: Pax vobis.* Hic notatur tertium, scilicet benigna allocutio, in qua allocutione ipsos confortavit, unde Lucæ ultimo: Dixit (c) eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. Unde Chrysostomus: Voce firmavit fluctuantem mentem, dicens: Pax vobis; hoc est ne tumultuemini. Ad Philipp. ultimo: Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu.

Matth. 18. 20.

Domini apparitio, & quare in medio.

Supra 1. 26.

Ad Ephes. 2. 14.

Apparentis allocutio. Luc. 24. 36.

Chrysostomus cit. Hom. 85.

Ad Phil. 4. 7.

VERSUS XX.

1318. *Et cum hæc (d) dixisset, ostendit eis manus & latus.* Hic notatur quartum, scilicet Christi ostensio, in qua ostendit se esse eumdem, qui passus fuerat, non tantum in spiritu, sed etiam in corpore; & ideo ostendit manus & latus, in quibus fuerant vulnera, & cicatrices remanserant (e). Unde Lucæ ultimo: Videte manus meas, & pedes meos (f), quia ego ipse sum. *Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.* Hic tangitur quintum, scilicet discipulorum congratulatio ex aspectu Domini, quod gau-

Sui ostensio.

Luc. 24. 39.

Discipulorum congratulatio.

(a) *Una sabbatorum, id est, ipsa die Dominica vesperi*, etiam Mariana. Vide supra num. 1284.

(b) Ita plane Exposit. in cap. 24. S. Lucæ ad illa verba: *Stetit Jesus in medio eorum*, nec non Comment. in Apocal. cap. 1. ver. 13. ac cap. 2. ver. 1. Item Serm. 1. Dom. 3. Advent. &c.

(c) Vulg. *dicit*; sed *dixit* etiam Hugo Card. Lyran. antiquæ Biblior. Editiones, & inter Codd. noster Bernardin. & Brixian.

(d) Vulg. *hoc*; sed *hæc* etiam Cod. noster Bernardin. S.Tho. Editionesque Biblior. antiquiores, Lugdunen. tamen 1568. in margine habet *hoc*.

(e) Infra num. 1337.

(f) Vulg. sine *meos*; sed *meos* habent quoque Codd. noster Bernard. Vercell. Veron. Mm. ac text. Græc.

gaudium promiserat eis Dominus supra sextodecimo: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum. *Jo. 16. 22.*

VERSUS XXI.

1319. *Dixit ergo eis iterum.* Hic tangitur sextum, scilicet ad congratulationem consequens discipulorum missio, in qua tria innuit Evangelista, quæ Dominus mittendis discipulis contulit, scilicet idoneitatem, auctoritatem, & potestatem. Idoneitatem, cum pacem tribuit, unde dicitur: *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis*, id est, tranquillitas, sine qua nullus ad persecutiones mitti est idoneus. Unde Chrysostomus: Quia prælium inexpugnabile habebant ad Judæos, ideo dicit rursus: *Pax vobis*, dans prælio consolationem. Tributi etiam auctoritatem, cum eos mittit, unde dicit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est, sicut ego a me ipso non veni, sed missus, & ideo auctoritate veni; sic ego vos mitto, dans vobis auctoritatem. Unde ad Rom. decimo: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Unde & Isaias sexto petebat hanc auctoritatem, cum dicebat: Ecce ego (Domine) mitte me: Contra de malis prophetis Jerem. vigesimo tertio: Currebant, & ego non mittebam eos, non loquebar ad eos &c. Tribuit etiam potestatem, cum Spiritum sanctum contulit, unde & dicitur:

Discipulorum missio. *Idoneitas eorum.* *Chrysostomus ibi.* *Auctoritas.* *Ad Rom. 10. 5.* *Isa. 6. 8.* *Jer. 23. 21.*

VERSUS XXII.

1320. *Hæc cum dixisset, insufflavit (in eos)* (a). Augustinus: Insufflando signavit, Spiritum sanctum non solius Patris esse, sed & suum (b). *Et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum*, id est, donum sancti Spiritus, non ad omnia, sed ad remittenda peccata. Et in hoc contulit potestatem clavium, propterea dicit:

Ipsis collata potestas clavium.

VERSUS XXIII.

1321. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, id est, quos solveritis, soluti sunt: *& quorum retinueritis, retenta sunt*, id est, quos ligaveritis, ligati sunt. Matth. sextodecimo: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. *Matt. 16. 19.*

VERSUS XXIV.

1322. *Thomas autem unus ex duodecim.* Hic ponitur tertium, scilicet incidens tertiæ manifestationis occasio, quæ hic describitur quantum ad tria, scilicet ad Thomæ absentationem, discipulorum relationem, & ipsius indurationem. Tangitur ejus absentatio (c), cum dicitur: *Thomas autem unus ex duodecim*, id est, unus ex specialiter electis, supra sexto: Nonne ego duodecim vos elegi? Lucæ sexto: Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit. *Qui dicitur Didymus*, quia dubius erat (d), *non erat cum eis, quando venit Jesus*; & ita Dominum venientem non vidit, quia a congregatione recessit (e).

Incidens tertiæ manifestationis occasio. *Thomæ absentatio.* *Joh 6. 71.* *Luc. 6. 13.* *Didymus, seu dubius.*

VERSUS XXV.

1323. *Dixerunt ergo ei alii discipuli.* Tangitur hic secundum, scilicet discipulorum relatio; Referunt enim quod viderant: *Vidimus Dominum.* Ideo hoc referebant, ut audiens testimonium videntium, credat Resurrectionem. Sed verificatum est quod scribitur supra tertio: Quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis, unde sequitur tertium, scilicet Thomæ induratio: *Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus &c.* Duritia ostenditur in hoc, quod non credit per auditum, nisi ipse videat, in manibus scilicet, *fixuram clavorum*. Duritia etiam ostenditur in hoc, quod non tantum nolebat credere per auditum, sed nec etiam per visum, nisi adesset tactus, ideo dicit: *Et mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus*, quod scilicet fuit lancea perforatum, *non credam*. In hoc durus fuit, unde Chrysostomus: Sicut simpliciter,

Discipulorum relatio. *Supra 3. 11.* *Ejusdem Thomæ induratio.* *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 20. Hom. 86.*

(a) Sic quoque Hugo Card.
(b) 2. Dist. 17. art. 1. q. 1. ad opp. *Augustinus dicit ibi, quod in hoc ostendit ex se procedere Spiritum sanctum*, nec non infra ad 1. *illa insufflatio erat processionis Spiritus sancti signatio & ostensio*. Et ita quoque præter Augustinum Cyrill. Beda, Leont. &c.
(c) S. Ber. de Præc. & Disp. c. 20. n. 60.
(d) Vide supra cap. 11. num. 787. in not.
(e) Infra num. 1329.

citer, & qualitercumque credere, facilitatis est; ita circumscrutari, & multum investigare, & quærere fidem, quæ per sensum est, scilicet tactum, est grossissimæ mentis (a). Sed hæc duritia Divina dispensatione in Apostolo permissa est, ad tollendam nostram, unde Gregorius: Minus mihi præstitit Maria Magdalena, quæ citius credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit. Ille enim, dum in Magistro vulnera palpavit carnis, in nobis vulnera sanavit infidelitatis.

Gregorius in Evang. Lib. 2. Hom. 26. n. 7.

Quæstio prima de potestate Discipulis collata.

1324. Sed quæritur hic de potestate discipulis collata. Dicitur enim: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Contra: Isaiæ quadragesimo tertio: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me; ergo solius Dei est peccata remittere. Item Marci secundo: Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata (ait paralytico) tibi dico: Surge &c. Ergo ejusdem potestatis est remittere peccata, & curare incurabilem; sed istud est potentiæ infinitæ, & solius Christi hominis & Dei: ergo & remittere peccatum. Quæritur igitur, quomodo differenter sit Dei, Christi hominis, & Sacerdotis? Item de hoc quod subditur: *quorum retinueritis, retenta sunt*; ergo videtur, quod Sacerdotes possint nobis claudere ingressum Regni.

Isa. 43. 25. *Marc. 2. 10.*

Responsio.

Resp. Dicendum, quod in peccato duo considerantur, scilicet culpa, & reatus pœnæ: culpam remittere solius Dei est effective; quia solius ejus est dare gratiam, quæ delet culpam: meritorie est Christi hominis: dispositive vero Sacerdotis est, quia facit, quo facto Deus remittit, conferendo scilicet Sacramenta (b). Est alia remissio quantum ad pœnam, & super hanc habet potestatem Sacerdos, facta remissione culpæ (c), & Christus homo; sed potestas Christi hominis est excellentiæ, & universalis, potestas vero Sacerdotis est ministerialis, & particularis (d) Et sunt hæ potestates ordinatæ, quia Sacerdos non habet effectum in remittendo pœnam, nisi per Passionem Christi; nec rursus Passio Christi alicui confertur, nisi cui Deus remittit culpam (e). Quod objicitur, quod salus nostra est in manu Sacerdotis, dicendum; quod potestas ista intelligenda est clave non errante: tunc autem errat, vel quando solvit quem Deus nondum vivificavit; vel quando minus ligat, quam sit ligandus. Unde Gregorius: Illum discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli solverent Lazarum mortuum, fœtorem magis ostenderent, quam virtutem (f).

Gregorius in Evang. L. 2. Ho. 26. n. 6

1325.

(a) In Catena S. Tho. noviss. Ed't. Venet. 1746. *crassissimæ mentis, al. grossissimæ.*

(b) 4. Dist. 5. art. 3. q. 1. ac 2.

(c) 4. Dist. 18. par. 1. art. 2. q. 1. & 2. in concl. hæcque sententia veterum Scholasticorum est, Alexandri Halensis, Alberti magni, aliorumque, de quibus Joan. Morinus in Comment. Hist. de Sacram. Pœnit. Lib. 1. cap. 18. num. 14. ac seqq. nec non Gaspar Ivenin Comment. Histor. & Dogmat. de Sacrament. Dissert. 6. de Pœnit. Q. 4. de Contrit. Cap. 4. Art. 2. §. 2. ac 3. Vide sis quoque Comment. Hug. Card. in cap. 16. S. Matth. Auctoremque Exposit. in hoc ipsum cap. 20. S. Joan. sub S. Bonaventuræ nomine, ubi ambo cum Interprete nostro conveniunt. Et hæc priscorum Scholasticorum sententia toto cœlo distat ab errore Heterodoxorum quorumdam Interpretum Grot. Ligfoot. Clerc, ajentium, per prædicta verba: *Quorum remiseritis* &c., solam significari potestatem pellendi morbos, reos corporeis suppliciis plectendi, arcendi contumaces ab Ecclesiæ communione, ac resipiscentes per reconciliationem excipiendi.

(d) 4. Dist. 18. par. 1. art. 1. q. 1. in concl.

(e) 4. Dist. 5. art. 3. q. 2. in concl.

(f) Sic etiam ex eodem Gregorio idem Doctor 4. Dist. 18. par. 1. art. 2. q. 1. §. Contra, quod ipsum firmat in concl. De præfato Lazari exemplo etiam S. Augustinus Enarrat. in Ps. 101. Serm. 2. n. 3. & Serm. 98. al. de verbis Domini 44. c. 6. S. Joan. Chrysost. in Hom. de Lazaro, S. Eligius Episc. Noviom. Hom. 11. S. Tho. Opusc. 22. cap. 2. ad argum. 7. Joan. de Friburgo Summ. Lib. 3. cap. 34. Q. 37. Thomam ipsum, & Albertum allegans &c. Idem certe usurpant exemplum apud laudatum Iveninum Guillelmus Antissiodorensis, & S. Raymundus. Quodve prædicta doctrina non fuerit in Concilio Tridentino proscripta, vide Prodromum col. 521. ac seq. ubi pro vindicanda prædicta D. Bonaventuræ doctrina ab omni censura allegavimus Andream Vega præclarum ejusdem Trid. Conc. Theologum, P. Magistrum Fervacques, Petrum Lambertum Le Drou Episcopum Porphyriensem, ac Leonardum Vanroy. Quibus accedunt illi, qui apud Pallavicinum Lib. 12. Hist. Trident. Conc. cap. 12. S. Bonaventuram defendunt, dicentes „ Ejus „ opinionem haud prorsus rejici, propterea quod „ ipsa antegressa reconciliatio ponitur ab eo „ tamquam profecta non ex vi solius Contri- „ tionis, quod affirmabat Petrus ab Osma, „ damnatus diserte a Sixto Quarto, & tacite

„ postea

Quæstio secunda de illis Christi verbis: *Accipite Spiritum sanctum.*

1325. Item quæritur de hoc quod dicit: *Accipite Spiritum sanctum.* Videtur enim, quod nondum deberet eis dare Spiritum sanctum, quia dicitur supra

Jo. 16. 7.

sextodecimo: Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ergo si nondum ascenderat, nondum debebat dare Spiritum sanctum.

Responsio.

Resp. Dicendum, quod Spiritus sanctus dicitur accipi, vel dari, non ratione essentiæ, sed effectus; habuerunt ergo discipuli Spiritum sanctum ante Passionem, sed ad salutis suæ operationem, quæ est per gratiam: habuerunt post Passionem ante Ascensionem ad remissionem peccatorum: habuerunt post Ascensionem ad fidei nostræ publicationem (*a*); ideo tunc confirmati fuerunt, & in linguis igneis Spiritus sanctus descendit.

Objectio quare pluraliter dictum: *Accipite &c.*

1326. Item objicitur, quare dicatur pluraliter: *Accipite Spiritum sanctum?* Videtur, quod pluribus. Contra:

Matth. 16. 19.

Matth. sextodecimo: Tibi dabo claves regni cœlorum, dixit Dominus Petro; ergo videtur, quod potestas relaxandi peccata fuit specialiter in Petro, hic autem videtur, quod in omnibus. Et

Solutio.

dicendum, quod potestas dimittendi, seu potestas solvendi, data est omnibus Apostolis; tamen specialius Petro data est plenitudo potestatis, & ejus Successoribus, tanquam Principi & Capiti omnium Apostolorum. Quia ergo Caput erat, dicitur in Matthæo: Tibi dabo; quia vero alii suæ potestatis erant participes, ideo dicitur: *Accipite &c.* (*b*).

Plenitudo potestatis in Petro, ejusque Successoribus.

Quæstio tertia de iisdem verbis ad undecim discipulos directis.

1327. Item cum Dominus non dixerit, nisi undecim: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis &c.* videtur, quod non omnes Sacerdotes habeant hanc potestatem, sed solum illi, qui tenent locum Apostolorum, quales sunt Episcopi, non simplices Sacerdotes. Item videtur Gregorius hoc dicere, quod solvendi & ligandi auctoritatem accipiunt qui locum regiminis sortiuntur.

Gregorius in Ev. L. 2. Ho. 26. n. 5.

Responsio.

Ad hoc dicendum, quod dupliciter est ligare & solvere, vel in foro pœnitentiali, vel in foro judiciali. Primo modo convenit Presbyteris ratione Ordinis. Secundo modo convenit Episcopis & ceteris Superioribus ratione dignitatis (*c*). Unde Hugo de Sancto Victore: Alia est ligatio, qua ligant Ministri Ecclesiæ veraciter pœnitentes debito injunctæ satisfactionis, & alia, qua ligantur intolerabiliter delinquentes vinculo anathematis (*d*).

Hugo de S. Victore.

1328.

„ postea a nostro Concilio; sed ex vi voti, „ quod in Contritione includitur, hujus Sacramenti suscipiendi: adeo ut supersit in peccatore, quamvis perfecte contrito, obligatio „ confitendi. Et præterea quia ipse affirmat, „ in ipso absolutionis actu remitti aliquod debitum eo usque perseverans, hoc est, partem „ pœnæ temporariæ, quæ post condonationem „ æternæ adhuc debetur, & gratiam sanctitatis „ infundi. Hæc sunt quibus S. Bonaventuræ „ opinio utcumque defenditur &c." Nunquid, sodes, celebris hic Historicus ita scripsisset de tali opinione, si eam Tridentinæ œcumenicæ Synodi Patres diris devovissent? An non inter eos Joannes Æmilianus Episcopus Tudetanus necessitatem Contritionis perfectæ, sive justificantis, vel ipse sustinens? Lege sis laudatum Historicum ibi cap. 2. testantem, in hoc eos potissimum incubuisse Patres, ut Hæreticorum damnarentur errores, Scholasticorum secus opinionibus utrimque disputabilibus parceretur. Credamne Tridentinos Patres in hoc minime pepercisse Bonaventuræ, cum tamen in Tridentino ipso Concilio testis fuerit longe locupletissimus P. Franciscus Zamora Ordinis nostri Generalis Minister, inquiens in Epist. data Triden. Kal. August. 1563. *Illud oblectamento fuit mihi, videre Tridenti Viros doctissimos, ad unum ferme omnes, Bonaventuræ doctrinam summopere commendare?* Adde, quod si prædicta doctrina fuisset in Tridentino Concilio damnata, cum eadem ipsa contineatur quoque in Exposit. jam edita sub S. Bona. nomine, minime ipsam publicare fuissent ausi doctissimi Editores Romani sub Sixto V. P. M. absque ulla in margine animadversione. Atqui publicarunt absque ulla nota marginali, velut innoxiam; ergo &c. Demum observo a præfata doctrina quorumdam sui temporis recessisse S. Thomam Comment. in Joan. Evangel. cap. 11. Lect. 6. sub not. *f.* eo solo nomine, quod *hæc positio nimis parum attribuit Ecclesiæ clavibus.*

(*a*) Sive *in plenitudine, & ad robur*, 4. Dist. 7. art. 1. q. 1. in concl.

(*b*) Similiter de primatu Petri, suorumque in Romana Ecclesia Successorum 4. Dist. 19. art. 3. q. 1. in concl. ac Dist. 20. par. 2. art. 1. q. 5. in fine. Item in Breviloq. par. 6. c. 12., & de Eccl. Hier. par. 2. c. 1., nec non Ser. sive Collat. 22. in Hexaem. atque in Opusc. in quo decernitur quare Fratres Minores prædicent, & confessiones audiant, statim post initium. Insuper Exposit. in cap. 22. S. Luc. Serm. 1. de SS. Apost. &c. Vide sis peregregium ex nostratibus Lutheri oppugnatorem Gasparem Schatzgerum, sive Sasgerum, a Joanne Eckio impense laudatum, Lib. 9. Tract. 3. De primatu Petri, & Romanæ Ecclesiæ Præeminentia fol. m. 257. ac seqq. nec non Card. Petra Comment. ad Constit. Apostol. Constit. 10. Pii II. num. 12.

(*c*) 4. Dist. 18. par. 2. art. 1. q. 3. in concl.

(*d*) Forte sic habet prædictus Hugo *in Libro de potestate ligandi*, quem allegat Interpres noster ibi Par. 1. Art. 2. Q. 2. in concl.

Objectio Hæreticorum prædictis verbis abutentium.

1328. Item objiciunt Hæretici de hoc, quod prius dicitur: *Accipite Spiritum sanctum*, & post: *quorum remiseritis peccata &c.* quod nullus Sacerdos habet potestatem ligandi & solvendi, nisi habeat Spiritum sanctum inhabitantem; ergo mali Sacerdotes non absolvunt, nec etiam summus Pontifex, si malus est. Quod si hoc, tunc in periculo est nostra salus. Ad hoc multipliciter respondetur. Quidam enim dicunt, quod prius datur Spiritus sanctus, & post executio potestatis solvendi; quia solutio vel remissio non fit nisi in caritate Ecclesiæ: unde dicunt, quod non est necesse, quod Sacerdos habeat caritatem, sed sufficit, quod saltem sit in Ecclesia (a). Aliter respondetur, quod dupliciter est solvere, scilicet merito, & officio tantum. Ad hoc quod merito solvat, necesse est, quod habeat Spiritum sanctum (b); sed ad hoc quod solvat officio, non oportet (c). Quod ergo Dominus prius dat Spiritum sanctum, hoc est, ut digne (d) exequatur; vel ad significandum, quod sine gratia Spiritus sancti non datur remissio peccatorum. Sed non oportet, quod illa gratia sit in Sacerdote (e), sed in Sacramentis (f). Potest autem & aliter dici, quod Spiritus sanctus dicitur dari, quando dantur dona sua. Sunt igitur quædam dona, quæ sunt a Spiritu sancto, & cum Spiritu sancto, & numquam sine, ut caritas. Sunt & alia, quæ sunt a Spiritu sancto, & non cum Spiritu sancto, ut timor servilis. Sunt & alia, quæ sunt a Spiritu sancto, & possunt esse cum Spiritu sancto, & sine, & talia sunt donum prophetiæ, & donum scientiæ (g), & characteres (h). Et quia potestas confitendi, & ligandi, & solvendi, sunt tales, manent in justis, & in injustis. Et hoc Divina dispensatione actum est, ut peccatum Prælati subdito non præjudicet.

Solutio multiplex.

Quæstio quarta de hoc quod dicitur: Thomas non erat &c.

1329. Item quæritur de hoc quod dicitur, quod *Thomas non erat cum discipulis, quando venit Jesus*. Quia Lucæ ultimo dicitur de duobus discipulis euntibus in Emaus, quod regressi sunt in Jerusalem, & invenerunt congregatos undecim, & dum ipsi narrarent quod viderant, dicitur quod stetit Jesus in medio eorum: ergo si non erant undecim nisi cum Thoma, videtur quod Thomas tunc ibi esset. Ad hoc respondet Augustinus in tertio de concordia Evangelistarum: Intelligendum est, inquit, quod Thomas inde exierit, antequam eis loquentibus Dominus appareret; unde verum est, quod discipuli illi invenerunt Thomam: sed dum illi in sermone persisterent, Thomas exivit, & Dominus introivit (i).

Luc. 24. 33. ac 36.

Responsio.

Augustinus de consens. Evang. c. 25. n. 74.

VERSUS XXVI.

1330. *Et post dies octo*. Hic agitur de secunda manifestatione Domini facta ad removendam incredulitatem Thomæ (k); & duo in hac parte notantur. Primo manifestatio: secundo ex manifestatione consequens fidei ædificatio ibi: *Respondit Thomas*. In manifestatione plura nobis insinuantur, scilicet discipulorum congregatio, Domini apparitio, ejusdem allocutio, & sui ad se palpandum exhibitio, seu ad Thomam perfecta ostensio. Discipulorum congregatio tangitur, cum dicitur: *Et post dies octo*, scilicet post Resurrectionem, & primam apparitionem; *iterum erant discipuli ejus intus*, in eadem domo quieti a strepitu; *& Thomas cum eis*. Et sic quia simul erant, & intus erant, ad videndum Dominum habiles erant, secundum illud Matthæi decimo octavo: Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio*. Hic tangitur secundum, scilicet Domini apparitio, unde veniens stetit in medio, ut nullus sit, qui non videat. *Et dixit eis (l): Pax vobis*. Hic notatur

Manifestatio facta ad removendam incredulitatem Thomæ.

Discipulorum congregatio.

Matth. 18. 20.

Domini apparitio.

(a) 4. Dist. 19. art. 1. q. 2. ad 1. & 2.
(b) Eodem 4. cit. Dist. 19. Dub. 2.
(c) Ibi cit. q. 2. in concl.
(d) Sive cum *debito usu officii, merito, sanctitate, caritate*, ibi.
(e) In quo *quantum ad ea quæ sunt de necessitate, ad esse clavis sufficit donum Spiritus sancti secundum gratiam gratis datam*, ibi.
(f) Secundum Hugonem de S. Victore L. 1. de Sacramen. par. 9. cap. 3. ac seqq.
(g) Ita disertissime 3. Dist. 34. par. 2. art. 1. q. 1. ad 1.
(h) De his 4. Dist. 24. Part. 2. Art. 1. per totum.
(i) Ex eodem Aug. Exposit. in cap. 24. S. Lucæ pariter respondet, *quod Thomas erat cum discipulis quando illi duo redierunt; sed postmodum exivit antequam eis loquentibus Dominus appareret*.
(k) Supra num. 1316.
(l) Vulg. absque *eis*; sed *eis* quoque Codd.

Domini allocutio. tatur tertium, scilicet Domini allocutio. Iste modus alloquendi ipsum manifestat; quia sic salutare consueverat, pacem optando, & suos discipulos sic docuerat salutare. Matth. decimo (a). Matth. 10. 12. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui.

VERSUS XXVII.

1331. *Deinde dicit Thomæ*. Hic notatur quartum, scilicet sui ad se palpandum exhibitio; quia enim Thomas dixerat: Nisi mittam digitum meum in locum clavorum; ideo Dominus dicit ei: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*. Quia etiam dixerat: Nisi mittam manum meam in latus ejus, ideo Dominus dicit ei: *Et affer manum tuam, & mitte in latus meum*. Et quia etiam dixerat: Nisi hoc fecero, non credam; ideo Dominus dicit: *& noli esse incredulus, sed fidelis*, ex quo per omnia satisfit tuæ voluntati. Unde Gregorius: Divina dispensatione gestum est, ut electus discipulus tunc deesset, quando Dominus aliis apparuit; post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet (b). Habacuc secundo: Ecce qui incredulus est, non est anima ejus recta in semetipso: justus autem meus ex fide vivit (c).

Sui ad se palpandum exhibitio. — Gregorius in Evang. L. 2. Ho. 26. n. 7. — Hab. 2. 4.

VERSUS XXVIII.

1332. *Respondit Thomas*. Hic notatur fidei ædificatio ex Domini manifestatione procedens. Tripliciter autem astruitur nostra fides ex Divina manifestatione, aut per præsentiam seu per visum, aut per absentiam seu per auditum, aut per Scripturæ testimonium. Primo modo ædificata est fides in Thoma, qui credebat. Secundo modo in aliis, qui referentibus crediderant. Tertio in his, qui Scripturis credituri erant. Primo ergo notatur fides Thomæ credentis per visum. Secundo commendatur fides aliorum credentium per auditum. Tertio illorum, qui credituri erant per Scripturæ testimonium. Tangitur ergo fides Thomæ, quæ innuitur in recta ejus confessione, unde dicitur: *Respondit Thomas, & dixit ei* post tantam ostensionem: *Dominus meus* quantum ad humanitatem, *& Deus meus* quantum ad Divinitatem; ideo enim *Deus*, quia creavit; ideo *Dominus* quia, nos comparavit ut servos, primæ Petr. primo: Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, & incontaminati Christi Jesu (d).

Consequens fidei ædificatio. — Fides Thomæ credentis per visum. — 1. Pet. 1. 18. ac seq.

VERSUS XXIX.

1333. *Dicit (e) ei Jesus*. Hic commendatur fides eorum, qui ædificati sunt per auditum, & præfertur fidei Thomæ, quæ fuit per præsentiam, & visum; & ideo dicit: *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt*; quia majoris fuit libertatis, & plus habuit de suo talis fides. Chrysostomus: Si aliquis nunc dixerit, vellem esse secundum tempora illa, ut viderem Christum mirificantem; excogitet, quoniam beati, qui non viderunt, & crediderunt. Primæ Petr. primo: Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis.

Fides aliorum credentium per auditum. — Chrysostomus in Jo. Evang. c. 20. Hom. 86. — 1. Petr. 1. 8.

VERSUS XXX.

1334. *Multa quidem & alia signa*. Hic tangitur fides credentium per Scripturam tales manifestationes; ideo dicitur, hujusmodi manifestationes conscriptas esse ad astruendam fidem eorum, qui eas videre non potuerunt. Et ideo non omnia scripta sunt, sed quæ sufficiunt ad fidem; ideoque dicitur: *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum (f), quæ non sunt scripta in li-*

Fides credentium per Scripturam.

Biblioth. Episc. Trident. ac noster Bernardin. S. Tho. Lyran. Dionys. Carthus. antiquioresque Biblior. Editiones.

(a) Sic apud ipsum S. Bona. etiam in Exposit. Reg. FF. Minor. cap. 3.; sed quæ sequuntur potius verba sunt Luc. 10. ver. 5.

(b) Vid. infra num. 1341.

(c) Vid. supra cap. 4. num. 227. ac cap. 14. num. 990.

(d) Vide supra cap. 8. num. 612.

(e) Vulg. *Dixit*; sed *Dicit* Codd. Veron. Brix. noster Bernardin. alius Biblioth. Episc. Trident. &c. Item antiquiores Biblior. Editiones tam nostræ Bernardin., quam Gentilott. & Griezen. Biblioth. Hugo Card. Lyran. atque Dionys. Carthus.

(f) Vulg. *suorum*; sed absque *suorum* etiam Cod. Brix.

in libro hoc; quia non est nostrum omnia narrare, sed fidem ædificare, unde subdit:

VERSUS XXXI.

1335. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis*. Ad Rom. quintodecimo: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. *Credatis*, inquam, *quia Jesus Christus est (a) Filius Dei*, id est, in Christo humanitatem, & Divinitatem (b). Lucæ primo: Vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Primæ Joan. quinto: Quis est autem (c) qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? Et quia non est status in fide, ideo finem istum ordinat ad ultimum: *Et ut credentes vitam habeatis*, quia sicut dicitur ad Hebr. undecimo: Sine fide impossibile est placere Deo. Sed credentes vitam possident, primæ Petr. primo: Credentes exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum (d). *In nomine ejus*, id est, in fide nominis ejus. Act. quarto: Non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Primæ Joan. ultimo: Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam æternam habetis, qui creditis in nomine Filii Dei.

[Ad Rom. 15. 4. — Luc. 1. 31. ac seq. — 1. Jo. 5. 5. — Ad Hebr. 11. 6. — 1. Pet. 1. 8. ac seq. — Act. 4. 12. — 1. Jo. 5. 13.]

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Venit Jesus januis clausis*.

1336. Sed quæritur hic de hoc quod dicitur: *Venit Jesus januis clausis*. Si enim ad hoc veniebat, ut per tactum Thomæ cognosceretur, videtur, quod in ipso modo veniendi, fidem, quam astruebat, infirmaret; quia sicut spiritus non potest tangi, sic nec quod potest tangi, clausis potest januis introire, & ideo videri poterat totum phantasticum.

Responsio.

Respondent quidam, quod Christus debuit ostendere non solum se habere corpus, in quo passus est; sed etiam corpus Divinum, id est, Divinitati unitum. Et ut ostenderet esse Divinum, clausis venit januis. Unde Augustinus: Moli corporis, ubi Divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente Virginitas Matris inviolata permansit. Alii vero respondent, quod per hoc non ostendit se habere corpus Divinum, sed gloriosum; quia hoc non tantum erat suum, sed omnium corporum glorificatorum. Et verbum Augustini intelligendum est per locum a minori, & ita exponit istud Gregorius: Quid mirum si januis clausis post Resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui antea moriturus veniens non aperto Virginis utero exiit? Et ita per locum a minori arguit. Respondendum ergo ad rationem, quod sic debebat probare idem esse corpus, ut & ostenderet gloriosum (e).

[Augustinus in Jo. Evang. c. 20. Tract. 121. n. 4. — Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 29. n. 1.]

Quæstio secunda de hoc quod Christus dicit Thomæ: *Infer digitum tuum huc &c.*

1337. Item quæritur de hoc quod dicit Dominus: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*. Ex hoc videtur quod corpus Christi esset vulneratum; sed si hoc, non erat gloriosum. Item si dicas quod cicatrices remanserant, videtur, quod non plenam gloriam habeat; quia perfectius curatur, in quo nulla remanent imperfectionis vestigia: ergo videtur, quod corpus Christi non sit perfecte glorificatum. Si dicas quod remanserant propter discipulos tantum, tunc videtur, quod non veræ, sed falsæ cicatrices essent.

Responsio. [Augustinus Epist. 102. alias 49. q. 1. n. 7.]

Respondet Augustinus in libro de sex solutionibus contra Paganos (f): Sciant, inquit, qui has quæstiones proposuerunt, Christum post Resurrectionem non vulnera, sed cicatrices discipulis demonstrasse, quæ tunc falsæ essent, si nulla vulnera præ-

---

(a) Vulg. *quia Jesus est Christus*: sed ut supra Codd. Veron. Brix. noster Bernard. Item S. Tho. Lyran. &c. In Evangeliar. autem nostro Trident. *Quia Jesus Christus Filius Dei est*.

(b) Hinc deducitur causa finalis hujus Evangelii a Divo Joanne conscripti.

(c) Vulg. sine *autem*; sed cum *autem* Codex noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. ac Goth. apud Bianchin. Hugo Card. Lyran. antiquioresque Biblior. Editiones.

(d) Vulg. absque *vestrarum*; sed *vestrarum* duo nostri Codd. Bernardin. tertius Biblioth. Episc. Trident. Hugo Card. Lyran. antiquiores Biblior. Editiones tam nostræ Bernardin., quam Gentilotr. Biblioth. nec non Griezen.

(e) Quod scilicet penetrare potest corpus non gloriosum, cum habeat dotem subtilitatis, ut tradit idemmet noster Interpres 4. Dist. 49. Par. 2. Ar. 3. Q. 1. in concl. Hoc est contra Calvin. Gomar. Heins. Le Clerc. contendentium ingressum fuisse Christum, nemine fores aperiente, cum eas ipse aperuerit; sive intrasse multa jam nocte, dum fores clauderentur, ac nullius amplius expectaretur ingressus.

(f) Sive *de sex Quæstionibus contra Paganos expositis Lib. seu Epist. ad Degratias Presbyterum*.

ra præcessissent. Nec ex impotentia sunt, quia Divina Dispensatione & arte optimi Medici sunt relictæ. Exemplum ponit Augustinus de milite vulnerato, qui non vult sanari a Medico, quin signa vulnerum remaneant *(a)*. Ratio autem, quare servatæ sunt, triplex fuit, sicut dicit Victor: Sic, inquiens, cicatrices vulnerum non ex impotentia curandi servavit; sed ut in perpetuum victoriæ suæ circumferat triumphum: & ad fidem Resurrectionis astruendam, ut idem corpus, quod moritur, resurgere demonstraret: & ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adjuti, propositis & ostensis ejusdem mortis innuat indiciis. Posset quarta ratio reddi ad confusionem damnandorum *(b)*; unde Apocal. primo: Videbit eum omni oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terræ *(c)*.

Rationes cur signa vulnerum in Christo remanserint. — *Victor.* — *Apoc. 1. 7.*

1338. Item de hoc, quod dicit: *Et affer manum tuam, & mitte in latus meum*. Ergo corpus Christi erat palpabile. Sed sicut dicit Gregorius: Omne palpabile est corruptibile, ergo corpus istud erat corruptibile. Si dicas, sicut dicit Chrysostomus, quod hoc erat condescensionis, quod fiebat; tunc objicitur, quia si palpari est contra naturam corporis glorificati: ergo manifestum, quod in hoc non ostendebat se habere corpus glorificatum, sed potius non glorificatum. Et respondetur, quod ista ratio non valet, quia intrando januis clausis ostendit gloriosum, sed per tactum ostendit esse idem, quod fuerat passum. Potest tamen aliter dici, quod sicut dupliciter aliquid est visibile, uno modo quia visum latere non potest, ut lapis; alio modo quia cum latere possit, potest etiam immutare: primum est quodam modo infirmitatis, & est in corpore non glorioso: secundum virtutis, & est in corpore glorioso *(d)*: sic tangi, quia tactum non potest refugere, est infirmitatis quodam modo, & corporis non gloriosi; tangi vero, quia terminat impulsum manus, ut solidum, quod quidem potest sua virtute manum penetrare, hoc magnæ virtutis est. Et hoc fuit in corpore glorioso, & maxime in corpore Christi *(e)*.

Quæstio tertia de hoc quod dicit: Et affer manum tuam &c. — *Gregorius in Ev. L. 2. Hom. 26. n. 1.* — *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 20. Hom. 86.* — *Responsio.*

1339. Item quæritur de hoc quod dicit: *Noli esse incredulus, sed fidelis*. Opponit Gregorius, cum Paulus Apostolus dicat ad Hebr. undecimo: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium; quæ etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem: ergo si Thomas vidit Dominum, non jam habuit fidem, sed scientiam. Respondet Gregorius & Augustinus, quod aliud vidit, aliud credidit; vidit hominem, & Deum confessus est, unde dixit: *Dominus meus, & Deus meus (f)*.

Quæstio quarta de hoc quod dicit: Noli esse incredulus &c. Gregorius mox citandus. — *Ad Hebr. 11. 1.* — *Responsio. Gregorius cit. Hom. 26. n. 8. Augustinus cit. Tract. 121. n. 5.*

1340. Sed tunc objicitur, quia saltem vidit eum, quem prius viderat mortuum; ergo sciebat Resurrectionem, non credebat. Item Thomas non credebat, nisi quia videbat; ergo humana ratio fidei suæ præbebat experimentum: ergo fides sua non habebat meritum. Resp. Dicendum, quod quia Apostoli sciebant ludificationes Dæmonum, poterant existimare totum illud, quod faciebat Christi species, esse a spiritu aliquo in assumpto corpore *(g)*; & inde erat, quod etiam aliqui dubitabant. Et propterea dico, quod per visionem illam non fuit certa cognitio, nec habuerant per illas ostensiones rationes cogentes, quæ auferrent fidei meritum; sed solum inducentes, quæ adjuvant animum infirmum, & nondum in fide stabilitum *(h)*.

Objectio contra fidem Thomæ post visionem. — *Solutio.*

(a) Videndus quoque Augustinus de Symbolo ad Catechumenos Lib. 2. c. 8. ac de Civ. Dei L. 22. c. 20. nec non contra Faustum L. 16. cap. 33.

(b) Exposit. in cap. 24. S. Lucæ, ac 4. Dist. 48. art. 1. q. 3. ad 1. & 2.

(c) Comment. in Apocal. ad hunc textum. Porro rationes, cur Dominus voluerit ea vulnerum vestigia in suo quoque glorioso corpore retinere, videri etiam possunt apud S. Cyprianum Serm. de Baptismo Christi, S. Leonem Serm. 1. de Ascens. Domini, S. Hilarium Lib. contra Constantium &c.

(d) 4. Dist. 49. par. 2. art. 2. q. 2. in concl.

(e) Ibi art. 3. q. 2. in concl.

(f) 3. Dist. 24. art. 2. q. 1. in concl. nec non ibi Dist. 23. Dub. 1. Vide sis etiam Estium.

(g) Pariter idem Estius differens de Thoma fidem non habente testibus oculatis, ait, non ideo non credidisse, quia eos mentiri suspicaretur; *sed quia putavit eos plantasmate Christi speciem referente delusos esse*.

(h) De hujusmodi *rationibus quantum ad infirmos*; idemmet noster Interpres in 3. cit. Dist. 24. Art. 2. Q. 2. in concl. ubi ostendit, quod *de eodem potest esse fides, & probabilis opinio, non* quidem

Quæstio quinta de hoc quod dicit: Quia vidisti me Thoma, credidisti.

Duplex responsio.

Augustinus eodem Tract. 121. n. 5.

1341. Item quæritur de hoc, quod dicit: *Quia vidisti me Thoma, credidisti*. Videtur quod debuisset dicere: quia tetigisti me, quia ei non sufficiebat quod videret. Ad hoc respondet Augustinus dupliciter, vel quia iste visus intelligitur tactus, quia visus dicitur communiter sensus (*a*); vel quia Thomas tangere non fuit ausus, unde non dicit: tetigisti, sed *vidisti* (*b*). Quoniam generalis quodammodo est sensus visus (*c*); quamvis dici possit, non ausum fuisse discipulum tangere (*d*).

C A-

---

quidem formidinem annexam habens, sed assensionem ex probabilibus rationibus derelictam; & de hoc dicit, quod *est in fidei fomentum quantum ad infirmos, & oblectamentum quantum ad perfectos*. Unde ibi ad 2. ad illud S. Gregor. *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*, respondet „ Quod hoc intelligit Gregorius, quando credulitas fidei omnino innititur experimento rationis probabilis. Et hoc modo fides vera non stat cum opinione, ita quod innitatur opinioni tamquam fundamento; immo multo magis assensio illa probabilis ex rationibus acquisita, de qua dictum est quod potest opinio dici, innititur ipsi fidei tamquam firmiori. Et hujus signum est, quia multæ rationes videntur nobis probabiles, & valde rationabiles circa fidem, quæ videntur esse abusiones quædam hominibus infidelibus. Ideo magis illa assensio innititur fidei, quam e converso, licet aliquo modo illa fidem foveat, & delectet, sicut dictum est. " Nec non Proœm. in Lib. 1. Sentent. Q. 2. in concl. ubi loquens de modo ratiocinativo in Theologia, sive de modo procedendi per rationes probabiles, inquit „ Valet ad fovendum infirmos. Sicut enim Deus caritatem infirmorum fovet per beneficia temporalia, sic fidem infirmorum per argumenta probabilia. Si enim infirmi viderent rationes ad fidei probabilitatem deficere, & ad oppositum abundare, nullus persisteret. " Et ibi etiam addit, quod „ valet ad delectandum perfectos. Miro enim modo anima delectatur in intelligendo quod perfecta fide credit. Unde Bernardus: Nihil libentius intelligimus, quam quod jam fide credimus. " Lib. 5. de Consid. post init.

(*a*) „ Nam (ut inibi Augustinus loquitur) & per alios quatuor sensus nominari solet: velut cum dicimus: Audi & vide quam bene sonet; olfac & vide quam bene oleat; gusta & vide quam bene sapiat; tange & vide quam bene caleat. Ubique sonuit: Vide; cum visus proprie non negetur ad oculos pertinere. Unde & hic ipse Dominus: *Infer*, inquit, *digitum tuum huc, & vide manus meas*: quid aliud ait, quam tange & vide? Nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo sive intuendo, sive etiam tangendo: *Quia vidisti me*, inquit, *credidisti*. „

(*b*) „ Quamvis dici possit (pergit ibidem August.) non ausum fuisse tangere, cum se offerret ille tangendum: non enim scriptum est: Et tetigit Thomas. " Reapse tamen tetigisse censet August. Lib. 4. de Trin. cap. 3. Enarrat. in Ps. 56. & in Ps. 68. ac Serm. 158. Item Tertull. adversus Praxeam, Hilar. Ambros. Cyrill. Theophylact. Greg. supra laudat. num. 1331. Bernard. &c.

(*c*) Sic ibi August. Vid. Canonem primum inter Canones qui facem præferunt Prophetis apud Cornel. a Lap. Commentar. in quatuor Prophetas Majores, nec non ejus Commentar. in Apocal. cap. 1. v. 12.

(*d*) Utrum Thomas revera Christi vulnera palpaverit, dubitarunt nonnulli, uti legere est in Glossa ordinaria, ac videre apud Augustinum, & Bedam. Quinimo negavit Euthymius, referente Calmet. Sed quid de aliis discipulis, quibus dictum est Luc. 24. ver. 39. *Palpate, & videte?* Respondet Estius: *Forte pro reverentia non palpaverant; sed tantum dicere poterant, vidimus eum*. Porro quæ toto hoc seq. cap. 21. describuntur, unus narrat Joannes, aliumque est apud alios omnes Evangelistas silentium. Nihilo tamen minus tota retro Christiana antiquitas, uti veram partem Evangelii S. Joannis, proximum caput excepit. Non ergo audiendi Grotius, Hammondus, Le Clerc, illud putantes ab Asiæ Ecclesiis adjectum.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

1. POstea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad
mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic:
2. Erant simul Simon Petrus, & Thomas,
qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat
a Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex
discipulis ejus duo. 3. Dicit eis Simon Pe-
trus: Vado piscari: Dicunt ei: Venimus & nos
tecum. Et exierunt, & ascenderunt in navim:
& illa nocte nihil prendiderunt. 4. Mane
autem facto stetit Jesus in littore: non tamen cognoverunt discipuli
quia Jesus est. 5. Dixit ergo eis Jesus: Pueri numquid pulmentarium
habetis? Responderunt ei: Non. 6. Mittite in dexteram navigii rete,
& invenietis. Miserunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ
multitudine piscium. 7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat
Jesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Domi-
nus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.
8. Alii autem discipuli navigio venerunt, (non enim longe erant a
terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. 9. Ut ergo
descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superposi-
tum, & panem. 10. Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos pren-
didistis nunc. 11. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram,
plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti
essent, non est scissum rete. 12. Dicit eis Jesus: Venite, prandete.
Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scien-
tes, quia Dominus est. 13. Et venit Jesus, & accipit panem, & dat
eis, & piscem similiter. 14. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus di-
scipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. 15. Cum ergo prandissent,
dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit
ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos
meos. 16. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi:
Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.
17. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Pe-
trus, quia dixit ei tertio: Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia
nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. 18. Amen,
amen dico tibi: cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi vo-

lebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget,
& ducet quo tu non vis. 19. Hoc autem dixit, significans qua mor-
te clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere
me. 20. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat
Jesus sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus ejus, & dixit:
Domine quis est qui tradet te? 21. Hunc ergo cum vidisset Petrus,
dixit Jesu: Domine, hic autem quid? 22. Dicit ei Jesus: Sic eum
volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. 23. Exiit
ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et
non dixit ei Jesus: Non moritur; sed: Sic eum volo manere donec
veniam, quid ad te? 24. Hic est discipulus ille, qui testimonium
perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimo-
nium ejus. 25. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus: quæ si
scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos,
qui scribendi sunt, libros.

EXPOSITIO.

VERSUS PRIMUS.

1342.

Postea manifestavit se iterum Jesus (a) ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic. Hic agitur de tertia manifestatione (b), quæ facta est ad Petri confirmationem, & dividitur hæc pars in duas. In prima agitur de manifestatione. In secunda de Petri confirmatione ibi: *Cum ergo prandissent* &c. Prima in duas, quia ad descriptionem manifestationis necesse est describere circumadiacentia, ideo primo tanguntur illa: secundo ipsa manifestatio ibi: *Mane autem facto &c.* Circumadjacentia manifestationem sunt locus, in quo manifestatur; & personæ, quibus manifestatur; & actus sive negotium, ratione cujus manifestatur. Primo ergo describitur locus, in quo facta est hæc manifestatio, cum dicitur: *Postea manifestavit se iterum Jesus ad mare Tiberiadis*. Ecce locus. Mare Tiberiadis idem est quod stagnum Genezareth, & quod mare Galilææ. Dicitur autem *Tiberiadis* a Tiberiade civitate, quæ juxta istud stagnum sita est. Dicitur autem mare Galilææ a regione, in qua est. Dicitur stagnum Genezareth a natura propria ipsius stagni, ut dicatur Genezareth; quasi auras generans (c). *Manifestavit autem sic*, hic tanguntur personæ, quibus manifestatur, unde dicitur:

Manifestatio facta ad Petri confirmationem.

Divisio hujus partis in duas.

Descriptio loci.

Genezareth, quasi auras generans.

VERSUS SECUNDUS.

1343. *Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, & Filii Zebedæi, & alii ex discipulis ejus duo*. Et ita erant septem, quia talis numerus est conveniens & sufficiens ad omne genus testimonii. Et commendatur in hoc septiformis gratia Spiritus sancti (d), quæ debet esse in his, qui vadunt piscari, id est, populum Domino congregare, de quo septenario dicitur Isaiæ quarto: Apprehendent septem mulieres virum unum (e) Sine his mulieribus non fit propagatio spiritualis. Et Isaiæ undecimo: Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.

Descriptio personarum.

Isai. 4. 1.

Isa. 11. 2. ac seq.

VERSUS TERTIUS.

1344. *Dicit eis Simon Petrus*. Hic tangitur actus seu officium, occasione cujus manifestatur. Et hic quidem fuit actus piscationis, in quo omnes convenerant. Sed Petrus erat principalis, quia propter ipsum specialiter hæc manifestatio facta est, unde dicitur: *Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari*, tanquam principalis, quia piscator fuerat. Matth.

Descriptio actus piscationis.

(a) Heic addit Vulg. *discipulis*, sed absque *discipulis* Cod. noster Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. S. Tho. Hugo Card. Lyran. ac Dionys. Carthus. Item antiquiores Biblior. Editiones.

(b) De hac supra num. 1316. Et quidem fuit tertia respectu aliorum Apostolorum; sed respectu Thomæ secunda. Vid. quoque infra num. 1360.

(c) *Generans auras*, dicitur etiam ab eodem Interprete nostro Exposit. in cap. 5. S. Lucæ ab initio, nec non apud Hug. Card. Id ipsum firmat Beda in Hom. æstiv. de tempore Dom. 5. post Trinit. Luc. 5. inquiens de Genezareth: *Græco vocabulo, quasi generans sibi auram dicitur*. Unde mendose legitur Exposit. in cap. 21. S. Jo. sub S. Bonav. nomine noviss. Edit. Venet. *generans aurum*. Eadem Exposit. in cap. 5. S. Lucæ animadvertitur, quod *mare Tiberiadis* olim nuncupabatur *Cenereth*, nunc autem dicitur *Tiberiadis*, eo quod *postea Civitatem istam appellavit Herodes Tiberiadem, quia ipsam in honorem Tiberii Cæsaris reædificavit*.

(d) Similiter S. Greg. in Evang. Lib. 2. Hom. 24. num. 6.

(e) Pariter secundum mysticam interpretationem Hugo Card. Comment. in Isaiam ad d. cap. & text.

Matth. 4. 18.

Matth. quarto: Ambulans Jesus secus (*a*) mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, erant enim piscatores. Et alii concomitantur, unde dicitur: *Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et* ideo concordes in unum *exierunt & ascenderunt in navem* (*b*), ut piscarentur, *& in* (*c*) *illa nocte nihil prendiderunt*, & ita in vanum laboraverunt. Lucæ quinto: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Gregorius: Facta est discipulis piscationis magna difficultas, ut Magistro veniente fieret admirationis magna sublimitas.

Luc. 5. 5.

Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 24. n. 3.

VERSUS QUARTUS.

1345. *Mane autem facto*. Hic agitur de Domini manifestatione, & dividitur hæc pars in duas; quia primo describitur ipsa manifestatio; deinde ad præcedentes manifestationes comparatio ibi: *Hoc jam tertio* &c. In prima manifestatione, quia dupliciter se manifestat; & quoad divinam naturam per miraculi operationem, & quoad humanam per comestionem; ideo sunt ibi duæ particulæ. In prima describitur manifestatio facta per piscium comprehensionem: in secunda per comestionem ibi: *Ut ergo descenderunt in terram* &c. Manifestatio ergo quoad mirabilem comprehensionem piscium hoc ordine describitur. Primo enim notatur Christi apparitio: secundo allocutio: tertio mirabilis piscium comprehensio: quarto Domini cognitio: quinto fervens Petri dilectio. Domini igitur apparitio tangitur, cum dicitur: *Mane autem facto stetit Jesus in littore*, ad literam *mane stetit*, quia nocte ipsum videre non possent. Secundum spiritualem intellectum, quia *mane* tempus gratiæ significat, in quo Christus apparuit. Ad Rom. tertiodecimo: Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Et licet appareret, tamen discipuli non cognoscebant, ideo dicitur: *Non tamen discipuli cognoverunt, quia Jesus est*. Chrysostomus: Non mox ostendit seipsum, ut per miraculum, quod facturus erat, eum agnoscerent.

Domini manifestatio.

In duas partes divisio.

Descriptio manifestationis factæ per mirabilem piscium comprehensionem.

Christi Domini apparitio.

Ad Rom. 13. 12.

Chrysostomus in Jo. Evang. c. 21. Hom. 86.

VERSUS QUINTUS.

1346. *Dicit* (*d*) *ergo eis Jesus*. Hic notatur secundum, scilicet Domini allocutio, & quærit ab eis caussam tanti laboris: *Pueri, numquid pulmentarium habetis? Pulmentarium* vocat hic omne illud, quo panis conditur (*e*), seu piscis sit, seu aliud, quod nos communiter dicimus pulmentum; quasi quærat ab eis Dominus, utrum pisces habeant, vel ceperint, ex quibus cibum suum condire possint, ut panis illis adjunctus sapiat? *Responderunt eis: Non*; quasi dicant, ideo adhuc laboramus, quia nondum habemus.

Ejus allocutio.

VERSUS SEXTUS.

1347. *Dixit* (*f*) *eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis*. Hic notatur tertium, scilicet mirabilis piscium comprehensio. Et fuit mirabilis, quia cum nihil possent capere, ad Divinum imperium tot ceperunt, ipsi obtemperando, unde: *Miserunt ergo rete* (*g*) juxta mandatum Domini, *& jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium*. Simile accidit Luc. quinto: Cum hoc fecissent, concluserunt multitudinem piscium copiosam. Ideo in magna copia, ut ostendatur Divina largitas, quæ, secundum illud Jacobi primo: dat omnibus affluenter, & non improperat.

Mirabilis piscium comprehensio.

Luc. 5. 6.

Jac. 1. 5.

VER-

(*a*) Sic etiam Cod. Vercellen. Vulg. *juxta*.

(*b*) Vulg. *navim*; sed *navem* Codd. Veronen. & Brixian. nec non Lyran. &c.

(*c*) Vulg. absque *in*; sed *in* pariter Cod. Brixian.

(*d*) Vulg. *Dixit*; sed *Dicit* Codd. Biblior. tam Biblioth. nostræ Bernardin. quam Biblioth. Episc. Trident. nec non Evangelior. Codd. Veron. Brix. ac Trident. Item Hugo Card. Lyran. antiquioresque Biblior. Editiones.

(*e*) Sive pani additur, Sa, Mariana, Menochius &c.

(*f*) Vulg. *Dicit*; sed *Dixit* idem Cod. noster Bernard. Item Vercellen. Brixian. & Goth. nec non S. Tho.

(*g*) Vulg. non habet nec *rete*, nec *retia*; habet *rete* d. Cod. Bernardin. aliusque Biblioth. Episc. Trident. ac S. Tho. *retia* autem Goth. & Gat. apud Blanchin. Hugo Card. in Exposit. text. *miserunt ergo rete*. Et sic quoque Dionys. Carthus.

VERSUS SEPTIMUS.

1348. *Dicit (a) ergo discipulus*. Hic notatur quartum, scilicet Domini cognitio a Joanne habita, unde: *Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus*, id est, Joannes, *Petro: Dominus est*. Ideo *Dominum* vocat, quia se potentem ostendit, & cui omnia obediunt, etiam pisces; & ideo timendus secundum illud Malachiæ primo: Si ego Dominus, ubi est timor meus? Vocabant enim discipuli eum Dominum supra tertiodecimo: Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim. *Simon ergo (b) Petrus*. Hic notatur quintum, scilicet Petri fervens dilectio, in hoc quod non potuit se continere, quin statim curreret, ideo dicitur: *Simon ergo Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se*, ne nudus appareret (c) coram Domino (*erat enim nudus.*) *& misit se in mare*, ad natandum scilicet. Simile fecit Matthæi quartodecimo: Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.

Domini cognitio. — Malach. 1. 6. — Jo. 13. 33. — Fervens Petri dilectio. — Matth. 14. 28.

VERSUS OCTAVUS.

1349. *Alii autem discipuli navigio venerunt*. Quia non erant ita ferventes, nec audentes mare intrare. Sapient. quartodecimo: Exiguo ligno credunt homines animas suas. Et additur alia ratio: *non enim erant longe a terra*, & ideo cito venire poterant, *sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium*. Secundum spiritualem intelligentiam piscatores nocte piscantes nihil prendiderunt; mane facto, apparuit Jesus, & impleverunt retia, & cubitis ducentis distantes a terra, retia traxerunt. Piscatores, inquam, sunt Prædicatores, Jer. sextodecimo: Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos; & Matth. quarto: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum (d). Tempus noctis est tempus legis propter umbram literæ & figurarum, ad Hebr. decimo: Umbram habens lex futurorum bonorum; non ipsam imaginem rerum. Qui nocte, id est, tempore legis (e), piscantur, nihil accipiunt; quia sicut dicitur ad Hebr. septimo: Lex nihil, id est, neminem (f), ad perfectum adducit. Mane facto, id est, tempore gratiæ, apparet Christus, secundæ ad Cor. tertio: Usque in hodiernum diem velamen positum est super cor eorum. Nos autem (g) revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu. Tunc retia implentur, quia post adventum Christi in carne manifestatur, & pisces in rete Ecclesiæ comprehenduntur, propter quod Dominus dicebat supra duodecimo: Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hos pisces, scilicet Fideles, Prædicatores trahunt, quia per bona exempla ad vitam perducunt; de quo modo trahendi dicitur in Cant. primo: Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum. Et hoc faciunt distantes ducentis cubitis, in quo scilicet innuitur duplex perfectio, quæ debet esse in Prædicatore, scilicet vitæ, & doctrinæ, de quibus Matth. quinto: Qui fecerit, & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum (h).

Sap. 14. 5. — Spiritualis intelligentia de piscatoribus nocte piscantibus, ac nihil capientibus. — Jer. 16. 16. — Matth. 4. 19. — Ad Hebr. 10. 1. — Ad Hebr. 7. 19. — 2. ad Cor. 3. ac 18. — Jo. 12. 32. — Cant. 1. 3. — Matth. 5. 19.

1350. Sed quæritur hic primo, cum stagnum Genezareth (i) sit quædam aqua dulcis, & parva respectu maris; quare Evan-

Quæstio prima cur stagnum Genezareth dicitur *Mare*.

(a) Vulg. *Dixit*; sed *Dicit* Biblior. Codd. Biblioth. Episc. Trident. ac nostræ Bernard. nec non Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. Brix. & Trident. Item Hugo Card. Lyran. Auctor Exposit. in Jo. Evang. sub S. Bonav. nomine, nec non Dionys. Carthus.

(b) Absque *ergo*, & absque *itaque* Vulg. sed cum *itaque* Codd. Veronen. & Goth. ac tex. Græc. apud Blanchin. & cum *ergo* Evangeliar. nostrum Trident.

(c) Id est, interula solum, aut subligaculo, opertus; eo videlicet sensu, quo dicitur 1. Reg 19. 24. Saul nudus prophetasse; David 2. Reg. 6. 20. nudus saltasse; Isaias 20. 2. nudus ambulasse; atque Job 22. 6. legitur: nudos spoliasti vestibus.

(d) Ita quoque Exposit. in cap. 5. S. Luc.

(e) Cum nondum reluceret Solis Christi præsentia, interprete Theophylacto.

(f) Sic etiam Hugo Card.

(g) Vulg. *Nos vero omnes*; sed ut supra etiam noster Interpres Comment. in Apocal. cap. 1. num. 2. nec non cap. 13. num. 967. Vide quoque supra cap. 2. num. 115.

(h) Præd. Exposit. in cap. 5. S. Lucæ.

(i) Apud Gorranum heic additur: *cujus longitudo est septendecim miliarium cum dimidio, latitudo quinque miliarium*. Adeo verum est quod testatur Echardus, consuevisse Gorranum aliena *exscribere, ita tamen ut identidem plura adjecerit*. Vide sis Prodromum col. 648.

Responsio.

Evangelista appellat *mare*? Dicendum, quod juxta morem Judæorum hoc facit, qui quamcumque magnam congregationem aquarum mare appellant, secundum illud Genesis primo: Congregationesque aquarum appellavit maria *(a)*.

Gen. 1. 10.

Quæstio secunda quare Petrus ad piscationem rediebit. Luc. 9. 62.

1351. Item, cum scribatur Luc. nono: Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens *(b)* retro aptus est regno Dei; quid est quod Petrus, qui retia reliquerat, rursus ad piscandum revertitur? Respondet Gregorius, quod negotium, quod ante conversionem sine peccato extitit, hoc post conversionem repetere culpa non fuit. Unde Augustinus: Intelligendum est, discipulos non fuisse prohibitos arte sua licita & concessa victum necessarium quærere, si unde viverent, aliud non haberent.

Responsio. Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 25. n. 1.

Augustinus in Jo. Evang. Tract. 122. n. 3.

Quæstio tertia de hoc quod dicitur: Stetit Jesus in littore &c. Gregorius ibi. n. 2.

1352. Item de hoc quod dicitur: *Stetit Jesus in littore* &c. quærit Gregorius, cum Dominus ante Passionem coram discipulis in fluctibus maris ambulaverit, supra sexto; quid est quod post Resurrectionem suam discipulis in mare laborantibus in littore stetit? Respondet Gregorius: Per mare præsens sæculum significatur, per soliditatem littoris perpetuitas æternæ quietis figuratur. Quia ergo Redemptor noster jam corruptionem carnis excesserat, post Resurrectionem suam in littore stabat.

Responsio. Gregorius ibi.

Quid mare, quidve soliditas littoris portendat.

Quæstio quarta cur post Resurrectionem missum rete in dexteram navigii partem. Luc. 5. 4.

1353. Item, cum Dominus ante Passionem jusserit mitti rete in mare, Lucæ quinto, non distinguens partem; quid est quod post Resurrectionem jubet mitti in dexteram navigii partem? Respondet Gregorius: Illa piscatio, in qua specialiter non jubetur in quam partem mitti rete debeat, præsentem Ecclesiam designavit, quæ bonos simul ac malos colligit. Hæc autem piscatio in solam dexteram missa est, quia ad videndam ejus claritatis gloriam sola electorum Ecclesia pertingit, quæ de sinistro opere nihil habebit.

Responsio. Gregorius ibi n. 3.

Quæstio quia ta de Joanne indicante Petro: Dominus est.

1354. Item quæritur, quid est quod Joannes hic docet Petrum, cum dicit Petro: *Dominus est*? Nonne Petrus ita bene cognoscebat Dominum, ut Joannes? Respondet Chrysostomus, quod Petrus erat ferventior, Joannes vero mente excellentior, & perspicacior: ideo citius cognovit; sed non citius ivit ad eum. Vel potuit esse ratio, quia Petrus in piscando sollicitior erat &c. *(c)*.

Responsio. Chrysostomus jam cit. Hom. 86.

Alia Interpretatio.

VERSUS NONUS.

Manifestatio veræ humanitatis facta per comestionem.

1355. *Ut ergo descenderunt in terram*. Hic manifestata majestate Divinitatis per mirabilem piscium comprehensionem, manifestat hic veritatem humanitatis per comestionem; & in hac quidem procedit hoc ordine. Primo notatur Domini providentia ad cibos parandum: secundo benignitas ad invitandum: tertio discipulorum illuminatio ad cognoscendum: quarto Domini munificentia ad cibaria distribuendum. Providentia igitur ad cibaria parandum innuitur in ciborum præparatione, quæ est facta miraculo, unde dicitur: *Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem*, ita prandium, ad quod invitabat, paratum erat. Matth. vigesimo secundo: Ecce prandium paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata. Et hæc quidem miraculo erant, unde Chrysostomus: Non adhuc ut ante crucem ex materia supposita operatur, sed mirabilius ducit signa, ostendens quia quod tunc ex subjecta materia faciebat, propter quamdam dispensationem faciebat. Vult dicere, quod ex nihilo factus est ille piscis &c. *(d)* Nec tantum præparavit miraculo, sed etiam præparatio facta est Petri ministerio ad Divinum præceptum, unde sequitur:

Providentia Domini ad cibaria parandum.

Matth. 22. 4.

Chrysostomus ibi.

VER-

(a) Ita omnino eadem Exposit. in cap. 5. S. Lucæ, ac Beda supra cit. num. 1342. in not. *c*.

(b) Vulg. *respiciens*; sed *aspiciens* noster Cod. Bernard. ac alter Biblioth. Episc. Trident. nec non Codd. Gat. Mm. Goth. Forojulien. apud Blanchin. S. Greg. in Ezech. Lib. 1. Hom. 3. num. 16. ac in Evang. Lib. 2. Hom. 24. num. 1. Hugo Card. Lyran. Editionesque Biblior. antiquiores tam Biblioth. nostræ Bernard. quam Gentilott. ac ipsemet S. Bona. in Exposit. Reg. FF. Minor. cap. 2.

(c) Cornel. a Lap. heic quærens, unde Joannes primo agnoverit Jesum? pariter respondet: *Joannem, dum Petrus occuparetur in attractione retis tot piscibus pleni, accuratius Jesum inspexisse*. Alia ratio ex virginitate S. Joannis petita videri potest apud S. Hieron. Epist. ad Pammach. contra errores Joan. Jerosolimit.

(d) Sic ex eodem Chrys. Hugo Card. Dionys. Carthus. Tirin. &c. Alii ex præjacente materia. Alii utrumque incertum putant; certum tamen prodigium, quomodocunque contigerit.

VERSUS DECIMUS.

1356. *Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.* Ut miraculo veritas comprobetur.

VERSUS XI.

1357. *Ascendit autem (a) Simon Petrus.* Tamquam diligentior inter alios, *& traxit rete in terram, plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus*, in quo ostenditur miraculi magnitudo, & in numero, & in quantitate. Per magnos pisces intelligimus Beatos, qui magni sunt caritate (*b*). Matth. undecimo: Qui minor est in regno cœlorum, major est illo. Et ad majorem miraculi expressionem addit quod factum est circa rete, unde dicitur: *Et cum tanti essent, non est scissum rete*, contra quod dicitur Luc. quinto: Comprehenderunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete (*c*). Itaque *cum tanti essent*, scilicet numero & quantitate, in tali numero fuerunt propter significationem (*d*): vel quia numerus ille perfectionem significat, considerata proportione numerali (*e*); vel quia universitatem significat, quia sicut dicit Hieronymus (*f*): Tot genera piscium in mari esse a Philosophis descripta leguntur (*g*).

Matth. 11. 11. — *Luc. 5. 6.* — *Hieronymus in Ezech. c. 47. v. 9.*

VERSUS XII.

1358. *Dicit eis Jesus.* Hic notatur secundum, scilicet Domini benignitas ad invitandum discipulos ad cibum, ideo: *Dicit eis Jesus: Venit, prandete*, invitat modo ad prandium, sed in futura Resurrectione invitabit ad cœnam, secundum illud Apocal. decimonono: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt (*h*). Invitat nunc ad cibum corporalem, ut innuat, quod invitat ad spiritualem, Cantic. quinto: Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi. Et Isaiæ quinquagesimo quinto: Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione, vinum & lac. *Et nemo discumbentium.* Hic notatur tertium, scilicet illuminatio discipulorum ad Dominum cognoscendum, unde dicitur: *Et nemo discumbentium*, id est, ad comedendum residentium (*i*); *audebat eum interrogare: Tu quis es?* Unde Chrysostomus: Cum silentio & formidine, sive reverentia multa sedebant attendentes in eum (*k*). *Scientes, quia Dominus est*, id est, propterea non interrogabant eum, tu quis es (*l*)? Ad Hebr. penultimo: Serviamus placentes Deo cum metu & reverentia. Ad Philipp. secundo: Cum metu (*m*) & tremore salutem vestram operamini.

Benignitas Domini in invitandum. — *Apoc. 19. 9.* — *Cant. 5. 7.* — *Isa. 55. 1.* — *Illuminatio discipulorum ad cognoscendum.* — *Chrysostomus cit. Hom. 86.* — *Ad Hebr. 12. 28.* — *Ad Philip. 2. 12.*

VERSUS XIII.

1359. *Et venit Jesus.* Hic notatur quartum, scilicet Domini munificentia ad cibaria distribuendum, unde dicitur, *& accepit (n) panem, & dabat (o) illis, & pi-*

Domini munificentia ad cibaria distribuendum.

(*a*) *Autem* in Vulg. deest.
(*b*) Rursum Exposit. in cap. 5. S. Lucæ.
(*c*) Vide infra num. 1361.
(*d*) De mysterio hujus numeri consule S. Cyrill. Lib. 12. cap. 63. S. Aug. Tract. 122. S. Greg. in Evangel. Lib. 2. Hom. 24.
(*e*) De hac apud d. Gregorium ibi n. 4.
(*f*) Edit. Gorran. *Isidorus*; & *Isidorus* quoque apud Hugonem Card.; sed Isidorus non ait quod sequitur; sed inquit Ethymologiar. Lib. 12. cap. 6. ad finem: *Animalium omnium in aquis viventium nomina CXLIIII. Plinius ait.*
(*g*) Verba S. Hieronymi inibi sunt „ Ajunt „ qui de animantium scripsere naturis, de quibus Oppianus Cilix est Poeta doctissimus, „ centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis, „ & nihil remansit incaptum; dum nobiles & „ ignobiles, divites & pauperes, & omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem. " Sed intelligendus prædictus numerus, varia genera piscium comprehendens, de præcipuis tantum piscium speciebus ad comedendum aptis; quandoquidem, auctore Gulielmo Rondeletio Lib. de Piscibus, longe plures enumerantur.
(*h*) Sic idem Interpres Comment. in Apocal, ad d. tex.
(*i*) *Una sedentium ac vescentinm*, Calmet.
(*k*) Ipsissima ex Chrys. etiam Hugo Card.
(*l*) Ita idem Hugo.
(*m*) Apud Gorran. *cum timore*.
(*n*) Vulg. *accipit*; sed *accepit* Codd. Biblior. Biblioth. Episcop. Trident. ac nostræ Bernardin. ac Goth. apud Blanchin. nec non Evangel. Codd. Veronen. Brix. Gat. & Trident. Item S. Tho. Hugo Card. Lyran. Carthus. & antiquæ Biblior. Editiones.
(*o*) Vulg. *dat*; sed *dabat* præter nostrum Bernard. Codd. Veron. & Goth. nec non rursum S. Tho. Hugo Card. Lyran. Carthus. atque d. Edit. Notatur tamen in Goth. & apud Hug. *al. dat.*

& piscem similiter, dabat illis ut comederent. Et similiter est intelligendum, quod ipse cum eis comederit (*a*), unde Chrysostomus: Hic quidem non dicit, quod comedit cum eis. Lucas autem alibi ait (Lucæ ultimo): Cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Unde Gregorius dicit: Assum piscem Dominus comedit. Itaque discipulis suis panem Christus dabat, in quo se gratiarum omnium liberalissimum distributorem significabat. Matth. vigesimo quinto: Unicuique dedit secundum propriam virtutem.

Chrysostomus ibi. *Luc. 24. 43.* *Gregorius in Evang. L. 2. Hom. 24. n. 5.* *Matth. 25. 15.*

VERSUS XIV.

1360. *Hoc jam tertio*. Posita manifestatione, ponitur manifestationis ad præcedentes comparatio, & computatur cum præcedentibus tertia; non quia plures non fuerint, sed quia sufficit istas tres scribere ad credendum (*b*), secundum illud Deuter. decimo nono: In ore duorum vel trium testium stat (*c*), omne verbum. Ideo dicitur: *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis*, quasi sufficiens sit trinam manifestationem explicasse (*d*). Act. decimo: Dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.

Manifestationis ad præcedentes comparatio. *Deut. 19. 15.* *Act. 10. 40. & seq.*

1361. Sed quæritur hic primo de hoc quod dicitur: *Et cum tanti essent, non est scissum rete*, cum in prima piscatione Luc. quinto dicatur, quod rumpebatur rete propter multitudinem piscium copiosam; quid est, quod nunc integrum perseverat? Respondet Gregorius: In alia piscatione præ multitudine piscium rete rumpitur, quia nunc ad confessionem fidei cum electis reprobi intrant, qui ipsam Ecclesiam hæresibus scindunt. In hac vero piscatione rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia in continua pace requiescens nullis dissensionibus laceratur (*e*).

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Et cum tanti essent, non est scissum rete*. *Luc. 5. 6.* Responsio. *Gregorius ibi n. 3.*

1362. Item quæritur de hoc quod Dominus comedit piscem & favum mellis, secundum quod dicitur Luc. ultimo. Cum autem talis sit cibus tantum corporis animalis; ergo aut Christus habuit corpus animale, aut phantastice comedit. Resp. Dicendum, quod est comedere ex necessitate, & hoc est corporis animalis tantum; & est comedere ex potestate, & hoc non tantum est animalis, sed etiam gloriosi & spiritualis, quod pure ex potestate comedit. Corporibus enim glorificatis non aufertur potestas, sed necessitas (*f*).

Quæstio secunda de hoc quod Christus comedit piscem, & favum melis. *Luc. 24. 42. ac seq.* Responsio. *Augustinus L. 13. de Civ. Dei c. 22.*

1363. Item quæritur, quid fiebat de illo cibo? Cum enim corpus glorificatum non nutriretur, videtur, quod haberet egressum naturæ consuetum. Resp. Dicendum, quod sicut aqua in ignem projecta statim ab igne absorbetur; sic cibus a corpore glorificato susceptus statim consumitur virtute quadam spirituali. Unde Augustinus in libro de solutione sex quæstionum: Aliter, inquit, absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens, illa indigentia, iste potentia. Futuræ ergo Resurrectionis corpus, imperfectæ felicitatis erat, si cibis eguerit; imperfectæ felicitatis erit, si cibos sumere non poterit. Et ratio hujus est, quia in primo indigens, in secundo impotens.

Quæstio tertia quid de illo cibo comesto fiebat. Responsio. *Augustinus Epist. 102. alias 49. q. 1. n. 6.*

1364. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Hoc jam tertio manifestatus est*, vel *manifestavit se (g) Jesus* &c. Propter quid Dominus interpollate discipulis se manifestabat, & non erat cum eis continue usque ad Ascensionem? Et respondetur secundum Bernardum (*h*), quod subtraxit se ab aspectu illorum aliquando,

Quæstio quinta de hoc quod dicitur: *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus &c.* Responsio. *Bernardus, vel quis quis alius Auctor sit Meditationis in Passionem & Resurrectionem Domini c. 15. n. 38.*

(*a*) Sic S. Tho. & Dionys. Carthus.

(*b*) Cornel. a Lap. „ *Tertio* scilicet computando eas apparitiones, quæ factæ sunt pluribus Apostolis simul, quas solas Joannes hic commemorat: sic enim hæc fuit ordine tertia; alioqui alias omnes, quas alii Evangelistæ narrant, numerando, hæc ordine fuit septima, ut ostendi Matth. 28. 10. ubi omnes suo ordine recensui. „ Noster tamen Interpres Exposit. in Cap. 24. S. Luc. *decem* enumerat.

(*c*) Supra cap. 8. num. 584.

(*d*) Quoad prædictum textum adeundus etiam S. August. Tract. 123. in Joan. Evang. num. 3. ac de Cons. Evangelistar. cap. 25. num. 82.

(*e*) Exposit. in cap. 5. S. Lucæ cum eodem Gregorio. Noster Interpres paulo aliter recitat verba ejusdem Gregorii ac habentur in Edit. Maur.

(*f*) Sic etiam d. Exposit. in cap. 24. S. Lucæ.

(*g*) *Manifestavit se* etiam Evangelior. Codd. Veronen. Gat. & Trident. Vercellen. autem *ostendit se*.

(*h*) Edit. Gorranis *respondet Chrysostomus*; sed nihil horum simile invenio apud Chrysostomus, simile autem Ser. 1. Dom. 17. post Pentec. inter

do, ut avidius quæreretur, & quæsitus amaretur, & amatus insignius & devotius veneraretur. Alia ratio, quia discipuli, quamdiu fuit cum eis Dominus, eum carnaliter diligebant. Ut ergo eos disponeret ad spiritualem amorem, & per hoc ad receptionem sancti Spiritus; identidem præsentiam corporalem ab oculis subtrahebat paulatim, quousque plene subtraheret in Ascensione, & tunc fieret amor eorum omnino spiritualis. Propterea scriptum est supra sextodecimo: Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos &c. *Supra 16. 7.*

VERSUS XV.

1365. *Cum ergo prandissent, dicit* &c. Supra descripta est Christi resurgentis manifestatio, hic describitur Petri in dilectione Christi confirmatio. Et quia quod confirmatur, ad perfectionem tendit, ideo pars ista in duas dividitur. Primo enim Petrus in dilectione Christi solidatur: secundo ad consummationem dilectionis, quæ est per passionem, invitatur ibi: *Amen amen dico tibi* &c. Confirmatio igitur Petri in dilectione fit ex Christi trina interrogatione, unde sunt hic tres partes secundum tres interrogationes. Prima ibi: *Cum ergo prandissent*. Secunda ibi: *Dicit ei iterum: Simon* &c. Tertia ibi: *Dicit ei tertio: Simon* &c. Prima igitur inquisitio hoc ordine describitur, nam ponitur Christi inquisitio, Petri responsio, & Domini additur exhortatio. Inquisitio Christi facta est per manifestationem, quæ fuit per comestionem, ideo dicitur:

Petri in dilectione Christi confirmatio. *Divisio hujus partis in duas* *Subdivisio.* *Inquisitio Christi prima.*

1366. *Cum ergo prandissent*, (attendendum est, quod in prandio non quæsivit de dilectione, quia sicut dicitur Ecclesiastici sexto: Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis; sed post quærit) *dicit Simoni Petro: Simon Joannis, diligis me plus his?* Ideo de dilectione quærit, quia gregem suum non vult nisi amanti committere; ideo autem de majori dilectione, quia magis amanti vult committere. Unde Gregorius: Qui caritatem non habet, prædicationis officium suscipere nequaquam debet; certe multo minus Prælationis, quia sicut dicitur Joan. decimo: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. *Dicit: ei: Etiam Domine*. Hic ponitur Petri responsio, in qua respondet, quod amat, sed non quod plus amet, quia amorem aliorum nesciebat. Unde Augustinus: Quod respondet Petrus *amo te*, nec addidit *plus his*, hoc respondit, quod de se ipso sciebat; non enim quantum ab alio: & qualiter diligeretur scire poterat, qui cor alterius videre non poterat. *Tu scis, quia amo te*, in hac responsione ostendit Petrus non se respondere adulatorie, sed vere. Unde Chrysostomus: Ipsum vocat testem, qui scit occulta. Sic Deum invocabat Jeremias decimo septimo: Diem hominis non desideravi, tu scis. *Dicit ei*. Hic notatur post responsionem ad operationem exhortatio; quia probatio dilectionis exhibitio est operis (a), ideo dicit: *Pasce agnos meos*, in quo mira dilectio Christi ad oves exprimitur; quia hoc præcipue inter alia signum suæ dilectionis ostendit. Et hoc quidem Petrus implevit, & impleri monuit, primæ Petri quinto: Seniores, pascite qui in vobis est gregem Dei &c.

Eccli 6. 10. *Gregorius in Evang. L. 1. Hom. 17. n. 1.* *Jo. 10. 11.* *Petri responsio.* *Augustinus in Jo. Evang. c. 21. Tract. 124. n. 4.* *Chrysostomus in Jo. Evang. c. 21. Hom. 87.* *Jer. 17. 16.* *Domini exhortatio.* *Probatio dilectionis.* *1. Pet. 5. 1. ac seq.*

VERSUS XVI.

1367. *Dicit ei iterum*. Hic ponitur secunda inquisitio, in qua similiter proceditur, ut prius; ponitur enim Christi inquisitio, Petri responsio, & tertio exhortatio. Inquirit ergo Dominus, ut prius, de dilectione: *Simon Joannis, diligis me? Simon Joannis* dicitur, quia filius erat Joanna (b). Et Petrus: *Ait illi: Etiam Domine, tu scis, quia amo te*. Beda: O quam fidelis, & pura conscientia (c), quæ conditori suo, cujus nuda oculis & aperta omnia sunt, dicere non metuit: *Domine tu scis, quia amo te! Dicit ei*. Hic ponitur exhortatio, ut prius: *Pasce agnos meos*, exhortationem prædictam iterat, unde Beda: Hæc est sola & vera probatio integri in Deum amoris, si erga fratres studueris curam sollicitè exercere laboris.

Inquisitio Christi secunda. *Petri responsio.* *Beda Hom. in Vigiliis Apostol. Petri & Pauli.* *Domini exhortatio.* *Beda ibi.*

ter Bonaventurianos sub allegatione *Bernardi*. Simile quoque supra cap. 20. num. 1313. sub eodem *Bernardi* nomine.

(a) S. Greg. in Evang. Lib. 2. Hom. 30. num. 1.

(b) *Filius Joanna, quod interpretatur columba*, habetur etiam in Jo. Evang. c. 1. Exposit. jam edita sub nomine S. Bonaventuræ. *Filius Joannis vel Joanna* Hugo quoque Card.

(c) Edit. *anima*.

ris. *Pasce*, scilicet exemplo, sicut ille, de quo in Psalmo: Pavit eos in innocentia cordis sui.

Ps. 77. 72.

VERSUS XVII.

Inquisitio Christi tertia.

1368. *Dicit ei tertio.* Hic ponitur tertio inquisitio illo ordine, quo prius, scilicet quæstio, responsio, exhortatio. Quærit ergo Dominus de eodem: *Simon Joannis, amas me?* Ex hac litera patet, quod amare accipitur in eodem sensu, ut diligere (*a*). Et *contristatus est Petrus*. Hic notatur, responsio Petri, sed tamen respondit cum tristitia, quia sicut dicit Chrysostomus (*b*). Timebat ne similiter ei accideret, sicut accidit, quando dixit: Animam meam pono pro te; et ideo contristatus est, *quia dicit ei tertio: Amas te?* Sed tamen non desperavit, immo fiducialiter respondit, *et dixit ei:* (unde responsioni addit) *Domine tu omnia nosti*, tanquam Deus: *tu scis, quia amo te*, etiam melius nosti, quam ego. Sciebat enim, quod ille erat, qui dicebat Jerem. decimo septimo: Ego Dominus serutans corda (*c*), & probans renes, id est, cogitationes & affectiones. *Dicit* (*d*) *ei: Pasce oves meas*. Hic notatur exhortatio, & per *oves* intelliguntur subditi perfectiores. Notandum est, quod Dominus præcipit pascere oves, non comedere; quia pastor non se ipsum pascere præcipitur amore Christi, sed oves. Ezechiel. trigesimo quarto: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.

Petri responsio. — *Chrysostomus cit. Hom. 87.* — *Jo. 13. 37.* — *Jer. 17. 10.* — *Domini exhortatio.* — *Ezech. 34. 2. ac seq.*

Quæstio prima propter quid a solo Petro de dilectione quæsitum est. Responsiones duæ.

1369. Sed quæritur hic, cum alii Apostoli circumstarent, qui Dominum diligebant; propter quid a solo Petro quæsitum est de dilectione? Responsio una est, quia sibi erat cura gregis specialiter committenda inter alios, ideo ab eo specialiter de dilectione quæritur. Unde Chrysostomus: Eximius Apostolorum erat Petrus, & os discipulorum, & vertex collegii; propterea alios præteriens & transcurrens, huic de talibus loquitur (*e*). Potest etiam alia ratio assignari, quia Petrus eum notabiliter negaverat, & ideo videbatur non esse dignus, ut ceteris Apostolis præficeretur; ideo Dominus quærit, ut ostendat ejus caritatem præ ceteris excellentem, & pastorale officium, quod dederat, confirmaret.

Chrysostomus ibi.

Quæstio secunda quomodo a Petro de aliis nesciente quæritur: Diligis me plus his? Responsio.

1370. Item, cum Petrus non posset ad hanc quæstionem: *diligis me plus his?* respondere; quia de aliis nesciebat: quomodo Dominus quærit? Resp. Dicendum, quod hoc Dominus quærit, ut ostendat suam excellentiam in quærendo, & circumspectionem Petri in respondendo, unde Augustinus: Quod Petrus plus aliis Dominum dilexerit, hic evidenter apparet, ubi eum interrogans ait: *diligis me plus his?* Quod utique sciebat, & tamen interrogabat, ut & nos amorem ejus nosceremus. Petri circumspectio & humilitas ostenditur in hoc; quod non audet se aliis præmittere, ut supra ante passionem, cum dixit: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego (*f*).

Augustinus in Jo. Evang. Tract. 124. n. 4. — *Marc. 14. 29.*

Quæstio tertia cur toties id quæritur. Responsio. Augustinus in Jo. Evang. c. 21. Tract. 123. n. 5. Interpretatio alia.

1371. Sed tunc est quæstio, quare Dominus toties quærit: Petre *diligis me?* Respondet Augustinus: Quod ideo ter quærit, ut reddatur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua serviat, quam timori. Alia ratio redditur, quia ideo quærebat, ut gregem suum commendaret; & quia ter gregem commendare volebat, ideo ter de dilectione requirit.

Quæstio quarta, atque ad eam responsio, quare Petro ter dicitur: pasce.

1372. Sed est tunc quæstio, quare ter dicit ei; *Pasce?* Et respondetur, quod oves Christi tripliciter debent pasci, scilicet verbo, exemplo, & temporali subsidio (*g*), unde Beda: Sollicitudo pastoralis officii exigit, ut Rector Eccle-

Beda in Vigiliis Apostolorum Petri & Pauli Jo. ult. Simon Joannis diligis me plus his?

(*a*) S. Aug. Tract. 123. num. 5. *ubi demonstratur unum atque idem esse amorem & dilectionem &c.* Etsi Latinis plus significet amo, quam diligo. Cicero ad Filium: *Ut scires, eum non a me diligi solum, verum etiam amari &c.*

(*b*) Ac etiam Leontius, Theophylactus, Euthymius.

(*c*) Vide supra cap. 1. num. 96.

(*d*) Vulg. *Dixit*; sed *dicit* Codd. Biblior. Biblioth. Episc. Trident. ac nostræ Bernardin. nec non Goth. apud Blanchin. atque Evangelior. Codd. Veron. Brix. Gat. Mm. ac Trident. Item Hugo Card. Lyran. Carthus. Editiones Biblior. antiquiores &c.

(*e*) Sic quoque S. Cyprian. Lib. de unit. Eccles. S. Hieron. Epist. 57. ad Damasum, S. Leo Serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificatum, S. Bernardus Lib. 3. de Consideratione ad Eugenium Pontificem versus finem &c.

(*f*) De in hoc *mira dilectione Petri, & humilitate* ipse D. Bona. Serm. 1. in Cath. S. Petri Apost.

(*g*) *Verbo, exemplo, & pro loco & tempore,* cor-

Ecclesiæ, ne plebi temporalia desint subsidia, diligenter provideat, & eidem exempla virtutis ostendat, eique verbum prædicationis sollicitus impendat. (a)

Quæstio quinta, cur ei dicitur bis *pasce agnos*, semel *pasce oves*? Responsio.

1373. Sed tunc quæritur, quare bis dicit pascendos *agnos*, & semel *oves*? Respondeo, quod per *agnos* imperfecti & tenelli in fide intelliguntur, & hi ampliori pastura, hoc est cura sollicitiore, indigent; per *oves* vero grandiusculi, qui se valent regere, & hi non tanta cura indigent. (b)

VERSUS XVIII.

Petri invitatio ad dilectionis consummationem.

1374. *Amen, amen dico tibi*. Postquam facta est Petri in dilectione confirmatio, fit hic ejus ad dilectionis consummationem invitatio. Consummatio autem dilectionis est, ut homo ponat animam suam pro Christo; ideo fit hic ad passionem imitandam invitatio, & proceditur hic per hunc ordinem. Primo Petrus invitatur, & certificatur de genere suæ mortis. Secundo petit certificari de genere mortis Joannis. Tertio respondetur ei, Joannem non esse passurum. Quarto corrigitur intellectus credentium Joannem non esse moriturum. Certificatur ergo Petrus a Domino de genere suæ mortis, scilicet per passionem & crucem, & ut certum reddat, dicit. *Amen, amen dico tibi*, & hæc est passio, quod in senio suo esset crucifigendus pro Christo, unde dicit: *Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas*, id est, sequebaris voluntatem tuam. Ecclesiastici decimooctavo: Fili post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere. *Cum autem senueris, extendes manus tuas*, scilicet in cruce, *& alius te cinget*, vinculis scilicet ut Nero, *& ducet quo tu non vis*, id est, ad mortem; quia sicut dicitur secundæ ad Cor. quinto: Nolumus exspoliari, sed supervestiri. Et ratio hujus redditur ad Ephes. quinto: Quia nemo umquam carnem suam odio habuit. Cinctus fuit Petrus vinculis, Act. duodecimo: Erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus. Et quia hæc verba aliud a litera prætendebant, ideo ponitur expositio facta ab Evangelista.

Petrus a Domino de genere suæ mortis certificatur.

Eccli 18. 30.

De ejus martyrio in cruce sub Nerone.

2. ad Cor. 5. 4.

Ad Ephes. 5. 29.

Act. 12. 6.

VERSUS XIX.

1375. *Hoc autem*, scilicet quod extendes manus tuas, *dixit significans qua morte clarificaturus esset Dominum* (c), quia morte crucis, quæ etsi ante Christum vilipendenda erat, postmodum extitit gloriosa; & hac Petrus gloriosus effectus est. Unde Augustinus: Hunc invenit exitum ille negator, & amator, præsumendo elatus, negando prostratus, post flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo est coronatus. Hac Petrus Dominum clarificavit, sicut Paulus dicebat ad Philipp. primo: Nunc magnificabitur Christus in corpore meo sive per vitam, sive per mortem. Et quia passio bona non est, nisi sit voluntaria, ideo hortatur Petrum voluntarie pati; & propterea dicitur: *Et cum hoc dixisset, dicit ei*, id est Petro: *Sequere me*, scilicet ad passionem crucis voluntarie veni, secundum quod ipse Petrus dicit primæ Pet. secundo: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. De hac consecutione vel sequela supra tertiodecimo dixit Dominus Petro: Quo ego vado, tu (d) non potes me sequi modo: sequeris autem postea.

Augustinus eod. Tract. 123. n. 4.

Ad Phil. 1. 20.

Passio bona non est, nisi sit voluntaria.

1. Petr. 2. 21.

Jo. 13. 36.

VERSUS XX.

1376. *Conversus Petrus vidit (e) discipulum*. Hic secundo sciens Petrus mortem

Quærit Petrus de morte Joannis.

---

corporali subsidio, dicit quoque in Apolog. Pauper. tert. respons. secun. partic. Art. 1. Haud dissimiliter etiam Interpres noster loquitur Exposit. in Psalter. Psal. 132. „ Petro ter „ dictum est a Domino: *Pasce oves meas*. *Pasce* „ mente, ore, & opere, id est, animi oratio„ ne, verbi exhortatione, exempli exhibitio„ ne. " Vide S. Bernard. Epist. 201. ad Balduinum Abbatem Reatini Monasterii num. 3. nec non inter ejusdem S. Bernardi Opera in Declamat. super *Ecce nos reliquimus omnia* ante med., pro ut allegatur Lib. 1. Phar. cap. 11. ad finem. Suntque Gaufridi Abbatis ex Bernardo Declamationes, quas consule Vol. 2. Edit. Parisien. 1719. col. 302.

(a) His similia ex Alcuino legere est apud S. Tho. in Catena ad prædictum text.

(b) Pariter inter *agnos*, *& oves* distinguunt Euthymius, Theophylactus, aliique.

(c) Vulg. *Deum*; sed *Dominum* Cod. Gat. apud Blanchin.

(d) Vide supra cap. 13. num. 956.

(e) Vulg. addit *illum*; sed absque *illum* etiam Codd. Vercellen. & Trident.

tem suam, quærit de morte Joannis; cupiebat enim, ut cui junctus fuerat in vita per multam dilectionem, jungeretur etiam in mortis similitudine. Et quia Petrus sciebat, quod Christus Joannem amabat, volebat scire, qua morte ipsum mori volebat, ideo dicitur: *Conversus Petrus vidit discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem*, scilicet Joannem. Et signum dilectionis præcipuæ ostenditur, cum infertur: *qui & recubuit in cœna super pectus ejus, & dixit: Domine, quis est qui tradet te?* Quæsivit ab eo quod secretum erat, & hoc signum erat dilectionis, quia sibi revelatum est, sicut dicitur supra tertiodecimo. Et hoc signum est amicitiæ, sicut dicitur supra quintodecimo: Vos dixi amicos, quia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

Jo. 13. 26. *Jo. 15. 15.*

VERSUS XXI.

1377. *Hunc ergo cum vidisset Petrus*, quem sciebat specialiter dilectum (*a*), *dicit* (*b*) *ad Jesum*. (*c*), *Domine hic autem quid?* supple, patietur, ut ad te veniat? Chrysostomus: Valde amabat Joannem Petrus; quia ergo magna Dominus prædixerat Petro, volens & hunc accipere comitem & collegam, ait: *Domine hic autem quid?*

Chrysostomus [illegible] Hom. 87.

VERSUS XXII.

1378. *Dicit ei Jesus*. Hic tertio certificatur Petrus, Joannem non esse passurum, per Domini responsionem, in qua revelat veritatem, ut satisfaciat quæstioni; & arguit curiositatem, ut corrigat quærentem. Veritatem revelat, cum ait: *Dicit ei Jesus: Si eum volo manere, donec veniam*. Beda: *Sic* (*d*), id est, absque violentia persecutionis diem expectare novissimum (*e*). Respondet etiam quærenti, cum dicit: *quid ad te? tu me sequere*, arguit eum de curiositate quæstionis, unde Chrysostomus: Quid ad te, si sic (*f*) eum volo manere? tu ea, quæ tui ipsius sunt, attende, & de his sollicitus sis. Ecclesiastici tertio: In pluribus operibus ejus ne fueris curiosus, sed quæ præcepit tibi, cogita illa semper; & ideo repetit: *tu me sequere*, quasi dicat: De hoc cogites, & sollicitus sis.

Certificatur. Joannem non esse passurum. *Beda Hom. in die D. Jo. Apost. & Evan.* *Chrysostomus ibi.* *Eccli 3. 22.*

VERSUS XXIII.

1379. *Exiit ergo sermo iste inter fratres*. Hic quarto corrigitur intellectus credentium, Joannem non esse moriturum simpliciter, unde dicitur: *quod* (*g*) *discipulus*

Corrigitur intellectus credentium, Joannem non esse moriturum.

(*a*) *Specialiter*, inquam, *dilectum*, non vero unice; quia per d. textum: *quem diligebat Jesus*, inquit idem Interpres 3. Dist. 32. art. 1. q. 6. ad opp. *hoc non dicitur per discretionem, quasi alios non diligeret Jesus: ergo dicitur per excellentiam, quia ipsum præ ceteris diligebat*.

(*b*) Vulg. *dixit*; sed *dicit* quoque Codd. Veronen. ac Episcop. Biblioth. Trident. Hugo Card. Dionys. Carthus. antiquioresque Biblior. Editiones.

(*c*) Vulg. *Jesu*; sed ad *Jesum* etiam Cod. noster Bernardin. ac Evangelior. Codd. Vercellen. Veronen. atque Brixian. Hug. Card. *dicit Jesu al. ad Jesum*. Item *ad Jesum* d. Carthus.

(*d*) Vide quoque Bedam in Evang. Jo. cap. 21. Nec tantum Beda legit *sic*; sed etiam Ambrosius, Augustinus, Rupertus, Glossa, Bernard. Albert. S. Tho. Hugo Card. Lyran. Carthus. Item Codd. Vercellen. Veronen. noster Bernard. alter Episc. Biblioth. Trid. præ ceteris autem omnibus Vulg. Tridentino Concilio confirmata. Georgius Trapezuntius scriptum hac de re librum summo Pontifici exhibuit, quo defendit legendum: *Sic eum volo manere*.

(*e*) Quo sensu declaratur infra num. 1385.

(*f*) *Si sic* habent quoque inter Latinos Codices aureus Cod. Evangeliorum Abbatiæ Hamvillariensis, annorum saltem octigentorum apud Calmet, Cod. item alius vetustissimus Abbatiæ Mosomensis, ac antiquissima Biblia Metropolitanæ Metensis, nec non vetustissimus Corbejensis apud eundem. In Græco autem tametsi ly *sic* non haberi dicatur, eamdem tamen lectionem *si sic* recitat Joannem Gagnæjus ex Græco quodam Commentario in Joannem; ac insuper monet, Chrysostomi & Theophylacti Commentarium videri ad id satis alludere. Id ipsum & Zegerus de Cyrilli præsertim Commentario opinatur. Testatur quoque Victorius Marianus, Veterem Codicem Græcum ad Tridentinam Synodum ab Episcopo Claromontano delatum an. 1546. tulisse: *Si eum volo manere sic, donec venio*. Quo quidem sensu vel relatum ex Chrysostomo potest accipi ly *sic*, ita ut appellet ad ly *manere*. Ceterum *si* absque *sic* habent Græci, indeque Syri, Arabici, Æthiopici, nec non inter Evangeliorum probatissimos Codices Brixian. & Tridentin. Sed & Bessarion Card. dato ad summum Pontificem libro hanc lectionem: *Si eum volo manere*, propugnat, cui subscripsere Interpretes doctissimi Cajetanus, Jansenius Gandavensis, Estius, Toletus, Maldonatus, Calmet, Natal. Alexand. &c. Item Martianæus & Vallarsius in nova S. Hieronymi Editione Lib. 1. adver. Jovin. sub num. 26. Vide sis Reverendiss. D. Lindanum Lib. 2. de optimo interpretandi genere, Notationem Francisci Lucæ Brugen. Petrum de Rivo Theolog. Lovanien. in Lib. de anno, die, & feria Dominicæ Pass., atque Dissertationem Mitternachii.

(*g*) Vulg. *quia*; sed *quod* etiam Cod. noster Bernard. & Vercellen.

pulus ille non moritur, contra illud Psalmi. Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi? *Et non dixit* (a) *Jesus*. Hic ponitur illius correptio, quia hoc non dixit Jesus, scilicet quia non moritur. Non, inquam, dixit: *Non moritur*, quia sicut dicitur Ecclesiastæ nono: Nemo est, qui semper vivat; *Sed: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Id est, pertinet. Increpative loquitur (b), & est exponendum: *Tu me sequere*, ut supra (c)

Ps. 88. 49.

Eccle 9. 4.

Quæstio prima de hoc quod dicitur: *Alius cinget te, & ducet quo tu non vis.*

1380. Sed quæritur de hoc, quod dicitur: *Alius cinget te, & ducet quo tu non vis*. Videtur ex hoc quod passio Petri fuerit involuntaria: ergo non fuit meritoria. Respondeo: Duplex est voluntas, rationis, & naturæ (d), volens passus est voluntate rationis; sed nolens voluntate naturæ vel sensualitatis. Nec mirum, quia sic fuit in capite, unde Matth. vigesimo sexto: Pater, si fieri potest (e), transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu (f). Unde Augustinus: Petrus nolens ad mortem venit, volens mortem vicit, & reliquit hunc infirmitatis affectum, quo nemo vult mori, usque adeo naturalem, ut eum Beato Petro nec senectus auferre potuerit.

Responsio.

Matth. 26. 39.

Augustinus cit. Tract. 123. n. 5.

Quæstio secunda de hoc quod dicitur: *Significans qua morte clarificaturus esset Dominum.*

1381. Item quæritur de hoc quod dicitur: *Significans qua morte clarificaturus esset Dominum*, quia supra quinto: Ego claritatem ab hominibus non accipio; ergo cum Petrus esset homo, non clarificavit Dominum. Resp. Dicendum, quod etsi Deus non clarificetur in se, clarificatur tamen nobis in Sanctis suis patientibus ad ejus gloriam: quia per hoc nobis innotescit, quanta pro amore Dei nobis patienda sunt exemplo Sanctorum.

Responsio.

Glorificatur Deus in Sanctis suis ad ejus gloriam patientibus.

1382. Item quæritur de hoc, quod specialiter Dominus dicit Petro: *Tu me sequere*. Quia si intelligitur per viam perfectionis, multi alii sunt secuti: immo si per viam passionis, similiter: si per genus mortis, secutus est etiam Andreas. Et respondetur hic secundum aliquos, quod *tu* non dicit ibi discretionem simpliciter, sed solum respectu Joannis, de quo erat sermo. Vel dicendum, quo *tu* dicit ibi magis significantiam, quam discretionem; quia enim Petrus erat vertex Ecclesiæ, & præcipuus Prælatus, sicut excellebat in prælatione (g), sic etiam debebat excellere in imitatione.

Quæstio tertia de hoc: *Tu me sequere.*

Responsio.

1383. Item quæritur de hoc quod dicitur: *discipulus ille, quem diligebat Jesus*, quomodo fuit hoc ausus dicere, cum dicatur Ecclesiastæ nono: Nemo scit (h) utrum amore, an odio dignus sit. Item cum Christus omnes diligeret, propter quid Joannes hoc sibi attribuebat? Si quia magis diligebatur, videtur falsum, quia Petrus magis diligebat; ergo melior erat: sed Deus magis diligit meliores; ergo magis diligebat Petrum, quam Joannem. Ad hoc responderi potest, quod Joannes revelatione, vel ceteris signis noverat se amari. Ad secundum, videtur dicere Augustinus, quod Joannes magis diligebatur, sed Petrus magis diligebat, & ideo quærit quis melior erat? & dicit quod Petrus melior, sed Joannes felicior, & retorquet verba hæc ad allegoriam dicens, quod per Joannem con-

Quæstio quarta de hoc quod Joannes se dixit discipulum *quem diligebat Jesus*.

Eccle 9. 1.

Responsio.

Augustinus in Jo. Evang. c. 21. Tract. 124. n. 4. ac 5.

(a) Vulg. *ei*; sed sine *ei* itidem d. Cod. Vercellen.

(b) Sic Hugo Card.

(c) Supra num. 1378.

(d) 3. Dist. 17. art. 1. q. 1. ac in 1. Dist. 48. Art. 2. Q. 2. in concl. ex Hug. de S. Vict. Lib. de Voluntatibus Christi.

(e) Vide supra cap. 18. num. 1162.

(f) In 3. ibi q. 3. ad 1.

(g) Serm. 4. Dom. 2. in Quadrag. ipsemet D. Bonaventura: *Assumpsit Petrum, & in Petro ceteros, de statu prælationis ad præsidentiam virtualis protectionis in regimine Ecclesiæ*. Et paulo infra alloquens ipsummet Petrum: *Eligit te ad cathedram apostolicæ prælationis*; quem proinde vocat *Ducem, & Principem militantis Ecclesiæ*. Insuper quemlibet ejus legitimum successorem *appellat* Breviloq. par. 6. cap. 12. *Primum, & summum Patrem spiritualem omnium Patrum, immo omnium fidelium, & Hierarcham præcipuum, sponsum unicum, Caput indivisum, Pontificem summum, Christi Vicarium, Fontem, Originem, & Regulam omnium Principatuum Ecclesiasticorum, a quo tamquam a summo derivatur ordinata potestas usque ad infima Ecclesiæ membra, secundum quod exigit præcellens dignitas in Ecclesiastica Hierarchia*. Vide supra num. 1326. Item Petrus *vertex collegii*, *cui negatione deleta*, Christus commisit *prælationem fratrum*, vocatur quoque a S. Jo. Chrysostomo Hom. in Jo. Evang. 87. ubi etiam *eximius Apostolorum, & os discipulorum* dicitur, supra num. 1369.

(h) Vulg. *nescit homo*; sed *nemo scit* ipsemet quoque Interpres Lib. 1. Sent. in Prol. Mag. Dub. 4. ac Serm. de seminante num. 5.

contemplativa, per Petrum activa vita significatur. Sed hoc magis auget quæstionem, unde ipse Augustinus dicit, quod latet hic justitia, & apparet misericordia. Propterea dicendum, quod magis diligere hoc est dupliciter: vel quia ad majus prœmium, & sic magis diligebat Jesus Petrum, hoc intellecto quod semper magis dilexerit Petrus Dominum: alio modo magis diligere quantum ad majorem familiaritatis exhibitionem; quia plura ostendebat signa dilectionis: & sic magis diligebat Joannem (a).

Augustinus ibi n. 5.

Alia responsio.

Quæstio quinta quare magis se Joanni exhibebat, qui tamen Petrum plus diligebat.

1384. Sed tunc ulterius est quæstio, quare magis se exhibebat Joanni, ex quo plus diligebat Petrum? Videtur, quod fictio esset in Domino. Et dicendum, quod licet Petrus majus præmium mereretur; tamen conveniens erat, Christum majorem familiaritatem exhibere Joanni; quia Joannes erat juvenis, & erat virgo, & innocens: & hæc sunt quæ miro modo, & in conspectu Dei & hominum faciunt hominem amabilem & gratiosum (b). Unde ex Beda dicit Ecclesia: Hic est Joannes, qui privilegio amoris præcipui ceteris altius meruit a Domino honorari (c): & quod specialis prærogativa castitatis cum ampliori dilectione fecerat dignum (d). Et Glossa dicit, quod Joannes familiarior fuit, quia tenerior erat (e).

Responsio.

Beda cit. Hom. in die D. Jo. Apost. & Evang.

Glossa ordinar.

1385. Item quæritur de hoc, quod dicit: *Sic eum volo manere donec veniam.* Ergo videtur, quod saltem usque ad Domini adventum anima ipsius a corpore non sit separata, nam oppositum non habetur ex litera: ergo videtur, quod Joannes nondum sit mortuus, in cujus rei argumentum est, quod corpus ejus non invenitur. Resp. Dicendum, quod præter expositionem primam discipulorum, quam fecerunt, quam arguit ipse Evangelista, quod non moreretur, tres sunt aliæ expositiones (f). Una est, quod non est mortuus, sed morietur in adventu Domini (g); sed modo in sopore est sub terra; & ideo corpus ejus non habetur. Sed ista positio est improbabilis (h); quia non est credendum, quod Dominus discipulo, quem amabat, tamdiu differret suam demonstrare gloriam, quam cupiebat Apostolus ad Philipp. primo: Cupio (i) dissolvi, & esse cum Christo. Alia est opinio, quod Dominus

Quæstio sexta de hoc quod dicit: Sic eum volo manere donec veniam.

Responsio.

Tres expositiones, quarum tertia duntaxat probatur.

Ad Philipp. 1. 23.

(a) 3. Dist. 32. art. 1. q. 6. in concl. nec non Serm. 15. in Festo S. Jo. Apost. & Evang. num. 5. de quo Vol. 3. in Supplem. Sermonum.

(b) Ibi in 3. *Diligebat enim Dominus Joannem, sicut dicit Chrysostomus, magis familiariter, propter ingenitam mansuetudinem, & propter virginalem puritatem, & etiam propter juventutem, quæ ceteris paribus facit hominem diligere magis tenere.*

(c) Ibi ad opp. *Item hoc videtur per illud verbum Ecclesiæ, quod trahitur de verbis Bedæ: Hic est Joannes &c. Trahitur* autem *de verbis Bedæ* Hom. supra cit. D. Jo. Apost. & Evang.

(d) Beda in Hom. cit. Vid. S. Hier. Lib. 1. adver. Jovin. sub num. 26.

(e) In 3. ibi ad opp. *Item hoc ipsum videtur per testimonium Glossæ super ultimo Joannis &c.*

(f) Hujusmodi variæ *expositiones* ortum duxere ex dubio diu insolito circa obitum S. Joannis Evangelistæ; namque de ipso, velut de problemate, semper disceptatum est in Ecclesia. Videsis Dissertationem Cl. V. P. Augustini Calmet de tali obitu latius agentem.

(g) Hæc opinio vetus est, quam postea sequuti sunt Georgius Trapezuntius, Jacobus Faber Stapulensis, Ambrosius Catharinus, Alphonsus Salmeron &c. In eamdem quoque propendet Sebast. Barradius. Hi enim autumant, S. Joannem instar Henoch & Eliæ nondum morti fuisse obnoxium, ideoque adhuc mortale corpus habere, prædicaturum autem contra Antichristum, atque martyrio ab ipso afficiendum: interim tamen per Dei dispensationem de ejus visione gaudere.

(h) *Immo prorsus improbabilem* censet Petrus Annatus in Appara. ad Theol. Posit. Lib. 2. de Script. Div. Lib. 2. Art. 15. Dub. 6. Refutat & Cornel. a Lap. in Prol. Apocal. Et apud Natal. Alexand. mortuum S. Joannem Evangelistam certissime probant testimonia Polycratis Ephesini Episcopi, qui discipulos ipsius viderat, S. Irenæi Episcopi & Martyris, Tertulliani, S. Hippolyti genuini, Origenis, Dionysii Alexandrini, S. Joannis Chrysostomi, S. Augustini, Cœlestini 1. & totius Concilii Ephesini Oecumenici. S. Joannis immortalitati favisse quidem videri potest S. Ambrosius in Psal. 45. ubi hæc leguntur „ Antichristus ex abysso ascendit, ut „ adversus *Eliam* atque *Enoch*, atque Joan„ nem, qui propter testimonium Domini Je„ su terris sunt redditi, præliaretur, ut legi„ mus in Joannis Apocalypsi. „ Verum hoc loco Joannis nomen ab omnibus Manuscriptis abesse, uno excepto, solosque Eliam & Enoch commemorari, monuere eruditissimi S. Ambrosii Editores Illustratoresque, Benedictini inclytæ Congregationis S. Mauri Ascetæ.

(i) Vulg. *desiderium habens; sed cupio* S. Greg. Moral. Lib. 5. cap. 34. num 68. & in Ezech. Lib. 2. Hom. 7. num. 10. ac ipsemet S. Bona. in Apolog. pauper. respons. 2. partic. 1. paucis post init.

nus ipsum assumpsit in corpore & anima, & in illa assumptione obiit (a), & revixit. Sed etsi ista opinio non possit ita reprobari, tamen quia non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Tertia opinio dicit, quod Joannes est mortuus, & de corpore ejus nihil asserit, quia nihil certum inveniet (b). Quod autem dictum est: *Sic eum volo manere donec veniam*, id est, diem expectare novissimum, non sæculi, sed mortis suæ, quando ipse veniens, eum in æternæ beatitudinis mansione recipiam (c).

Quod non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

VERSUS XXIV.

1386. *Hic est discipulus ille* &c. Supra posita est discipulorum sollicitudo, & Christi manifestatio; hic ponitur fidei nostræ confirmandæ ratio. Hanc autem confirmat in nobis Evangelista dupliciter: certificando in veritate; & solidando in humilitate. Certificat in veritate, dum se dicit testem verum, & & securum. Solidat in humilitate, dum ostendit se non posse omnia scribere ad plenum ibi: *Sunt autem & alia multa* &c. Dicit igitur: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc*, cui credendum est omni dubitatione postposita; quia *& scimus, quia verum est testimonium ejus*. Chrysostomus: Quia multa certitudine scripsit, non refutat sui ipsius testimonium in medium ferre, provocans unumquemque examinare & scrutari quæ facta sunt. Consuetudo nobis est, cum valde vera dicimus, neque nostrum testimonium denegare. Unde Act. quinto dixerunt Apostoli: Testes sumus horum verborum.

Fidei nostræ confirmandæ ratio, certificando in veritate, & solidando in humilitate.

Chrysostomus cit. Hom. 87.

Act. 5. 32.

VERSUS XXV.

1387. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus*. Ostendit se non omnia scripsisse, ideo dicit, *quæ si scribantur per singula, nec ipsum mundum arbitror posse capere eos, qui scribendi sunt, libros*, construi debet sic litera: *capere eos libros, qui scribendi sunt*, quia parva est nostra capacitas, unde supra decimo sexto: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.

Jo. 16. 12.

1388. Sed quid est quod dicit, quod signa & opera Christi non possent capi in toto mundo, cum non solum acta sua, sed omnia quæ gesta sunt ab initio sæculi, si scribantur, caperet mundus libros? Et dicendum, quod duplex est capacitas, corporalis, & spiritualis, quæ fit per intellectum. Si de corporali dicatur, per hyperbolem dictum est, (d), sicut in aliis locis Scripturæ, ut in Psalmo: Posuerunt in cælum os suum; & de Salomone, quod fecit tantam copiam argenti, quanta est lapidum in Jerusalem, tertii Reg. decimo. (e). Si autem de captu intelligentiæ accipiatur, verum est ad literam, ut dicit Augustinus (f).

Quæstio de hoc quod Evangelista dicit: signa & opera Christi in toto mundo capi non posse.

Solutio.

Per hyperbolem dicta in pluribus Scripturæ locis.

Ps. 72. 9.

3. Reg. 10. 27.

Augustinus in Jo. Evang. c. 21. Tract. 124. n. 8.

(a) Scilicet *sine dolore*, ut supra in Prol. num. 12.

(b) *Incertum* etiam fatetur Dionys. Carthusian. ad finem Enarrat. in Evangelium S. Joannis. Petrus quoque Comestor in Hist. Evang. cap. 196. post recensitas opiniones Veterum de morte Joannis Evangelistæ in fine concludit: *De hujusmodi vero melius est pie dubitare, quam temere diffinire*. Item Auctor Sermonis ad Paulam & Eustochium de Assumpt. B. M. V. cap. 2. inter supposit. S. Hierony. relata prædicta opinione secunda subdit: *Veruntamen quid horum verius censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam ut aliquid temere definire velimus &c.*

(c) Huic tertiæ *expositioni* sive *opinioni* nostrum Interpretem adhæsisse, argumento est, quod nihil adversus eam, sicut contra duas priores, opposuerit. Quod vero ad ejusdem robur nihil adjecerit, neque longius disputationem protraxerit: hoc ideo factum puto, quia ut ipse docet ad finem Lib. 3. Sentent. *Sufficit in dubiis scire quid Sapientes senserunt; nec est utile contentionibus deservire*. Inter *Sapientes* autem, qui longe verius, ac certius senserunt, S. Joannem naturali morte esse defunctum, sunt Patres paulo ante allegati. De Origene, S. Irenæo, Polycrate., vid. Eusebium Lib. 3. Histor. Eccl. cap. 1. cap. 23. ac cap. 31. & de Dionysio Alexandrino apud eundem Lib 7. cap. 25.

(d) Ita non tantum S. Aug. sed etiam SS. Cyrill. & Chrysost. nec non Theophylact. Euthym. Leont. Beda, Cajet. Guilliaud. Jansen. Toletus &c.

(e) Supra cap. 12. 19. *Ecce mundus totus post eum abiit*.

(f) Sic nedum S. Aug. sed & Beda, Rupert. S. Tho. Hugo Card. Lyran. Dionys. Carthus. & alii, qui ly *nec mundum capere posse libros* exponunt de capacitate legentium, eo nimirum sensu, quod totus mundus non caperet, id est, non intelligeret, nec penetraret mysteria doctrinæ & vitæ Christi, adeo profunda sunt & Divina. Priorem expositionem magis probant Cornel. a Lap. Tirin. & Calmet. Hinc est quod ei unice adhærent Sa, Estius, Menochius,

1389. Nos igitur ſcientes, quod intelligentia noſtra non caperet quæ de Chriſto ſcribi poſſent; curemus recta fide intelligendo quæ ſcripſit, recta operatione exercendo quæ docuit, ad dona ſempiterna pervenire, quæ Dominus ipſe promiſit (a), ipſo adjuvante, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. Laus tibi Chriſte, quoniam labor explicit iſte.

Explicit Poſtilla optima ſuper Joannem edita a Domino Fratre Bonaventura de Balneo regio Ordinis Fratrum Minorum Cardinali, (b) ad uſum Fratrum Minorum (c). J. K. (d).

---

chius, Natal. Alexand. atque *non pauci* apud Gordonum, qui tamen addit, quod *placet aliis accipi locum ſine tropo, ac ſi non poſſent omnia legi, capi, & intelligi*.

(a) Simili modo Natal. Alex. concludit ſuam Expoſit. S. Evangel. ſecundum Joannem.

(b) Cum heic nullo titulo ornetur nec *Doctoris devoti*, neque *Seraphici*, nec *Sancti*, neque *Beati*, hinc apparet antiquitas Codicis, quem adhibuimus.

(c) Hinc inferre licet, Commentarium hunc *Fratribus Minoribus* non exiguo uſui fuiſſe.

(d) Per has ſiglas videtur indicari ille qui exſcripſit. Quis autem fuerit, ſolus ille, qui omnia novit, ſciverit. In fine Cod. Heilsbronen. in Franconia, ubi eſt præfata *Poſtilla Bonaventuræ ſuper Joannem*, poſt *labor explicit iſte*, continuo ſubditur, finiſque fit his verbis: *Liber Sanctæ Mariæ Monaſterii Fontis ſalutis*, ut recenſuimus in Prodromo col. 424.

Finis Tomi Primi.

IN-

INDEX
VARIANTIUM
Lectionum Divinæ Scripturæ, quæ in hoc primo Volumine Supplementi Operum D. Bonav. comprehenduntur.

J O B.

P S A L M O R U M.

P R O V E R B I O R U M.

E C C L E S I A S T Æ.

CANTICI CANTICORUM.

17. Su-

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

JEREMIÆ.

THRENORUM.

BARUCH.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEE.

24.

46.

9. Hæc

9. Co-

ACTUUM APOSTOLORUM.

AD ROMANOS.

PRIMÆ AD CORINTHIOS.

SECUNDÆ AD CORINTHIOS.

duci-

APOCALYPSIS.

Finis Indicis Variantium.

INDEX VERBORUM,

Ac Rerum præcipuarum in Primum Volumen Supplementi Operum Seraphici Doctoris D. Bonaventuræ.

A

B

C

Caus-

ctio

DÆ-

D

Mo-

E

F

Fra-

G

H

I

L

M

N

O

Ope-

P

Præ-

Q

R

T

Finis Indicis.

BENIGNE LECTOR

IN TEXTU

Col.	Num.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
23		2	exibemus	exhibemus
27	7	13	certus	cervus
83	20	6	Hoo	Hoc
113	79	14	mediationum	meditationum
161		4	aſcenderuut	aſcenderunt
186	209	7	experiur	experitur
232		20	floruerit	floruit
248	306	9	ttanſitorie	tranſitorie.
284	II.	5	effectivum	effectivum
383	10	11	complectum	completum
397	29	14	oporter	oportet
411	43	8	cam	cum
417		24	Imterprete	Interprete
465	47	7	intorrogaverunt	interrogaverunt.
484	77	9	ſeqnar te	ſequar te
515	122	9	quo	quod

IN TEXTU

Col.	Num.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
522	136	10	ſoportatus	ſoporatus
564	240	5	Jejuſalem	Jeruſalem
568	221	17	ſandalum	ſcandalum
584	259	5	nltimo	ultimo
708		22	flumiua	flumina
720	512	12	objiecitur	objicitur
752	574	10	qnæ	quæ
760	582	1	ſecndum	ſecundum
766	594	6	vevire	venire
814	670	6	requierebant	requirebant
837	716	13	Jeſus	Jeſum
1019	1042	1	2042.	1042.
1028	1055	2	ſcilieet	ſcilicet
1076	1131	9	fidei	fidei
1085		9	inrroduxit	introduxit
1135	1242	26	ſuceperunt	ſuſceperunt
1160	1284	19	oſtavo	octavo
1211	1368	14	*amas te?*	*amas me?*

IN MARGINE

Col.	Num.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
41	31	9	ſtudinm m	ſtudium
90	34	1	affectnm	affectuum
119	109	1	ſignetur	ſignetur
146	137	1	*Job.* 28. 14.	*Job.* 28. 13.
147	*ibi.*	1	ibi 13.	ibi 14.
164	170	1	fit	ſit
271	348	3	ficut	ſicut
393	23	3	centra	contra
439	6	2	De	Dei
484	77	1	1. *Jo.* 2. 8.	1. *Jo.* 2. 18.
659	398	3	neceſſitatem	neceſſitatem
676	437	4	ad m,	ad me,
732	536	6	*Jo.* 24.	*Jo.* 14.
742	561	18	qntuor	quatuor

IN MARGINE

Col.	Num.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
743	561	1	*Exo.* 18. 22.	*Exo.* 18. 21.
775	612	4	*Philip.* 2. 8.	*Philip.* 2. 7.
802	653	1	Potentia	Potentia
810	666	13	*Jer.* 5.	*Jo.* 5.
841	723	2	ergo	erga
847	735	3	dicunt	dicitur
848	736	6	*Ergo*	*Ego*
874	787	5	Dydimus	Didymus
905	838	1	Conſpirationss	Conſpirationis
992	999	8	*Eccli.* 9.	*Eccle* 9.
1009	1076	6	*Nnm.* 13	*Num.* 13.
1070	1120	6	5. Reg. 20.	3. Reg. 20.
1095	1168	13	Due Petri	Duo Petri
1109	1199	1	Judeorum	Judæorum.

IN NOTIS AD CALCEM

Col.	Nota	Lin.	ERRATA	CORRIGE.
6	n	1	Hec	Hæc
7	c	6	delectatiovem	delectationem
14	e	5	nt	ut
24	d	2	mediationes	meditationes
33	k	19	magnagnarum	magnarum
41	f	2	auctores	auctore
51	e	6	hahet	habet
76	a	3	ludatus	laudatus
77	d	11	ſum	ſuum
93	m	2	pracul	procul
110	e	1	lumbricatae	lumbricatæ
137	f	1	mediationibus	meditationibus
163	b	9	Meſopotania	Meſopotamia
203	.	1	Compiantati	complantati
275	b	1	ſecndum	ſecundum

IN NOTIS AD CALCEM

Col.	Nota	Lin.	ERRATA	CORRIGE.
286	c	1	ſummæ	ſumme
289	g	1	colon.	colum.
307	m	4	perquam	per quam
418	b	5	inſanctitate	in ſanctitate
525	b	1	iſtudt	iſtud
644		4	crederitis	crederetis
683	c	1	ſune	ſune
685		17	ud meriti	ad meriti
734	f	2	442.	242.
752	a	2	abuudantia	abundantia
790	a	2	ſuut	ſunt
905	b	3	intrabo pro introibo	introibo pro intrabo
1014	e	5	grati aeligentis	gratia eligentis
1041	f	8	Grecis	Græcis